DOGMATICA PHILOSOPHIA
PERIPATETICA CHRISTIANA,

Illus.mo et Exc.mo

BAP: NANO DICATA

Auctore

F. SERAPHINO PICCINARDO

MAGISTRO, AC PATAUIJ METAPHYSICO



PATAUIJ,

Typis Petri Mariæ Frambotti

AN. M DC LXXI

Supi Perm.

BIBLIOTECA NAPOL

Digitized by Google

PHILOSOPHIÆ
DOGMATICÆ
PERIPATETICÆ CHRISTIANÆ

Libri Nouem

In patrocinium Ariſtotelis ac in Oſores eiuſdem

TOMVS PRIMVS

CONTINENS QVATVOR LIBROS PRIORES

Primum Apologeticum pro Peripatetica, Secundum Analyticum contra Accademicam ſectam, Tertium in Parmenidicam, Quartum in Democriticam,

IN QVIBVS SIMVL NVPERA

Opinabilium licentia, generum vniuerſorum confuſio, & Atomorum inanitas Confutatur, & ſtrictim Apocriſin exhibetur

Præ cæteris Thomæ Campanellæ, Griſoſtomo Mageno, Renato de Cartes, Petro Gaſſendo, Io. Baptiſtæ Van Helmont, Franciſco Caro, & alijs huiuſmodi Neotericis in Ariſtotelem Nouatoribus.

Labor ex integro & liber præſertim Primus omnibus Peripateticis vtiliſſimus: Secundus Philoſophis etiam Moralibus & Canoniſtis. Tertius Metaphyſicis ſimul & Dialecticis. Quartus Phyſicis ac Medicis Peridoneus vt Index ſubſequens indicabit.

ILLVSTRISS. ET EXCELL. EQVITI, AC D. M. PROCVRATORI

D. BAPTISTÆ NANO

HVIVS VNIVERS. REFORMATORI MERITISS.

Dicatus ac Compoſitus

PER FR. SERAPHINVM PICCINARDVM BRIXIENSEM Ord. Præd. S. Theologiæ Magiſtrum, ac in Alma Vniuerſitate Patauina Publicum in via S. Thomæ Metaph. Profeſſ.

Patauij, Typis Petri Mariæ Frambotti Bibliopol. M D C L X X I.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.

EQVITI,

AC D. MARCI PROCVRATORI MERITISSIMO

BAPTISTÆ NANO

HVIVS ALMÆ PATAVINÆ VNIVERSITATIS

REFORMATORI.

P. F.

ANtenori huius Auſoniæ Vrbis Conditori augurium fuit (Illuſtriſs. & Excellentiſsime Eques ac D. Marci Procurator) vt ſedem figeret vbi ſagitta *Peteret Auem*, vnde Patauij etymon quaſi *Petauium* aliqui retulerunt apud Cerdam in illud Æneidum Carmen

Hic tamen ille Vrbem Patauiſedemque locauit.

Mihi Antenoreæ huic Vniuerſitati ſub Auguſtiſſima ſemper Sereniſſimæ huius Reipublicæ Magnificentia adoptando (tametſi Immerito) felicius fuit pro omine Cycnus, non equidem iaculo impetendus, ſed calamo expetendus vt bonis auibus auſpicarer, cum alias Tullius primo Tuſcul. admonuiſſet *Cycnum diuinationem habere*. Hic ille eſt (Excellentiſs. horum profeſſorum Mecenas) quem animi magis candore refers quam ſtemmate e vetuſtiſſima etiam apud Sabinos Metiæ familiæ origine deriuato. Hic ille eſt, quo nullus vmquam literarum Apollini ſanctior, nullus præ tua eloquentia ſuauior. Hic, ſub quo Iupiter (vti Ledeo puriori) ſi pulcritudine virtutis allectus iterum delite-

ſceret,

ſceret, tui tuæque piiſſimæ Nanorum gentis caſtimoniam addiſceret, fortitudinem inſitam comprobaret. Hic, cuius peruigilis prudentiæ nutibus, melius quam anſerum clangore Romana olim, nunc Veneta iterum Reſpublica ſæpe excitata in tuto quieſcit. Hic, quo auſpicante Ampliſſimum Dominium Æquoris Nanorum proceres aut primitus amplificarunt aut propugnarunt, ad hoc appoſite Æmilio canente:

Cycnus in Augurijs nautis gratiſsimus Ales
Hunc optant ſemper quia numquam mergitur vndis.

Hic, quem inſculptum vel deductarum claſſium triremibus formidauit antiquitus Oriens nonminus ac fulminantem Tonantis Alitem exhoreſceret, vti & *Cycni* (Stagerite docente lib. 9. hiſt. Animal. cap. 12.) *Aquilam, ſi pugnam cæperit, repellendo vincunt.* Hic ille eſt, cuius volatum exuperans in tot ſupremis pro Patria Legationibus in fragoratu rerum ac temporum, modo Romanæ Patris Legationi apud Vrbanum VIII. repentino morbo diſiecti vix annum XXIII agens tunc ipſe ſuffectus glorioſiſſimè Olorum mores imitatus es, quos narrat Plinius lib. x. cap. xxiii. *Volantes nedum colla imponere præcedentibus, ſed feſſos etiam duces ad terga recipere*; Mox inde xxvi peracto Legatus in Galliam in pace Munſter Caduceatori alas Cycneas præſtitiſti; Mox in Germaniam ad tunc furentem Sueuorum Martem Prudentiæ Palladi ſuppoſuiſti pro Noctua Cycnum, qui Athenæo teſtante lib. ix. cap. xiv. *pugnat vt repellat tamen non aggrediatur*; Mox repetita vtrobique Legatione extra ordinem vbique ſemper Platonis encomium, apud Apuleium de dogmate Platonis, nimirum *Cycni mulcentis hominum Deorumque auditus canore Muſico* pro-

meruiſti;

meruiſti, dum placidiſſimè vtrinque Coronatorum affe-ctus, auxiliariorum ſuppetias, Populorum obſequia, Orbis applauſus rapuiſti. Hic ille eſt, quo conſonante tuo Mercuriali magis, quam Orphico, modulamine deuinxiſti lubentem tunc Argum huic Sereniſſimæ tuæ Reipublicæ ſcilicet Centeni tunc oculi Mazzarinum, vti nunc turmatim huc aduocas, certatim hinc arripis literatos. Hic, qui purpureum D. Marci Paludamentum ætate minus quam merito præocupatum in te tuoque Excellentiſs. Genitore cæteriſque maioribus toties cum ſuo albore coniunxit, vt etiam *Purpureos olores* Horatij oraculo commonſtraret. Hic tandem (vt claudam hoc vno verbo permulta, ſicut hucuſque parcens tuæ purpuratæ modeſtiæ ab omnium minimo ſcilicet à ſtemmatis alite exorſus ſum) hic, quem audire & admirari felicius, quam commendare facilius. Cycnorum etenim ingenium eſſe non tam roſtro, vt vulgo creditur, quam pennarum ſonitu canere vni emonctæ naris homines obſeruarunt, ſiue ex Nazianzeno orat. XXXIV. ſcribente *Quis cantum illum cum Cycno contexit, quo tempore alis in auram expanſis eiuſmodi ſibilum edit, qui inſtar carminis auditur?* ſiue ex Dione Griſoſtomo orat. XXXIII. ſubdente, *An vmquam quoddam hominum genus apparuit, quod naribus bene caneret, quemadmodum Cycnos facere alis aiunt?* Profecto tua hæc pariter Cycnea laus fuit non ſolum ore ſed calamo ſonitus & vere *Cycneos* mirabiliter edidiſſe, ſiue ob ingenitæ facundiæ dulcedinem, ſiue ob pænitioris eruditionis oſtentum, ſiue ob Geografice diſciplinæ (qua peculiariter vſque ad miraculum ſimul cum poetica polles) ac longe grauiorum doctrinarum præſtantiſsimum ornamentum. Et hic quot mihi

ſuppe-

ſuppeterent, quot ſuperfluerent (abſque aſſentationis inuidia) argumenta encomiorum in eam, quam Orbis legit ac celebrat, celebriori tuo exaratam exornatam calamo Venetorum hiſtoriam? Niſi me inde veluti è medio tramite monitum Theocriti lib. 5. præpediuiſſet. *Non liceat ad Luſcinias picas contendere, neque cum Cycnis vpupas*. Verum ſi vmquam, vt occurrebat Apollinaris Sydonius lib. IX. Epiſt. II. *& modificatis luſciniarum querelis improborum paßerum fringullientes ſuſſurri ſocientur*, liceat id mihi ſaltem (Excellentiſs. ſimul ac ſapientiſsime Eques Illuſtriſs.) infra non orationis ſed ſolum dedicationis Epiſtolaris confinia non quidem adijcere Athenis noctuas aut lumina Soli, ſed à Sole dumtaxat faculam tenebricoſo huic opuſculo mutuari, aut ab Athenienſi Palladio in veteriorum diſciplinarum Oſores parmã aut ægidem impetrare. Hæc mei appoſite obſequentiſsimi animi meta fuit, non dicam humillimæ aliquod gratitudinis ſpecimen perlitare beneficijs ingentibus, quibus cum Illuſtriſsimis & Excellentiſs. huiuſce Studij Reformatoribus cæteriſque Patritijs me tua humaniſsima ſemper ac munificentiſſima clientela onerauit & extulit, ſed verius dixero (cum alia mihi deeſſent) à communiori literatorum literarumque Patrono appræcari tutamen pro nimis (heu nimis!) nunc obruta infauſtiſsimè ac iniuſtiſsimè Peripatetica Philoſophia; Vt ſcilicet etiam nunc ſupereſſe confirmes in Sereniſsima Venetorum Republica ſenes pijſsimos illos æque ac prudentiſsimos, (vt ſine dubio ſuperſunt ac vigent) qui, referente Bartholomæo noſtro Spina Piſano in libro edito 1519 contra Pomponatium tunc publicum Bononiæ Philoſophum in fine

ne Flagelli in lib. 3. Apologiæ Perreti, vix prodeuntes Pomponatij errores in philoſophica diſciplina, antequam etiam à Lateranenſi Concilio ſub Leone X. proſcriberentur, opportuniſsimè ſuppreſſerunt, & *ab Illuſtriſsimo Dominio* (illius hæc verba ſunt) *libri omnes damnati & aboliti fuere, & vtinam* (inquiebat mox antea ab initio) *Principes omnes Chriſtiani nominis ſic ſe zelatores fidei in hac parte vt Domini Veneti demonſtrauiſsent*. Hinc me ad opus licet viribus impar ſimul humanitus tuæ Excellentię nutus commendatiſsimi exſtimullarunt. Hinc tuo ſub auſpicio conceptas ſub tui pariter nominis Lucinia prodit in lucem hic liber, quem faxit Deus tuumque præſidum, vt (quidquid poſtmodum obſtrepant vel obclangant in auctorem) eum ſaltem viuere ſinant Nouatores ac perduelles in Ariſtotelem, vti immortali ſemper tuo Nomine inſignitus exiſtet, & ſemet vna cum illo deuouens in perennitatem humillimus Auctor ad pedes tuæ Excellentiæ procumbit. Vale tibi, literarum Orbi, Gloriæ Patriæ, fauſtiſsime viue.

Ex Conuentu S. Auguſtini Patauij die 28. Decembris 1670.

Excellentiæ tuæ Illuſtriſsimæ

Humill. Obſeq. & Addict. Ser.
F. Seraphinus Piccinardus Ord. Præd.

b PRÆ-

Præfatio ad Lectorem.

SAmoſatenus (ſi Euſebio credamus) Pſalmos, qui in Dominum Ieſum decantabantur, ve-
Lib.7.cap.8. luti Neotericos & nuper inuentos, ceſſare fecit, à ſe vero compoſitos diebus Paſchæ canere in medio Eccleſiæ iubebat. *Sic forte me ipſum, dum philoſophandi nouatores hic impeto, à pari nunc impetet aliquis ex nouitate ſcribendi, & criminabitur forſan novum in me animum audendi in eoſdem, dum criminor animum eorundem inuadendi vetuſtos. At Tu, qui noſti (eruditiſſime lectòr) longe diſparem eſſe cauſam agredientis aliena, aut ſua iura tutantis, agnoſces illos iniuſte vtique inuehere in Chriſtianorum philoſophos eam, quam inter*
Tacit. lib.1. *Ethnicos ſolum Tacitus lib. 1. notabat* raram temporum felicitatem, vbi ſentire, quæ velis, & quæ ſentias, dicere licet, *nos*
L.18.de Ciu. cap. 24. *vero è contra eandem vt deplorabilem errorum luem auertere cum Auguſtino aut præcauere, vt etiam olim ex Ethnicis Plato præcauere conatus eſt, dum veluti adumbrans ſacra pro libro-*
L.7.de Rep. *rum impreſſione decreta* (nemo, *inquit*, Poetarum ſeu philoſophorum præter ciuitatis leges & iuſta vel bona fingere quicquam audeat; nec liceat, quæ compoſuerit alij priuatorum oſtendere, antequam conſtituti hac de re iudices legumque cuſtodes viderint & approbarint). *Hæc (fateor) prima in animo excitati nunc operis conceptio fuit, dum olim Bononiæ dictanti Philoſophiam frequentiſſimè occurrebant hinc inde oſores Ariſtotelicæ Philoſophiæ, aut ſæculi elapſi (vt Lullum ac Paracelſum Neotericorum præcurſores iandiù ſepultos cæteroſque minoris notæ dimittam) Picus Mirandulanus & Petrus Ramus, quorum ille ex ſex libris examinis vanitatis doctrinæ gentium tres integros implet aduerſus Ariſtotelis Philoſophiam, hic ex profeſſò Pariſiis nouam eamque contrariam Ariſtoteli Philoſophiam excudebat; aut ſæculi etiam intercurrentis Baſſonus ac Campanella, ille reſtrictius, profuſius iste,*
Lib.1.exam. pag.24. *ambo tamen ex integro Peripateticæ ſcholæ temeratores. Verum de Pico minori cura mirabar, cum de ſe ipſo teſtetur interfuiſſe Concilio Lateranenſi ſeſſione octaua (in qua Pomponatij error*

damna-

damnatus euaſit de anima iuxta Ariſtotelis Philoſophiam) & inde non mirum ſi & Ariſtotelem carpſerit, vt Ariſtotelici illius hominis auſa refrenaret, tametſi in eadem ſeſſ. 8. *Nicolaus Epiſcopus Bergomenſis adiunxerit etiam* imponi vnitatem intellectus tanquam de materia poſita de mente Ariſtotelis, quam ſibi imponit Auerroes. *De Ramo adhuc minus ſolicitus* In Alcinoum
eram, cum eiuſdem religio & ſecta ex Iacobo Carpentario in Al- de doct. Plat.
cinoum alijſque Scriptoribus vnicuique pateret. Baſſonum porro digreſs. 1.
hæreticum extitiſſe obſeruabat præ cæteris Thomas Hurtado, & Contro. 1. de
in eodem de noſtro Campanella legebam ipſius philoſophiam Anima ſenſ.
hæreticis maxime placuiſſe eamque Tobiam Adamum inſi- memb. 5. §. 8. Ibidem §. 1.
gnem hæreticum propagaſſe, *adeo vt his ſemel admiſſis (nam alibi huius Dominicani arcanā mētem dedimus & propugnauimus) non poſſem non approbare quod ſcripſerat de eodem transfuga à S. Thoma Eminentiſſimus Palauicinus in lib. vinditia-* Lib. Vinditia-
rum, ſc. vir erat, *inquit*, qui omnia legerat omnium memine- rum c. 27.
rat præualidi ingenij, ſed indomabilis. *Hæc ferme iam animum à decreto auocarant, vt conſulente philoſopho* 1. *Top. cap.* 9. quolibet proferente contraria opinionibus ſapientum, de quolibet ſollicitum eſſe ſtultum videri, *ideo delato pro tunc aut fermè poſthabito veluti ſuperuacaneo ſimilium nouatorum examine, potius proſequerer poſt philoſophica ex integro iuxta morem ſcholæ in eodem Bononienſi ſtudio dictata, & Theologica comentaria ſubinde pro modulo meo Veronæ Genuæ ac Mediolani auditoribus tradita opportuniori limæ parare, ſicut in progreſſu pro ætate ac viribus non prateriui. Cum ecce hoc anno de more celeberrimæ huius Patauinæ Vniuerſitatis exordiente æſtiuo interſtitio ſtudiorum, dum Venetijs adeſſem, tum vt Illuſtriſs. & Excellentiſs. nec vnquam ſatis comendatos eiuſdem Reformatores obſequentiſſimè venerarer, tum vt mirarer non ſemel ſed iterum eam Heroum Vrbem, quam (vt alter aiebat) ideo ſupremus opifex in medio vitrei humoris appoſuit, vt pupilla oculorum eiuſdem oſtenderetur; obuiam ſeſe obtulere fortuito in magna Bibliopolæ Officina nuperi ex Gallia hinc libri Renati de Cartes, inde ſex immanes tomi Gaſſendi, ex integro ambo in Ariſtotelem arietantes. Ille imperteritus adhuc ex prædamnata apud integram Accademiam in ſui ſectario, & ſui ipſius phi-* In fine l. eiuſ.
loſophandi licentia, tutabatur (vt vidi) ſe vt innouatorem im- p. Philoſ.

merito ſugillari, *eo quod potius anteriorem ante Ariſtotelem philoſophiam Democriti reuocaret*; *Iſte* cum ſibi hæreret (*ut ipſe loquitur*) læthalis Arundo generalis præiuditij, quo videbat & fatebatur ordines omnes probare Ariſtotelem, vires attamen accreuere ex Ramo præſertim & Mirandulano, quorum idcirco, *inquit*, mentionem facio, quod ingenuum ſemper duxerim profiteri per quos profecerim. *Hos igitur vix legi, vel vidi, quin contra primum occurrerit ſimilis Marcioniſtarum excuſatio apud Tertullianum irriſa*, dicunt etenim iſti, *ſcil. Marcioniſtæ*, Marcionem non tam innouare regulam, quam retro adulteratam renouaſſe. *In ſecundum & inde tranſcribentis ſtygmate tactum, vt ipſe fatetur, præterquam color purgationis abigebatur ex his, quæ de Pico Ramoque notabamus, ad ingentia volumina eiuſdem non valui Horatij emphaſim cohibere*. Quid dignum reddet tanto promiſſor hiatu? *Tandem acceſſit & clauſit eodem tempore Venetijs editus poſterior tomus Franciſci Cari poſt illos in Italos iam contra Ariſtotelem eadem machinamenta traducens & arcta nimis eiſdem veluti conſpiratione coniunctus. Surrexit hinc inde animus tandem obiectionum ſpiculis excitatus aut innadentium ac triunfantium ad inſtar vociferationibus prouocatus. Arripui continuò reditum, &, vix regreſſus, hic calamum, cum penè inceptum per literas excepi hoc idem conſilium humaniſſime comendatum ab Illuſtriſs. & Excellentiſs. Domino Patritio Equite ac Diui Marci Procuratore meritiſs. Baptiſta Nano, cuius cum nomine ſapientia & virtus ampliori præconio non eget. Adauxit id ſuper omnia vires, animumque clariorem à lumine veluti ſuperiore largitum eſt. Sic pertinaci (vt verum fatear,) pauciſſimorum menſium æſtiui temporis ſtudio perfeci, aut verius dixerim, tumultuario protinus currentique calamo adumbraui, quod vides. Succeſſit inuitus, (at neceſſarius ob mei plerumque citatioris characteris obſcuritatem) repetitus dictandi labor, in quo penuria primum, deinde incuria amanuenſium, & in vno præ cæteris etiam latinæ linguæ imperitia ferenda fuit, adeo frequens in verbis ac ſenſibus conuoluendis, vt errata nec integre ex impreſſionis caſtigatione valuerint obliterari. Hinc ſi multiplici impedimento detentus, in hac dogmatica philoſophia componenda ac ſciungenda à ſcholaſtica, obtinere non*

valui,

In Præf. exercita. parado. xicar. aduerſ. Ariſt.

Li. 1. contra Marci. c. 20.

In fine poſtremæ exercita. ad uerſ. Ariſto.

valui, quod pro meta præfixeram, hoc vnum ſaltem me aſſequu-
tum eſſe crediderim, quod Ireneus aſſequi ſat ſibi eſſe dice- L.1 aduerſ. Gnoſticos.
bat (ſcil. alijs occaſionem dare ſecundum noſtram mediocri-
tatem & vt ipſe augens ea penes te vt magis idoneus quam
nos hæc quaſi ſemina & initia accipias à nobis). *Aut ſaltem*
vt ſolicitè nouatores, exiguo licet, terrifico tamen offendiculo
præpedirem, venatorum tretricula immitatus ſum, qui vt Ne-
metianus aiebat

Sæpe vrſos magnoſque ſues Ceruoſque fugaces
Terrificant, linaque vetant tranſcendere Septam.

In titulo inde ſubſtrinxi, quo magis potui, operis argumen-
tum, ſiue vt olim Apion gramaticus apud Senecam obſeruabat Epiſt. 88.
Homerum in initio operis duas conſultò literas præmiſiſſe, ex
quibus Odiſſeæ & Iliadis methodus noſceretur, ſiue vt ex Lam-
pridio Eliogabalus in conuiuarum mantilijs depingi edulia mox In Eliogab.
apponenda iubebat. Auctoritatem pro medio potius quam ratio-
nem malui adhibere, tum quia dogmaticè non ſcholaſticè iſta
pertracto, tum quia Lyrinenſi monente maiorum ſententiæ L. contr. prof. cap. 39.
congregandæ ſunt, quibus illud quodcumque exurget noui-
tium ideoque profanum, & abſque vlla ambage prodatur, &
ſine vlla tergiuerſatione damnetur. *Imo præter ea, quæ attuli,*
non deerant plura alia afferenda, ſi vellem: ſed (vt loquar cum
Pelagio Papa II. cum teſtimonia patrum innumera ſuppete- Pel. 2. Epiſt. ad Ep. Iſtriæ.
rent, perpauca poſuimus, cupientes vt ſcripta noſtra in cau-
ſis ſingulis narratio breuiata ſuccingeret, nè fortè tędium le-
ctori progigneret. *Aliqua etiam tam cito excurrentem ſubter-*
fugerunt, vt poſtquam vidi triginta tres Patres late congeſtos
à Launoy in opuſculo inſcripto de varia fortuna Ariſtotelis *ple-*
rumque exprobrantes antiquis hæreticis artem Sophyſticam
Ariſtotelis inter cæteros Aetio hæretico apud Epiphanium hære.
ſi 76 Niſſenum lib. 1. in Eunomium Ruffinum lib. 1. hiſt. cap. 25.
& alios, tunc excurrentem, inquam, me fugit pro Ariſt. breuis
ſed expedita Socratis apologia lib. 5. hiſtoriæ tripartitæ cap. 13.
ſic occurrentis, hoc ille ſc. Aetius faciebat ſequens Categorias
Ariſtotelis diſputans & quædam commenta concinnans, quæ
non intelligebat, neque ab eruditis cognouerat Ariſt. inten-
tionem, *ſcilicet ex defectu ipſius non Ariſtotelis*. Ariſtoteles
enim, *ſubdit*, propter Sophyſtas tunc deridentes philoſophiã
hoc

Digitized by Google

hoc opus iuvenibus exercitationis cauſa conſcribens dialecticam Sophyſtis per huiuſmodi contentiones oppoſuit. *Et ſic de alijs, quæ addi poterant, ſed viro cordato, vt credidi, à nobis adducta ſufficient. In methodo non ita dogmaticum egi, vt me Scholaſticum eſſe oblitus ſim,& ideo, vt vtar verbis Hilarij,*

L.1.de Trin. ita totius operis modum temperauimus, vt aptiſſimus legentium profectibus connexorum ſibi libellorum ordo ſuccederet, nihil enim incompoſitum indigeſtumque placuit afferre, nè operis inordinata congeries ruſticum quemdam tumultum perturbata vociferatione præberet. Sed quia nullus ad prærupta conſcenſus eſt, niſi ſubſtratis paulatim gradibus feratur greſſus ad ſumma. Nos quoque quædam gradiendi initia ordinantes arduum hoc diſputandi iter cliuio quaſi molliore liniuimus, non iam gradibus inciſum, ſed planitie ſubrepente deuexum, vt prope ſine ſcandentium ſenſu proficeret conſcenſus euntium. *Ea ſimul à me (ſicut à D. Proſp.)* eſt

L. 3. de vita Contempl. cap. 34. iudicata latinitas, quæ breuiter & apertè obſeruata dumtaxat vſitatorum verborum proprietate res intelligendas enunciat, non quæ vernantis eloquii venuſtate atque amænitate luxuriat. *Argumenta, quæ ſoluo, non pauca ipſe reperio, & omnia ſaltem magis ſtudeo roborare quo poſſum, ſicut Hierouymus*

Præf.aduer. Iouin. *olim de argumentis Iouiniani dicebat*, manifeſtioribus verbis & habentibus aliquam conſequentiam argumenta proponam, *adeo vt inde non cogar occurrere illi criminationi, quam*

L.5.de Ben. cap. 12. *Seneca ſibi opponebat dicès*, inquies me operam bona fide perdere; quid enim boni eſt nodos operoſe ſoluere, quos ipſe vt ſoluere iam feciſti? *Poſt obiectiones aliorum, cum D. Thoma, propriam adiungo ſententiam, tum quia (bene probante Greg.)*

Lib.8. Mor. cap.1. Si camporum ſentes arator vomeris ſciſſione non eruit, terra accepta ſemina in ſegetes non producit; *tum quia concinente*

L.1. aduerſ. Iouin. *Hieron.* libentius etiam antidotum Chriſti bibes, cum diaboli venena præceſſerint. *Curo tandem in refutandis alienis Na-*

Orat.ad Ep. *zianzeni verba tenere*, non aduerſarios contumelijs conuitijſque petendo, quemadmodum plerique faciunt non cum dogmate, ſed cum dogmatis aſſertore pugnantes. Et tamen ſcio

Prolog. in Math. non defuturos hic alios, *vt cum Rabano dicam*, qui magis parati ſint aliena lacerare, quam propria opuſcula condere, & magis præſumptioni quam pietati ſiue ſtudioſitati hunc deputa-

putare laborem. Verum quia nemo poteſt calumniam & inuidos morſus deuitare, niſi qui omnino nil ſcribit, magis eligo ſurda aure tranſire quærimoniam, quam otioſè gratiam Chriſti torpendo negligere, *& cum Philoſopho, quem propugno, concludere in 2. Elenchorum cap.*8. Reliquum eſt omnium veſtrum omiſſa quidem artis venia dignari, inuenta autem multa perſequi gratia, *vel in 2. de Cælo tex. 61. ſubdente*, Veneratione magis quã temeritate digna eſt promptitudo iſta, ſi quis præter Philoſophiæ ſitim etiam in ijs paruas ſufficientias amat, de quibus nunc maxime dubitamus, *& de quibus opinor intelligi illud Lateranenſis Concilij Seſſ.6.* nimirum vt in his ſanctis & vtilibus profeſſionibus Sacerdotes Domini inueniantur, vnde infectas philoſophiæ & poeſis radices purgare & ſanare valeant. *Vale.*

NOS

Digitized by Google

NOS FRATER IOANNES THOMAS DE ROCABERTI SACRÆ Theologiæ Profeſſor, ac Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis & Seruus.

CVm librum, cui titulus, *Philoſophiæ Dogmaticæ Peripateticæ Chriſtianæ libri nouem Tomus primus continens quatuor libros priores* ab Ad. R. P. Magiſtro F. Seraphino Piccinardo Ordinis noſtri compoſitum, tres eiuſdem noſtræ Familiæ Theologi, quibus id comiſſum fuit, examinauerint, & in lucem edi poſſe probauerint, Harum Serie facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ita ad quos pertinet videbitur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & Sigillo noſtro munitas dedimus.
Romæ 21. Nouembris 1670.

Frater Ioannes Thomas de Rocabertì
Magiſter Ordinis.

Reg. fol. 5.

F. Seraphinus Bertolinius Mag. & Soc.

Noi Reformatori dello Studio di Padoua.

HAuendo veduto per fede del Padre Vicario Generale del Sant' Offitio di Padoua, nel Libro intitolato *Philoſophiæ Dogmaticæ Peripateticæ Chriſtianæ Libri nouem &c.* del Padre Serafino Piccinardi, non eſſerui coſa alcuna contro la Santa Fede Catolica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo licenza agl' Heredi di Paolo Frambotti di poterlo ſtampare oſſeruando &c.
Dat. à 29. Settembre 1670.

(Andrea Contarini Cau. Proc. Ref.
(Nicolò Sagredo Cau. Proc. Ref.
(Battiſta Nani Cau. Proc. Ref.

Angelo Nicoloſi Segretario.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO

HABITA AB AVCTORE ANNO MDCLXIX.

In primo ingreſſu in Vniuerſitatem Patauinam

CORAM ILLVSTRISS. ET EXC. RECTORIBVS CIVITATIS

DD. IO. CAPELLO

PRÆTORE

&

PAVLO IVSTINIANO

PRÆFECTO

AMPLISSIMAQVE VNIVERSITATE;

In qua eadem Patauina Vniuerſitas

TRIVMPHALI LITERARVM CAPITOLIO

Comparatur.

SVB FELICISSIMIS PRÆSIDIIS

ILLVSTRISS. ET EXCELL. D. MARCI PROCVRATORVM

DD. ANDREÆ PISANI,

ALOYSII CONTARENI,

&

BAPTISTÆ NANI

Tunc temporis Reformatorum eiuſdem Vniuerſitatis.

Patauij, Typis Petri Mariæ Frambotti Bibliopol. M D C L X X I.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO SIVE PROLVSIO.

VRbem, quam vndæ fulciunt, Hadria lambit, & æquor ipſum exoſculatur ac cingit, vidi mox ipſe venerabundus ac dixi, Vrbs iſta non vrbs, orbis compendiũ eſt, cui Atlantis vice Neptunus ipſe ſuccollat: N.N. Vidi, obſtupuique perantiqua trophea, vt alia cuncta dimittam, ad Diui Marci delubrum æmulantia Romæ triumphos, adeo vt pene dixerim Romam de Troiæ incendio progenitam, ibi emerſiſſe vix alteram Hadriacis rediuiuam ab aquis. Stupui dum vidi templum non tam occulta vaſtitate peramplum, quam Græcanico ornatu mirificum, in cuius veſtibuli ſuperiori parte muſiuo opere auroque diſtincta tametſi ænei adhuc animoſo varioque ſtatu geſtientes inuehunt de Bizantina victoria quatuor equi triumphum, & priſcis huiuſce Reipublicæ prędis magis quam Liſippi arte tumentes didiciſſe ferociam ſcandendique animum aligero ab Hadrię Leone videntur. Obuiam intus ſeſe obtulere columnæ, quas ſcalpra minus nobilitauere quam gladij, quarumque duritie acuminatis fidelium enſibus in Paleſtinæ ſubſidijs, leonibus olim Salomonis abreptæ, alteri nũc ſacratæ leoni, ſtruxere Veneto nomini ac ſtabiliere triumphos. Interius iterum in pauimento operis vermiculati, varijque lapidis textura diſtinctò, veſtigium pariter fruſtis ſignatum occurrit, in quo Alexander hoc nomine Tertius nemini infortunio ſecundus opitulante ſola dextera Marci, qui eum oppreſſerat armis, oppreſsit hic pedibus hoſtem, aſpidemq; conculcare ſe dixit, qui vltra ſerpentem terrenum inuenerat in Hadria paradiſum. Tandem ſeſe obtrudentibus cenotaphijs ac ſignis hinc inde certatim Venetæ peruetuſtæ virtutis, ac gloriæ, clauſi hanc veram æmulam Romæ virtutes ac laudes vel exceſsiſſe vel exęquaſſe Romanas, adeo vt ſicut illa de ignibus Ilij, iſta de ſpumis maris ac Atilę exorta ſit, illa è Troicis, iſta ex Italis extructa ruinis, altera lupæ, altera ſubiecta leoni, ambæ bellorum filiæ, ſorores cladium, ambæ victorię vel ſaltem pacis glorioſę parentes. Sed vna tantummodo menti reluctans ratio vtramque vrbē diſcriminandi ſubibat, quod ęqualis antiquo iure triumphi attamen Capitolio aptato triumphis regina maris præ mundi Imperatrice careret, atque hoc vno dumtaxat inuideret aut cederet iam Tiberi mare ouandi ęqualiter etſi non merita locum. Cum poſtmodum vix ipſe conſpexi Auguſtam hanc molem Patauini Licæi tam vaſtitate magnificam, quam vetuſtate colendam, tot laureis ouantium more refertam, tot virorum inſignijs exornatã exſculptam, vt ab his vocibus abſtinere nequiuerim, Hic hic probè locus triumphalis exiſtit, huc propè Euganeos Montes Tarpeius ipſe translatus eſt, hic Venetiarum Capitolium exurgit; de quo vno ſcilicet literarum ſi non armorum Capitolio nunc mihi verba facturo apud tot ſimul ac tantos Venetæ prudentiæ Catones, æmuloſque Romanæ virtutis, Romani pariter Rhetoris deſiderata facundia congrueret. Verum, ſpero, eo amplior in vobis triumphabit ingenitæ nobilitatis humanitas, quo humilior in me dicendi facultas de loco triumphali in hoc Metaphyſicæ diſciplinæ pri-

Ariſtid. apud Cerdam 6. Æneid. verſ. 796.

primordio exordiri auſa eſt ac perorare conatur.

Roma (vt ipſe caput ab orbis Capite ſumam) quaſi orbis epitome præſignaretur, vti & mundus noua ſed amplior Roma ab Ariſtide dicebatur, appoſite adinſtar orbis enata eſt, vnde ſi mundus exoriens vti mox natus infans pro fletu ſanguinem Abelis effudit, & Roma ſanguine prius fuit Remi deſcripta quam mœnibus ſepta, ſi in ortu mundi ſerpens veluti duorum hominum educator acceſſit, in ortu Romæ nutrix duorum fratrum lupa ſubnixa eſt, vtriuſque fortunæ primordia infortunia fuere, alteri è terra ſpinarum prouida, alteri fęcunda rixarum, prima orbis lues a muliere præuaricatrice profluxit, primæuas Latinorum pugnas excitauere Sabinæ, illa arboris frugem abripiens, iſtæ a Romanis abreptæ. Hinc adeo creſcens, vt pene orbi æquaretur & vrbs, a lupa rapinas orbis regina edocta eſt, rapuit & ſceptra regibus, & pugnatoribus enſes, regnorumque vorax ab hoſtium venis exigens tot ſanguinis riuulos, quot ipſa receperat ſtillicidia lactis à lupa, hanc feram eandem quęritare latibula non in nemoribus, ſed in ſceptrorum ſylua coegit. Tunc aquila Latij adpicta vexillis non amplius valens vnico proſpicere capite occaſum ortumque Solis, quo excutiebat gemino ſua fulmina pede, ingeminauerat caput, vt cæterorum regnorum diademate multiplici cingeretur. Iam ſeptem è collibus Romæ ſeptuplicis veluti Capitis Hidra Lernea ferocior clauas ſpernebat ac Hercules, extinctura ſanguinis gurgite audaciam Alcidis ac ignes. Iam Tyber alieno ſanguine ac fletu turbatus ac turgidus Latinis in agris ne dum palmas ac lauros ſed ſceptra ipſa epululantia rigabat. Tarpeius collis fulminum vice, quibus impetebatur e Cœlo, Cœlum e contra fulminans apparebat, & Capitolium præ ciuium curribus triumphantium plauſtris premebatur, in quorum rotis inuecta orbis fortuna rotari videbatur; adeo vt deficientibus in Capitolio cuneis vincentium ſtatuis, vti deficiebat pugnantium progreſsibus orbis, neutiquam milites vnquam poſt clades ac ſtrages iteratæ pugnæ deeſſent; Et tamen quis credat tot inter Martiales ac triumphales Romanæ Bellonæ tumultus, non minus conſone concuſſiſſe ſua arma Mineruam, & eo ipſo loci, quod ab Olli capite extumulato Capitolium vocatum eſt, Palladem etiam, quæ a Iouis Capite prodijt, ſuos commeruiſſe ac peregiſſe triumphos? Conſulite, conſulite, quæſo, eruditiſſimi auditores, vos ipſi Varronem, & primitus oculis ſtudioſis occurret effulgurans auro inter tonantis aras etiam Mineruæ ſacellum; quaſi Tarpeis rupibus neutiquam Aquilæ Romanæ ſufficerent, niſi nocturnis excubijs & Palladis noctua peruigil iungebatur, ſeu quantum curribus auuinctæ prædæ deeſſent, niſi inter truces hoſtium catenatorum aſpectus, & truculentus in Deæ literarum clipeo Gorgonidum vultus apparebat. Iungite Varroni Dionyſium lib. 3. atteſtantem *vnam in veſtibulo* templi Capitolini *cellam Mineruæ fuiſſe*, veluti cuſpidata dumtaxat armati huiuſce numinis haſta inſtabilem figere rotam belligerę fortunæ valeret, aut galeatæ eiuſdem fronti præ cæteris Capitolina laurus deberetur. Sciſcitamini inter priſcorum tenebras penitiora lumina veritatis, & adeo genialis occurret in Capitolio ſcientiarum numini ſedes, vt plane falluri ſitis eundem extitiſſe locum triumphandi his, qui manu vel lingua, telis vel verbis, tormentis aut argumentis decertaſſent, ſeu in Gymnaſio vel caſtro enſe vel voce, mentes aut corpora deuiciſſent, atque ideo me impręſentiarum Au-

Apud Lipſium lib. 3. de Magnitudinē Rom. ca. 3.

guſtu…

guſtũ hoc Patauij Licæum Saturnio illi Latinorum amphitheatro meritò comparaſſe. Verum delineata tantummodo vti decolor adhuc inducta ſimilitudo langueret, niſi ad viuidius excitandam eandem, penicillorũ vice, geminus Euſebij Oroſijque calamus adderetur, & ambo ſimul ex igne fumoque, quo Capitolium antiquitus exuſtum eſt, vmbras ac lumina mutuarent, nempe, vt ille ſcribit in rebus Commodi Imperatoris, *in Capitoliũ fulmen ruit, & magna inflammatione facta Bibliothecam concremauit* & vt ſuccinit iſte ſeptimo ſuæ hiſtoriæ libro, *fulmine Capitolium ictum eſt, ex quo facta inflammatio Bibliothecam illam maiorum ſtudio curaque compoſitam rapaci turbine deuaſtauit*, adeo cognata erant, vt ipſi videtis, apud proceres illos Vniuerſitas literarum ac Capitolium, vt ibidem calami ſcriptoria atramenta profunderent, vbi madebant adhuc alieno ſanguine gladij, & miſcerentur intexta trophæis ſpolia armatorum, falceſque librorum. Viſebantur hinc adhuc viui alligati curribus hoſtes, hinc catenati in Bibliotheca Capitolina ſcriptores emortui, illinc Imperatorum ſtatuæ prominebant, hinc Doctorum imagines colebantur. Vtrinque coronabantur tempora lauro, aut quia de hoſtium Romani Imperij ferocia, aut quia triumphum de humani generis inſcitia retuliſſent. Cæſarum forſan ingenio indulgebatur, inter quos primus quot mortis veſtigia enſe fulgurante ſignarat, tot immortalitatis monumenta calamo ediſſerante reliquit, & Palladi non minus vouit ſuorum commentaria bellorum, quam addictorum regnorum obtulerit diademata Ioui. Mirum erat inſpicere hinc poetarum illinc Imperatorum laureas triumphales, & irrigatis vtrinq; atramẽto vel ſanguine palmis Aſtreæ ſubſtitui a doctis lãces a pugnatoribus enſes; adeo affines erant, vt dixeram, armatorum togatorumque triumphi, vt vnus vtriſque locus Capitolino nomine inſigneretur, & conſequenter & iſti triumphali literarum theatro Capitolini nominis gloria æquiſſimo vtique iudice debeatur. Neutiquam tamen hic vellem aliquem ex vobis ancipitem permanere de innouato hoc Capitolio Patauij, eo quod vnicum ſemper agnouerit ac nominarit antiquitas: veluti antiquatij cum Lipſio nos monituri non adſint, & Capitolium multiplex extitiſſe, & ſingulis ferme Coloniis Romæ ſua Capitolia fuiſſe, de quibus vt literatia non minus quam militaria Capitolia fuiſſe ſciremus, optime ad rem noſtram addebat Arnobius, *non ne vides in Capitolijs omnibus virginales eſſe ſpecies Mineruarum?* Aderant quippe & alibi plures (ſubdebat Ariſtides) *arces conſecrata Mineruæ, vt ſicut regibus & principibus loca certa definitaque excipi ſolent, ſic illi, quæ vniuerſis præerat, munitiſſima quæque dedicarentur.* Aderant alibi plura Capitolia extructa Mineruæ, vt cum Roma geſtiret in ſui Colonijs ſuimet imaginem perennare, hinc legibus Romanorum ac Capitolio munitis tanquam Romæ filijs, Troiæque nepotibus Troianorum etiam Palladium in ſimulacro Mineruæ adiungeretur: Aderant vt plerumque Romanorum vrbes etiam ſtudiorum frequentia imitarentur Athenas, & Capitolia earundem dicata ſcientiarum numini fierent Athenæi. Aderant vt & vetuſtiſſima hæc Antenoris vrbs Romuleæ vrbi coeua non ſolum Capitolij vtcumque ſed veriori totius ſapientiæ iactati Mineruæ in Auguſtiſſimo hoc omnium ſcientiarum amphitheatro imaginem exhiberet. Imaginem etenim Capitolij (ecquis non videt?) vt hoc etiam dicam etiam ſi alia non deſint, hæc Vniuerſitas ipſo vel nomine refert.

Apud theatrum V. Bibliotheca.

Lib. 7. Cap. 16.

Turneb. li. 11 aduerſ. ca. 2. Alexãder ab Alexand. li. 6. c. 11.

Apud Lipſiũ.

Ariſtid. orat. de laudibus Rom.

Nam

Nam ex Plutarco in Marcello, ac præter alios ex Liuio in ſexto ſecundæ ſuæ Decadis libro vos optime noſtis Bouem in Capitolio a triumphante litari conſueuiſſe, vt vel extingueret incendia bellorum, vel ſaltem laureas ſuo ſanguine irrigaret. Immolabatur pro vrbe illa, quæ gloriabatur Lupæ origine, Bos, & Ioui ipſi, qui olim Tauri ſpeciem Europæ amoribus obtulit, Taurus itidem offerebatur. Creuerat adeo inſana idolorum ſeruitus, vt vix hinc inde diſcretis aratro bouum, victorumque plauſtro, & atç ipſæ in ſtabula verterentur, & bouum coronandæ ceruici reddita pro iugo laurea, niſi victorum coronæ taurorum cornua miſcerentur, taurine eos Iupiter inuiſeret. Hinc Bos, qui prius ab Ægyptijs colebatur vt numen, vt victima Romæ Bruto non minus numini mactabatur, & qui iam Romuli ſulco primordia mœnibus inchoarat, ſub augurum cultro claudebat pugnatorum cum ſactificio triumphum; vt Claudiani carmina de hoc Romanorum more teſtantur

Claud. in epigam.

& Tauros

Tarpeio referunt, quos pia vota Ioui.

Sed ecce Bouem, qui in Capitolio tonantis numini offerebatur, Patauinum hoc Hadriæ Capitolium, ſi offerre idolorum omine nequit, ipſo ſaltem ſuo nomine refert, & Bos iam pariter hæc Vniuerſitas nominatur, vt ſaltem nominis myſterio ſuppleretur, quod alias ex immolati iuvenci defectu Capitolinæ huic ſimilitudini defuiſſet. Bos eſt, ex cuius ſinu, non minus quam e Troici equi fæmore fortunatiſſima heroum agmina prodiere, & cuius dorſo non minus quam Iouis tauro literaria iam ferme tota Europa peruehitur. Bos, cuius opera Eccleſiæ tellus doctrinis excolitur ac fæcundatur, & cuius in ſigno velut Zodiaci tauro Thomiſtico præcipuè præfulgente Sole, floridus ſemper literarum aprilis erumpit. Bos cuius valida ceruice, dum fertur, & iugum Chriſti ſuaue fit, & Veneto Leoni comitatus cum veſtræ humanitatis aſpectu necnon acuminis Aquila inuehere creditur propheticam Ezechielis doctrinæ quadrigam. Bos, qui haud alio, quam Sydereo Boote ducendus, non alio quam Cæleſtis Arcturi plauſtro iungendus eſt, & hic in terris haud alios, quam antiquiſſimos triumphales Venetæ Reipublicæ currus in Patauino hoc Hadriæ Capitolio peruectat. Percurrerem hic ad rem noſtram fuſiori calamo ſtiloque latiori exterorum diademata ac ſceptra regnorum Romani olim Capitolij ſtructuræ adglomerata ac congeſta, quæ aceruatim accumulat hoc vno ictu Plutarchus, *cum fortuna*, inquit, *alata ſit ac vaga, & modo Aſſirios, Medos, Perſas, Macedones, Cartagineneſes luſtrauerit, eoſdemque reliquerit, videtur ad Tyberim alas poſuiſſe, volubilemque globum reliquiſſe*. Excurrerem hinc omnium ego in orbe coronatorum Capita in eodem Capitolio ſepulta, in quo hominis Caput repertum eſt, vt Capitolium & *vertex mundi* a Sidonio, & *arx omnium gentium* a Cicerone diceretur. Afferrem infracta alienigenarum belligerantium ſcuta, euerſaque ſolia principum exuuendis rantummodo Capitolij arcubus adunata, vt Claudianus de celſitudine Capitolina cecinerit.

Sidin. li. 1 Cicero in Catilin.

Ipſa triumphatis, quæ poſſidet, æthera regnis.

Claudian in paneg. Olib.

Hæc omnia vel pra ſtitullem vel ſaltem præſtare conarer, niſi iam vos prævidere perciperem literarium in hoc pariter Reipublicæ Venetæ Capitolium confluxiſſe diſiectas primores veterum Academias vti triumphatas.

orbis imperia Romanorum identidem Capitolio ſubſtrata ſunt. Vbi etenim (quæſo ſciſſitamini famam) vbi nunc Ægyptiaca Alexandriæ Academia, cuius Beniaminus Iudæus *viginti fere ſcholas à totius orbis hominibus olim frequentatas* fuiſſe recenſet, quam Nazianzenus Gregorius *officinam omnis doctrinæ* vocabat, & cuius intuitu poſt Pharſalicum de Pompeo triumphum, vt Appiani verba transſcribam, ipſemet Iulius Cæſar *pulchritudinem mirabatur, & ſtans inter plebem philoſophos audiebat?* Vbi nunc Græca Athenarum literarum paleſtra, quam apud Cælium Pithius Græcorum Veſtam, & alij quidam dixere Græciæ Muſeum, quam his coloribus Philo Iudæus depinxit, *quod pupilla in oculo, in anima mens ſeu ratio, hoc Græcis Athenæ*, & demum de qua Iuſtinus Martyr adiunxit, *Literæ atque facundia, ciuiliſque ordo diſciplinæ velut templum Athenas obtinuerunt?* Vbi nunc Aphricana Cartaginis Vniuerſitas, quæ non minus militaris vitæ duritie, quam humanitate ſtudiorum triumphantis æmula Romæ (vt Salniani lingua loquamur) artium liberalium Scholas, & philoſophorum officinas, linguarum ſimul & morum gymnaſia recluſit, propter quæ Cartaginenſis Auguſtinus applaudens patriæ *duas vrbes literarum Latinarum artifices Romam atque Cartaginem* vocitabat? Vbi nunc Mauritana Marochi prius, poſtmodum Feſſani translata Licæa, in quibus *ferme ducentas patuiſſe ſcholas* Io: Leo teſtatus eſt? Vbi Heraclea Metapontus & Croto, quæ annuente Plutarco adeo ſtudijs excreuere celebria, Vbi tot aliæ per orbem illuſtriores Academiæ vel populorum incuria, vel temporum vel bellorum iniuria ſubductæ? Huc, huc (mihi credite) confugerunt, & ne iam meis, ſed Nigronij verbis ab ineunte hoc ſæculo in hac alma vrbe olim oratoris, id dicam, *Si illæ doctrinarum inuentrices ac nutrices Athenæ Barbarorum impetu ex Attica pulſæ, diuque per orbem errando peregrinatæ ſunt, nos credere iuuat ſub hac Cœli ſaluberrimi plaga, tum in his feraciſſimis Hadriæ campis conſtitiſſe*. Huc, mihi credite, conuenerunt in hanc Antenoris vrbem vna cum Troiæ fugientiſque Græciæ reliquijs; hic ſua fixere tentoria, & ſicut Romæ conſlandæ Mauortis arci ſubiugata imperia ſtetere, ita dirutæ orbis Academiæ extruendo huic Palladis Capitolio conſtitere Patauij, & ſicut arx illa ex Lactantij Iſidorique monitis, eo quod religionum Caput exiſteret, hoc Capitolij nomine inſigniebatur, ita hæc Vniuerſitas, eo quod literarum Caput exiſtat, Capitolium vtique æquali meritorum debito nominatur.

Celius lib. 18. ca. 21.

Saluianus lib. 7. de Prouid.

Nigr. orat. 14. in fine.

apud theſaurum V. Capitolij.

Vos vos hic aduoco iudices quotquot auditores adeſtis, nobiliſſima exterarum nationum germina, remotarumq; vrbium lumina: Vos, qui relictis patriæ Laribus patrio auitoque ſolo exceſſiſtis, & peregrinis doctrinarum mercibus adquirendis in has vſque oras libētiſſime peregrinamini. Vos, qui ſyderea ab vrſa Germaniæ Italorum hunc Bouem petijſtis, in quo velut Perilli tauro ſi non artificum, ſcriptorum crimina diluuntur. Vos, qui ab aureis Galliarum lilijs in hoc Patauino gymnaſio ingeniorum florem legendi cauſa conueniſtis: Vos, qui aut ab altero Britannorum orbe hic noſtri orbis miracula queritatis, aut è triumphalibus Polonorum vrbibus ad Mineruales hic laureas conſpiratis: Vos peto, vos præcor, non ne in tot alienigenarum certatim affluxu, impellimini Claudiani verba repetere, ita de exteris olim confluentibus in Capitolij theatra canentis.

Hui us pacificis debemus moribus omnes,

Quod

Quod veluti patrijs regionibus vtitur hoſpes
Quod bibimus paſsim Rhodanum, potamus Orontem
Quod cuncti gens vna ſumus.

Non ne dum illi, qui ſemel horum Doctorum ſapientiam ſpectauerũt, ite-
Proper. lib. 3. eleg. 21. rum ac ſæpiùs ad ſuſpiciendam ac ſuſcipiendam eandem priſtinæ recordatione admirationis allecti e remotiſſimis mundi partibus rapiuntur, non ne vobis occurrit, quod æque Propertius de ſpectatiſſima ab orbe Capitolina amplitudine ſuccinebat.

Natura hic poſuit, quidquid vbique fuit.

non ne gaudetis, quod vti de Romæ Capitolijque magnificentia Plinius
Plin. li. 3. cap. 5. aiebat, ita hæc Vniuerſitas Capitolij Venetorum adinſtar *tot populorum diſcordes feraſque linguas ſermonis commercio ad colloquia contraxerit, & breuiter vna cunctarum gentium patria facta ſit*. Non ne concluditis demum hanc adeo eſſe Capitolio perſimilem, vt vice Tyberis etiam in Padi vicinia conſtructa ſit, in quo Phaetontis caſum effinxere poetæ, ne ſuæ Tarpeiæ excidium in Capitolio olim obrutæ ſcutis, huic identidem Capitolio deficere videretur.

Statuas vtique (ne aliquid pro Capitolij ſimilitudine prætermittam) huic noſtro Capitolio deficere timuiſſem, niſi Mineruæ ſequacibus non minus ac Marti addictis ſtatuas poſuiſſe Romanos, cæterarumque vrbium proceres hiſtoricorum monumenta referrent; quarum ſi aliæ omnes aut ruderibus vrbium, aut obliuio temporum tumulatæ iacerent, adhuc ſcriptorum lingua animata loquuntur ſimulacra Menedemo Eretrienſi Athenis erecta illuſtri non minus viro aliorum ſcalpro quam ſuimet calamo, & Fauorino philoſopho tunc eo magis ſtatuam Athenis poſitam promerenti, cum in eius virtutis odium ab Hadriano poſt obitum diſiecta eſt. Vidit Criſippus ex ære ſe fictum, qui alios Stoicorum dogmate in lapides vertere conabatur. In Eleorum vrbe Academici Pyrrhonis ſtatua fixa eſt, qui inconſtantia Scepticorum inſtabili ferebatur; & pręter alios Iunio Ru-
Plin. li. 34 cap. 7. ſtico Romæ, Alcibiadi, ac Pythagoræ Romani ſtatuas poſuerunt, vt æqualis eſſet, ſi Plinio credimus, Quiritum genti ſculptilium populus, & Capitolium non minus hominum ſimulacris, quam Cælum ipſum deorum ſyderibus abundaret. Sed quid e diſſitis aliorum laribus ſimilia quęrito? dum hic in hac vrbe celebris adhuc præſto eſt in aula maxima excelſo in loco ſtatua Titi Liuij vt eruditiſſimo Ciui ab amantiſſima hac patria conſtituta. Hic hic meruit Capitolium, qui Capitolij encomia hiſtoriæ plauſibus non minus quam cæteri bellorum artibus illuſtrauit: hic eſt, de quo vnica laus Hieronymi ſatis eſſet ſic Paulino ſcribentis, *ad Titum Liuium lacteo eloquentiæ fonte manantem de vltimis Hiſpaniæ Galliarumque finibus quoſdam veniſſe nobiles legimus, & quos ad contemplationem ſui Roma non traxerat, vnius hominis fama perduxit*. Hic eſt, quo vno dumtaxat hiſtorico vel encomiaſte hoc noſtrum Venetiarum Capitolium indigeret, cuius cum mihi nec leuiter ſimilis eloquentia contigerit, ferte parumper ſaltem eiuſdem vice a me excurri triumphos, quibus honorifice habitæ præ bellatorum ſagis ſapientum togæ probatunt triumphale Capitolium, vti intendebam, etiam literis conuenire.

Neque hic præſtolamini, quæſo, me verba facturum vel de Ioſeph prorege Ægypti, qui ob in prædicendo ſapientiam e truci carcere per vrbem

regiam

Digitized by Google

regiam triumphali plauſtro perductus eſt, vel præter facta de Platone Græcorum principe, quem Dionyſius licet iniuſtus Syracuſarum Rex albis quadrigis excepit e littore, & triumphantem ducturus in vrbem curruiaurigam coronatum Rex ipſe peregit; vel de Dione Pruſeo, quem ipſe Suidas impoſitum triumphali quadrigæ ouantemque Romam inductum fuiſſe a Traiano Imperatore teſtatur. Non illis hic immemor veſtræ humanitatis ampliùs immorabor, cum vnicum mihi ſat ſit Marci Tullij Ciceronis exemplum, qui non eo quia priuatus primum bellò Marſico ſub Silla meruiſſet, vel inde proconſul in Cilicia ductor exercitus ſtrenue feliciterque pugnaſſet, ſed quia mox antea Stoicorum doctrinis imbutus, eloquentiaque præditus licet non auxiſſet imperium, interiturum ſeruauerat non præliando ſed eloquendo, ideo togatus omnium primus triumphauit, & ſupplicationes, qui maximus honor victoribus bello ducibus ſeruabatur, ipſe in toga optime meritus, primus item omnium pater patriæ nominatus, Brunduſio Romam agmine perpetuo vrbium publice gratulantium, effuſione hominum ex caſtris & agris, obuiam egrediente Senatu, Roma ipſa prope conuulſa ſedibus, humeris Italiæ in patriam, ciuiumque brachijs in vrbem triumphantis applauſu illatus eſt; Cuius eruditiſſimi viri triumpho plaudentes poſtea nedum Plinius obſtupefactus ipſique gratulans exclamabat *ſalue primus in toga triumphum linguæque lauream merite*, ſed Cæſar ipſe Dictator eidem oratori infenſus aiebat *Linguæ Lauream triumphorum omnium eo maiorem adeptus eſt, quanto plus erat ingenij Romani terminos intantum promouiſſe quam imperij*: Vtinam vtinam nunc mihi ſuppeteret eiuſdem Tullij facundia aſſueta triumphis, & triompharem, haud dubito, de veſtræ mentis aſſenſu pro triumphali hoc Capitolio Patauij, in quo, ſi nullus alter, qui triumpharit, adeſſet, triumphat hic ſaltem adhuc eruditiſſimorum tot fama virorum, qui tanta cum admiratione ſapientiæ, tanta cum eloquentiæ lande in hoc literarum Capitolio ſuarum doctrinarum imbribus irrigant laureas triumphales, quorum ſi vellem, vti intendebam, & ſingillatim etiam ſi curſim indigitare triumphos, vti in hoc illis ambitio, ita nunc mihi facundia ſimul ac temporis permiſſio deeſſet. Triumphat ingeminata in hac vrbe duorum Excellentiſs. iuſtiria Rectorum, quorum vterque in fulgentiſſimo equè ac vetuſtiſsimo ſuę Larario familię tot principum in pace ſcientiſsimorũ, ac ducum in bello inuictorum lauros apprime dignas hoc Capitolio recenſet, & quorum vterque ingeminans animo Cæſares ſapientiaque Catones, auitarum ſimul ęmulatione virtutum extimulant Hadrię gratulari carmine apud Auſonium Sulpitię olim de Romano Capitolio canentis

> *Duo ſunt, quibus extulit ingens*
> *Roma caput, virtus belli & ſapientia pacis.*

Triumphat iterum in hoc Capitolio Patauij triumviratu Romanorum illuſtrior & ęquior trium Excellentiſſimorum Reformatorum huiuſce ſtudij Catoniana prudentia, qui ad primores Europæ coronas non ſemel & merito apprima Legatione perfuncti, ſinguli ſimul honoraria Diui Marci Procuratoris purpura decorati huic literarum triumpho triumphalem purpuram ſubminiſtrant, & Nanus ex iſtis Excellentiſſimus Procurator & Eques nedum dilertiſſimo hiſtoriæ calamo dulciorem Liuium eidem Ha-

Plin. li. 7. cap. 30.

dtiæ Capitolio reſtituit, ſed pro anſeribus etiam, quæ Capitolium olim cuſtodijſſe feruntur, noſtro huic Capitolio felicius ſubſtituit e ſuo Stemmate Cycnum. Triumphat tandem nedum prædictorum, ſed Sereniſſimi Principis ſemper Regia eò veraciùs commendata benignitas, quo plauſibilius me licet immeritum, Sereniſſimo etiam annuente Senatu, celeberrimo huic Doctorum cætui adnumerare & adſcribere dignata eſt, & ſimul eò potiori iure triumphat ſpectatiſſima in vobis humanitas, quo prægrauiorem hac prima vice in me audiendo moleſtiam libentiſſimè pertuliſtis. Remanet vt mei culpa dumtaxat non deturbetur à iure triumphi antiquiſſima illa naturalium ſcientiarum princeps ſcilicet Metaphyſica, cui aliàs communi ſapientum calculo abſque litigio defertur naturales inter doctrinas cum principatu triumphus, in hoc præcipuè æquiſſimo ſemper literatum Capitolio, pro quo hucuſque, ne ſui captiui deeſſent, ego in meæ mentis obſequium eiuſdem plauſibus captiuatæ dicebam.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
Quæſtionum ; Articulorum & Aſſertionum

LIBER PRIMVS

Pro dogmatica Philoſophia Peripateticorum. pag. 1

QVÆSTIO PRIMA

De Chriſtiana vtilitate ex Ethnicorum Philoſophia.

Art. I. AN ex Sacra Scriptura etiam Ethnicorum Philoſophiam expedire Chriſtiano Philoſopho deducatur. 1

Firmatur pars affirmatiua aduerſus Cornelium Agrippam, Franciſcum Picum, Thomam Campanellam, VanHelmont, & huiuſmodi Nouatorum argumenta euelluntur.

Art. II. An eadem vtilitas Philoſophiæ Ethnicorum ex Sanctis Patribus colligatur. 6

Concluditur affirmatiue etiam contra Ianſenium & præcitatos, & ſimul plerique Patres congeſti in oppoſitum à Ioanne Launoi, vſque ad 33. exponuntur &c.

Art. III. An ex diſcurſu naturali etiam probetur Ethnicorum Philoſophiam expedire Chriſtiano. 11

Propugnatur eadem præmiſſa veritas à cæteris etiam obiectionibus hæreticorum, vt Lutheri, & ab huiuſmodi hominibus philoſophicæ & nedum Theologicæ ſcholæ temeratoribus vindicatur.

QVÆSTIO II.

De Peripatetica Philoſophia Seligenda præ alijs.

Art. I. Vtrum expediat Chriſtiano philoſopho vnicam Seligere Sectam potiuſquam vagari per omnes. 16

Aſſeritur & probatur aduerſus Thomam Campanellam & Iulium Clementem Scotum cum Lipſio & quibuſdam paucis.

Art. II. Vtrum expediat Chriſtiano Philoſopho Seligere Sectam Peripateticam præ Platonica & alijs. 20

Peripatetica præponitur tum Platonicæ contra Picum, Viues, Ficinum & alios

alios Platonicos, tum Stoicæ contra Lipſium, tum cæteris contra paucos Democriticos.

Art. III. An non obſtantibus iſtis expediat vel liceat ſaltem, integram Ariſtotelis Philoſophiam euertere, & proprio Marte nouam cudere philoſophiam. pag. 27
Non expedire validiſſime ſtabilitur, & ſingulis inde Nouatorum quærelis ſatis fit; & eorundem præſertim Gaſſendi innundationibus obex apponitur.

QVÆSTIO III.

De cenſura Morum in Ariſtotelem alioſque Primores Ethnicæ Philoſophiæ.

Art. I. An in aliquibus philoſophis etiam Ethinicis aliqua opera Moralia bona quædamque virtutes ſaltem in ſtatu imperfecto admitti poſſint. 41
Scholaſticorum communis ſententia affirmatiua etiam ex Auguſtino roboratur, & ab obiectis Ianſenij poſt Baium, Caluinum & alios hæreticos, vindicatur.

Art. II. Vtrum prædicta bona in Philoſophiæ Ethnicis fuerint etiam ſine vlla gratia ſupernaturali, vel naturali ſpeciali per Chriſtum. 57
Excluditur Negatiua eiuſdem Ianſenij ſententia ſimul cum opinione Vaſquez & perabunde ſincera mens etiam Auguſtini enucleatur.

Art. III. An ijdem Philoſophi Ethnici pariter ſine gratia potuerint efficaciter diligere Deum vt auctorem naturæ, quem naturaliter cognouerunt. 70
Oppoſita hic extrema Molinæ opinio affirmatiua deturbatur, & antiqua contraria & nunc pene communis eligitur ac defenſatur.

Art. IV. Vtrum probabilior ſit aliquorum opinio Platonem vel Socratem & huiuſmodi in gratia ſaluos è vita ceſſiſſe. 81
Fidentior nimis cuiuſdam Nicolai Securi aſſertio in opuſculo de ſalute Platonis *edito Venetijs 1666. vt minus probabilis refutatur, eiuſque occaſione de ſalute Socratis Senecæ & huiuſmodi pertractatur.*

Art. V. An Ariſtoteles quoad mores peior Philoſophiæ principibus credendus ſit, vt quidam imponunt. 90
A ſcommatibus plurimis & Calumniis Philoſophorum principis vita liberatur, & integra fere ex antiquiſſimo Eccleſiæ Patre ac erudıtiſſimo cuditur Apologia contra Patritium, Gaſſendum, alioſque recentes.

QVÆSTIO IV.

De vitiis impoſitis Philoſophiæ Ariſtotelis.

Art. I. An Philoſophia Ariſtotelis, quam habemus, in modo philoſophandi vitiata ſit. 96

Præ-

Præmunita ſententia negatiua occurritur breuiter ac expedite quam pluribus exercitationibus Paradoxicis Gaſſendi euulgatis aduerſus Ariſtoteleos.

Art. II. An Ariſtoteles eximi poſſit in ſua philoſophia ab erroribus contra Fidem attributis eidem. pag. 103

Cum S.Thoma & aliis in hoc etiam humanæ ſapientiæ princeps eximitur vel expurgatur, licet obſtrepant Nouatores cum Ferchio & aliis.

QVÆSTIO V.

De exceſſibus Peripateticorum quorundam in Ariſtotelis Patrocinium.

Art. I. An Ariſtoteles agnouerit Miſterium Trinitatis & huiuſmodi. 109

Trapeſontii antiquitus, & denuo Fortunii Liceti aſſeuerans opinio repellitur & auctoritate ſimul & ratione obiecta detruduntur.

Art. II. An aliquis error contra Fidem poſſit eſſe verus adhuc ſecundum veram Ariſtotelis Philoſophiam. 114

In hoc aſſerendo abſurdiſſimum Pomponatij auſum eiuſdemque ſectæ reprimitur armis ex officina S. Thomæ depromptis.

Art. III. An propoſitio Philoſophice falſa etiam vt talis ab infallibili iudicio Eccleſiæ iudicari poſſit. 118

Deſerimus quo adhuc Valentiam &, ſi qui ſunt, ſequaces eiuſdem, ab experimento & ratione probantes affirmatiuam, & negatiuæ Argumenta ſoluentes.

QVÆSTIO VI.

De aliorum erratis in Methodo philoſophandi.

Art. I. An pro ſciendi Methodo repellenda ſit prius à mente quælibet præcognitio etiam ſi vera ſit. 122

Periculoſa methodus Sceptica, quam Renatus de Cartes nititur introducere, nec ex integro recedente Gaſſendo, pro viribus validiſſime tranſportatur, & negatiuæ ſententiæ fundamenta iaciuntur.

Art. II. An expediat methodus connectendi dumtaxat Ariſt. textus. 127

Quorundam antiquorum præſciſe textualium ſupinitas caſtigatur, vt à Peripato irriſo à Nouatoribus vt pecudum caula longius calumniæ ſimiles arceantur.

QVÆSTIO VII.

De propria methodo philoſophandi Thomiſtarum in Ariſtotelem.

Art. I. An nobis & alijs expediat Dialectica methodus præ poſitiua vel oratoria recentium. 131

Eo

Eo validius Dialectica methodus obſirmatur quo modo frequentius ab ante peripateticis recentioribus effugitur imo reprobatur, vt à Gaſſendo & ſimilibus.

Art. II. An conuenienter cum Dominicano quamplures Ordines Sanctum Thomam elegerint inter cæteros Ariſtotelis expoſitores. 134

Contra Auerroiſtas, Alexandreos, vel huiuſmodi alios etiam Neotericos, S. Thomæ ſequela etiam in philoſophicis expoſitoribus cæteris antiquioribus ipſo vt præferenda probatur.

Art. III. An liceat imo expediat Thomiſtis iurare vniuerſim in verba Angelici Præceptoris. 139

Quam commendabile ſit hoc Thomiſticum iuramentum oſtenditur, & occurritur Campanellæ, Iulio Clementi Scoto & quibuſdam aliis carpentibus ipſum.

QVÆSTIO VIII.

De ipſius Philoſophiæ quiditate, & diuiſione.

Art. I. An nomen Philoſophiæ ſignificet idem ac nomen Sophiæ, ſeu Sapientiæ. 145

Audax quorundam recentiorum philoſophorum excurſus in Theologalium iudicia refrenatur oſtendendo philoſophiæ nomen non ſapientiam ſed amorem ſapientiæ referre.

Art. II. An detur vera philoſopſtia decretoria diſtincta contra Scepticam & Academicam. 147

Sceptica ſeu Pyrrhonia ſcientiarum euerſio promota de nouo (poſt alios antiquos) à Gaſſendo cum ſuo Epicuro relato à Sexto Empirico lib. 1. aduerſus Mathematicos, in præſenti grauiſſime reprobatur.

Art. III. An quiditas philoſophiæ decretoriæ recte explicetur dicendo eſt rerum humanarum Diuinarumque cognitio. 151

Quidquid Gaſſendus cum ſuis Sectariis obmurmuret, in anteloquiis ad phyſicam, alias congerens deffinitiones, hæc longe melior eligenda monſtratur.

Art. IV. An Philoſophia recte, & primo diuidatur in Philoſophiam naturalem, Moralem, ac Rationalem. 154

Philoſophiæ partium ordo ac diſtinctio aduerſum Bernardum Mirandulanum & quoſdam nuperos alios eiuſdem ſequaces præfigitur ac præmunitur.

Art. V. An quælibet philoſophia ex prædictis Integraliter recte ſubdiuidatur in Dogmaticam circa dogmata, & ſcholaſticam circa Theſes. pag. 158

Hic huius operis nomen exponitur, explicatur obiectum, & vtilitas comprobatur hinc ſeiungendo hanc noſtram dogmaticam à ſcholaſtica philoſophia.

QVÆ.

QVÆSTIO IX.

De mirabili philoſophia ſeu naturali Magia recentium.

Art. I. Vtrum hoc nomen Magia propriè ſit idem ac mirabilis quædam philoſophia. 161
Vt Ioanni Baptiſtæ VanHelmont pag. 491. confitenti hanc Nouatorum philoſophiam eſſe vere Magiam indulgeremus & nos duximus & probamus affirmandum.

Art. II. Vnde nam Magia licita originem habeat. 164
Ab Adam incæpiſſe cum cæteris diſciplinis eidem inditis reſpondemus.

Art. III. Vtrum Magia licita vt ſic ſit exactior quædam arcanorum naturę cognitio. 166
Tam frequens antiquorum aſſenſus & nobis pariter aſſentiri ſuadet.

Art. IV. Vtrum Magia licita iam diffinita rectè diuidatur in ſcientiam & artem. 168
Aſtruimus hanc diuiſionem & explicamus.

Art. V. Quomodo Magia licita ſumpta pro arte ſubdiuidatur in membra. pag. 170
Ampliſſimam hic partium faraginem ad quædā præcipua capita reuocamus.

LIBER SECVNDVS

In Sectam Academicam ſola probabilitate contentam

QVÆSTIO I.

De Academicis Ethnicorum.

Art. I. VTrum Academia Ethnicorum rectè diuiſa ſit in veterem à Platone ad Arceſilam, Mediam ab Arceſila ad Carneadem, & nouam à Carneade ad ſubſequentes. pag. 174
D. Auguſtini diuiſio quamplurium aliorum antiquorum teſtimonio vallatur & in oppoſitum dubia opprimuntur.

Art. II. An rectè ab Auguſtino ſubordinentur & diſtinguantur alij Academici poſteriores, vt Philo, Antiochus, Plotinus & alii. 178
Defenditur iterum Auguſtiniana diuiſio aliorumque priſcorum conſenſu munitur.

Art. III. An abſurda, quæ Ethnicorum Academici proferebant, etiam ſincera mente tenerent. 182
Luculenter oſtenditur non adeo bardos vel ſtupidos eos extitiſſe, vti quidam nuperi

nuperi præſupponunt, vt ſe diſcernant ab illis.

QVÆSTIO II.

De quiditate & diuiſione probabilis, circa quod Academici verſabatur.

Art. I. An probabile idem ſit quod rationabiliter enunciabile contingens aliter ſe habere. pag. 185
Eligitur hæc definitio & probatur, & in compendium cætera pro explicatione probabilis & opinionis rediguntur.

Art. II. An probabile prædefinitum rectè diuidatur in Logicum, ſeu Methaphyſicum, in Phyſicum, Morale & Rethoricum. 190
Hæc diuiſio à Mercoro tacta firmatur ex Ariſtot. & alijs & ex profeſſo explicata adaptatur ad dirimenda non pauca dubia in ſubſequentibus.

QVÆSTIO III.

De comparatione inter Chriſtianorum probabiliſtas, & Academicos Ethnicorum.

Art. I. An Ethnicorum Academia apud Chriſtianos applauſus tam Magnos obtinuerit ab extraneo potius effectu quam veritate. 197
Præoccupatur Probabiliſtarum obiectio iactantium numerum Auctorum præcipue recentiorum.

Art. II. An Academici quidam Chriſtianorum in propoſito poſſint videri peiores academicis Ethnicorum. 201
Aſſeritur, & auertitur nouiſſima Eſparzæ apologia pro ipſis.

Art. III. Vtrum ex aliquorum probabiliſtarum aſſerto inferatur nulla eſſe ſcelera, quæ non liceat patrari à populis, ab Aduocatis deffendi, à iudicibus abſolui, immo & innocentes damnari. 205
Illatio Auguſtini defenditur, & in reſponſionem quorundam Probabiliſtarum & denuo eiuſdem Eſparzæ replicatur.

QVÆSTIO IV.

De vaga electione minus probabilis, ſeu de apporectica Academia Chriſtianorum.

Art. I. An vaga electio minus probabilis ab Antiquorum exemplo comprobetur. 209
Cronologica frangitur & diſſipatur argumentorum Caramuelis Catena, & negatiuæ tutioris ſententiæ clauus figitur ac ſtabilitur.

Art. II. An aliunde etiam ex diſcurſu naturali vaga minus probabilium electio

Digitized by Google

electio probari poſſit. 216

Eidem Caramueli & Eſparza denuò ſatisfit, & grauiſſime dogmaticorum aſſertio roboratur.

QVÆSTIO V.

De retentione aſſenſus etiam in probabilioribus ſeu de Ephectica Academia Chriſtianorum.

Art. I. An intellectus poſſit probabiliter directè aſſentiri probabiliori in concurſu ſimul exiſtimatæ probabilis. 224

Hic Mercorum negantem cogimur derelinquere, eiuſdemque dubitationibus Scepticis reſpondere.

Art. II. An ſequens opinionem probabiliorem tuto poſſit in conſcientia certificari hoc ſyllogiſmo reflexo, *Opinio vt plurimum vera eſt certa moraliter, ſed hæc opinio probabilior in quantum probabilior eſt vt plurimum vera, ergo eſt certa moraliter.* 229

Noſtrum præfixum ſyllogiſmum oſtendimus demonſtratiuum eumque tutamur à nouis eiuſdē Mercori viri Doctiſſimi oppoſitionibus contra nos ſcriptis.

Art. III. An in concurſu duarum opinionum probabilium de poteſtate Pontificis, verbi gratia in materia diſpenſationum & huiuſmodi, ex eo quod Pontifex alterutra indiſpenſando vtatur altera ex facto improbabilis cenſeatur. 235

Denuo hic cum Reu. Mercoro diſputamus, & ſaluo meliori iudicio vt probabiliorem cum noſtro Baronio eligimus Negatiuam & explicamus.

Art. IV. An in ſequente probabiliorem ignorantia inuincibilis alicuius etiam præcepti naturalis, ſi detur, in hoc ſtatu lapſo excuſet à peccato. 239

Communis ſcholaſticorum in affirmando conſenſus eximitur à Lutheri, Ianſenij, Vuendrochij & cæterorum calumnijs, & etiam de mente Auguſtini (circa quem Ianſenius omnem lapidem mouet) elucidatur.

LIBER TERTIVS

In Sectam Parmenidicam & Melliſſeam

Omnia confundente in vnum.

QVÆSTIO PRIMA

De Placito Sectæ Parmenidicæ & Meliſſeæ apud Ethnicos.

Art. I. AN Parmenides & Meliſſus verè ſenſerint, vt Ariſtoteles referebat, omnia eſſe vnum, vel Theologicè potius de vno ſupremo

c ente

ente fuerint Intelligendi. 252

Contra pleroſque Nouatores carpentes Ariſtotelem vt mendacem, fideliſſima eiuſdem veracitas demonſtratur, & tangitur ſimilis etiam Parmenidica Secta quorundam Chriſtianorum in philoſophia.

Art. II. An gratis admiſſo Parmenidem & Meliſſum de vno ſupremo ente Methaphyſice intellexiſſe, Ariſtoteles impugnans verba eorundem culpandus ſit. 258

In hac iterum hypotheſi criminationes in Ariſtotelem adhuc ab Ariſtotele depelluntur.

QVÆSTIO II.

De vno, circa quod, vt aliqui volunt, Theologicè Secta Parmenidica & ſucceſſiuè Platonica verſabatur.

Art. I. An vnum in Deo ſit prius ente, vel è contra. 260

Platonis in Parmenide ac Platonicorum affirmatiua cum negatiua Ariſtotelis & Peripateticorũ componitur manifeſtiſſime & veraciſſime concordatur.

Art. II. An in aliquo vero ſenſu etiam Peripatetico Thomiſtico dici poſſit cum Platone Deũ ita eſſe vnũ vt proprie non ſit ens ſed ſuper ens. 263

Iidem iterum in affirmatiua etiam ex S. Thoma componuntur, & obiectionibus Fabri contra Picum dilucidius occurrimus & reſpondemus.

Art. III. An his ſtantibus in aliquo ſenſu admitti poſſit vt vera ea propoſitio, *Alius Deus eſt poſſibilis*, nuper à Catholico propugnata. 269

Animoſa affirmatiua ſententia Petri Conti radicitus pro Columera profligatur, & in Gilberto Porrectano antiquitus reprobata notatur.

QVÆSTIO III.

De eadem Parmenidica Secta apud Chriſtianos confundente Deum vna cum Creatura.

Art. I. An hæc propoſitio vera ſit, Deus eſt quælibet Creatura. 272

Parmenidica Chimera Viclef hæretici in hoc puncto affirmantis irriſui proponitur & condemnatur.

Art. II. An poſſit admitti Deum eſſe ens à ſe etiam poſitiuè, tanquam à cauſa quodammodo efficiente. 275

Renati de Cartes inter Ariſtotelis oſores præcipui in hoc aſſertio detruditur & amandatur vt Gilberti Porrectani commentum, imo & quorundam Græcorum Palamitarum apud Petauium tom. 1. & occaſione eiuſdem receditur ab Antonio Perez nouiſſime imaginante in Deo quandam proceſſionem etiam paternitatis ab eſſentia.

Art. III. An Deus non ſolum ex genere prædicamentali componatur, vt de creatura dici ſolet, ſed etiam ad tres perſonas proprie genus dici poſſit. 282

Caſſen-

Gaſſendi præſertim principia abſona reprimuntur, & ſecundario quorundam nouorum Nominalium poſitio de genere & differentia in Deo proſternitur, vt melius iterum in notis pro hoc loco appoſitis in fine tomi replicatur.

QVÆSTIO IV.

De Secta Parmenidica apud Chriſtianos econtra confundente in vnum Creaturam cum Deo.

Art. I. An ab æterno quælibet creatura ſit Deus. 286
Diruitur iterum gigantea moles Viclef hæretici præſumentis eſſentias rerum ab æterno Deo æquiparare imo cum ipſo confundere.

Art. II. An ſaltem eſſentia creaturarum ab æterno ſit quid poſitiuum ſubiectiuè in ſe præter Deum efficienter improductum ab ipſo. 289
Propulſatur inde ſimilis, licet non eadem cum errore Viclef paucorum aliorum recentium explicatio de ſubiectiua poſitiuitate eſſentiæ rerum ab æterno.

Art. III. Vtrum poſſibile ſit aliquod ens creatum, cui ſuppoſita prima productione adeo eſſentialis exiſtentia ſit, vt nequeat etiam de potentia abſoluta non eſſe. 295
Affirmatiua quorundam aliorum Neotericorum, apud Ouiedo in p. 2. de Beatitudine, & Lyncei ex parte, ſententia reijcitur & oppoſita ſtatuminatur.

Art. IV. An dari poſſit aliqua creatura, quæ ex ſui natura phyſicè petat eſſe ab æterno. 300
Maſtrij Scotiſtæ Recentis & noſtri etiam Xantes Mariales aſſertatio eliditur ac reprobatur.

QVÆSTIO V.

De eadem ſecta Parmenidica apud Chriſtianos prout accidens cum ſubſtantia confundit.

Art. I. An detur forma accidentalis non ſolum apparens ſed vera realis, phyſicè ſeu realiter à ſubſtantia diſtincta. 304
Eliminatur negatio audax Renati de Cartes, cui Viclef hæreticus anteiuit, & ſubſequi hic quidam Neotericus non dedignatur.

Art. II. An accidens ne dum eſſentiam, ſed exiſtentiam habeat diſtinctam in re ab exiſtentia ſubſtantiæ. 310
Et in hoc accidentia à ſubſtantia realiter ſecernentes abſcedimus magis à præcitatis Nouatoribus, & noſtri Auguſtini Rubei argumenta ac commenta diluimus.

Art. III. An è contra aliquod accidens ad modum ſubſtantiæ poſſit exiſtere naturaliter ſine ſubiecto. 316
Inde arcemus affirmatiuam Ouiedi aſſertionem cum Valeriano Magno cæteriſque etiam Democriticis vt improbabilem.

Digitized by Google

QVÆSTIO VI.

De accidentibus Euchariſticis in ſpeciali confuſis à quibuſdam Parmenidicis ſimul & Democriticis.

Art. I. An ſpecies Euchariſticæ ſint verè accidentia ſine ſubiecto, vel corpuſcula potius repreſentantia panem, qui antea aderat. 320
Iterum Renati de Cartes adminus periculoſiſſime id inficiantis verba abhorremus, & cum ipſo cuidam recentiori omnia effugia præcludimus.

Art. II. An verius etiam ex Sacramento Euchariſtico colligatur quantitatem à ſubſtantia diſtingui. 327
Nuperorum Nominalium vt Arriagæ Lyncei & huiuſmodi Negatiuæ obſiſtimus ac valide repugnamus.

Art. III. An in Corpore Chriſti adhuc ſub Sacramento adſit ne dum ſubſtantia, ſed accidens quantitatis eiuſdem licet ſine extenſione ad locum. 330
Animoſus Gaſſendi excurſus in hoc negando imo præceps in Theologalia exceſſus authoritatum freno corripitur vel cobibetur.

LIBER QVARTVS

In Sectam Democriticam Atomos pro materia prima & forma ponentem.

QVÆSTIO I.

De Democrito ſeu Auctore Atomorum.

Art. I. AN Democritus tanta, quanta ad atomiſtis extollitur, laude dignus ſit. 336
Expungitur turgidus Democritiſtarum faſtus ab encomijs Democriti in Magneno congeſtis & eiuſdem probationibus ſatis ſit.

Art. II. An ſaltem laus, ſi quæ eſt, auctoris atomorum Democrito concedenda ſit. 341
Et inuentoris atomorum laude Democritus exauthoratur communi facta ignoratione materiæ pleriſque Naturalibus ante Democritum.

QVÆSTIO II.

De Atomis. Quibus Democritici innituntur.

Art. I. An ſit idem atomus ac corpuſculum impartibile, & hoc duplex Phyſicum ac Mathematicum, ſeu Democriticum & Zenoniſticum. 344
Vtrum-

Digitized by Google

Vtrumque aſſeritur & communi calculo roboratur, vt præambulum ad ſubſequentia, & inde eliditur & non immerito deſpicitur quædam propoſitio cuiuſdam Atomiſtæ recentioris Bononiæ, qui vt tutaretur hanc nimis amplam ſuam expoſitam Teſim (omnia ex atomis compoſi) conceſſit & Trinitatem & animam atomum eſſe.

Art. II. Quot modis vniuerſim immaginari poſſimus res ex Atomis eſſe. pag. 349

Tres modi generales circa atomos phyſicas recenſentur, & cum antiquioribus etiam ſuis auctoribus exponuntur expendendi ac expungendi in ſubſequentibus.

QVÆSTIO III.

De primo modo ponendi res ex Atomis ablato vel diminuto concurſu efficientis.

Art. I. An ſaltem iuxta lumen naturale probabile ſit Mundum eſſe ex Atomis improductis, vel materia ingenita ab æterno. 352

In hoc Primorum Atomiſtarum deliria abiguntur & naturales Sanctorum Patrum demonſtrationes efficaciſſimæ promouentur.

Art. II. An ſaltem Atomis productis à Deo cum innata virtute ad motum ad inſtar grauis ac leuis probabile ſit Mundum prodijſſe aut perſeuerare addito ſolo cuncurſu ſimultaneo Dei. 357

Arcetur aſſeueratio Renati de Cartes & latibula omnia ſimilibus recentioribus præcluduntur.

Art. III. An pro efficienda Atomorum diſpoſitione recte ab aliquibus ſubrogetur loco efficientis Archeus Magicus Paracelſi. 361

Sexdecim rationum robore atque Sanctorum Patrum auctoritate ſtirpitus euelluntur integra principia philoſophiæ VanHelmont, quam contra Peripateticos ex peculiaribus illuminationibus didiciſſe pro Chriſtianorum vtilitate gloriatur, eiuſque erronea imo conſectaria indigitantur.

QVÆSTIO IV.

De ſecundo modo ponendi res ex Atomis ſcilicet excludente materiam primam & formam, non efficientem.

Art. I. An ſecundum modus ponendi ex atomis ſine materia prima & forma ſubſtantiali ex auctoritate Eccleſiaſtica refutetur. 371

Cum integra hic Atomiſtarum acie dimicatur ſcil. Baſſono, Magneno, Renato de Cartes, Gaſſendo, Caro & huiuſmodi, & eorum Atomiſmus Eccleſiaſtica auctoritate fauente Deo ſubiugatur.

Art. II. An prædictus ſecundus modus atomiſtarum etiam ab inconuenientibus refutetur. 379

Iterum idem Atomiſmus octo grauiſſimis abſurdis abijcitur, aut diſſipatur.

Art. III. An prædictus iterum ſecundus modus atomiſtarum etiam ex naturali

turali

turali diſcurſu reprobetur. 385
In ſuppetias pro nobis accedunt & ſeptem ex lumine naturali ſuaſiones, & opprimuntur obiecta & vndique atomi conteruntur.

QVÆSTIO V.

De tertio modo ponendi Atomos admiſſa ſimul cauſa efficiente forma, & materia prima.

Art. I. An ex conceſſione minimorum naturalium conſequatur res ex atomis eſſe. 391
Poſtremus hic effugientium Atomiſtarum receſſus quatitur & expugnatur, in quo & transfugæ à Peripateticorum caſtris quidam Bononiæ philoſophi recipiebantur.

Art. II. An in mixto remaneant actu formaliter minima naturalia elementorum. 394
Licet Arx iſta fugientibus Atomiſtis non ſufficeret ad eiaculandum in Ariſtotelem ex antedictis, nec iſta tamen conceditur ſed diruitur ac euaſtatur.

QVÆSTIO VI.

De materia prima contrapoſita Atomis Democritiſtarum.

Art. I. An auctoritati Sacrorum etiam conformior ſit materiæ primæ poſitio. 399
Validiſſimo Auctoritatum præſidio munitur id, quod hucuſque etiam ex atomorum profligatione euincebamus ſcil. materiam primam agnoſcendam eſſe.

Art. II. An cum hoc, quod materia prima ſit realiter ens, ſimul liceat eſſe puram potentiam omni actu etiam entitatiuo carentem. 402
Quam pluribus rationibus excitantur Peripatetici & admonentur, ne, vt à S. Thoma recedant in permittendo materiæ actum entitatiuum, Democriticis manus dent.

Art. III. An ſaltem materia prima habeat actum Methaphyſicum ideſt proprie differentiam. 408
Vt nos Peripatetici longius à Democriticis abſcedamus non valentibus intelligere niſi materiam in actu, & Methaphyſicum actum eidem materiæ denegamus, & ſingula argumenta facillime propulſamus.

Art. IV. An Materia, quæ datur, ita imperfecta ſit, vt ſit impoſſibilis alia creatura imperfectior. 413
Concludimus nec de abſoluta potentia eſſe poſſibilem aliam entitatem materia prima formaliter imperfectiorem contra Lynceum & alios, & magis inde receſſus Peripateticorum à Democriticis ſolidatur.

QVÆ

QVÆSTIO VII.

De lumine & ſpeciebus ſenſibilibus, an Atomi ſint.

Art. I. An lumen vel lux ſit effluxus atomorum ſeu corpuſculorum ab illuminante. 419
Cæcutientes in ipſa luce Democritici oſtenduntur in hoc puncto affirmantes, & diſcuſſis rationibus S. Thomæ & Ariſtotelis excutiuntur atomiſtarum obiecta ſcil. Gaſſendi, Franciſci Cari & aliorum.
Art. II. An ſpecies intentionales, verbi gratia viſibiles, ſint atomi ſeu corpuſcula. 424
Gaſſendi iterum affirmatiua ſententia excinditur, & octo medijs eliditur ac eliminatur, eiuſque ſingula fundamenta franguntur.

Incipiunt Notæ ad quædam breuius ſupradicta vel tacta. 428

Hiſtoria damnationis Petri Rami in Gallia eo quod Ariſtotelis philoſophiam euertere conaretur, quem ſe habere pro præcurſore & Anteſignano Gaſſendus non diffitetur. 429 *vſque ad* 441
Cætera decreta edita in fauorem Ariſtotelis ſeu philoſophiæ Peripateticæ Chronologice diſpoſita ab anno 1215. *vſque ad hæc tempora noſtra.* 442 *vſque ad* 448 *pag.*
Aliæ notæ additæ in ſeriem ſuccedentium librorum conſulendæ ibidem. 449

Digitized by Google

LIBER PRIMVS

PRO DOGMATICA PHILOSOPHIA Peripateticorum.

Proœmium, ſeù Operis argumentum.

NVper ingruente in totam Ariſtotelis Philoſophiam, cum tam multo diſcipulorum, ac diſciplinarum detrimento, vaga nimis Nouatorum frequentia, citra dubium neceſſe eſt in hoc primo Lib. præmittere de Approbatione Dogmaticæ Philoſophiæ Peripateticæ Chriſtianæ, vt in ſubſequentibus deinde Libris ſingulas aut præcipuas ſectas eidem aduerſas refellamus nunc denuò de honorarijs veluti priſcorum Philoſophantium tumulis, ad curioſæ magis iuuentutis applauſum quam veritatis indaginem, à recentioribus paucis euocatas. Primo igitur pro Peripatetica in hoc 1. Lib. pugnabimus. Secundo in ſectam accademicam probabilitate dumtaxat pro modo cognoſcendi ac viuendi contentam in Lib. 2. agendum erit, qui primæ parti Dialecticæ reſpondebit: Tertio in ſectam Parmenidicam vel Melliſſeam omnia confundentem in vnum in Lib. 3. qui prædicamentorum lib. poterit ſubſeruire: Quarto in ſectam Democriticam attomos pro materia prima, vel forma ponentem in Lib. 4. qui primo, & 2. Phyſicorum Lib. perutilis erit. Quinto in ſectam Zenoniſticam auferentem veram continui compoſitionem in Lib. 5. qui ſubſequentibus (vſque ad octauum) Phyſicæ libris opportunus eſt; Sexto in ſectam Epicuream deprimentem nimis primum motorem & animam in Lib. 6. qui ſimul octauo Phyſicorum, & 1. Lib, de Anima adaptari poteſt: ſeptimo in Platonicam ſimul, & Pitagoricam extollentem nimis Animam, aut extendentem in Lib. 7. accomodato ad cæteros de ente animato tractatus: Octauo in Zenophaniſticam negantem, vel confondentem primam rerum ex nihilo productionem in Lib. octauo aſſurgente iam ad Metaphyſicæ Libros. Nono denium in Stoicam labefactantem aut Dei prouidentiam, aut hominum libertatem in L. 9. complente naturalem hanc noſtrã Theologiam, ſeu Metaphyſicam, quam hinc etiam Philoſophiam dogmaticam iure merito nominamus. Cũ autem à communioribus ad minus communia veluti à confuſioribus, ſeu compoſitis ad ſimplicia procedendum eſſe nos doceat ne dum Ariſtoteles Phyſicorum 1. in initio, ſed etiam Ambroſius ex Creatoris exemplo Lib. 1. Hexameron Cap. 7. ideò à Philoſophis Etnicis & Philoſophia in communi exordiendum eſſe decreuimus, vt inde ad ſingulas etiam Philoſophię par-

tes, & ſimul ad ſingulas eorundum Philoſophorum Gentilium ſectas à Nouatoribus exſuſcitatas, iuſtta methodo deſcendamus.

QVÆSTIO PRIMA.

De Chriſtiana vtilitate ex Etnicorum Philoſophia.

IN ordinatis autem ad finem, vti habitus philoſophicus eſt, idem eſt quęrere an expediant ad finem, & an in rerum natura ſubſiſtant, quod ex 2. Poſteriorum cap. 1. de vnaquaque re primitus præſupponendum eſt; & ideo nos etiam de Philoſophia Etnicorum perpendimus. Primo an ipſam expedire habeatur ex auctoritate Scripturæ, Secundo, an ex Sanctis Patribus, Tertio an naturali etiam rationum lumine comprobetur.

ARTICVLVS PRIMVS.

An ex Scriptura etiam Etnicorum Philoſophiam expedire chriſtiano Philoſopho deducatur.

VIdetur quod non, non ſolum Cornelio Agrippæ cap. 1. de Vanitate Scientiarum Io. Franciſco Pico lib. 1. de Examine vanitatis doctrinæ gentium, & huiuſmodi pluribus, ſed etiam denuo noſtro Thomæ Campanellæ in Prologo inſtaurationis ſcientiarum qu. 1. & alijs paſſim recentioribus, quorum poteſt ſic opinio probari. Nam Chriſtiano Philoſopho, non expedit ſeductio à doctrina Chriſti, & inanis deceptio, ſed ex ſcriptura huiuſmodi eſt Philoſophia Etnicorum ex illo Pau. ad Collo. cap. 2. *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem Hominum, ſecundum elementa Mundi, & non ſecundum Chriſtum*, ergo ex ſcriptura non expedit Chriſtiano Philoſopho Philoſophia Gentilium.

Secundo quia ex ſcriptura non expedit illa Philoſophia, quæ in eadem ſcriptura nominatur à Deo tollenda, vel vt ſtulta, & huiuſmodi, ſed huiuſmodi eſt Philoſophia Etnicorum, vt probat Pau. in Epiſ. 1. ad Cor. cap. 1. dicens: *Scriptum eſt enim perdam ſapientiam ſapientium, &c. nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius Mundi?* & infra: vt de Græcorum Philoſophia ſe loqui patefaceret adiungebat: *Quoniam & Græci ſapientiam quærunt.* Et hinc cap. 2. concludit: *ſapientiam vero nos loquimur, non huius ſæculi, neque Principum huius ſæculi qui deſtruuntur, &c.* ergo ex ſcriptura non expedit, immò repugnat Philoſopho Chriſtiano philoſophia Gentilium.

Tertio iuxta ſcripturam non expedit Chriſtiano Philoſopho illorum Philoſophia, qui in ſua ipſa Philoſophia vani facti ſunt, inſipientes, & ſtulti, ſed huiuſmodi eſt Philoſophia Gentilium, vt inquit Pau. ad Rom. 1. *Euanuerūt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt;* vt repetit etiam ad Epheſ. 4. ergo ex ſcriptura non expedit, vt dicebatur.

Quar-

Quarto, & poſtremo, quia ex ſcriptura non expedit Chriſtiano illa Philoſophia, quæ immò iuxta ſcripturam contrariatur Philoſophiæ Chriſti, ſed huiuſmodi eſt philoſophia Gentilium, vt expendit idem Apoſtolus ad Rom. 8. dicens: *Sapientia carnis inimica eſt Deo, legi enim Dei non eſt ſubiecta, nec poteſt.* Et reddit rationem à priori tum ibi, tum alibi, ſcil. in 1. ad Cor. cap. 2. dicens: *Loquimur non in humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualia comparantes, animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, ſtultitia eſt enim illi, & non poteſt intelligere, &c.* ergo idem quod priùs.

In oppoſitum tamen eſt, quod ſaltem Etnicorum Philoſophi veritati magis adheſere, quam Poetæ Gentilium, ſed hoc non obſtante etiam teſtimonio Gentilium Poetarum, non ſemel in ſcriptura vſus eſt idem Apoſtolus, vt in Epiſ. 1. ad Cor. cap. 15. illo verſu Menandri: *Colloquia praua mores corrumpunt bonos.* In Epiſ. ad Tit. cap. 1. Epimenidis Poetæ Cretenſis: ſcil. *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ ventres pigri*: & demum in actib. Apoſtolorum cap. 17. alio carmine Arati Poetæ; vti adnotauit Clem. Alexandrinus lib. 1. Stromatum concludens his verbis: *Vides, quam neque Apoſtolus, dum alienæ ſaluti adiumento ſit, Poetarum verſus ad diſputandum adhibere vereatur*, ergo à fortiori etiam vti doctrina Etnicorum Philoſophorum Chriſtiano Philoſopho ex eodem Apoſtolo poterit expedire.

Reſpondeo etiam Etnicorum Philoſophiam ſecundum ſe ſumptam, & euitatis erroribus ſecundum accidens permixtis eidem vtique iuxta ſcripturā Philoſopho expedire Chriſtiano. Primo nam expedit Chriſtiano Philoſopho etiam iuxta ſcripturam amor ſapientiæ, ex illo Prou. 8. vbi Sapientia de ſe ipſa ſic loquitur. *Ego Amatores mei amo, &c.* Sed Etnicorum Philoſophia ad minus ſi perfecta Sapientia non eſt, ſaltem *Amor Sapientiæ* erit, vt ex Pitagoræ reſponſo, & nominis Etimologia commemorat Auguſtinus Lib. 4. de Tri. c. 1. ergo etiam iuxta ſcripturam vtilis Chriſtiano Philoſopho Philoſophia Gentilium erit. Secundo quia verum vero non contrariatur ſed congruit vt dici ſolet, & infra ex propoſito de ſubiectione Philoſophiæ ad fidem oſtendendum eſt, ſed iuxta ſcripturam etiam Etnicorum Philoſophia erat alicuius aſſecutio veritatis, iuxta illud Apoſtoli ad Rom. 1. *Quod notum eſt Dei manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis manifeſtauit*: Et iterum: *Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*, Vt totum expendit etiam S. Thomas 2. 2. q. 167. ar. 1. ergo adhuc Etnicorum Philoſophiam iuxta ſcriptura non repugnat, ſed congruit veritati Chriſtianorum. Tertio quia ex hoc eodem ſcripturæ loco (vt probat Aug. 4. de Trin. c. 6.) etiam Philoſophia, vel humana ſapientia Gentilium Dei donum fuit, vt dicitur etiam Eccleſ. 1. *omnis Sapientia à Domino Deo eſt*. & conueniebat cum Platone Cicero in 1. Tuſculanarum dicens: *Philoſophia nihil eſt aliud, vt & Plato ait, niſi bonum, & inuentum Deorum*, ſed id, quod eſt donum Dei non repugnat, immò congruit alijs donis eiuſdem, vt exprofeſſo demonſtrat Aug. Lib. 4. contra Iulianum c. 13. & Lib. 5. cap. 7. & vlt. ergo etiam Philoſophia Gentilium, iuxta præaddu-cta ſcripturæ loca, non repugnabit, ſed congruet Philoſophiæ Chriſtianorum.

rum. Quarto quia Philoſophia ſecundum ſe diſponit hominem ad acquirendas virtutes morales, vt inductiuè diſcurrit Salomon ſapientiæ 8. & ab Antiquorum exemplo proſequitur Tulius quinto Tuſculanarum de eadem Etnica Philoſophia concludens: *O vitæ dux Philoſophia, virtutis indagatrix, expultrix vitiorum, quod non modo nos, ſed omnino vita hominum ſine te eſſe non potuiſſet. Tu Vrbes peperiſti, tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ conuocaſti: tu inuentrix legum, tu Magiſtra morum, & diſciplinæ fuiſti. Tu vitæ tranquillitatem largitanobis es, & terrorem mortis ſuſtuliſti.* Sed vt habetur ſapientiæ 8. Iam vtilis Sapientia à nobis ſedulo expetenda eſt ergo etiam iuxta ſcripturam hac de cauſa Etnicorum Philoſophia expetenda eſt. Quinto nam ſi hoc non eſſet maximè propter quatuor auctoritates Apoſtoli in contrarium allatas, ſed illæ non probant, cum longe diuerſam ſubeant explicationem ex Sanctis Patribus mox referendam ergo, &c.

Ad Primum ergo dicendum cum Aug. Lib. de Moribus Eccleſiæ cap. 21. Apoſtolum ibi refellere ſolum non Philoſophiam quamcumque Gentilium, ſed ſophiſticam, atque fallacem, quæ potius pſeudo Philoſophia nuncupatur ex eodem Apoſtolo 1. ad Tim. cap. vlt. eam nominante, *falſi nominis ſcientiam:* Vnde, & in eadem Epiſ. ad Collo: verſu 4. vbi vulgata ſic legit. *Vt nemo vos decipiat in ſublimitate Sermonum;* Vatablus transfert, *vt nemo falſis raciocinationibus imponat vobis, &c.* & in eodem verſu 8. dum dicitur (*ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam*) illa particula, &, explicatiuè potius, quam copulatiuè à non paucis explicatur, vt ſenſus ſit: per Philoſophiam, ideſt, per inanem fallaciam, vt ibidem Hiero: & Theofilatus exponunt; & ſatis vtique hæc aut ſimilis interpretatio colligitur ex intento eiuſdem Apoſtoli ad Collo: quibus ideo iſta ſcribebat; Quoniam audierat ipſos à Simone Mago inani quodam Sophiſmate perturbari, quod non Chriſtus, ſed Angelus Dei hominumque mediator eſſet, vt ad initium Epiſ. Theof. Gril. & Ambroſius aduertunt, & Aug. adiungit Lib. 8. de Ciui. cap. 9. & 16. hunc errorem è Platonicis proceſſiſſe, vt proſequitur & Epifanius in hæreſi Simonis, & Cherinti, & Irenæus Lib. 1. contra hæreſes c. 20. & 23. etiam ſi Clemens Alexandrinus Lib. 1. Stromatum opinetur hic ab Apoſtolo ſolam Epicuri Philoſophiam iure merito condemnari, & aliam ac huc de vera Philoſophia expoſitionem mox referendam ac ſolutionem ibidem S. Thomas adiungat.

Ad ſecundum dicendum eſt Apoſtolum ibi damnare eodem modo non Philoſophiam quamcumque naturalem Etnicorum, ſed ſophiſticam, ac præſtigioſam quorundam tunc temporis Platonicorum, circumeuntium Orbem, & à Chriſto, & Apoſtolis omnes ad ſua impia dogmata retrahentium, inter quos præcipuus extitit Apolonius Thianeus, vt Muſomium, Diogenem minorem, & alios ommittam, Cui & Epheſis ſtatua, tamquam numini dicata eſt, vt ex Philoſtrato Lib. 4. recenſet ad propoſitum etiam Baronius ad annum Chriſti 71.. Et contra iſtum, ac ſimiles ipſi inuehitur acriter Thertullianus Lib. de Idolis cap. 9. præmens ad hoc propoſitum idem Apoſtoli teſtimonium: præterquamquod Corinthij præſertim

Orato-

Oratorum, ac Philoſophorum aſſueti frequentiæ, inter quos aderat & Periander vnus ex ſeptem Græciæ Sapientibus, hinc quemdam Apollo ibi Chriſtanorum Philoſophum etiam concionanti Paulo præferebant, ex quo ſciſmate orto inter ipſos, vt habetur in act. Apoſtolorum 18. vnus aiebat: *Ego ſum Pauli*, alter ſubdebat, *Ego ſum Apollo*, & ideo contra iſtos merito Apoſtolus hic veſanum tumorem philoſophicum potius, quam ipſam Etnicorum Philoſophiam damnare Sanctis Patribus viſus eſt.

Ad tertium facillima ex contextu expoſitio ſe offert, quam tradit D. Bernardus ſer. 36. in Cantica, & S. Thomas ad eundem locum Apoſtoli, repræhendi ſcil. Etnicos ex eo dumtaxat, quod a veritate ſpeculatiue cognita neglexerint practicè elicere operum bonitatem, ſiuè ſuperbiendo nimis è ſcientia iuxta illud Apoſtoli 1. ad Cor. 8. *Scientia inflat*; Vt Aug. & Anſelmus ad eundem verſum Epiſ. ad Rom. exponunt; ſiuè ab vnius veri Dei cognitione ob populi metum ad Idolorum cultum deflectendo; vt ibidem Griſ. Theodoretus, & Origines obſeruarunt, & Apoſtolus ipſe ſubuinxit: *Cum cognouiſſent Deum non ſicut Dominum gloriæ glorificauerunt*, contra quos omnes immò,& contra ſeipſum,vt infra dicemus, locutus eſt Plato in Theeteto dicens: *Solum iuſtum vere eſſe Sapientem, cum per iuſtitiam ſit ſimillimus Deo*, & in appendice legum adiungit: *Verè Sapientem illum dici, qui cum diuina ſpeculatus fuerit rectè de humanis ſapit, eaque congruenter moderatur.*

Ad Quartum & poſtremum negāda eſt minor, nempe Apoſtolum ibi nomine ſapientiæ, vel *prudentiæ carnis* intellexiſſe Etnicorum Philoſophiam, vt à nobis ſumitur hic, nam immò, vt exponit ad eundem locum Anſelmus; *Prudentia carnis eſt cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare, quæ falſa ſunt vera oſtendere, quæ vera ſunt fallacia demonſtrare, honorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere, &c. Prudentia vero Spiritus eſt iuſtorum ſapientia, &c.* Hæc Anſelmus, quibus omnibus ſuper addi poteſt in vniuerſum altera S. Thomæ expoſitio, ſcilicet humanam Philoſophiam etiam ſi veram præſcindere à rationibus ſuperioribus fidei, ſecundum quas aliquid poſſibile eſt, quod iuxta inferiores Philoſophiæ rationes nec impoſſibile, nec poſſibile dignoſci poteſt vt mortuum exſuſcitari, & huiuſmodi. Hinc aliqui hallucinati ſunt opinantes abſolutè, & contrariè (non vero præciſiuè) hæc iuxta Philoſophiam impoſſibilia fore, & de iſtis ita deceptis inquit S. Thomas exponēs præadductas Apoſtoli auctoritates intelligi etiam illud Iſaiæ cap. 47. *Sapientia tua, & ſcientia decepit te*, Vnde & Ambroſius ad illa eadem verba Pauli; *Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi*, iure meritò concludebat *ſcientia piſcatorum ſtultam fecit ſcientiam Philoſophorum.*

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

An eadem vtilitas Philoſophiæ Etnicorum ex Sanctis Patribus colligatur.

Videtur quod non; ne dum eiſdem ſupra citatis, ſed etiam Ianſenio Lib. ſuo proœmiali cap. 3. & alijs huiuſmodi, & hæc eſſe poſſunt argumenta pro ipſis. Primo quia Tertullianus Lib. de præſcriptionibus cap. 7. & Lib. de anima c. 3. pro iſtis ita declamare videtur. *Fuerat Apoſtolus Athenis, ibique expertus linguatam Ciuitatem, cum omnes illic Sapientiæ, at que facundiæ caupones deguſtaſſet, inde concepit premonitorium iſtud edictum, Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam, &c.* & Lib. 1. contra Marcionem: *Hæ ſunt*, inquit, *doctrinæ hominum, & Dæmoniorum prurientibus auribus natæ de ingenio ſapientiæ Sæcularis, quam Dominus ſtultitiam vocans, ſtulta Mundi confuſione etiam ipſius Philoſophiæ elegit, ea eſt enim materia ſapientiæ Sæcularis temeraria interpres diuinæ naturæ diſpoſitionis, ipſæ denique hæreſes à Philoſophia ſubornantur*, & in apologetico iterum ex illo Apoſtoli; *Quæ conuentio lucis ad tenebras Chriſti ad Baal?* & ex illo Io: 10; *qui ante me venerunt fures ſunt, & latrones*, ſic in Philoſophos Tertullianus excandeſcit: *Quid ſimile Philoſophis, & Chriſtianis? Gratiæ diſcipulus, & Cæli, famæ negotiator, & vitæ verborum, & factorum operator, & rerum edificator, & deſtructor, amicus, & inimicus erroris, veritatis interpollator & integrator, & expreſſor, & furator eius, & cuſtos?*

Inde ſecundo Ciprianus Lib. 4. Epiſtolarum Epiſ. 2. ſubiungit: *Inter Chriſtianos, & Philoſophos plurimum diſtat: & cum Apoſtolus dicat: Videte, ne quis vos deprædetur per Philoſophiam, & inanem fallaciam vitandæ ſunt, quæ non de Dei clementia veniunt, ſed de Philoſophiæ præſumptione deſcendunt.*

Tertio, & Ambroſius ſerm. 22. in pſalmum 118. *Poſtremò*, inquiebat, *circa elementa mundi phalerata magis, quam vera ſapientia eſt, vt eſt omnis Philoſophia, quæ aliena quærit, cum ſua neſciat*, & infra. *elaborandum eſt igitur, vt ſtulti ſimus in hoc ſæculo, nihil nobis enim cum Philoſophia, ne fidem noſtram per elementa mundi huius traducat à vero, ne quis aſſertionem noſtram per Philoſophiam deprædetur, ſic enim Arianos in perfidiam ruiſſe cognouimus dum Chriſti generationem putant vſu huius ſæculi colligendam. Relinquunt Apoſtolum ſequuntur Ariſtotelem, reliquerunt ſapientiam, quæ apud Deum eſt, ſelegerunt diſputationis tendiculas, & aucupia verborum ſecundum Dialecticæ diſciplinam, cum clamet Apoſtolus; ne quis vos deprædetur per Philoſoph. ã, &c.* Vti proſequitur in eundem ſenſum perorare, & Iſidorus Lib. 1. de ſum. bono. cap. 8.

Quarto ſubinde Griſoſtomus in Epiſtolam 1. ad Cor. cap. 2. homil. 7. ſic de Philoſophis obloquebatur, *Omiſſa via, quam eis præcepit Dominus, vt ſcil. per eorum, quæ videntur pulchritudinem conditorem ſuum agnoſcerent, mentis, cogitationiſque habenas laxantes infimi in impietatis pelago ſe immerſeruntur, & protinus malorum ſupcraddiderunt profunditatem, cum dicerent*

rent nihil ex nihilo fieri, ſed ex materia increata; Vnde innumeræ hæreſes pullu-larunt, & in rebus quidem abſurdiſſimis delati ſunt: in quibus autem ſanum aliquid immaginati ſunt, quamuis tanquam in vmbra, & ſomnijs id intuerentur inuicem diſſenſerunt, vt vtrinque irriderentur Et homil. 1. in Euang. Io: *Quemadmodum*, inquit, *ſepulcra extrinſecus ornata, ſi exteriorem illam faciem amoueris cadauerorum ſanie, & exeſſorum oſſium plena reperiuntur: Itidem in Philoſophorum operationibus detecta verborum ſuperficie, & ornatu, multa innania, abſurdaque deprahenderis, maximè vbi de anima philoſophantur nunc honore, nunc contumelia afficientes eaudem*, & infra, *Gentilium Sapientiæ verba ſunt, & fabulæ, neque vllam ſapientiam habent*.

Quinto & Paulinus in Epiſ. 1. ad Amandium hoc modo ſubſcribit; *quia videl. in hoc omnis Philoſophorum ars laborat, vt adſertione fictorum lucem veritatis obſcuret, & inanium contentionum laqueis ſollicitatas à vero mentes implicet, & ingenijs fraude decipiat, & fuco Sermonis inducat*.

Sexto Demum etiam Gentiles Philoſophi modo appellantur *Ægyptiaca peſtis* à Nazian. Orat. de modo diſputandi, modo *Patriarchæ hæreticorum* à Tertulliano Lib. de anima cap. 3. Modo *turbatores humanæ vitæ* à Lactantio Lib. 3. cap. 30. Modo *ſtrepentes ranæ*, ab Aug. de conuenientia decretorum cap. 2. & ſerm. 95. Modo *animalia gloriæ & vilia popularis auræ mancipia* à Hieron. Epiſ. ad Iulianum. Modo *erratica flumina ægypti* à Beda in c. 7. Exodi. Modo *quaſi coluber* humi ſerpens ab eodem Lib. 4. in Lucam c. 6. *Modo ſæculares doctrinæ porcorum ſiliquæ* ab eodem in Lucam Lib. 4. c. 15. & huiuſmodi plura in Sanctis Patribus occurentia frequenter; Non ergo videtur ex Sanctis Patribus Gentilium philoſophia expedire Chriſtiano.

In oppoſitum tamen eſt, quod non eſt dicendum, vel exiſtimandum Sanctos Patres fauere chriſtiani nominis hoſtibus aut Catholicorum, in eo ipſo, quod illi egerunt, aut ſcripſerunt in odium chriſtianorum, atque fidelium, ſed inter cæteros Iulianus Apoſtata in Chriſtiani nominis odium interdixerat Chriſti fidelibus ſtudia Philoſophorum, ne amplius inde proficerent in ſcientijs, vti referunt Socrates lib. 3. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 10. & 16. & Soſimus lib. 6. hiſt. tripartitæ cap. 37. & pariter Luterus impie improperat in eorundem catholicorum odium Sanctæ Rom. Eccleſiæ Theologis, Etnicorum ſtudia Philoſophorum concludens: *Platonem, Ariſtotelem, & id genus alios, non niſi mera ſcripſiſſe commenta, & impoſturas, ideoque libros eorum Vulcano conſecrandos*. Vt refert Surius tom. 4. Conciliorum par. 2. pag. 138. & de ſeipſo Cornelius Agrippa commemorat ſimilem ſui aſſertionem fuiſſe à Louanienſi accademia damnatam, ergo in hoc ipſo fauere eiſdem Eccleſiæ Patres haudquaquam exiſtimandum eſt.

Reſpondeo cum Cano. noſtro, ac pluribus alijs, ex Sanctis Patribus imo deduci etiã Etnicorum Philoſophiam, vt modo ſubditam expurgationi Eccleſiæ, quam maxime Chriſtiano Philoſopho conuenire; Quod primo ex perpetuo vſu eiuſdem Eccleſiæ comprobamus; nam hoc modo Moyſes ab Ægyptijs Philoſophis eruditus eſt, vt tradunt Philo Iudæus in vita eiuſdem Origen. s hom. 11. in Exodum, & Ecumenius in cap. 8. actuum Apoſtolorum.

rum. Similiter, & Daniel, & Eſaias, vt probat Clemens Alexandrinus in libris Stromatum, & Pau. ipſe adnotante eodem ibidem, calluit, vt ſupra retulimus, ac ſæpe recenſuit teſtimonia Gentilium. Sic & antiquitus in Eccleſia primitiua publicè legebantur Gentiles Philoſophi, vt referunt Euſebius cap. 15. & lib. 4. c. 7. Sozimus lib. 3. hiſt. cap. 15. Theodoritus lib. 8. hiſt. tripartitæ cap. 8. & Socrates lib. 3. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 16. Immò præcipuè peripatetica ſchola Alexandriæ vigebat vſque ad tempora Apoſtolorum permittente priſco illo Eccleſiæ rigore, vt refert etiam idem Euſeb. lib. 7. cap. 32. eodem modo de cæteris antiquiſſimis Eccleſiæ Patribus, vt de Panteno, & Eracla, & alijs huiuſmodi id refert Origenes ſecutus, & ipſe apud eundem Euſebium lib. 6. hiſt. cap. 15. de Didimo memorat Theodoritus lib. 4. hiſt. cap. 8. de Luciano Martyre iterum Euſebius lib. 9. cap. 6. de Mellito lib. 4. cap. 26. de Iuſtino Martyre, ac Philoſohpo lib. 4. c. 8. De Nazianzeno, ac Baſilio Rufinus lib. 2. cap. 9. de D. Maximo cognominato Philoſopho Anaſtaſius Bibliothecarius in Epiſ. ad Io. Diaconum; de Pamphilo Martyre Nicephorus lib. 5. cap. 7. & Genebrandus lib. 3. Croni. de S. Theodoſio Metaphraſtes eiuſdem, & de cæteris ſimul Aug. lib. 2. de Doctrina Chriſtiana hinc iſtam inferens inductionem: *Nonne aſpicimus quanto auro, argento, & veſte ſuffarcinatus exierit de Ægypto Ciprianus, quanto Lactantius, quanto Clemens, quanto Victorinus Optatus Hillarius? Nonne omnes pæne omnium Doctorum Eccleſiæ libri* concludit Hieron. Epiſ. ad Magnum. *eiuſmodi eruditionis pleniſſimi ſunt*, cuius Hieronymi eadem Epiſtola ad hoc intentum intexens ſeriem omnium antiquorum Patrum integra huc ſponte veniret niſi ante allata ſufficerent, aut ſubſequentia nos inuitarent.

Secundo probatur ab auctoritate eorundem Patrum ex profeſſo probantium hoc ipſum, quod ipſi reſoluimus, nempe id ex propoſito probant Baſilius Homil. ad adoleſcentes per totam: Theodoretus in Lib. de Curatione Græcarum affectionum per totum, Clemens Alex. lib. 1. Stromatum & ſubſequentibus, Aug. lib. 2. de Doct. Chriſtiana cap. 16. & 40. & alibi ſæpe, Gregorius Nazian. lib. Cicneorum carminum ad Seleucum, Hier. laudata Epiſtola ad Magnum, Iuſtinus ad Trifonem, Socrates, & Euſebius in locis adductis, Claudianus Mamertus lib. 1. de Statu Animæ cap. 8. Iſidorus Peluſiota lib. 2. Epiſ. 3. Niſſenus in vita Moyſis, Hillarius lib. 8. de Trin. Apponius lib. 2. in Can. tom. 1. Bibliothecæ, Iſac præsbiter de contemptu mundi cap. 49. tom. 5. Anaſtaſius in quæſtiones ſcripturæ, Bernardus in Cant. ſer. 37. Clemens Rom. lib. 10. recognitionum, Caſſiodorus in Cauſ. cap. 8. & alij ques præter iſtos referunt Cano, & Rhodiginus lib. 17. c. 17. & nos mox infra ſubiungimus.

Tertio probatur ex pluribus etiam ſcripturæ allegorijs ad hoc propoſitum coaptatis a Patribus, nempe ſicuti Dauid ex 1. Paralipomenon cap. 20. Capiti ſuo impoſuit coronam Idoli Melcon, ita Chriſtianum Philoſophum ſibi poſſe accommodare doctrinam Gentilium exponit Petrus Bleſenſis Epiſ. 1. ad Henricum Secundum: Sicut Hebræi vaſa ab Ægyptijs ablata adhibuerunt ad tabernaculi vſum, ita Chriſtianorum vſui congruere doctrinā

Ethnico-

Etnicorum exponit Damianus Serm. de S. Eleucadio, & Epiſt. 28. Sicut Iſraelitæ 1. Regum cap. 13. ad Philiſteorum cotes exacuerunt gladios, ſic Chriſtiano Philoſopho litteraria arma polienda eſſe in Etnicorum officina monet Gregorius in eundem locum; ſicut arca tegebatur auro extrinſecus, ita Chriſtianam Philoſophiam ornari poſſe ac ditari Philoſophia Gentilium exponit Riccardus lib. 1. de Contemplatione cap. 10. Sicut ex pſal. 44. ſponſa erat in *fimbreis aureis circumamicta varietatibus*, ita Chriſtianam Philoſophiam amiciri poſſe eorundem Philoſophorum Sapientia exponit Clemens Alex. lib. 6. Stromatum pag. 210. Sicut Oſeæ 14. dicitur, *reddemus vitulos labiorum noſtrorum*, ita chriſtianos poſſe Chriſto immolare pro victima ſanctificatam quoque Philoſophiam Antiquorum exponit Cirillus Alexandrinus in collectaneis cap. 8. Sicut ex Mattet. 13. granum ſynapis creuit in arborem, ſic Etnicam quoque philoſophiam & ſi minimam tamẽ excultam á fide ac transplantatam in Eccleſiæ tellurem excreſcere poſſe, fructuſque producere exponit Baſilius homilia ad adoleſcentes: Sicut folia ſe habent ad tegenda germina, ita Etnicorum Philoſophiam ad aliquale tutamen doctrinæ Chriſtianorum exponit idem ibidem: Sicut ex eodem loco Mathei arbori aſſimilatur Eccleſia, ad quam aduolant aues cœli vt habitent in ramis eius, ita hos cœli volucres eſſe Gentiles Philoſophos exponit Origenes homil. 1. in Exodum: Sicut ſe habent imagines picturatæ ornamentaque domus, ita in domo Eccleſiæ eſſe Philoſophiam Gentilium exponit Philo Iudæus libro de Cherubin; Sicut tinctores antequam purpuræ florem inducant tingenda curant, alioque colore diſponunt, ita & Gentilium philoſophia parandam mentem ad ſacra exponit Baſilius homilia laudata mox ante: Sicut ſe habet clauiculus ad vitem, ita aliquo modo Philoſophiam ad theologica ſe habere exponit idem Baſilius homil. 5. in hexameron: Sicuti Samſon de ore occiſi Leonis fauos eduxit, ſic de ore Gentilium hauriendam eſſe Chriſtianam etiam veritatem exponit Theodoretus Lib. 3. pag. 573. Sicut demum Io: 12. Magdalena peccatrix *ſtans retro ſecus pedes Domini* obſequebatur eidem, ita priſcam Philoſophiam fidei etiam veſtigijs inhærere ac inſeruire debere concludit Robertus Lib. 10. in Ioannem cap. 12.

Quarto tandem probatur ex ſolutione faciliima obiectionum ac interpretatione planiſſima Patrum, qui in oppoſitum á nobis ipſis adducti ſunt.

Ad primum enim ex recitatis Patribus, ſcil. Tertullianum, aduertiſſe ſat erit eiuſdem auctoris intentum ſcil. plerumque Tertullianum egiſſe contra Ermoginem Philoſophum Marcionem cæteroſque ſimiles ex Paganorum vtique Philoſophia deceptos, dum ille Platonicorum errore præoccupatus aſſeruit: *Materiam primam æternam eſſe innatam infectam.* Vt idem Tertullianus adduxit, iſte credidit *duos eſſe Deos, vnum bonorum, alterum malorum, mundumque Deo opus indignum eſſe*, vt idem refert Lib. 1. contra Marcionem. Aduerſus igitur Philoſophorum errores ac philoſophicam pertinaciam in fide m iure merito inuehitur & iraſcitur Tertullianus, non vero in ipſam Philoſophiam etiamſi ab Etnicis deriuatam, in qua immò mirifice erudi-

tum fuiſſe, atque condelectatum & ipſum Tertullianum conſtat tranſcurrenti vel leniter eiuſdem opuſcula tam multa è philoſophicis eruditione referta.

Ad ſecundum de Cipriano pariter dicendum eſt ibi illa verba proferre non contra Etnicorum philoſophiam vtcumque, ſed contra quemdam Nouatianum Philoſophum philoſophica diſciplina abutentem, & ibidem ſophiſticè diſputantem in fidem, vt in ſimili reſpondet omnino & noſter Angelicus 2. 2. q. 167. ar. 1. ad 3. cum tamen Ciprianum & ipſum in philoſophicis mirifice profeciſſe teſtentur Hieronymus & Auguſtinus adducti, ille in Epiſtola ad Magnum hic lib. 2. de Doctrina Chriſtiana.

Ad tertium de Ambroſio conſtat ex illis verbis eiuſdem: *Reliquerũt Apoſtolum, ſecuti ſunt Ariſtotelem*, Ambroſium loqui dumtaxat ibi de illis ſuperbientibus adeo Philoſophis, vt ne dum de philoſophicis rebus, ſed etiam de fidei articulis naturales demonſtrationes expoſtulent, & ita fidei Philoſophiam anteponant, vt refert & damnat Vrbanus in Libro decretorum diſt. 37. & elapſis temporibus inter cæteros Abbailardus & Lullus audaciſſimè præſumpſerunt, vt de primo recenſet etiam Bernardus Epiſ. 189. ad Innocentium, *in ſuggillationem*, ſcil. inquit, *Doctorum Eccleſiæ magnis extuliſſe laudibus Philoſophos, & adinuentiones eorum ac nouitates Catholicorum Patrum doctrinæ & fidei prætuliſſe*. contra quos omnes præter Ambroſium inuehitur & Tertullianus lib. de præſcriptionibus cap. 7. dicens: *Viderint qui Stoicum, & Platonicum Chriſtianis prætulerunt*: De his inquit Clemens lib. 1. ſtromatum illud Geneſis 21. adductum à Paulo ad Galatas 4. intelligi congruè poſſe, nimirum, *eijce Ancillam, non enim erunt hæredes cum filijs liberæ filij Ancillæ*: contra hos clamant ac docent fidei philoſophiam velut Reginæ famulam ſubiugandam eſſe Nazianzenus in lib. Cicneorum carminum ad Seleucum, Paſſenſius lib. 3. in Mathæum, Iſichius lib. 1. in Leuiticum cap. 2. coaptans ad linguam Eccleſiæ illud Canticorum 4 *Mel, & lac ſub lingua eius*, ſcil. philoſophia ſub fide: & denium contra eoſdem apud Grauinam lib. 2. de præſcriptionibus controu. vnica ar. 1. reperiri poterunt verba Cirilli lib. 4. in Ioannem cap. 15. Auguſtini lib. 2. de libero arbitrio, Griſoſtomi homil. 23. in Ioannem, Iuſtini in fidei expoſitionem, Dionifij 8. de diuinis nominibus, Hillarij 10. de Trin. & huiuſmodi, præter 33. Patres in hoc ſenſu intelligendos adductos à Launoì de Varia fortuna Ariſt. cap. 2.

Ad quartum de Griſoſt. dicimus aliquando mores potius quam doctrinam carpere Etnicorum, vti exponit in ſimili S. Thomas ſuper Boetium de Trin. q. 2. ar. 3. cum Theodoreto lib. 12. pag. 654. Clemente in libro ſtromatum & alijs, aliquando indigitare imperfectionem humanæ rationis, ex qua Etnicorum philoſophia comparata Chriſtianæ ſapientiæ pro nihilo reputatur, vt explicabat Hieronymus in Epiſt. ad Titum cap. 1. & in cap. 10. Eccleſiaſtici, & adnotat etiam luſè Lactantius lib. 1. in præfatione, & lib. 7. cap. 21. & ne dum id præcecinit Paulus 1. ad Corin cap. 13. ſed etiam ipſe Ariſtot. in 1. Metaph. confeſſus eſt, & Iſocrates ipſe in Apologia admonebat dicens: *Videtur mihi, ò Athenienſes, reuera ſolus Deus ſapiens, humanam*

autem

Digitized by Google

autem ſapientiam parui immo nihili faciendam eſſe.

Ad quintum de Paulino dicendum ex dictis potius quam de vera ac naturali philoſophia Gentilium intelligere de præſumptuoſa aut ſophiſtica quorundam mox antea adducta philoſophorum etiam Chriſtianorum; de quibus conqueritur & S. Thomas 1. p. q. 32. ar. 1. & inquiebat Auguſtinus in acta Apoſtolorum; *melior eſt fidelis ignorantia, quam temeraria ſcientia.* Et grauiter eoſdem antea præmonuerat Tertullianus de præſcription. cap. 7. dicens; *nobis curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum Ieſum, neque inquiſitione poſt Euangelium,* & demum Hieronymus Epiſtol. ad Pammachium conſimiles è Philoſophia perquiſitiones inquiebat; *tamquam Gentilium arma eſſe deponenda Chriſtiano.*

Ad ſextum demum coaceruatum ex pluribus notis in Philoſophos magis quam philoſophiam vnica adhuc eaque præcipua ſolutione occurrendum eſt; aliud nimirum eſſe differere de Gentilium philoſophia, vti iacebat in ipſis tot contentionibus lacera, tot erroribus maculata, & aliud de ipſa vt expurgationi ſimul atque approbationi Eccleſiæ ſubiecta, & inde ad ſuã priſtinam naturam reſtituta eſt. Primo modo permittimus ex his omnibus teſtimonijs haberi Gentiles philoſophos prius purgandos eſſe, non minus ac Plato iubebat vnguento curandos eſſe Poetas, vt refert & applicat Theodoretus lib. 5. pag. 588. & eo modo quo etiam ſponſa de gente captiuorũ aſſumpta ex Deuter. cap. 21. crine tondi debebat, vti ad hunc finem adaptat opportune Hieron. Epiſ. 26. ad Pammachium, & quia etiam Etnicorũ philoſophia, vt in Geneſim Liranus exponit, arbori ſcientiæ boni & mali comparata eſt, & ideo & Niſſenus aduertit in vita Moyſis, ita per fidem ab ipſa recindendos errores eſſe, ſicut ab Angelo Moyſes iuſſus eſt circumcidere filios de alienigena vxore ſuſceptos, & demum Auguſtinus lib. 2. de Doctrina Chriſtiana concludit: *Abſque iactura non perſpici Gentilium dogmata niſi ſanguine Chriſti tingantur.* Secundo autem modo intelligitur, quod de Angelico Præceptore canit in hymno eiuſdem Eccleſia: *Pluſquam Doctores cæteri purgans dogma Gentilium*; adeo vt poſtea de Etnicorum philoſophia ſic eleuata nunc repeti valeat (proportione ſeruata) quod olim de Etnici Poetæ carmine memorato ab Apoſtolo Tertullianus in lib. ad vxorem aiebat ſcil. *Sanctificatum* ſubinde manſiſſe.

ARTICVLVS III.

An ex diſcurſu naturali etiam probetur Etnicorum Philoſophiam expedire Chriſtiano.

Videtur, quod non, non ſolum adductis, ſed etiam Lutero ac pluribus Luteri ſequacibus, a liiſque paucis, quos ſuppreſſo nomine refert noſter Cano lib. 9. locorum theologicorum; & hæc adducimus nos argumenta pro ipſis. Primò, nam iuxta naturæ diſcurſum abſurdum eſt & inſanum, vt Nazianzenus aiebat oratione 3. *Per ſcopulos ducere ad litus*; ſed Etnicorũ

philoſophia eſt ſcopulorũ congeries, iuxta quos naufragi tot ſcriptores Eccleſiæ in hæreſum baratra ſepulti ſunt, vti mox inde referimus, ergo ex naturali diſcurſu abſurdum eſt & inſanum per Etnicorum philoſophiam ducere mentem, vt inde ad veritatis litus accedat. Minor probatur de Clemente, qui adeo Etnicæ philoſophiæ vſum in Chriſtianos induxit per ſuos ſtromatum libros, vt poſtea ipſe in errores non paucos contra fidem prolapſus eſſe dicatur, *de damnatione ſcil. ſecundarum nuptiarum, de nimia naturæ poſſibilitate ad ſalutem, de ſalute Etnicorum per Philoſophiæ præcepta Ante Chriſtum*, & alijs huiuſmodi: Inde ſubiungunt præceptori diſcipulum ſcil. Clementi Origenem, qui pariter nimis in philoſophiam ingenio deceptus in alios longe peiores errores etiam de Trinitate traductus eſt, vt percurrit Hieronymus in lib. de ſcriptoribus Eccleſ. & S. Thomas 1. p. q. 32. art. 1. ad 1. Succenſent alij vtrique Iuſtinum, qui cognomento philoſophus inde philoſophicè etiam regnum electorum corporale poſt reſurrectionem cõmentus eſt, & Angelos ipſos mulierũ cupidine captos Dæmones procreaſſe cum Platonicorum ſchola confinxit: Afferunt & Hieronymum atteſtantem epiſt. ad Cteſiphontem: *Pelagij venena de Philoſophorum & maximè Pitagoræ & Zenonis principijs Stoicorum fonte manaſſe*, & in Commentarijs in Profetam Naum adiungentem, *Omnia dogmata cum frigent & volare non poſſunt, ſedem ſibi inter Ariſtotelis & Criſippi ſpineta requirere*. Et plerumq; priſcorum Hæreticorum inductione facta, quam habet Tertullianus lib. de præſcriptionibus, vno verbo cum ipſo concludunt *ipſas hæreſes à Philoſophia ſuboriri*.

Secundo nam hac de cauſa nec ſine aliquo rationali diſcurſu de facto in Lateran. Concilio ſeſſ. 8. (In qua ſedit & Picus impugnator Ariſt. vt ipſe teſtatur lib. 1. examinis pag. 24.) *Infectæ Philoſophiæ radices ac poeſis purgari & ſanari iubentur.* immo in Concil. Cartagin. 4. vt refert & Cano lib. 9. cap. 2. Epiſcopis vetitum eſt libris ſtudere Gentilium, & ad hunc finem etiam in directorij par. 2. plurimæ Gentilium Philoſophorum hæreſes recenſentur; ergo rationabiliter dicendum eſt Gentiles Philoſophos Chriſtiano Philoſopho non congruere aut expedire.

Tertio nam contra rationem eſt aliquem ingredi viam, quæ nunquam perducat ad metam, ſed per Gentilium Philoſophiam nunquam aliquis ad veritatem vt metam perductus eſt, vt quidam colligunt ex illo Eccl. cap. 1. *Res oratione difficiles ſunt nec poteſt quiſquam eas oratione explicare, &c.* & ex ipſorum diſſenſione Gentilium inferre videtur & homil. 1. Baſilius dicens: *Non opus eſt, vt nos contra illos pugnemus, cum illi mutuis diſſenſionibus ſufficiant ad ſuam ipſorum doctrinam euertendam.* Ergo iam contra rationem eſſe videtur, vt per viam veluti manducamur ad veritatem Gentilium ingredi Philoſophiam, vti per omnia ratiocinari videtur etiam Lactantius lib. 3. de falſa ſapientia cap. 2. dicens: *Ergo ne ſtudioſos quidem ſapientiæ Philoſophos eſſe conceſſerim, quia illo ſtudio ad ſapientiam non peruenitur: Nam ſi facultas inueniendæ veritatis huic ſtudio ſubiaceret, & ſi eſſet ad ſtudium, tanquam iter ad ſapientiam, aliquando eſſet inuenta. Cum vero tot temporibus, tot ingenijs*

Digitized by Google

in eius inquiſitione contritis non ſit comprahenſa, apparet nullam eſſe ibi ſapientiam.

In oppoſitum tamen eſt, quod temere aſſereret aliquis irrationabilem eſſe aliquam in ſacris Canonibus aut Decretalibus Eccleſiæ approbationē, ſed vti Cano recenſet lib. 9. cap. 5. nedum Eccleſia permittit & approbat in ſingularum erectione vniuerſitatum ſtudia etiam Philoſophiæ Gentiliū, ſed etiam ea approbare videtur diſtinct. 37. cap. *Turbatur.* & cap. *ſi quis artem.* & cap. *qui de menſa*: Et iterum Synodus Eugenij Papæ cap. *de quibuſdā*, & Clemens cap. *relatum*, & alibi. Et Nicolaus V. vt refert Beſarion in epiſt. ad Regem Aragoniæ ante commentaria in metaphiſicam, iuſſit omnes libros Ariſtotelis in latinam linguam conuerti, & Cardinales Legati non ſemel accademiæ pariſienſi præceperunt lectionem librorum Ariſtotelis, vt nouiſſime refert Io. de Laonoi in lib. de varia fortuna Ariſtotelis cap. 9. & ſubſequentibus. Vnde & in praxi S. Thomas in aurea illa ſumma contra Gentiles lib. 1. cap. 9. profitebatur ſe ibi *inducturum rationes etiam demonſtratiuas & probabiles, quarum aliquas, inquit, ex libris Philoſophorum, & Sanctorum collegimus*, ergo omnino irrationabiliter aſſeri aut exiſtimari non poſſunt permiſſa ſtudia Philoſophiæ Gentilium.

Reſpondeo etiam ex naturali diſcurſu probari quod mox antea aſſerebamus. Nam vti ad propoſitum ratiocinatur Apoſtolus 1. Corint. 12. *Non poteſt caput dicere pedibus, non eſtis mihi neceſſarij.* Sed ſicuti in homine exteriori ſe habent pedes ad caput, ita ad minus in interiori ſe habere videtur Philoſophia Etnicorum ad Theologiam & ſacra, ergo nec Theologia poterit rationabiliter dicere Etnicorum Philoſophiæ, mihi neceſſaria non es. Secundo nam vti diſcurrit cum Auguſt. S. Thomas p. p. q. 1. ar. 8. & prolixius antea Clemens Alexandrinus in 1. Stromatum, & Caſſiodorus in Cantica cap. 8. Theologo circa res fidei ſaltem neceſſe eſt Hæreticorum ſophiſmata ex Etnicorum Philoſophia deprompta præuidere, diſſoluere, ac refutare, ſed hoc non poteſt niſi philoſophica illa prænouerit, vt de ipſis valeat iudicare, ergo rationabiliter etiam Theologo Etnicæ Philoſophiæ ſtudium neceſſarium eſt; Vnde concludebat Hieronymus Epiſtola ad Paulinum: *Quod diſputandi ratione ſublata cum fide ſancta ruſticitas manet, quæ quantum prodeſt vitæ merito, tanto ſimplicitate nocet, ſi aduerſarijs non reſiſtit.* Nec aliquem mouere debet exemplum Apoſtolorum, qui etiam ſi nunquam Philoſophica didiciſſent adhuc Philoſophorum diſcurſibus reſtiterunt, vti & alter vir ſimplex in Niceno Concilio feciſſe refertur apud Rufinum lib. 1. cap. 8. non valet, inquam, exemplum, vt notat Clemens lib. 1. ſtromatum; cum illis infuderit ſcientiam Spiritus Sancti gratia, alijs vero ſemperque non ſic, aliter nec nobis Grammaticam addiſcere expediret, ſicut eandem non didicere nec illi. Tertio probatur ratione tradita etiam à Cano cap. 4. quia diuinæ competit prouidentiæ, quod etiam illi Philoſophiæ Principes ſuo modo veritatem agnouerint ergo etiam illi Philoſophiæ Principes proderunt expedientque chriſtiano: antecedens probatur; tum quia aliter non fuiſſent inexcuſabiles illi, vt ipſos appellat Apoſtolus; Tum quia de facto il-

lis

lis antiquis Philoſophia eſt tradita à Deo pro teſtamento, vt inquit Clemẽs lib. 6. Stromatum, ſeu pro chatechiſmo ad fidem, vt inquit Cirillus lib. 5. contra Iulianum; Tum quia aliter non fuiſſet perennis Philoſophia in Orbe, vt demonſtrat ex profeſſo Auguſtinus Eugubinus in ſuo tractatu de perenni Philoſophia per totum. Quarto probatur deſtruendo fundamenta aduerſariorum quia hoc non eſt extraneo indigere adiumento, ſed potius quæ noſtra ſunt vt ab alijs reſtituenda repetere, Etnici enim omnes ferè veritates ſubſurati ſunt ab Hebræis & ſacris, vt obſeruauere Auguſtinus lib. 2. de Doctrina Chriſtiana capite 39. Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum, Tertullianus in apologetico cap. 47. Ambroſius de bono mortis cap. 11. & lib. 1. Epiſtola ad Ireneum, Baſilius in Euangelium Ioannis, Chriſtianus Grammaticus in caput ſecundum Matthęi, Minutius felix in Octauio, Clearcus lib. 1. de Somno, qui dicit ſe nouiſſe Iudęum, à quo Ariſtoteles fuerat eruditus, vt referunt etiam Ioſeph lib. 1. contra Appionem, & Euſebius Ceſarienſis lib. 10. de preparatione Euangelica. Quinto probatur iterum retorquendo præcipua argumenta in oppoſitum, nam ſicuti plures Etnicorum Philoſophiæ ſtudentes in hæreſes prolapſi ſunt; ita & alij plures etiam ex Patribus Theologiæ aut ſcripturæ ſacræ ſtudentes in quorundam errores decepti declinauerunt, vt refert & Cano lib. 5. de locis Theologicis, & Sixtus Senenſis & alij; ſed inde ridiculum & abſurdum foret aſſerere hac de cauſa à Theologia vel Sacra Scriptura abſtinendum eſſe; ergo pariter abſurdum eſſe videtur (proportione ſeruata) deducere abſtinendum eſſe à Philoſophia Gentilium; profectò ita deducens irrideretur omnino non minus ac irrideatur Licurgus, qui referente ac repræhendente Plutarco, vites omnes excindi præcepit, eo quod aliquos inebriari videret. Vnde ad propoſitum concludebat Quintillianus lib. 2. inſtitutionum cap. 17. *Cibos igitur*, inquit, *aſpernemur, attulerunt enim ſæpe valetudinis cauſas; nunquam tecta ſubeamus, ſuper habitantes enim aliquando procumbunt, non fabricetur militi gladius poteſt enim vti eodem ferro & latro. Quis neſcit ignes aquas ſine quibus nulla ſit vita, & ne terrenis immorer, Solem, Lunam, præcipuaque ſyderum etiam aliquando nocere?* quod repetit etiam Auguſtinus lib. 1. contra Creſconium cap. 23. & firmat ex Paulo prima ad Tim. cap. 1. & proſequitur Tertullianus lib. de præſcriptionibus cap. 39. concludens: *Nec periclitor dicere ipſas quoque ſcripturas ſic eſſe ex Dei voluntate diſpoſitas, vt hæreticis materiam ſubminiſtrent.*

Ad primum igitur quidquid ſit, an verè vel falſo plures errores Clementi, Origeni, & Iuſtino impoſiti ſint, aut ab hæreticis eorundem libris adiuncti, vti pro Origene defendit Panphilus in Apologia pro ipſo cum Ruffino & Socrate lib. 6. hiſt. Eccleſiaſticæ, & Picus iterum de ſalute Origenis, quidquid inquam de iſtis ſit ad ſummum permittendum eſt ſolum conuinci Gentilium libros cum cautela ab eorundem errore legendos, ſegregando & eligendo à malo bonum; *Quemadmodum*, inquit Baſilius homilia ad adoleſcentes, *vbi Roſeti florem decerpimus, ſpinas deuitamus*. & repetit Nazianzenus in lib. Cineorum carminum ad Seleucum dicens: *De eodem fruti-*

cè

& ſpinas caueto, & roſas decerpito. præter Democritum idem omnino monentem apud Athenæum lib. 15. & Plutarcum in lib. de legendis Poetis: Sic cum Gregorio lib. 27. cap. 1. proſequitur Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 18. *Nos,* inquit, *probos nummularios imitari debemus verum ac purum aurum aggerentes, adulterinum autem repudiantes.* eo modo, inquit Primaſius in prologo Apocalipſis; *Quo prætioſa in ſtercore gemma à prudente curari debet, & colligi.* Seu vti de Enio Virgilius aiebat: *Aurum in ſtercore quæro.* apud Caſſiodorum lib. 1. de diuinis lectionibus cap. 1. & pergunt ad inſtitutum Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſt. 5. & Clemens Alexandrinus in libris ſtromatum pag. 153.

Ad ſecundum vniuerſim eadem reſponſio adaptanda eſt,& in ſpeciali de Lateranenſi Concilio ſubdendum,immò ex illius definitione deduci,demptis erroribus, & cautela præmiſſa optime ſtudium approbari Gentilium. De Concil. autem Cartag. ſufficiet expendere: *Epiſcopis prohiberi non omnibus.* nempe eiuſmodi ſtudia incipientium ſunt propria non perfectorum, vt in ordinis Prædicatorij decretis iuxta S. Thomæ Doctrinam 2. 2.q.188. ar. 5. ad 3. non abſolutè lectio Gentilium ſed diuturna nimis & immoderata vetatur, ab exemplo veterum etiam Doctorum Eccleſiæ, è quibus Baſilius atque Gregorius, vt Ruffinus memorat lib. 10. hiſt. cap. 9. temperatiſſimè ſolum vſq; ad tertium decimum annum eruditioni vacauere Gentilium, & Clemens ipſe Alexandrinus in 6. Stromatum perfectis Eccleſiæ viris ſolum hæc Philoſophię ſtudia relaxandi animi gratia, ac in otio permittit.

Ad tertium demum minor ſubſumpta negari debet; tum quia quo ad diſſentiones Gentilium intorquere quis poteſt argumentum etiam in diſſenſiones ſcholaſticorum Eccleſiæ, quorum hoc non obſtante doctrina ac diſputatio tam multi Eccleſiæ iuuaminis eſt, vt differi ſolet ad primam partem qu. 1. art. 1. & pulchrè exponit Clemens in 1. ſtromatum lib. ab exemplo dicens; *Vti ferri & ſcilicis concuſſione ignem, ita hominum doctiſſimorum conflictu, & diſputatione elici veritatem:* quo ad Eccleſiaſtici autem teſtimonium, & laboris difficultatem in philoſophicis,& comparatam imperfectionem ad ſuperiora ſolum indigitari reſpondet Hieronymus in cap. 10. Eccleſiaſtici, nec aliud voluit abſque dubio Lactantius, vt ex eiuſdem concluſione deducitur: *Sapientia enim,* inquit, *hominis eſt in hoc vno vt Deum cognoſcat, & colat.* inter quam tamen vt ſuperiorem, aliorumque ſtultitiam vt infimam, philoſophicam verè mediare ſapientiam optime Auguſtinus oſtendit in lib. de Vtilitate credendi cap. 15. Nec reprobat immò confirmat & alibi ipſe Lactantius ſcil. lib. 5. cap. 1. dicens, *Philoſophia non nocet, immo prodeſt ſi religione imbutus eſt animus.*

QVÆ-

QVÆSTIO II.

De Peripatetica Philoſophia ſeligenda præ alijs.

DEmonſtrata in communi vtilitate Philoſophiæ Etnicorum, cum hæc deinde in tam multas ſectas multipliciter diuiſa ſit, Tria hic ſtatim pro Peripateticis in ſingulari videnda ſuperſunt; Primo an expediat Chriſtiano Philoſopho vnicam ſeligere ſectam potius quam vagari per omnes. Secundo vtrum expediat eidem ſeligere ſectam peripateticam præ Platonica, & alijs: Tertio, an hiſce firmatis adhuc liceat vel expediat integram Ariſtotelis Philoſophiam euertere, nouamque cudere Philoſophiam.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum expediat Chriſtiano Philoſopho vnicam ſeligere ſectam potius quam vagari per omnes.

VIdetur quod non noſtro Thomæ Campanellæ q. 1. citata inſtaurationis ſcientiarum, & Iuſtio Lipſio lib. 1. manuductionis diſert. 4. Iulio Clementi Scoto opuſ. 2. de probabil. num. 16. & alijs Neotericis, quorum ſic poteſt ſimilis opinio probari. Primo, quia ex Clem. Alexandrino lib. 1. Stromatum cap. 4. *Non particularis ſecta eligenda eſt, ſed quidquid recte omnes dixerunt Stoici, Platonici, Epicurei, Ariſtotelici id dico Philoſophiam*. & idem videntur tradere Aug. lib. 8. de Ciuit. cap. 9. Lactantius lib. 7. inſtitutionum cap. 7. & D. Thomas opuſ. 9. cum alijs, ergo, &c.

Secundo quia eccleſiaſt. 1. & 8. dicitur: *Tradidit mundum diſputationi eorum*, & Danielis 12. *Plurimi pertranſibant, & multiplex erit ſcientia*. ſed hoc nil aliud eſt quam tempore Chriſtianorum permittere Deum plures ſectas Philoſophantium, ergo defacto permittendæ ſunt, & expedient.

Tertio quia id non expedit Chriſtiano Philoſopho, quod efficit intellectum mancipatum ac vilem, ſed vnicam ſeligere ſectam ita ſe habet, vnde Seneca Epiſt. 45. dicebat: *Non me cuiquam mancipaui nullius nomen fero, multum magnorum iuditio tribuo, aliquid & meo iudico*: & proſequitur id ep. 32. ergo ſeligere vnicam ſectam non expedit Chriſtiano Philoſopho.

Quarto quia id non expedit quod eſt origo factionum ac ſeditionum inter Chriſtianos, ſed ſeligere vnicam ſectam ita ſe habet, vnde idem Seneca de vita beata cap. 30 ſubiungebat: *Semper illam vnius ſequi ſententiã, non id curiæ, ſed factionis eſt*. ergo non expedit, &c.

Quinto quia id non expedit quod præcludit innumeras vias reſpondendi argumentis hæreticorum, & vnicam ſolam relinquit, vnde de Eccleſia dicitur Canticorum 4. *Turris Dauid mille clipei pendent ex ea omnis armatura fortium*. ſed ſeligere vnicam ſectam ita ſe habet ergo non expedit. Minor immò diſcurſus integer haberi videtur ex Aug. lib. 1. de Trin. cap. vlt.

in

in fine dicente; *Securi vtamur non vno, ſed quotquot reperiri potuerunt, tantò enim fortius conuincuntur hæretici, quanto plures exitus patent ad eorum laqueos euitandos.*

In oppoſitum tamen eſt quod vt refert Aug. lib. de Ouibus cap. 15. *Gentiles Pagani, qui remanſerunt non habentes quid dicant contra Chriſti nomen diſſenſionem chriſtianorum chriſtianis obijciunt*, Et idem de Neſtorianis contra Catholicos refert Leo Biſantius lib. 1. in eoſdem, & idem faciunt licet perperam recentes hæretici, vt videre eſt in Caluino lib. 4. inſtitutionum cap. 13. §. 14. & ante ipſum in Lutero in confeſſione Misfeldica aiente: *Suſpectam merito habemus Sacramentariorum doctrinam, quod non diffinitè in eadem ſententia concordes, verum inter ſeipſos diuiſi ſunt.* ſed vnicam ſeligere ſectam etiam quo ad Philoſophica incipit diſſentionum originem eradicare, ergo expedit chriſtiano Philoſopho etiam quo ad Philoſophica vnicam ſeligere ſectam. Minor, quia Philoſophia eſt *cathechiſmus ad fidē*, vt aiebat Cirillus lib. 1. contra Iulianum, ſeu *pedagogus ad ipſam* vt dicebat Clemens lib. 1. Stromatum, & proſequitur S. Thomas ſuper Boetium de Trinitate q. 2. ar. 3. ergo, &c.

Reſpondeo chriſtiano Philoſopho magis quam vagari per omnes expedire vnicam ſeligere ſectam cæteris præcipuè meliorem. Probatur, quia vnaquęque doctrina eo magis perfecta eſt ac diuturna quo magis in vnitate conſiſtit, ſed chriſtiana etiam Philoſophia quo magis poteſt debet eſſe perfecta ac diuturna, ergo maximè debet in vnitate conſiſtere, ſed hoc melius obtineri nequit quam ſeligendo vnicam ſectam cæteris præcipuè meliorem, ergo chriſtiano philoſopho expediet vnicam ſeligere ſectam, &c. Maior traditur à Dioniſio lib. de diuinis nominibus cap. 4. dicente: *Eſt enim perfectiua, & adhuc conuerſiua ad vere exiſtens à multis opinionibus conuertens, & varias viſiones ſeu phantaſias ad veram vniformem congregans cognitionem, & vno vnitiuo lumine complens.* & idem proſequitur S. Thomas ibidem, & Boetius lib. 4. de conſolatione. Minor vero ſubſumpta patet, quia vt inquit Auguſtinus lib. 15. de Ciuit. cap. 4. *diuerſæ ſectæ philoſophantium conſtituebant Babilonis veluti confuſionem.* Vnde Iſidorus lib. 3. de ſummo bono dicebat: *Sicut inſtruere ſolet collectio, ita deſtruit contentio, hæc enim relicto ſenſu veritatis lites generat.* Et Athanaſius contra Conſtantium; *Periculoſum nobis, atque etiam miſerabile tot nobis doctrinas eſſe, quot mores.* & Tertullianus lib. de præſcriptionibus notat ſimilem varietatem propriam hæreticorum eſſe ſolere; Et hoc eſt quod Ezechielis 34. dicebatur *ſuſcitabo ſuper eos paſtorem vnum.* vt latè Hieronymus ibi lib. 11. proſequitur explicare, vti pariter pro vnitate doctrinæ vrget Apoſtolus: *Implete gaudium meum, vt idem ſapiatis idipſum ſentientes, nihil per contentionem, nihil per inanem gloriam*, & ad Epheſios 4. *Iam non ſimus paruuli fluctuantes, vt circum feramur omni vento doctrinæ &c.* vt ſimile etiam Iacobi teſtimonium ſcil. *nolite plures Magiſtri fieri*, cum Auguſt. S. Thomas exponit opuſ. 10. cap. 2. & demum Seneca epiſt. 95. concludebat his verbis: *Quemadmodum folia per ſe viuere non poſſunt, ramum deſiderant ex quo ſucum trahant, ſic præcepta ſi ſo-*

la ſunt marcent inſigi volunt ſectæ. & Epiſ. 1. alijs firmabat exemplis *vitam enim*, inquit, *in peregrinationibus agentibus hoc euenit, vt multa hoſpitia habeant, nullas amicitias.* & iterum; *nihil ita ſanitatem impedit, ſicut remediorum crebra mutatio, non conualeſcit planta, quæ ſæpe transfertur; nihil ita vtile eſt quod in tranſitu proſit.* & Epiſ. 43. *vnam viam ſequatur, non per multa vagetur; non ire iſtud, ſed errare eſt.* quibus conſentit Plinius lib. 2. epiſ. ad Iupetum dicens: *Frequentior currentibus, quam reptantibus lapſus.* Omitto cætera, & vnam hanc ſed grauiſſimam ſeligo probationem ex Lactantio lib. 3. cap. 15. dicente: *Sicut vnus eſt mundi Conſtitutor & Rector Deus, vna veritas, ita vnam eſſe ac ſimplicem ſapientiam neceſſe eſt.* quod plane dixerat & Ariſtoteles 8. Politicorum in initio: *Quoniam,* inquit, *vnus finis Ciuitati omni manifeſtum eſt quod diſciplinam vnam, & eandem eſſe omnium neceſſariam eſt,* vt ibidem S. Thomas exponit lect. 1. Quod ſi quis dicat (licet de Ariſtotile dici non poſſit) plura ex adductis vrgere dumtaxat de Superiori veritate Religionis ac fidei, non vero de inferiori philoſophia & huiuſmodi: Aduertere poterit ita reſpondens, & nos in ordine ad illam vt certam voluiſſe ſubordinare probabiliter iſtam, *quoniam,* vt inquit S. Thomas 2. 2. q. 39. ar. 1. *Vnitas particularis ordinatur ad vnitatem Eccleſiæ, ſicut compoſitio ſingulorum membrorum in corpore naturali ordinatur ad totius corporis vnitatem,* & ex deſtructione vnitatis in iſta inferiori veritate diſponi etiam ad ſuperioris incertitudinem obſeruabat Tertullianus in lib. aduerſus gentes cap. 46. de diſſenſione in Philoſophicis ita ſubiungens: *Ex horum ſemine noſtram hanc nouitiolam paraturam viri quidam ſuis opinionibus ad philoſophicas ſententias adulterarunt, & de vna via obliquos multos tramites & inextricabiles ſciderunt.*

Ad primum igitur diſtinguo antecedens, loquendo de ſecta particulari, quæ veluti ſelegit in vnum veritates aliarum, nego, loquendo de ſecta particulari, quæ non ſelegit ſed purè cæteras refutauit concedo. Primo autem modo opinamur ſe habuiſſe ſectam Peripateticam, ſicut etiam de quadam ſecta *Electiua* Potamonis Alexandrini refert in præfatione Laertius. Vnde Simplicius in proœmio Phyſicæ ita ſcribit: *Genus philoſophandi Ariſtotelis differt à cæteris, quatenus obſcuritates & ſcirpos illorum in perſpicuitatem tranſtulit, ac propriam expoſitionem.* Et hac de cauſa Ariſtoteles dicebatur a Platone *Anagnoſtes,* vt refert & explicat Celius Rhodiginus lib. 17. cap. 17. & conſuli poteſt Fonſeca in proœmio Metaphyſices cap. 4. ſubiungens, huic inſtituto Ariſtotelis perutile fuiſſe in diſcipulum habuiſſe Alexandrum, vt ope eiuſdem ſingulos aliorum libros obtineret; Vnde poſtea non mirum tot nobiles ſectatores habuiſſe, vt ex Ioſepho recenſet Pererius etiam lib. 4. de principijs rerum: Immò præ cæteris Auguſtinus lib. 3. contra Accademicos cap. 19. ad hoc propoſitum opportuniſſimè concludebat: *Poſt multas multorum ſæculorum contentiones eliquatam eſſe vnam veriſſimè Philoſophiæ diſciplinam.*

Ad ſecundum nego minorem, illæ etenim auctoritates videntur magis intelligi de Philoſophia tempore Etnicorum, quam Chriſtianorum, vnde

ſtatim

ſtatim in primo loco ſubiungitur: *Vt neſciat homo ab initio opus ſuum, quod operatus eſt Dominus, &c.* Conſueuiſſe autem auctoritates eiuſmodi, ſicut etiam Auguſtini & aliorum, vſurpari ab hæreticis ad abſoluendas proprias diſſenſiones à communi Catholicorum conſenſu optimè Stapletonius controu. 3. lib. 9. cap. 9. & inde Belarminus, Grauina, & alij apud Mariales controu. Prolegom. cap. 3. pertractant; præter aliam reſponſionem mox ſubiungendam ad ſequens argumentum aptabilemque præſenti.

Ad tertium neg. min. quia vt præueniens illam obiectionem ac ſoluens Vincentius Lyrenenſis cap. 28. in 1. commun. dicebat: *Creſcat vtique oportet & multum vehementer proficiat tam ſingulorum, quam omnium, tam vnius hominis, quam totius Eccleſiæ ætatum ac ſæculorum gradibus intelligentia, ſcientia, ſapientia: ſed in vno dumtaxat genere in eodem ſcil. dogmate eodem ſenſu, eademque ſententia.* Reſtat igitur (vt fuſius infra dicemus) etiam intra peripati confinia vaſtiſſimus ſubtilitatis campus, ſed conuenire prius oportet in ipſius ſcholæ principijs, ne paruus error in principio magnus inde fiat in fine, vti ex Ariſt. in lib. de Cœlo dicebat S. Thomas de ente, & eſſentiâ in initio, & hoc pacto vtique à pari creuiſſe ſemper etiam in Patribus ſucceſſu temporum ſcientias, vnitate retenta inter ipſos, tradit Gregorius lib. 2. in Ezech. homil. 56. Beda lib. de tabernaculo vaſis cap. 5. Bernardus epiſ. 77. & noſter Bannes 2. 2. q. 1. ar. 7. concl. tertia.

Ad quartum diſtin. min. loquendo de vna ſecta omnino particulari non *Electiua* veritatum aliarum, & ideo non acceptata à pleriſque concedo, loquendo de vna ſecta *Electiua* veritatum aliarum, & ideo iam acceptata à pleriſque nego, & de iſta non indecens eſt ſed per vtilis in auctorem affectus, vti diſcurrit Griſoſtomus in Epiſ. Pau. in prologo de incumbentibus lectioni eiuſdem Apoſtoli, & de prophanis proſequitur Auguſt. lib. de vtilitate credendi cap. 6. concludens: *ſi Virgilium odiſſemus, immò ſi non eum, priuſquam intellectus eſſet maiorum noſtrorum commendatione diligeremus, nunquam nobis ſatisfieret de illis eiuſdem innumerabilibus quæſtionibus, quibus Grammatici agitari & perturbari ſolent, neque audiremus libenter, qui cum eius laude illas expediret, ſed illi faueremus, qui per eas illum erraſſe ac deliraſſe conaretur oſtendere, nunc vero cum eas multi ac varie aperire conentur, his potiſſimum plauditur per quorum expoſitionem melior inuenitur Poeta.* Ita equidem mutat affectus in Ariſtotelem, vt Ariſtotelis doctrina capiatur præter aliam S. Thomæ ſolutionem 2. 2. q. 188. ar. 5. ad 2.

Ad quintum neg. min. aliud eſt enim plures propoſitiones dogmaticas etiam in Philoſophia contradictorias defendere vt veras, & iuxta ſingulas reſpondere hæreticis velle, aliud eſt defendere vnicam propoſitionem dogmaticam vt veram, licet cum varijs modis explicationis eiuſdem & illationis ex ipſa. Primum non prætat Eccleſia, immò ipſi noceret, quia dato caſu, quod conuerteretur hæreticus aliquis iuxta vnam propoſitionem philoſophicè dogmaticam à Catholico aſſumptam, poſtea conuerſus hæreticus videret iterum contradictorium illius in Eccleſia defendi, iterum facilè arriperet trepidationis originem: ſecundum vero vtique conſueuit Eccle-

latione cuiuſdam Theologi Pariſienſis repetit Campanella loco citato ar. 2. Synodus Pariſienſis anno 1204. dum damnauit hæreſes Almarici Carnotenſis, damnauit ſimul, & iuſſit comburi libros Ariſtotelis tanquam fauentibus hæreſibus,& factum integrè confirmauit Gregor. IX. vt diploma ſeruatum Pariſiis ibi à Campanella refertur, ergo doctrina Ariſtotelis minime cæteris anteponenda eſt.

Quinto quia de Hieron. ab ipſo Damm. opuſ. 45. cap. 8. refertur, quod fuerit, permittente Deo, verberatus à Dœmone, eo quod nimis Tullianæ fraſi tenaciter adhæreret, ergo à fortiori *verberandus eſſet*, inquit Campanella, *Chriſtianus Philoſophus, ſi vellet Philoſophiæ Ariſtotelis adhærere*.

Sexto quia, vt inquit Bernard. in Cantica ſerm. 30. & Aug. lib. de vera Relig. ex illo Euangelij: *Sinite creſcere* ſcil. *zizania, ne eradicetis, & triticum.* Deus permiſit etiam ſimul cum Chriſtianis Hebræos, & permittit hæreticos, ergo à pari ex eo quod Ariſtotelem permittat in orbe non ſequitur ipſum approbari debere.

In oppoſitum tamen eſt quod ſi vna ſecta eligenda, vt in ſuperiori iam diximus, illa profecto eligi debet, quæ magis in vnum in ſeipſa collegit veritates aliarum, ſed talis eſt peripatetica poſterior Stoica atque Platonica, à quibus didicit veritates collegit & auxit, ergo peripatetica ſeligenda eſt.

Reſpondeo vtique expedire Chriſtiano Philoſopho præ alijs peripateticam Doctrinam eligere. Probatur primo, quia vt notat ipſemet Ariſtoteles in lib. 1. Meth. progreſſus Philoſophiæ naturalis noſtris actibus acquiſitæ aſſimilatur proceſſui hominis de infantia vel Pueritia ad adoleſcentiam & virilitatem, vt pariter omninò comparat & Apoſtolus 1. Corint. cap. 13. Sed in primo progreſſu hominis idem homo in ſtatu Adoleſcentiæ aut virilitatis anteponitur homini puero vel Infanti; ergo pariter in ſecundo progreſſu Philoſophiæ naturalis in eo ſtatu eadem Philoſophia præferenda eſt, in quo fuit veluti in Adoleſcentia vel virilitate, quam in eo, in quo veluti in Infantia aut Pueritia permanebat. Sed Philoſophia in alijs Philoſophorum Sectis antecedentibus Ariſtotelem vt Empedoclis, Anaxagoræ, Democriti, Platonis, & huiuſmodi fuit veluti in ſtatu Infantiæ vel Pueritiæ, vt ab etate & dogmate probat inductiue idem Philoſophus 1. Meth. tex. 49. concludens, (*balbutiens verò viſa eſt prima Philoſophia de omnibus, velut noua exiſtens*) &c. vt ibidem explicare proſequitur S. Thomas Lect. 17. addito etiam nunc apud Chriſtianos eandem veluti in virilitate perſiſtere, ergo Philoſophia nō prout erat in prædictorum Philoſophorum ſectis ſed potius in poſteriori Ariſt. ſecta eſtimanda magis ac eligenda eſt. Vnde excluditur ab oppoſito ratiocinatio Magneni in procemio de athomis intendentis oſtendere ſectam Democriticam etiam Peripateticæ præferendam eſſe; ex eo quod ſingula quo magis vnita principio vel eidem proxima perfectiora ſunt, Democritica autem Philoſophia vt Antiquior Peripatetica magis proxima fuit principio ſcil. Adæ, cui artes & ſcientiæ infuſæ ſunt, & per conſequens perfectior Peripatetica videbatur; excluditur inquam tum quia eadem ratione Democriticæ anteriores ſectæ

&c anteponendæ eſſent, tum quia aſſumptum illud procedit in effectibus extrinſecè à principio effectiue productis, non verò in ſcientijs & artibus, quas homines proprijs actibus ab intrinſeco acquiſierunt, & ſucceſſu temporum perfecerunt, vt præoccupauit & docuit idem Ariſtoteles in 1. Meth. cap. 1. ab illis verbis (*per experientiam autem ars emergit hominibus atque ſcientia*).

Secundo probatur, quia vt inquit idem Ariſtoteles 6. Ethic. *Oportet attendere expertorum, & ſeniorum, & prudentium indemonſtrabilibus enunciationibus & opinionibus, non minus quam demonſtrationibus, propter experientiam enim videntur principia*, & vt repetit 2. Topic. *Id quod omnes vel plures ſentiunt falſum non eſt putandum illa ſunt aſſumenda, quæ aut omnibus, aut pluribus, aut ſapientioribus videntur*, ſubſummo Mi. ſed defacto doctriua Ariſtotelis tum olim tum modo à pleriſque Doctoribus Eccleſiæ eſt acceptata & ſelecta, ergo putandum eſt eligendam eſſe atque acceptandam. Minor probatur, quia in primis tempore Apoſtolorum ſchola Ariſtotelis Alexandriæ maximè vigere permiſſa eſt, vt refert Euſeb. lib. 7. cap. 32. & tempore Clementis adeo magni fiebat Philoſophia Ariſtotelis, vt lib. 5. Stromatum referat Ariſtobolum cognomento Peripateticum, (cuius etiam mentio fit in initio poſterioris lib. Machab.) multis libris probaſſe hanc Ariſtotelis Philoſophiam fuiſſe collectam ex lege Moſaica atque Prophetis; & vt refert Theodoritus lib. 8. hiſtor. tripartitæ cap. 8. & lib. 4. cap. 26. Dydimus ſanctiſſimus æquè atque antiquiſſimus dicere ſolebat: *Se didiciſſe ſilogiſmos Ariſtotelis tanquam arma veritatis contra mendacium*, & vt inquit S. Thomas in 2. diſt. 13. q. 1. art. 2. Dionſiyus ferè vbique ſecutus eſt Ariſtotelem, vt patet diligenter inſpicienti libros eiuſdem. Vnde merito noſter Cano lib. 10. cap. 5. dicebat: *Ariſtotelem vero magno conſenſu Orbis accademiæ reſonant, in Ariſtotelis quoque illud elogiũ vnicum vniuerſæ conſentiunt gentes per antonomaſiam Philoſophum eſſe*, & Suarez lib. 1. de gratia c. 1. num. 17. *De Ariſtotele*, inquit, *aliqui exiſtimant ſpecialiter fuiſſe à Deo adiutum in ordine ad bonum Eccleſiæ futurum, &c.* & ipſe Iuſtus Lipſius lib. 1. manuduct. diſſertat. 4. & ſi Stoicis addictus, tamen veritate coactus, *Peripatetici*, inquit *ſoli in ſcholis regnant ab octingentis amplius annis apud Græcos latinoſque admiſſi, quis pellet?* nemo quidem, me iudice, non niſi iniuſte, & immerito ſi ſapientiorum iudicia perpendat, ac reuereri non dedignetur; ſic etenim Tellius alias Platoni magis addictus de Ariſtotile 1. Tuſculan. fatebatur: *Ariſtotiles vir ſummo ingenio, ſcientia, copia, &c.* in primo de Nat. Deorum: *Singulari vir ingenio ac pene diuino.* in 2. de Oratore: *Quis omnium doctior, quis acutior, quis in rebus, vel inueniendis, vel iudicandis aptior Ariſtotile?* Plinius lib. 8. cap. 16. vocat: *Summum in omni doctrina virum.* lib. 18. cap. 34. *Virum immenſæ ſubtilitatis.* Macrob. lib. 2. de Somno Scipionis cap. 15. *mihi videtur vir tantus nihil ignorare potuiſſe.* Apuleius lib. de Mundo: *Doctiſſimus & prudentiſſimus omnium Philoſophorum.* Plato, vt refert Celius Rhodiginus lib. 29. cap. 8. *Mentem ſcholæ* nominabat. *Naturæ ſcribam* dictum fuiſſe commemorant Suidas verbo Ariſtotiles,

&

& Iſidorus lib. 2. originum cap. 27. alibi dictum *ſpirantem Bibliothecam*, refert Laertius lib. 5. in vita Ariſtotelis; & eiuſdem Domum antonomaſticè nuncupatam *Domum Lectoris*, recenſet Ammonius in eiuſdem vita, ac Rhodiginus lib. 29. cap. 8. *inde Græcis omnibus Ariſtotelicam ſententiarum, grauitatem, vſque ad miraculum euaſiſſe teſtatur* Cirillus Alexandrinus lib. 1. aduerſus Iulianum; Hieronymus pauliſper Stoicorum affectu ſe poſito, quem in cap. 11. Eſaiæ exprimebat, in regula Monachorum cap. 11. ingenuè fatebatur: *Fuiſſe abſque dubitatione prodigium, grandeque miraculum in tota natura, cui pene videtur infuſum, quidquid naturaliter eſt capax humanum genus*. cuius dicto vniforme fuit elogium illud ſcil. *Naturæ miraculum* inſcriptum ſtatuæ, quæ Ariſtoteli adhuc viuenti erecta fuit: præter Iuſtinum etiam Hiſt. qui ſuperioribus addendus eſt lib. 12. de Alexandro, dicentem. *Quinquenium ſub Ariſtotile Doctore inclito omnium Philoſophorum creuiſſe Alexandrum*. Vnde iure merito claudit hoc integrum agmen Ariſtoclus antiquiſſimus auctor, vt refert & laudat Euſebius lib. 15. præpar. Euang. cap. 1. concludens: *Calumniatorum Ariſtotelis libros & nomina citiùs euanuiſſe & interijſſe quam ipſorum corpora*. Omitto vlterius, quod antepouendos eſſe Peripateticos optime probant Rhodiginus, Fonſeca, Pererius, & alij, ex Lucretio etiam licet Democriteo lib. 3. ex Quintiliano, vt referunt Cunimbric. & ex pluribus alijs, vt refert Lipſius, præter Auerrois exceſſum, qui in Phyſicorum procemio dicebat: *Nullus error ſcil. in Ariſtotelis doctrina inuentus eſt, vſque ad hoc tempus* vbi magis ſobriè, & fidelius locutus eſt 1. Metaph. tex. 18. *ſententia*, inquit, *Ariſtotelis eſt minoris dubitationis omnium ſententiarum, & magis conueniens, vt vera ſit*. Omitto etiam præter Boetium, & Damaſc. & Aug. in lib. Categor. Beatum Alb. Magnum, & S. Thomam, D. Bonau. & alios Sanctiſs. æquè, atque doctiſs. Eccleſiæ Patres, ſolius Ariſtotelis non alterius illuſtrauiſſe doctrinam; neque ad hæc ſatisfacit Campanellæ reſponſio, ſcil. tempore D. Th. & Alberti *Philoſophiam Ariſtotelis adeo fuiſſe æſtimatam, vt veluti Theologiæ præualeret, & ideo ipſos Theologiam bibendam mundo in ſuo Ariſtotelico cratere dediſſe*. Non ſatisfacit, inquam, quia id nobis probaſſe ſufficiet, ſcil. doctrinam Ariſtotelicam ex mundi conſenſu prius acceptatam, inde fuiſſe ab Eccleſia expurgatam & tunc vniuerſim permiſſam in ipſa, vt intendimus. Nec valet alia reſponſio eiuſdem ex Io. Franc. Picco deprompta lib. 4. de Examine vanitatis doctrinæ gentium cap. 2. ſcil. Ariſtotelem intruſum prius fuiſſe in Hyeruſalem tempore Iudæorum ab Antioco ſucceſſore Alexandri, inde fugantibus ipſum Machabæis tranſmiſſum fuiſſe in Italiam & Romam demum ab Etnicis, inde in bello Gothorum ac Vandalorum etiam in Italia diſperſum, poſtmodù à Carolo Magno exſuſcitatum in orbe, & inde ſemper vires recepiſſe maiores: Non valet, inquam, effugium iſtud, quia immò inter tam multa infortuniorum naufragia Ariſtotelis doctrinam permanſiſſe ſuperſtitem, & ad noſtra vſque tempora Eccleſiæ perueniſſe vt expurgatam, atque acceptatam ab ipſa, ſignum maius eſt excellentiæ doctrinæ prædictæ, adiuncto præſertim, quod Campanella ſubiecit non defuiſſe & antiquitus Ariſto-

telis

telis impugnatores, quorum perpetuis obiectionibus ac pertinaciſſima pugna eiuſdem doctrina cribrata eſt. Quis enim neſcit Zenocarcum, vt refert Simplicius in lib. de Cœlo, multa aduerſus Ariſtotelem concluſiſſe? Nicolaus Damaſcenus integros libros Metaph. perperam ſcriptos aſſeruit, vti & Plutarcus inutiles declarauit. Attenedorus & Cornutus ſub Nerone Imperatore, & poſt eoſdem Lucius ſub Antonino, & Nicoſtratus poſt hos, ſub alijs Imperatoribus Plotinus lib. Categ. integris libris ac multis oppugnarunt. Damaſcenus quoque dogmata de loco & tempore, & Simplicius cum eo, nec non Philoponus impugnare eniſi ſunt. Galenus multa in animalium Philoſophia contra Ariſtotelem ſcripſit, vt ingenue confitetur etiam Patritius tom. 1. lib. 11. præter eos, qui eiuſdem Ariſtotelis fuerant auditores, & tamen ipſi protinus contradicere non dubitarunt, vt de Teophraſto, Hermia, Dixearco, Eudemo, & Hipparco etiam Ariſtotelis conſanguineo proſequitur idem Patritius lib. 12. initio, & pergit poſtea de Stratone Lampſaſeno Demetrio Fallereo, Eudoro, & alijs innumeris per totum librum eundem. Quid de Attico illo de quo Theodoretus lib. 12. atteſtatur plura aduerſus Ariſtotilem volumina conſcripſiſſe, ex quibus non pauca adhuc in Euſebio lib. 15. de præpar. Euang. perleguntur? ex quibus omnibus in forma poteſt ſic reſtringi probatio, quia (ſeruata ſimul proportione, & inęqualitate) proportionaliter ita ſe habet acceptatio plurimorum Doctorum credentium myſteria fidei adhoc, vt illa dicantur euidenter ſimplici fide credibilia, ac ſe habet eadem acceptatio in propugnanda doctrina Ariſtotelis adhoc vt iſta euidenter ex diſcurſu probabilior eſſe dicatur; ſed ex eo quod illud primum de facto experimur in Orbe, non obſtantibus tot primis illis infortunijs Eccleſiæ, deducitur euidenter fidei credibilitas, ergo ex eo quod pariter experimur & iſtud ſecũdum non obſtantibus tot prioribus illis Ariſtotelis impugnationibus benè eiuſdem doctrinæ Ariſtotelis euidenter maior probabilitas inferetur. De Maiori iuxta præmiſſam cautelam nemo poteſt ex ſimilitudine dubitare. Minor vero communiter à Theologis edocetur 2. 2. q. 1. ar. 4. ex Auguſt. lib. contra Epiſt. fundam. cap. 4. & Epiſt. 12. cap. 3. & 4. & lib. 18. de Ciuit. cap. 50. & alijs Patribus frequentiſſime ibidem ſolitis recenſeri.

Ad primum igitur diſt. antec. ex Fonſeca in prologo Metaphiſ. comparando Platonem Ariſtoteli quo ad eloquentiam, vt conſiderauerunt Aug. & Tullius, vel quo ad aliquas veritates ſupernaturales, quas ex ſcriptura ſubodoratus eſt Plato, vt conſiderauerant cæteri Patres, concedo; comparando Platonem Ariſtoteli; quoad Philoſophiæ dogmata, de quibus agimus, nego: Vnde iterum Tullius in lib. 5, de finibus atteſtabatur: Naturam, *Sic à Peripateticis inueſtigatam, vt nulla pars cœlo, Mari, terræ ſit prætermiſſa*, nos autem perquirimus hic verè Philoſophum non *Theologi ſimiam*, vt alij ex Clemente appellauere Platonem. Immò & illi Patres, qui prius fuerant in Platonem affecti, eiuſdem poſtea effuſas laudes, rectius conſiderata, reuocarunt, vt præter alios à Poſſeuino relatos lib. 13. Bibliothecæ, videri poteſt Aug. lib. 1. retractationum cap. 1. præſertim

ex

ex eo quod referente eodem Poſſeuino ibidem ex alijs & ex Aug. in Enchir. ad Laurentium cap. 58. ex Platonis ſtudio contra fidem errauerunt Iamblicus, Proclus, atque Porphirius; Præterquamquod quo ad ea, quæ in Platonica Schola commendari ſolent, aptari poteſt, quod affert & laudat Carpentarius in præfatione in Alcinoum ex Marſilio Ficino in lib. Epiſtolarum aiente: *Errant omnino, qui Peripateticam diſciplinam Platonica contrariam arbitrātur, via ſiquidem termino contraria eſſe non poteſt, peripateticam vero doctrinam ad Sapientiam Platonicam eſſe viam comperiet, quiſquis rectæ conſiderauerit naturalia nos ad diuina perducere*: quod integre dixerat ante ipſum etiam Auguſt. lib. 3. contra Accademicos cap. 19.

Ad ſecundum reſpondeo cum Fonſeca ex Laertio in vita Zenonis diſt. ant. loquendo de Philoſophia quo ad praxim ſcil. mores & vitam tranſeat, quo ad contemplationem veritatis negatur, vt reſpondit etiam Cano lib. 10. cap. 4. ſubiungens: *Quod non Philoſophorum, ſed Sanctorum exempla in morum iudicijs nos ſequi debemus*, ex Innoc. diſt. 20. cap. de quibus, quia in iſtis ex lib. 6. Ethic. cap. 11. qualis vnuſquiſque eſt tale iudicium finis videtur, & primo modo pertranſimus laudes Stoicorum, quas retulit Lipſius, tamen ſecundo modo merito Stoici vituperantur ab alijs, dum apud Atheneum lib. 13. appellantur, *Mercatores Nugarum, verborum arbitri, & Cenſores*, à Rabellio Plauto apud Tacitum lib. 14. annalium vocantur *arrogantes ac turbidi*, Aulus Gelius lib. 14. cap. 3. inquit: *Zenofons in libris, quos dictorum atque factorum Socratis commentarios compoſuit, negat Socratem de cæli, atque naturæ cauſis rationibus vnquam diſputauiſſe, ac ne diſciplinas quidem cæteras, quæ ad bene, beateque viuendum non pertinerent, aut attigiſſe, aut comprobaſſe*, vt idem ex Zenofonte rememorat Euſebius lib. 14. de præparatione Euangelica cap. 4. & Theodoretus lib. 2. de Curatione Græcarum affectionum; & vniformiter ad iſta Plutarcus duo opuſcula inſcripſit, alterum *Stoicos quam Poetas abſurdiora dicere*, alterum *de Stoicis repugnantijs, ſeu de communibus repugnantijs aduerſus Stoicos*, & demum à Cicerone 3. de finibus dicitur. *Non ignoras Stoicorum, quam ſit ſpinoſum diſſerendi genus*, vnde patet ſolidam eſſe reſponſionem adductam ex Aug. etiam 8. de Ciuit. cap. 3. deſumptam.

Ad tertium diſt. vnico verbo antec. loquendo de Philoſophia Ariſtotelis abſolute vt ſcil. exigente probationem in omnibus, & nullo modo ſubdente ſe fidei concedo, loquendo de Philoſophia Ariſtotelis vt in naturalibus quærente rationem, in ſuper naturalibus vero moderata per fidem nego: Primo autem modo in primitiua Eccleſia refutata eſt ab aliquibus Philoſophia Ariſtotelis ob aliquorum Peripateticorum importunos exceſſus, vt notauit Fonſeca & colligit aperte Cano lib. 9. cap. 2. ex Hieron. c. 10. Math. dicente: *Quia huiuſmodi ratiocinatio virga, & baculus arundineus eſt; quem ſi paululū preſſeris frangitur, & manus perforat incumbentis*, & pergit in caput 31. Hieremiæ, & Aug. lib. 1. de actis cum Felice Manicheo c. 10. & cæteri Patres à Launoi cap. 2. relati; quos poſtea ſimul idem Cano cap. 9. exponit loqui primo modò vt diximus, ſecundo autem

modo à cap. 3. vſque ad 8. probat erudite philoſophicam raciocinationem etiam contra Luterum de mente Patrum expedire Theologo, & primo modo refellebantur antiquitus in Accademia Pariſienſi aliqui, quos refert idem Launoi de varia fortuna Ariſtot. cap. 7. & 10. non verò ſecundo modo Ariſtotelis Philoſophia refellenda eſt.

Ad quartum diſt. antec. loquendo de libris ueris Ariſtotelis nego; loquendo de aliquibus libris falſo attributis eidem, concedo, quod patet ex verbis relationis Pariſienſis apud eundem Campanellam dicentis: *In diebus illis legebantur Pariſijs libelli quidam ab Ariſtotele, vt dicebatur, compoſiti, delati denouo è Conſtantinopoli, & à græco in latinum tranſlati*, quos intellexit etiam Gregorius IX. in diplomate adducto à Launoi de varia fortuna Ariſtotelis cap. 8. antonomaſticè etiam naturalem Theologiam, ſeu metaphyſicam vocans *Philoſophiam*, vti vocatur in 6. metaphiſicorum, & alibi, vt patet ex illis eiuſdem verbis: *Non legantur libri Ariſtotelis de Metaphiſica, ſeu de naturali Philoſophia, ſeu Summæ de eiuſdem aut de Doctrina Magni Dauid Dedinant, aut Almarici hæretici, aut Mauritij Hiſpani*, qui ſcil. in compedium reduxerant prædictos libros, quos ego crediderim eſſe libros illos de ſecretiori Philoſophia ſecundum Ægyptios, quos Carpentarius commemorat tempore Leonis X. tranſlatos ex græco in arabicum, ac in Bibilioteca repertos Damaſcena, & indicatos à S. Thoma opuſ. 16. cap. 1. ſed Ariſtoteli falſo ſuppoſitos, vt probat ex profeſſo Patritius tom. 1. lib. 3. quia Ariſtotelis, inquit, non eſſe ipſi ſtatim initio ſe produnt, dum ibi Metaphiſica appellantur, & res tractandæ proponuntur longè ab Ariſtotelica reliqua Philoſophia diſſidentes; & libro 3. cap. 6. Animæ definitio Ariſtotelia traditur vti antiqui cuiuſdam ante Ariſtotelem, quam tamen Peripatetici Præceptori ad ſcribunt. Videtur etiam auctor eorum librorum Platonis auditor fuiſſe ex cap. 5. primi lib. vbi hæc leguntur verba: Plato igitur olim dedit animæ plura attributa, quorum nos auriti fuimus teſtes, ſed non ſcripſit vllum) vel potius opus ſunt Paleſati cuiuſdam Ægyptij, quem aſſerit Suidas Ægyptiorum Theologiam ſcripſiſſe. Hucuſque Patritius, Exquibus miror Campanellam & alios ſimilia decreta referre ex Gallia contra Ariſtotelis Philoſophiam, cum immò nullibi magis quam in Gallijs decreta edita ſint in Ariſtotelis Patrocinium, tum ab accademijs, tum à Senatu Pariſienſi, tum à Chriſtianiſſimo Rege, cuius etiam diploma regium gallica lingua conſcriptum exſcribit digreſſione prima Carpentarius, & nos in ſequenti articulo repetemus, & alia etiam pontificiæ auctoritatis decreta pro Pariſienſi Accademia latè recenſet idem Launoi de varia fortuna Ariſtotelis cap. 8. & ſubſequentibus, ab anno 1265. vſque ad hæc noſtra tempora legendà in eodem, vt appareat iſtos contra Ariſtotelem inuertiſſe decreta Principum non minus, ac olim Pelagij Sequaces Imperatorum edicta aduerſus ipſos, in vertebant in Auguſtinum, vt refert idem Aug. lib. 3. contra Iulianum cap. 1. concludens: *Verum ſi Dei legem non ſicut ſe habet, ſed ſicut vobis placet intelligitis quid mirum ſi & de lege Imperatoris hoc facitis?*

Ad

Ad quintum tranſeat antec. & negatur conſequentia; aliud eſt enim de prophana facundia diſcurrere, quæ Sacram Doctrinam inumbrat, aliud de naturali doctrina, quæ ſacram etiam illuſtrat, iuxta illud inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur; illa ad fidei arborem ſe habet vt foliorum luxuries, iſta ſe habet vt rami ſoliditas, & de prima refutanda Nouarinus pertractat lib. 1. cap. 13. ſec. 4. & 5. per totam, de ſecunda verò ſufficiunt, quæ retulimus nos, & alia quædam, quæ afferebat & Cano lib. 10. & 9. per totum.

Ad ſextum diſt. antec. permittit hæbreos & hæreticos tamquam amplexandos à nobis nego, ad nos ipſos probandos ex eorumdem reſiſtentia, & huiuſmodi fines adductos à Patribus concedo, & negatur conſequentia, quia Doctrina Ariſtotelis non ſolum in Eccleſia abſolute permittitur ſed etiam vt licitè immo & vtiliter ex dictis in docendo, ac addiſcendo acceptanda à Catholicis, & ideo hinc non leuis ratio deſumitur ad probandum eandem vt plurimum eſſe meliorem præ alijs, ſeligendamque merito ſectam Peripateticam eſſe.

ARTICVLVS III.

An non obſtantibus iſtis expediat, vel liceat ſaltem, integram Ariſtotelis Philoſophiam euertere, & proprio Marte nouam cudere Philoſophiam.

VIdetur quod ſic, Io. Franciſco Pico libr. 1. examinis vanitat. doct. gentium, & iterum lib. 4. Paracelſo, Valeſio, & Campanellæ ar. 2. citato per totum. Pozzæ lib. 2. elucidarij tract. 5. cap. 6. & Carteſio nouiſſime in Epiſ. ad Patrem Dinet, & Gaſſendo lib. 1. aduerſus Ariſtotelicos exercit. 1. & 2. Præter Chimicos quoſdam apud Senertum de conſenſu Chimicorum cum Galliniſtis, & ſic poteſt eorum iſta poſitio probari. Primò quia aſſerere non licere euertere Ariſtotelis Philoſophiam eſt Philoſophiam ſcripturæ vel anteponere vel æquare, vti de facto præſumpſerunt aliqui ab Euſeb. citati lib. 5. hiſt. cap. vlt. & ab Aug. epiſ. ad Dioſcorum, inter quos fuit & quidam Iulianus apud Cirillum lib. 1. & Abbailardus apud Bernard. Epiſ. 189. vti & Carpocratiani, & Theodoſiani hæretici hinc apud Baron. tom. 3. Ariſtotelem pro Deo adorauerunt & Collonienſes quidam, vt refert Cornelius Agrippa in Appologia cap. 2. ad minus aſſeruerunt: *Ariſtotelem fuiſſe præcurſorem Chriſti in naturalibus, vti Io: Baptiſta extitit in ſupernaturalibus*; & denum præterito ſæculo Antonius Mirandulanus in lib. de euerſione Monomachiæ omnes Ariſtotelis errores contra fidem defendit, vt veros iuxta veram Philoſophiam, vt partim fecerat & Pomponatius, & noſtris hiſce temporibus alij ſequuti ſunt, in quos conquæritur valde noſter Magiſter Cano lib. 9. cap. 9. concludens. *Habere illos Ariſtotelem pro Chriſto, Auerroem pro Paulo, & pro Petro Alexandrum Aphrodiſeũ.* ergo vt tam immanè vitium euitetur à nobis non debemus aſſerere nunc non licere euertere Ariſtotelis Philoſophiam.

Secundo quia id licet immò expedit, in quo pro duce aliquem ſanctum Patrem habemus immo & rationem, ſed de facto in euertenda Ariſtotelis Philoſophia habemus vtrumque, ergo ſimul licet & expedit. Min. quo ad primum probatur, quia Iuſtinus Martyr. lib. integrum edidit, quem inſcripſit: *Confutatio decretorum Ariſtotelis*, & in eiuſdem lib. proœmio præmittebat nihil Ariſtotelem de his rebus verè dixiſſe, quas explicandas, explanandaſque ſuſcepit, omiſſis alijs Patribus iam ſupra relatis, & ſpecialiter omiſſo Aug. qui circa ideas Ariſtotelem impugnat, inquit Campanella, vt hæreticum lib. 83. quæſtionum, & lib. 19. de Ciuit. & ſic de alijs huiuſmodi: quo ad ſecundum eadem Minor probatur, quia & plures errores contra fidem in Ariſt. doctrina reperti citantur in 2.p. directorij Inquiſitorum qu. 4. & S. Thomas non ſemel hinc in philoſophicis eundem Ariſt. derelinquere coactus eſt, ergo in euertenda Philoſophia Ariſt. auctoritas ſimul adeſt & ratio. Si reſpondeas diſt. min. loquendo de Ariſt. in ſe abſolute conc.; de Ariſt. vt expurgato & poſtea acceptato nego. Contra repetit & Campanella vbi ſupra, quia ſicut nimis facile eſt, ita nimis periculoſum eſſe videtur, quod ab Ariſt. acceptato, ac laudato in pleriſq; non tranſeant poſtea auditores ac iuuenes ad acceptandum eundem in erroribus etiam, licet timore pœnæ ſua dicta non vulgent, vt de facto fecerunt Pomponatius, Antonius Mirandulanus & alij ſectatores illorum, vt mox antea referebatur, ergo vt iſti errores Ariſtotelis vndequaque vitentur neque expedit adeo tenaciter laudare veritates eiuſdem.

Tertio quia de facto quotidie in diſputando experimur, quod ſi in philoſophicis afferatur Damaſcenus, Hierõn. Baſil. aut alter huiuſmodi inter Eccleſiæ Doctores ac Patres vix in philoſophicis à reſpondente curatur auctoritatis adductæ ſolutio, ſi vero contra D. Thomam vel Bonau. Ariſtoteles audiatur allatus, eo garrit arguens & agitatur reſpondens vt auctoritas ſuſtineatur, ſed hoc aperte videtur abſurdum, ſc. Ariſt. æſtimari magis quã Patres vti conqueritur merito Cardinalis Bembus in paradoxis id notans, ergo vt hoc euitetur minuenda iam eſt auctoritas, vt Campanella concludit, *intronizati Ariſtotelis*, ergo Ariſt. Philoſophia euertenda eſt.

Quarto quia tota ratio noſtra cur modo non liceat euertere Ariſt. Philoſophiam eſt, quia videtur communiter modo acceptata ab Eccleſia poſtquam eſt expurgata ab eadem, ergo nos tandem philoſophica intendimus probare ex ſacris ac ſtabilire, ſed hoc eſt turpe nimis & abſurdum, ergo abſurda pariter noſtra ſententia: Minor ſubſumpta latè probatur ab Aug. lib. 1. ſuper Geneſ. ad litt. cap. 18. & clarius c. 19. his verbis: *Turpe autem eſt nimis perniтioſum ac maxime cauendum, vt chriſtianum de his rebus ſcil. Philoſophicis ſecundum chriſtianas litteras loquentem ita delirare quilibet Philoſophus infidelis audiat, vt toto cœlo errare conſpiciens riſum tenere vix poſſit &c. Et quod auctores noſtri ab eis qui foris ſunt talia ſenſiſſe credantur*, & infra clarius adhuc *cum enim quemquam de numero chriſtianorum errare deprehenderint & vanam ſententiam ſuam de noſtris libris aſſerere, quo pacto illis libris credituri ſunt? Quid moleſtiæ, triſtitiæque ingerant prudentibus Fratribus temerarij præſumptores ſatis*

tis dici non poteſt, cum ſi quando de praua, ac falſa opinione ſua repræhendi & conuinci ceperint ab eis, qui librorum noſtrorum auctoritate non tenentur, ad defendendum id quod leuiſſima temeritate & apertiſſima falſitate dixerunt eoſdem libros ſanctos, vnde id probent, proferre conantur; Quam auctoritatem refert etiam D. Thom. & approbat quod lib. 3. ar. 3. ergo vera minor.

Quinto quia nouitas ipſa de facto admiſſa eſt in Eccleſia tum circa ſcientias naturales tum circa ſacras; ergo pariter admittenda erit modo nouitas Philoſophiæ contra Ariſtot. dicta cudendæ. Antecedēs quo ad primam partem Probatur quia Comoſgraphia de nouo reformata eſt per inuentionem noui Orbis à Columbo & girum terræ inuentum à Luſitanis, Aſtronomia etiam per nouas Stellas inuentas à Galileo, vias Solis à Copernico, habitationem ſub æquatore ab eiſdem, quæ tamen omnia adeo antiquitus falſa reputabantur, vt Vigilius Epiſcopus Salisbergiæ dum affirmare voluiſſet Antipodes dari, Zacharias Pater ad Bonifacium ſcripſerit, vt ipſum dānaret tanquam hæreticum loquentem contra Auguſtinum lib. de Ciuit. & Lactantium lib. 4. c. 24. & alios, & de facto damnatus fuerit in Synodo Nationali, vt refert Auenanus lib. 3. hiſt. Bauaricæ, & inde Campanella, & Senertus, & tamen inquiunt iſti, iſta nouitas ſcil. antipodes dari ab inuentione Columbi & aliorum communiter in Eccleſia conceditur: Quo ad ſecundam partem idem antec. probatur quia etiam Hieronymus ipſe contra interpratat. 72. interpretum nouam inuexit ſcripturæ lectionem, licet reclamantibus non ſolum Auguſt. Epiſ. 8. & Ruffino inuectiua in Hieronymum, ſed omnibus ferè Epiſcopis Aſiaticis Aphricanis atque Europeis, & Dominicus, Franc. & alij in Eccleſia noua introduxere inſtituta, & D. Thom. nouas contra Priſcos opiniones inuenit, vt obijcit etiam Luterus apud Caterinum lib. 1. Apologię dolo 8. &c.

Sexto quia ex Patribus ipſis contra Paganos, & Hæreticos multoties habetur non eſſe abhorrendā nouitatem, ergo pariter nouitas Philoſophiæ eſt admittenda in Eccleſia, antec. probatur ex illo Nazianzeni Epiſ. ad Euagr. *nonnulli homines infirma planeque rancida, & obſoleta dogmata conſtruxerunt.* & ex illo Tertulliani lib. de Anima cap. 28. *Neque veritas deſiderat vetuſtatem, teneo planè falſum antiquitate generoſum,* quod tradit etiam Horatius lib. 2. epiſt. 2. ad Auguſtum, & Clemens Alexandrinus adhortatione ad gentes dicens: *Eſt autem error vetus, rerum noua apparet veritas.* Immo plures Sancti Patres in primitiua Eccleſia ſentientes ab Hæreticis atque Paganis ſibimet obijci, quod noua ſequerentur ac traderent, Reſpondebant nouitatem non obſtare veritati doctrinæ, vt patet ex Arnobio lib. 1. contra gentes, Baſilio Magno Epiſt. 79. ad Euſtracium, & lib. de Spiritu Sancto, Lactantio lib. 2. diuinarum inſtitutionum c. 7. & 8. Tertulliano in Apologetico c. 4, Prudentio lib. 2. contra Symachum, Bernardo Epiſt. ad Fratres de Monte Dei, Sidonio lib. 8. epiſt. 7. & referente Valdenſi lib. doctrinalis fidei tit. 9. cap. 89. *Paulus ipſe ab Epicureis & Stoicis Philoſophis nunciator nouorum Dæmonum dicebatur eſſe*, & ad hoc reducitur Athanaſius, qui poſt Dialogum 2. contra Manichæos in Epiſ. præliminari ſub titulo aduerſus eos &c. repræhendit

hendit illos qui ſuas doctrinas probant *ex multitudine auctorum quaſi altera Turris Babilonicæ ſtructione &c.*

Septimo quia licet multa fuerit Priſcorum doctrina non eſt tamen excludenda induſtria recentium, ſed aſſerere quod non licet nouam cudere Philoſophiam contra Priſcos eſt excludere induſtriam recentium, ergo non eſt dicendum quod non liceat nouam cudere Philoſophiam. Maior traditur & probatur per exempla à Seneca epiſ. *67*. & *79*. Cicerone lib. 3. de Oratore & in principio, Hipocrate Epiſ. ad Democritum, Claudio Imperatore apud Tacitum lib. 11. cap. 8. Gregorio Romano lib. 2. in Ezechielem hom. 16. Bernardo epiſt. 77. Paſchaſio Prolog. in Euangelium Matth. Celenſi epiſt. ante tractatum de Panibus, S. Tho. opuſ. 72. Hieronymo prolog. ad Epheſios, Ruberto prolog. in Apocalipſim, Griſoſtomo hom. 3. de ferendis repræhenſionibus & conuerſione D. Pauli, & demum probat Campanella quia aliter eſſet velle extinguere lumen chriſtianæ intelligentiæ & vti ſola lucerna fumigante Gentilium & tribuere minus iſtis quam illis. Minor vero probatur tum quia, vt inquit Philo lib. 1. de vita Moyſis, *præclara ingenia multa innouant circa ſcientias*; ſicut etiam lib. de Agricultura dixerat, *argumento eſt Ioſeph circa nouas opiniones ſemper occupatus*. Tum quia velle recentes ſemper vetera ſequi, nec noua cudere eſt facere recentes *naturæ laſſæ & effetæ*, vt loquitur Plinius lib. 6. Epiſt. *Vulgares & Collectitios*, vt loquitur Philo lib. 2. Allegoriarum *gregarios ritu pecudum*, vt loquitur Seneca de Vita beata cap. 2. & repetit Lactantius lib. 2. cap. 7. *Semper interpretes de alieno commentario*, vt inquit idem Seneca epiſt. 33. *Sapientiæ humanæ ſutores*, vt loquitur Maximus homil. de Dom. in Palmis *veritatis latrocinium nūdinantes*, vt ait Griſologus ſerm. 81. *Doctores Stabularios*, vt ſcribit Zeno ſer. de Iacob.

In oppoſitum tamen eſt, quia obiectiones emendicatæ ab hæreticis metuendæ non ſunt, vtpote procedentes ab origine infecta falſitatis, ſed tales ſunt recitatæ obiectiones, ſiuè deſtruentes Ariſtotelē, ſiuè deffendentes hanc nouitatem, ergo præcitatę obiectiones metuendæ non ſunt, nec conſequentur à propoſito recedendum. Min. quo ad primam partem probatur quia pariter Lutherus lib. contra Latomum id impropetat S. Thomæ dicens: *Auctor eſt regnantis Ariſtotelis*, & refert plura loca Lutheri noſter Caterinus lib. 1. Apologiæ dolo. 8. vt refert etiam Pallauicinus lib. 1. cap. 4. hunc fuiſſe Lutheri finem, *euertere prius Ariſtotelis Philoſophiam*, immo ante Lutherum ſimiles fuerant contra Catholicos obiectiones Iuliani Apoſtatæ, & inde Machiauelli Atheiſtarū officinæ, vt Campanella ipſe teſtatur ar. 1. n. 7. Quo ad ſecundam partem patet legenti Stapletonium controu. 3. lib *9*. c. *9*. cæteroſque Scriptores ſimilia argumenta ſoluentes, quibus hæretici nouas doctrinas inuehere atq; defendere rationabiliter ſe poſſe contendunt. Vnde etiam anno 1521 a facultate ſeu vniuerſitate Pariſienſi hæc propoſitio Lutheri damnata eſt (Philoſophia Ariſtotelis talis eſt, quæ neque in populo doceri poſſit, nec ad ſcripturæ intelligentiam vtilis, quia continet dumtaxat potentia verborum nonniſi ad contentiones verborum conficta) vt refert

Lau-

Launoi de varia Fortuna Ariſtotelis in fine.

Reſpondeo ex plurimorum ſententia, neque expedire neque licere euertere Ariſtotelis Philoſophiam tanquam modo ab erroribus expurgatam, atque in Eccleſia receptam. Ita tradit & probat Caterinus loco citato, & inde Cano lib. 10. c. 4. his verbis. *Quanta arrogantia erit, quanta temeritas non cum Platone dicam Ariſtotile &c. cæteriſque huius chori Philoſophis vnum, idemque concinentibus diſſentire, quorum ſcripta & magna cura ſtudioque elaborata & poſterorum non examinatione tantummodo expenſa, verum etiam conſenſione probata ſunt, ſed contra ſui temporis doctos homines dicere, & ſingularia placita communibus anteponere;* ſic Thomas Hurtado diſp. 2. de anima ſenſitiua contra 4. memb. 4. *Si enim*, inquit, *ingenia intra cancellos alicuius ſcholæ violenter adhuc non contineantur in mille baratra miſerabiliter decident, & tot erunt in Eccleſia ſectæ opinantium quot apud Philoſophos antiquitus extiterunt.* Sic & Ouiedo, etiam ſi alias aliqualiter iugum excutiens, & ipſe tamẽ Controu. 4. de Anima punc. 6. num. 1. hoc fatebatur; *Trahor*, inquit, *conuictus prudenti quadam Religione in modo philoſophandi &c. quia ſi ſimilis Religio Philoſophiæ terminos non ſtabiliat nulli delirio non patebunt, quod irridere quiſque poterit, & forſan nemo efficaciter impugnare.* ſic alter Petrus Hurtado diſp. 15. Phyſicæ ſex. 5. §. 10. *opiniones* ſcil. inquit *iacentes iam ab inferis excitarunt duo aut tres è recentioribus Philoſophis, vtinam tam Studioſi veritatis, quam nouitatis; eſt enim quoddam nouitatis genus annoſas opiniones ac ſepultas puluere in lucem reuocare & à recta Theologorum & Philoſophorum pedibus trita via deflectere.* Sic idem repetit Penniafiel diſp. 7. Phyſicæ q. vlt. ferè per totam, & Iulius Clemens Scotus in ſua Pedia diſer. 2. & 8. & Pallauicinus in lib. vindit. cap. 24. relatus ab eodem Scoto, & vno verbo plerique e doctiſſima Societate Scriptores, vt ommittam mox ſubiungendos alios ex Carpentario digreſ. 1. in Alcinoum de Doctr. Platonis. Poteſt autem ſic 1. probari. Quia in Concil. Lateran. ſub Leone X. ſeſſ. 8. diſtrictè mandatur publicis Philoſophiæ Lectoribus *Omni ſtudio huiuſmodi Philoſophorum argumenta*, cuiuſmodi erant in Philoſophia Pomponacij nouitates, *cum omnia ſolubilia exiſtant pro viribus excludere atque reſoluere*, ergo è contra in Philoſophia etiam velle nouitates inuehere neque expedit neque licet: Et hoc eſſe videtur, quod à ſimili idem Concil. Later. ſeſſ. 11. iuſſit doctrinam eccleſiaſticam tradi *Iuxta interpratationem & ampliationem Doctorum, quos Eccleſia, vel vſus diuturnus approbauit*; præſertim ſi illa diſiunctiua *Eccleſia, vel vſus* à candido Lectore notetur. Confirmatur primo quia vſque ad tempora D. Aug. iam diù ſepultæ fuerant & obſoletæ omnes ille Philoſophiæ, quas denuo recentiores exſuſcitant, vt Democritica & huiuſmodi, quæ præſertim hiſce temporibus radices agit, ergo ſicuti tunc inſolens extitiſſet eas denuo à ſepulcro reuocare, ita à fortiori noſtris hiſce temporibus reputandum eſt. antec. prob. ex ipſo Aug. lib. 3. contra Accadem. cap. 10. dicente: *Nunc Philoſophos non videmus niſi Cinicos aut Peripateticos aut Platonicos.* immò & de iſtis mox infra concludit: *Multis quidem ſæculis, multiſque contentionibus, ſed tamen eliquata eſt, vt opinor, vna veriſſime Philoſophiæ diſcipli-*

na.

na. Confirmatur ſecundo quia ad hoc exſtant omnium ferè Religionum decreta iubentia ſequi Ariſtotelis Philoſophiam, vt ne dum adeſt in noſtra Dominicana ordinatio, vt dici ſolet, capituli generalis Bononiæ 1615. & Salmanticæ 1551. apud Fontanam verbo Lectores; verum etiam vt refert prædictus Clemens Iulius Scotus diſer. 8. in lib. ſtudiorum doctiſs. Societatis Ieſu p. 4. cap. 14. §. 3. hoc idem præcipitur his verbis eiſdem: *In Logica & Philoſophia naturali, & morali, & metaphyſica doctrina Ariſtotelis ſequenda eſt.* vt inde de cæteris Eccleſiæ Religionibus vnicuique proſequi planum eſt. Confirmatur tertio nam hinc ne dum noſtris hiſce temporibus, vti & Carteſius refert contra ſe in Epiſ. ad Patrem Dinet, integra quædam Galliarum Accademia proſcripſit ſimiles nouitates in Philoſophia Carteſi & Gaſſendi dicens: (*Se reicere nouam iſtam Philoſophiam primo quia veteri Philoſophiæ quam Accademiæ toto orbe terrarum hactenus optimo conſilio docuere, aduerſatur eiuſdemque fundamenta ſubuertit, deinde quia iuuentutem à veteri & ſana Philoſophia auertit, impeditque quo minus ad culmen eruditionis proueбatur, eo quod iſtius præſumptæ Philoſophiæ adminiculo tecnologemata in auctorum Libris, profeſſorum lectionibus, & diſputationibus vſitata percipere nequit; poſtremo quod ex eadem variæ falſæ, & abſurdæ opiniones partim conſequuntur, partim ab improuida iuuentute deduci poſſint, pugnantes cum cæteris diſciplinis, & facultatibus atq; in primis cum orthodoxa Theologia.*) Verum etiam quod longe magis faciendum eſt, olim antea elapſo ſæculo in Gallijs pariter Pariſienſis Accademia ſimile omnino decretum edidit in Petrum Ramum exſcriptum à Iacobo Carpentario in comparatione Ariſtotelis cum Platone digreſs. 1. apud me pag. 89. his verbis: *Guillielmo Montuelio Rectore; neſcio quo genio malo irrumpente in Accademiam ingens facta eſt ſtudiorum omnium de repente perturbatio, edito recens libello, cuius titulus erat: Animaduerſiones Ariſtotelis, compoſito ad extinguendam in totum doctrinam vnius Ariſtotelis omnium Philoſophorum facile Principis. Cui ſanè morbo non leuiter graſſanti, & mentibus Puerorum ad quiduis, quod nouum ſit, & in auditum facile ſequacium paulatim ſe ſe inſinuanti mature, & conſulto occurſum eſt decreto iudicum, qui prudenter lib. illum ſtatim ſuppreſſerunt, & ne diuenderetur publicè inhibuerunt.* Inde acceſſiſſe eiuſdem decreti confirmationem per Chriſtianiſſimum Regem eodem loco ſubiungitur, tranſcripto eodem Regio diplomate, in quo dictus Rami conatus contra Ariſtotilem non ſemel appellatur *temerarius arrogans & impudens.* & eiuſdem libri prohibentur, & inf. pag. 96. aliud Accademiæ Pariſienſis iudicium repetitum affertur, decernens iterum: *Ramum temerè arroganter & impudenter egiſſe, qui receptam apud omnes nationes Logicæ artis rationem, qualis ipſe præſertim non teneret, damnare & improbare voluerit: ea etiam quæ in Ariſtotile reprehendit eiuſmodi eſſe, vt hominis tum ignorantiam & ſtuporem, tum verò improbitatem & malitiam arguant &c. vt Reipub. Litterariæ plurimum noſtra ſententia intereſſe videatur lib. omni ratione ſupprimi, vnaque lib. alterum Dialecticarum inſtitutionum. Dat. Lutetiæ anno 1544. Calendis Maij*: & demum pag. 94. exſcribitur alterum etiam Senatus integri decretum, videl. *Ramo ſuiſque ne poſt hac liceat in Philoſophia docenda*

quid-

quidquam innouare vel ab Ariſtotele recedere. Omitto ibidem ab eodem Carpentario adhoc iterum inſtitutum tranſcripta referri doctiſſimorum tunc temporis ſcriptorum ſimilia vota, Gallorum ſcil. Italorum ac Germanorũ; inter quos licet innumeros attamen eminent Vico Mercatus, Turnebus, Scaliger, Mirandulanus alijque ſimiles nunc litterarum Heroes; ex quorum duntaxat eloquentiſſimis ratiocinijs de verbo ad verbum eodem loco legendis poteramus veluti centonem quendam hanc noſtram pro Ariſtotele contexere Apologiam aduerſus Neotericos iſtos nouatores eiuſdem Rami meo videri ſequaces, in quos vti in Ramum metuenda ſimul ac veneranda tot virorum nomina detonant, fulminant argumenta; ſed id non patitur aut penuria temporis, aut ad vlteriora progrediendi decretum. Hinc ſolũ hæc poteſt vltima Confirmatio concludi, quia vt docet Cano lib. 8. cap. 4. concl. 2. etiam in rebus Philoſophicis ſe opponere communi ſcholaſticorum conſenſui temeritate non vacat, ſed iam communis ſcholaſticorum conſenſus apparet in acceptanda Philoſophia Ariſtotelis, vnde antonomaſtice etiam Philoſophus appellari ſolet, ergo ſaltem non licere videtur ſe opponere huic communi conſenſui Philoſophiam euertendo Ariſt.

Secundo eadem noſtra reſolutio probatur quia etiam in decernendis rebus fidei præmitti ſolent diſputationes Theologicæ ſæpe aſſumentes aliquã præmiſſam ex Ariſt. Philoſophia depromptam, ergo ſi Ariſt. Philoſophia euertatur, iam plane diſponitur ad euertendam certitudinem in prædictis eiſdem diſputationibus præambulariter præmiſſis ad fidem, ſed hoc eſt abſurdum, ergo pariter & id ex quo ſequitur; antec. patet non ſolum ex horum temporum more, ſed etiam ex antiqua conſuetudine Eccleſiæ vt de Nicæna Synodo refert Ruffinus, immo etiam actorum 15. dicitur: facta eſt magna conquiſitio &c. & poteſt videri in dialog. Epiph, hæreſ. 66. Athanaſ. in diſp. cum Ario, & demum probari poteſt, quia hac de cauſa Philoſophia vocatur Catechiſmus vel Pedagogus ad fidem, vt ſup. ex Cirillo atque Clemente retulimus, vnde etiam Innoc. 3. cap. *cum Marthæ* de celeb. Miſſarum, decernere volens, an in calice mixtio fiat, vt tutiorem elegit ſententiam peripateticam de mixtione &c. Confirmatur primo, quia multoties mens Conciliorum inquiritur ex ipſis verbis terminiſque decreti, ſed ſi euertatur Ariſt. Philoſophia, & conſequenter termini philoſophici, atque ſcholaſtici confundantur, iam non poterit ex verbis eiuſdem decreti mens Concilij orum inquiri, ergo abſurdum eſt euertere Ariſt. Philoſophiam, & conſequenter terminos confundere Scholaſticorum; cuius abſurdi ſignũ euidentiſſimum magis adhuc infra clareſcet ex abſurdiſſimis placitis, quæ minus conformia fidei principijs à Nouatoribus introducuntur, & ſubterfugijs audacibus, quæ ad Concil. etiam diffinitiones adhiberi ſolent, vt infra paſſim in ſucceſſu librorum referimus ac refutamus. Confirmatur ſecundo quia id neque expedit neque licet, quod præparat animum ad contemnendos etiam antiquos Patres Eccleſiæ, ſed euertere Ariſt. Philoſophiam iam à pleriſque receptam ita ſe habet, ergo neque expedit neque licet. Minor colligitur ex Griſoſt. hom. 42. in Matth. dicente: *Cum audieris aliquem beatificantem*

tiſi antẽ antiquos Doct. proba qualis eſt circa ſuos. Si. n. illos cũ quib. viuit ſuſtinet & honorat, ſine dubio illos ſi cũ illis vixiſſet honoraſſet. Si autem ſuos contemnit, ſi cum illis vixiſſet, illos contempſiſſet. Sed clarius facit illud, quod refert D. Doroт. ſer. 7. ſcribens. *Frater quidam fuit; qui cum aliquando quidpiam boni prædicaret quiſquam ſtatim reſpuebat eum dicens; quis eſt iſte? non eſt qui momenti ſit alicuius, niſi Zoſimas & qui eum eo ſunt. Poſt cæpit & hunc contemnere, ac nihili pendere dicens; nemo eſt qui quidpiam valeat præter D. Macarium. Et non multo poſt ait, quid eſt Macarius? nullus quidpiam eſt præter Baſilium, & Gregorium. Et paulo poſt cæpit, & hos teruncy facere dicens. Quid eſt Baſilius? quid Gregorius? nemo quidpiam valet niſi Petrus & Paulus. Cui ego dixi, Frater, & hos etiam contemnes. Credite mihi non mentior; non multo poſt dicere cæpit: Quid eſt Petrus? quid eſt Paulus? nemo alicuius momenti, niſi ſancta Trinitas. Poſtmodum vero, & contra Deum ipſum ſuperbire cæpit, & inſoleſcere.* hæc ille. Tertio probatur, quia id neque licet, neque expedit, quod euertit communem profectum Chriſtianorum Iuuenum in ſtudendo, ſed ita ſe habet euertere totam Ariſt. Philoſophiam, ergo id non expedit, neq; licet: Minor colligitur ex diſcurſu Atthanaſij in Epiſt. ad Epiſcopos Affricanos, ita ſcribente. *quomodo ſcil. præceptores veraces apud ſuos diſcipulos habebuntur, quibus perſuadent præceptoribus non credendum?* Confirmatur primo quia id non expedit, neque licet quod exponit aliquem periculo incidendi in hæreſes, ſed ita ſe habet nouam cudere Philoſophiam, ergo id non expedit, neque licet. Min. probatur ab exemplis præcipuè de Paulo Samoſateno, qui referente Euſebio lib. 7. cap. 26. *ideo in hæreſim cecidit, quia in congregationibus Eccleſiaſticis volebat à viris & mulieribus ſibi noua dicenti applaudi, & acclamari; antiquis autem Patribus ſcriptoribus, & defunctis inſultari.* Quod obſeruauit etiam de Origene Vincentius Lirenenſis cap. 23. de Taciano hæretico idem Euſebius lib. 5. cap. 19. de Euticbete & Dioſcoro Synodus ſeptima act. 2. de Abailardo Bernardus epiſt. 189. De Eunomio Baſilius lib. 5. aduerſus eundem. De Neſtorio & Ario Theodoretus, Samozenus, & Caſſiodorus, de Vuiclef Valdenſis lib. 1. cap. 3. & demum de Paracelſo hæretico ipſe Senertus lib. de Conſenſu cap. 4. referens hæreſes eiuſdem ex nouitate Philoſophiæ ſubortas. Confirmatur ſecundo quia hinc quidam ſimiles auctores vocantur, *coercenda ingenia petulantia* à Trident. ſeſſ. 4. & ſeſſ. 13. cap. 1. *contentioſi, & praui homines*, vt dicitur etiam in 24. q. 1. cap. *hæreſis*, & cap. *quidam*, ergo Philoſophia auctorum ſimilium neque expediet, neque licebit.

Quarto probatur ex miſcelaneis auctoritatibus contra nouitatem in preſenti congeſtis. Tertullianus enim aduerſus Praxeam cap. 2. inquit: *id eſſe verum quodcunque primum, id eſſe adulterinum quodcunque poſterius*, & lib. de Baptiſ. contra Quintil. *has nouitates quaſi ex Diabolico luxuriante tronco venefico in Orcheſtra pampinos, tanquam ex teterima radice pullulantẽ ſyluam cædere, excaudicare affra ſecuri duxi opere pratium &c.* & lib. 1. aduerſus Marcionem c. 8. *hæc erat nouitas, quæ etiam Etnicis Deos peperit, quis Deus nouus, niſi falſus?* Aug. ſerm. de Paſſion. *Suſpecta eſt vetuſtati nouitas*, & lib. 3. con-

tra

tra Iulianum cap. 3. *Mira ſunt, quæ dicitis noua ſunt, falſa ſunt; mira ſtupemus noua cauemus, falſa conuincimus*. Paulinus epiſt. 6. *Profanas vocum nouitates deuita, ne circa quæſtiones incipias ægrotare, & periclitari à falſis fratribus*. Vgo Cardinalis in Geneſ. 3. *nouitas multum placet Diabolo*. Bernard. epiſt. 164. *Nouitas Mater temeritatis, ſoror ſuperſtitionis, filia leuitatis*. Greg. Nazianz. in carmine Nicoboli, vbi Cretenſis. *Valeant nouitates partim ex inſcitia, partim ex intoleranda arrogantia natæ*. Cæleſtinus Papa I. Epiſt. 1. cap. 2. *Corripiantur huiuſmodi, non ſit liberum habere pro voluntate ſermonem, deſinat, ſi ita res eſt, inceſſere nouitas vetuſtatem, deſinat Eccleſiarum quietem inquietudo turbare*. Filo Iudæus lib. ſup. reſipicientiam Noe. *Iuuenem in ſacris litteris ſæpe vocari legitur non ætate vigentem, ſed eum qui habet animam temerariam, & nouarum rerum cupidam*. & lib. quod deterior &c. *nouatores iſtos*, ita deſcribit. *Laberintoſi & inexplicabilis dogmatis introductores*. Pontifex Ormiſdas epiſ. ad poſſeſſorem Epiſcopum. *ſolum putantes ſcientiæ rectam viam qualibet conceptam facilitate ſententiam eiuſque tumore elati, vt ad arbitrium ſuum vtriuſque Orbis putent inclinandum eſſe iudicium*. Hieron. lib. 11. ſuper Ezech. *qui cum populo perſuaſerint noua eſſe, quæ fingunt, & in theatralem modum plauſus concitauerint & clamores, immemores imperitiæ ſuæ, & adducto ſupercilio libratis ſermonibus atque trutinatis magiſtrorum ſibi aſſumunt auctoritatem*. Gregor. lib. 5. Moral. c. 18. *communem ſententiam habere refugiunt, ne cæteris æquales æſtimentur, & quædam noua ſemper requirunt, quæ dum alij negant, apud imperitorum mentes ipſi de ſcientia ſingulariter gloriantur*. Bernard. epiſt. 189. *Nonne omnium in ſe prouocat manus, cuius manus contra omnes*, vt dicitur Geneſi 19? *Omnes*, inquit, *ſic ſed non ego ſic. Quid ergo tu? quid melius affers? quid ſubtilius inuenis?* Gelaſius Papa epiſt. ad Honoratum: *Nunquid aut ſapientiores illis ſumus, aut poterimus firma ſtabilitate conſtare, ſi illa, quæ ab illis conſtituta ſunt; ſubruamus?* Damianus ſer. 6. *victorioſa antiquitas*. vt dixerat etiam Tertullianus lib. 3. aduerſus Marcionem cap. 3. Nazianz. Orat. de Pace: *vſitata ne ſpernas, nouitatem non aucuperis, vt nominis ſplendorem tibi apud vulgũ concilies*. Cirillus Alexandrinus lib. 1. de Triuit. *in nouas opiniones deſcendentes morbo curatu difficillimo correpti ſunt*. Ciprianus lib. contra Iulianum; *vana, profanaque nouitas*. vnde vt refert etiam Nicefórus lib. 8. cap. 42. dum quidam legens Ioannem, ſcil. tolle grabatum &c. legerat, tolle lectum, ne diceret grabatum, ſtatim Spiridion Epiſcopus ex nouitate offenſus inquit. *Non es præſtantior eo, qui dixit grabatum, dic grabatum*. Chriſtus ipſe Matth. 5. aiebat, *non veni ſoluere, ſed adimplere ſcil. legem, & prophetas*, vbi Brixianus aptiſſimè inquit: *Vide quam ſit metuenda ſuſpicio nouitatum, daturus celſiores leges, quæ nouæ viderentur, docet eas non aduerſari legi eorum*. Quapropter Origenes trac. 23. in Matth. ex nouitate dignoſci hæreſes tradit, vt facit etiam Atthanaſius catechiſ. 17. & Aug. trac. 99. in Ioa. Inde ex prophanis antiquis Plutarcus in vita Periclis inquit: *proſcriptos fuiſſe. qui nouos ſermones inducerent*. & alibi refert Ephorum cum vidiſſet quemdam Frinidem nouem cordas in ſua cithara poſuiſſe, eundem repræhendiſſe his verbis: *Noli deprauare Muſicam priſci cantores*

non nouerant niſi ſeptem cordas, quibus aliquid addere, aut Muſicam pro ſimplici reddere operoſiorem erit artis corruptela. Caſſiodorus lib. inſtitut. cap. 7. *Sunt nonnulli, qui putant eſſe laudabile ſi quid contra Antiquos ſapiant, & aliquid noui, vt periti videantur, inueniant*. Socrates quoque ſcribens ad Regẽ Nicoclem, *nouitatem ſemper abhorruerunt ſapientes*. Euſebius Philoſophus apud Stobeum ſerm. 4. *Homines multa potius ſcire, quam vera dicere ſtudio tenentur, proinde multi, dum contrarias veteribus opiniones tradunt, veri cognitionem de rebus maximè neceſſarijs efficiunt dubiam*. ſed prophanos ſimul & ſacros claudat tandem Paulus ipſe 1. ad Tim. 6. *O Timothee depoſitum cuſtodi, deuitans profanas vocum nouitates, & opiniones falſi nominis ſcientiæ*. quæ verba ad propoſitum Lirenenſis exponens inquit, *depoſitum cuſtodi. quid eſt depoſitum? id eſt quod tibi creditum eſt non quod à te inuentum, quod recepiſti, non quod excogitaſti: rem non ingenij, ſed doctrinæ non vſurpationis priuatæ, ſed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non à te prolatam, in qua non auctor debes eſſe ſed cuſtos; non institutor ſed ſectator non ducens ſed ſequens &c.* quæ verba etiam in Philone lib. de migratione Abrahæ repetita reperies. Si dicas hæc omnia intelligi de nouitate quo ad res fidei, & non quo ad Philoſophiam tantum, deciperis, ſi ita credis, vniuerſaliter enim dictæ auctoritates loquuntur vt legenti patebit, & vltro etiam ſi principaliter de fide ſentirent, hinc tamen de Philoſophia quoque ſubſentiunt, cum Philoſophia ſit *catechiſmus* ex dictis & Pedagogus ad fidem, & ideo optimè dicit Gregor. Nazianz. *alijs ſcelerum fines punientibus nos principia ipſa plectimus, & velut quoddam quod vix reprimi, ac ſiſti queat profluuium multo ante detinemus. Minoris enim laboris eſt ſubdit* idem Nazianz. orat. in Baſil. *in ipſis principijs improbitati non cedere, aut accedentem fugere, quam progredientem, altiusque graſſantem excidere ac profligare non ſecus ac petram initio firmare, & retinere, quam ruentem ſurſum retrahere*.

Ad primum ergo neg. antecedens, quia vtique eſſet vel æquiparare, vel anteponere Philoſophiam ſcripturæ, ſi requireretur vel certitudo fidei in philoſophicis, vel euidentia philoſophica in rebus fidei, ſicut notauit Bartolus in homine litterarum, & ſicut hæretici ibi citati fecere notante Cano lib. 9. per totum, ſed non ſic Chriſtiani Philoſophi, qui licet in explicandis myſterijs fidei aliquam ratiocinationem admittant, non præſumunt tamen cum Lullo eadem demonſtrare myſteria, & licet ex diſcurſu maiorem probabilitatem, moralemque certitudinem Philoſophiæ peripateticæ tribuāt, denegant tamen eidem certitudinem metaphyſicam vel ſimplici fide credendam, eo proportionali modo quo (inquit Cano lib. 8. cap. 3.) in Concilio Vienenſi opinio illa ſcholaſtica, de habitibus virtutum infuſis, vt probabilior reputata eſt, non tamen vt certa de fide; & pariter Innocentius 3. cap. *cum Marthæ* de celebrat. Miſſarum, vt probabiliorem elegit peripateticam de mixtione ſententiam; proportionaliter, licet non eodem modo, hic aſſeritur vt probabilior vtique peripatetica Philoſophia iam expurgata ab erroribus propter diuturnum vſum, atque acceptationem Eccleſiæ non pure generalem, qua quilibet liber in impræſſione permittitur, tanquā

non

Digitized by Google

non contrà fidem vel mores, ſed etiam aliquo modo ſpeciali, dum in Lateran. Concil. demptis erroribus permiſſa eſt, vt per quinquenium Chriſtianis adoleſcentibus publicè à Doctoribus legeretur, & inde ad Theologicas ſcientias gradatim Philoſophi ſic manuducti conſcenderent.

Ad ſecundum neg. min. quo ad vtramque partem. Quo ad primam partem, tum quia Iuſtinus impugnauit Ariſtotilem non expurgatum, vt modo eſt, tum quia inſcriptio libri in Perionio ſic habet *Repræhenſio, ſeu infirmatio decretorum Ariſtotelis*. Vnde non intendit euertere, ſed expurgare Ariſt. Philoſophiam; tum quia idem Commentator Perionius in proœmio miratur adhuc in iſto particularem & vnicum extitiſſe Iuſtinum, tum quia Iuſtinus ſimilia ſcripſit non ſolum in Ariſt. ſed etiam in alios Etnicorum Philoſophos, ex quo opera Creſcentis Philoſophi Cinici extinctum remanſiſſe refert Euſebius lib. 4. Eccleſiaſt. hiſt. cap. 16. Quando vero illa verba citantur, *nil de his rebus verè dicit quas explicandas ſuſcipit*. facilis, & planus ſenſus eſt, non quod reſolutiones omnes Ariſt. falſæ ſint, ſed quod plerumque Ariſt. adæquarè non videtur præſtare id, quod in principio tractare proponit propter affectatam obſcuritatem eiuſdem, vt ex ipſius epiſt. ad Alexandrum Fonſeca notabat, & dato quod alicui vnquam cum Perionio videretur in hoc exceſſiſſe Iuſtinus, adhuc afferêti hûc in exêplû reſponderi poteſt, quod ſcripſit Lyrenenſis apud Cano lib. 7. c. 3. *Captant iſti plerumque veteris cuiuſpiam viri ſcripta paulo inuolutius edita, quæ pro ipſa obſcuritate dogmati ſuo congruant, vt illud, quod proferunt, nec primi nec ſoli ſentire videātur.* & infra: *Sancti cuiuſque viri memoriam tanquam ſepultos iam cineres profana manu iam ventilant, & quæ ſilentio operire oportebat rediuiua opinione diffamant.* Quo ad ſecundam vero partem Min. optimè reſponſum eſt, ad cuius impugnationem Reſp. quod ſi diſcurſus ille valeret, plures etiam libri ſanctorum hodie caueri deberent, quia ſparſim ſunt quodam errore notati, vt patet ex Concil. Romano ſub Gelaſio Papa I. & notat Turre Cremata in decretum 1. p. diſt. 15. cap. Romana ar. 4. & proſequitur ad propoſitum Anſelmu Cantuarienſis in epiſt. 1. ad Corinth. cap. 3. & latè, ac erudité Cano lib. 7. cap. 3. ipſos errores enarrat ſuppreſſo nomine Patrū; ideò vt ſupra referebamus ex Patribus etiam in Philoſophis aliqua ſpineta cauenda remanent, licet capiendi ſint flores, præmonendique Iuuenes, vt incumbant Philoſopho tanquam ſubiecto Eccleſiæ dumtaxat, & expurgato ab eadem vti Concil. Lateranenſe dicebat.

Ad tertium prædiſtinguendum eſt, quod ſicuti aliud eſt maiori honore proſequi imaginem depictam à Luca, quam depictam à Titiano, vel Guido, aliud eſt æſtimare magis excellentem ex arte illam, quam iſtam, ita in præſenti aliud eſt nos debere magis reuerenter ac piè interpretari, ac ſuſcipere philoſophica etiam dicta Sāctorum, quam Philoſophorum, & aliud eſt nos debere æſtimare illa vt magis vera in Philoſophia, quam iſta. Primum vtique verum eſt, & contra primum agentes meritò reprahendebantur a Bembo: ſecundum verò falſum eſt, quia vt prudentiſſime inquit D. Thom. in 2. diſt. 19. q. 1. ar. 2. ad 1. *Sancti hæc tradiderunt, non quaſi aſſe-*

rentes,

rentes, ſed ſicut vtentes his, quæ in Philoſophia didicerunt, vnde non ſunt maioris auctoritatis, quam dicta Philoſophorum, quos ſequuntur, niſi in hoc, quod ſunt ab omni infidelitatis ſuſpitione ſeparati. & de eodem poteſt videri Cano lib. 2. cap. 3. concluſ. 1. vbi erudite demonſtrat mirum non eſſe aliquos ſanctos Patres non ita philoſophica caluiſſe ac Philoſophos.

Ad quartum admiſſo antecedenti diſtin. conſequens primum *ex ſacris* ſcil. in genere cauſæ efficientis veluti quaſdam veritates ſaltem virtualiter, vel mediatè reuelatas neg. in genere cauſæ finalis, veluti aliquas veritates naturales diſponentes magis conformiter ad ſacra conce. & ad min. ſubſumptam primo modo, vt intelligit Aug. conce. ſecundo modo vt nos intelligimus neg. Nam hoc ſecundo modo vocantur Ancillæ ad Arcem ſcil. Philoſophicę diſciplinæ ad fidei examen, vt diſcernamus an magis vel minus conformiter ducant ad ipſam tanquam aptæ miniſtræ, vt ex allata Patrum auctoritate iam conſtat, & olim feciſſe Ciprianum aduerſus Demetrianum notat Hieron. epiſt. 84. Adde Auguſt. ibidem non de ſolidis Philoſophiæ dogmatibus iam diuturna conſenſione probatis, ſed de leuiſſimis quibuſdem temerarijs in Philoſophia figmentis intelligi, vt verba ipſa in argumẽto præcitata demonſtrant.

Ad quintum, quod tangitur etiam à Luthero apud Catherinum lib. 9. Apologiæ dolo 8. Reſp. neg. antec. quo ad vtranque partem, & quo ad primam quidem, ſcil. nouitatem in naturalibus ſcientijs, eſt hic æquiuocatio tollenda, quod aliud eſt loqui de Philoſophia vt formaliter ſcientia eſt, & aliud de eadem prout veluti humana hiſtoria videtur, vt etiam Ariſtoteles *hiſtoriā de Anima* in 1. lib. appellabat. primo modo ex neceſſarijs perpetuis iuxta regulam primi poſter. procedit, ac proinde inuariabilis eſt; ſecundo vero modo ex ſingularium experientia vel aliorum auctoritate progreditur, & hoc ſecundo modo (vti pro Ariſt. de non ita percepto Cœlorum numero reſpondebat S. Thomas 12. Methaphyſ. lec. 9.) ſe habent plures partes Coſmographiæ & Aſtronomiæ & huiuſmodi, licet etiam ſuo modo diſcurſu philoſophico conſtent, ſicque aliquo modo dicantur & artes: & hoc ſecundo modo mirum non eſt ſi ſucceſſu temporum & experimentorum innouatæ fuerunt, primo vero modo id non poteſt admitti, licet adhuc diſpar exiſtat ratio, eo quia earum doctrina non ita proximè manuducit ad fidem, ſicut aliæ ſcientiæ philoſophicæ ducunt. quo ad ſecundam vero partem ſcil. *nouitatem in ſacris* diſtinguenda eſt duplex nouitas altera quo ad modum, ſeu accidentalis nominetur; altera quo ad rem, ſeu ſubſtantialis dicatur, illa vetera nouè pertractat, iſta etiam noua confingit: Primam acceptauit Eccleſia circa nouam lectionem Hieronymi inſtituta Sanctorum ac D. Thomæ non aſſertiones nouas ſed probationes; nunquam vero ſecundā admiſit; vnde Hieron. epiſt. ad Aug. aiebat: *Non ita cudimus noua, vt deſtruamus vetera, ſed vt ſtatuamus*. & hæc allegoricè fuit mutatio aquæ in vinum, vt S. Gaudentius Brixienſis Epiſcopus tract. 8. exponebat: *Vetera tranſierunt, ecce facta ſunt omnia noua, ſic tamen facta ſunt omnia noua, vt origo maneret ex veteri; cum non ex nihilo vinum, ſed ex antiquo aqua gignitur elemento*

mento

mento. & hinc Cano lib. 7. cap. 4. *Ad profectum*, inquit, *pertinet, vt inſemetipſa vnaquęque res amplificetur, ad permutationem vero vt aliquid ex alijs in aliud transferatur*. vt dixerat etiam prius Lyrenenſis. & nos in præſenti refellimus nouitatem primam tantummodo, qua vetera intentantur euelli, nouaque dogmata ad ſpeciem veluti componuntur, vt pari modo reſpondet nouiſſimè noſter Xantes Mariales in primam partem controu. prolegom. cap. 3.

Ad ſextum pariter duplex eſt diſtinguenda vetuſtas nouitati contraria, altera ex ſolo temporum ſpatio vel etiam ex ſola auctorum multitudine, immò & aliquando inferioris ſubſellij, altera eſt cum temporum ſpatio proborum multitudine, & demum roborata ratione, vt colligitur etiam ex libro Sapientiæ cap. 4. vbi prædicta innuitur diſtinctio dum dicitur? *Senectus enim venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata*, vt explicat Bernardus epiſt. 253. & Moyſes Abbas apud Caſſianum collat. 2. de diſcret. cap. 13. & de prima intelligitur illud ex iure ciuili lege 2. §. ſed neque, codice de vete. iure enucleando ſcil. *Neque ex multitudine auctorum, quod melius & æquius eſt iudicare, & cum poſſit vnius forſitan, & deterioris ſententia multos maiores in aliqua parte ſuperare*, & de eadem intelligitur Tertullianus lib. de velandis Virginibus dicens: *Veritati nemo præſcribere poteſt, non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non priuilegia Regionum*. & de prima demum intelliguntur præter omnes Sanctos Patres in hoc 6. arg. citatos etiam Nazianz. in Apologetico p. p. Griſoſtomus hom. 1. in Io. & lib. 2. de Sacerdotio Cæleſtinus epiſ. 3. cap. 3. Ambroſ. lib. de incarn. cap. 4. & alij: de ſecunda autem intelligimus nos & aperte loquitur Nazianz. orat. 10. dicens: *Bonum omne tempore, ac ratione confirmatum vim obtinet*. Pacatus in panegirico: *Vetuſtas amplificatrix veri*. Enodius lib. 9. epiſ. 17. *Non clauda fides opinionis antiquæ*, & vt alios ommittam vel facilè referendos, vel ſupra relatos, de hac ipſa Athanaſius loco citato ab arguente ſtatim ſubiungit ibidem: *Verumenimuero & multitudinem veneror ego, non eam quidem quæ ab inquiſitione refugit, ſed quæ demonſtrationem exhibet, non quæ acerbe pugnat, ſed quæ paterne corrigit, non quæ gaudet nouitatibus, ſed quæ Patriam hæreditatem tuetur*. Igitur ſecundam illam vetuſtatem peripateticę Philoſophię propugnâmus, vt patet ex diuturno tempore, quo in ſcholis cribrata diſcurſibus à probis immò Sanctis Eccleſiæ Doctoribus adhuc acceptata in Eccleſia perdurat: prima autem vetuſtas erat, quam Pagâni atque Gentiles contra Priſcos Eccleſiæ Patres falſo ſe tueri nitebantur, ideo merito refutabatur illa prima vetuſtas, & commendabatur eidem oppoſita nouitas, non verò ſic rectè refelleretur iſta ſecunda vetuſtas, vt eidem nouitas contraria prodiret. Addo iterum nouitatem vlterius adhuc duplicem eſſe poſſe, alteram quæ ſolis inſcijs & vulgo nouitas ſit, altera, quæ etiam ſapientibus dici poſſit, primam vtique permittunt & approbant prædicti Patres, non vero ſecundam vti aperte diſtinguit Philo Iudæus etiam à Gaſſendo exercitat. 2. relatus: *Extat ſane*, inquit, *inter cætera Pithagoreorum*

de-

decreta, & illud egregium, quo mouemur per viam publicam non ingredi, non quidem vt feramur per rupes deuias &c. ſed inducta quadam ſpecie dogmatis, quam nefas ſit alijs præterquam puris attingere, impuros autem cenſemus quotquot vel diſciplinas nunquam guſtarunt, vel eas perperam hauſerunt. & huic tandem alludebat Cicero ad Brutum dicens. *Reprehendent quod inuſitatas vias indagamus, tritas relinquamus. Ego autem & me ſæpe noua dicere videri intelligo, cum peruetera dicam, ſed inaudita pleriſque.*

Ad ſeptimum tandem eſt repetenda diſtinctio nouitatis, quam tradebamus ad quintum, nimirum *aliud eſſe noua dicere, atque contraria veteribus, aliud noué vetera explicare.* & ſi arguens de prima nouitate loquatur dicimus negandam eſſe minorem, quia iſtis præſumentibus ſe acutè dicere noua poteſt repeti, quod Seneca epiſ. 44. dicebat; *Quid dicis? nihil eſt acutius ariſta; quædam inutilia & inefficacia ipſa ſubtilitas facit.* & iſtos eoſdem olim Ariſton ijs comparabat: *Qui cancros comedunt, & propter exiguum alimentum circa cruſtas & teſtas diu occupantur* referente Laertio, & de iſtis loquitur auctor in commentarijs, quæ Anſelmo ab aliquibus tribuuntur. in epiſt. 1. ad Roman. *Euanuerunt, quia vani fuerunt in cogitationibus ſuis, & ratio mentis eorum fumo ſuperbiæ obſcurata eſt dum in ſeipſis gloriarentur.* Si autem de ſecunda nouitate in argumento aſſumatur, tunc concedimus minorem, ſed nos iſtam non refellimus immo approbamus, nam ad iſtam vtique adhortatur Lirinenſis loco citato ſic dicens: *Eadem tantum, quæ didiciſti, doce, vt cum dicas noué non dicas noua.* Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatum; *Quod noué*, inquit, *quidem dicitur, eſt autem antiquiſſimum.* Petrus Damianus ſerm. 60. *Hæc æterna nouitas, & noua antiquitas.* hæc pariter apud Tertullianum lib. aduerſus Marcionē cap. 9. *eſt nouitatis gratioſitas.* ſeu vt dixerat Plinius lib. 1. Epiſtolarum; *Eſt gratia nouitatis.* huc tendit Griſologus ſerm. 82. *ſicut nouitate ſplendent, ita res vetuſtate ſordeſcunt.* huc Griſoſtomus hom. 83. in Matth. ad illud Matthæi 26. *Bibam illud vobiſcum nouum in regno Patris mei, nouum*, inquit, *intelligendum eſt noué ideſt nouo modo.* huc Tertullianus lib. 4. aduerſus Marcionem cap. 20. *Chriſtum & in nouis veterem.* hoc idem, Tertullianus explicat exemplo Serpentis ſpolia renouantis lib. de palio c. 3. hoc exponit exemplo nutritionis ex alimento Macrobius lib. 1. Saturnaliū; hoc idem probat exemplo ætatum diei, ac noctis Theophylus Alexandrinus epiſt. 3. Paſc. hoc exemplo rudis arboris in ſilua detentę & inde ad ſpeciē artefactorum efformatæ per artem explanat Caſſiodorus lib. 11. epiſt. 28. probat etiam ab exemplo Moyſis in Geneſi 16. non nouos fodientis puteos, ſed antiquos diſcooperientis Nazianzenus orat. 26. & proſequitur Robertus proœmio in Apocalip. Vnde optime infert Caſſiodorus hoc monitum lib. 12. epiſtol. 21. *Translator eſto antiquitatis, non conditor.* & late proſequitur Cano lib. 9. c. 4. ſimile diluens argumentum & poſtea Bannes 2. 2. q. 1. ar. 7. prudenter inde concludens: *Non tamen propterea nouij. Doctores pluris ſunt æſtimandi, quam Priſci, ſunt enim velut paruuli ſuper humeros Gigantum poſiti, qui non eſt mirum ſi Gigantum proceritate eleuati altius*

attingant. quod antea, me quidem iudice, dixerat Gregorius Papa lib. 27. Moral. cap. 7. *Nequaquam enim*, inquit, *ſe eiſdem Apoſtolis expoſitores in ſcientia præferunt cum exponendo latius loquuntur: Meminiſſe quippe incunctanter debent per quos eiuſdem ſcientiæ inuentiones acceperunt. Quod ſi adhuc contra dicis* perorat tandem Nazianzenus orat. 33. *Nec parturientem adhuc linguam vlla arte retinere potes; multa quoq; alia ſunt honorifica argumenta, in quæ morbum iſtum* ſcil. innouandi, aut aliena refellendi, *conuertere queas. Pithagoræ Silentium & fabas illas orphicas inſectare. Stoicorum ſupercilium deice: Cinicorum ingluuiem & ſcurilitatem impete: vacuum illud nugarum certè plenum inceſſe &c. de mondo vel mondis Philoſophare, de materia &c.* hucuſque Theologus noſtrum vtique approbans inſtitutum.

QVÆSTIO III.

De cenſura morum in Ariſtotelem alioſque Primores Etnicæ Philoſophiæ.

NOn deſunt autem qui ad reuocandum ab Ariſt. pene integrum Orbem abeuntem poſt ipſum, aut nimis aliorum Priſcorum philoſophantiũ mores extollunt, aut nimis Ariſt. vitam deprimunt ac traducunt: contra quorum vtrumque extremum vtrinque conatum hæc quinque breuiter expendenda ſunt. Primum in communi an in aliquibus Philoſophis etiam Etnicis aliqua opera moralia bona, quædamque virtutes ſaltim in ſtatu imperfecto admitti queant. Secundo an Philoſophi Etnici prædicta bona habere potuerint abſque vlla intrinſecè gratia per Chriſtum. Tertio an abſq; vlla pariter gratia potuerint diligere Deum efficaciter vt auctorem naturæ, ſicut eum naturaliter cognouerunt. Quarto an ſaltem veriſimile ſit quod aliqui putant Platonem vel Socratem & huiuſmodi in gratia ſaluos è vita ceſſiſſe. Quinto demum an peior cæteris Philoſ. Principibus iuſtè, & merito ab aliquibus Ariſt. reputetur.

ARTICVLVS PRIMVS.

An in aliquibus Philoſophis etiam Etnicis aliqua opera moralia bona quædamque virtutes ſaltem in ſtatu imperfecto admitti poſſint.

VIdetur quod non: Michaeli Baio propoſit. 26. & ante ipſum Caluino in antidoto ad Canonem 7. Tridentini ſeſs. 6. Kmegnitio ibidem apud Belarminum lib. 5. cap. 9. quos poſtea noſtris hiſce temporibus exſuſcitauit in propoſito Ianſenius lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ à cap. 1. vſque ad 18 & hæc poſſunt ex eodem argumenta proferri. Primo ex illo Euangel. Matthæi cap. 7. *Neque arbor mala poteſt bonos fructus facere &c.* & poſtmodum *à fructibus eorum cognoſcetis eos*. ſed infideles ſunt arbores malæ, neque vt bonæ agnoſci poſſunt, ergo neque aliquos bonos fructus edere poſſunt;

Vnde Aug. lib. 4. contra Iulian. cap. 3. *Qualis voluntas*, inquit, *nullo chriſtiano dubitante, arbor eſt mala quæ facere non poteſt niſi fructus malos, ideſt, ſola peccata; omne enim quod nō eſt ex fide velis nolis peccatum eſt, & ideo Deus iſtas arbores non poteſt diligere, & ſi tales permanſerint diſponit excidere; quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.*

Si reſpondeas cum Monteſino & Vaſquez ad p. 2. q. 109. ar. 2. diſtinguendo Mai. ſcil. intelligendo pro arbore mala ipſam malam voluntatem actualem, ſeu malam finis intentionem concedo, ipſam animam vel potentiam volitiuam hominis mali nego, vt primo modo explicat arborem malam idem Aug. lib. 1. contra Iulia. cap. 8, & lib. de Gratia Chriſti cap. 20. & 21. Immo & auctoritas retorquetur, quia licet voluntas in Philoſophis Etnicis mala ſit non, tamen mala ſed bona natura eſt, vt à Manichæis ſecernamur, ſed arbor bona poteſt bonos fructus facere, ergo & natura bona in eiſdem aliqua opera bona, vt vrget noſter Martinez ibidem probat. 6.

Contra ſic poteſt replicari ex Ianſenio lib. 3. cap. 20. quia vbi adeſt mala voluntas actualis ſeu mala finis intentio, ac mala cupiditas, ibi in omnibus actibus iſta dominatur, ergo iam omnes actus ex iſta radice mali omnino erunt atque peccata, antec. prob. ex Aug. in Echir. cap. 117. *Regnat*, inquit, *carnalis cupiditas vbi non eſt Dei charitas.* in Epiſt. ad Gala. *Qui non ducuntur ſpiritu ſequitur vt carne ducantur.* lib. 4. contra Iulia. cap. 3. *Hæc enim cupiditas vana ac per hoc praua vincit in eis & frenat alias cupiditates, propter quod dicti ſunt continentes.* lib. de Contin. cap. 12. *Continendo vel erroribus ſeruiunt, vel aliquas minores cupiditates ideo vincunt, vt alias expleant quarum granditate vincuntur.* ex quo lib. 1. de Nuptijs cap. 3. *Non peccata coercentur, ſed alijs peccatis alia peccata vincuntur,* vt repetit etiam lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 16. & de eorundem voluntate concludit Proſper, *mobilitate mens in vulnera vulnere ſurgit.* Si reſpondeas cum Suarez lib. 1. De Gratia cap. 6. & alijs apud eundem diſtin. antec. vt in pluribus, conc. ſemper & vniuerſim neg. vnde fit ſolum raro contingere in illis actum bonum, ad quod poteſt adduci doctr. S. Thomæ q. 6. de Malo articulo vnico in reſp. ad 14. vbi propoſita contra ſe ſimili omnino auctoritate Auguſtini ex lib. 8. Confeſſ. *Quod dum conſuetudini non reſiſtitur fit neceſſitas.* S. Tho. ibidem in hæc verba reſpondet: *dicendum quod conſuetudo facit neceſſitatem non ſimpliciter, ſed in repentinis præcipuè, nam ex deliberatione quantumcunque conſuetus poteſt contra conſuetudinem agere.* Et idem vrget à pari 2. 2. q. 10. ar. 4. quia *ſicut*, inquit, *habens fidem poteſt committere peccatum non referendo ad finem fidei, ita etiam infidelis poteſt aliquem actum bonum facere non referendo ad finem infidelitatis.* quod neceſſario in propoſito admittendum eſt, tum quia aliter melioris conditionis eſſet perpetuò amens dormiens, & ebrius, quam Seneca verbi gratia & huiuſmodi ſedulò incumbens per integram vitam, vt philoſophicè viuat, nempe ille peccata vitaret ſine nouo peccato, iſte non niſi per noua peccata caueret, ſed hoc abſurdum, ergo, tum quia plura opera bona ſunt ſolum de conſilio, non de præcepto, vt dare elemoſinam, virginitatem ſeruare, & huiuſmodi, ergo ſaltem iſta dum fiebant à

Philo-

Philoſopho Etnico non poterant eatenus ſolum bona dici quatenus maiora peccata vitarent, nempe præceptorum tranſgreſſionem.

Sed contra hoc inſurgit Ianſenius cap. 3. probare contendens vniuerſim ad mentem Auguſtini contra Iulianum peccari ſemper ab Etnicis, ex eo ſolo, quod non referant actum ad finem fidei, quam non habent; Tum, quia, inquit Ianſenius, vt refert Aug. lib. 1. de Nuptijs cap. 3. hæc erat germaniſſima ea controuerſia inter ipſos: *Vtrum eo peccare dicendi ſint infideles, quod dono Dei male vtantur, non id referentes ad cultum eius à quo acceperunt.* & tamen affirmatiuè contra Iulianum reſpondit Auguſt. ibidem, & lib. 4. contra eundem Iulianum cap. 3. dicens: *Cum non ad ſuum referuntur auctorem dona Dei, hoc ipſo mali bis vtentes efficiuntur iniuſti.* & infra, *Si non propter quod facere debet, peccare conuincitur.* Tum quia ſic proponebat Iulianus eandem controuerſiam Aug. eodem loco ſic dicens. *Si Gentilis nudum operuerit, nunquid quia non eſt ex fide peccatum eſt?* & tamen directè aſſertiuè reſpondet Auguſt. *Prorſus, inquantum non eſt ex fide, peccatum eſt.* ad quæ duo cætera omnia quæ relato cap. Ianſenius congerit, reduci poſſunt.

Secundo principaliter iterum arguitur ex illo Apoſ. ad Rom. 12. *omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* quem locum Auguſt. paſſim intelligit non de ductu conſcientiæ cum alijs Patribus apud Belarminum, ſed de ipſo actu fidei theologicæ, & ideo de infidelibus inde deducit nullum omnino in ipſis opus bonum reperiri, nullam virtutem, immò omnia opera ipſorum omneſque virtutes vitia eſſe & peccata, vt habet, inquit Ianſenius, Aug. præſertim trac. 86. in Ioa. *Non eſt vt dicas, antequam crederem iam bona operabar ideo electus ſum: quid enim eſt boni operis ante fidem, cum dicat Apoſtolus, omne &c.* & idem repetit contra Pelagium lib. de Geſtis eiuſdem cap. 14. & lib. 3. ad Bonif. cap. 5. lib. 1. de Nuptijs cap. 3. & lib. 4. contra Iulianum cap. 3. Vbi refert & refellit ad hunc locum Apoſtoli Iuliani gloſam, quod nimirum de ſolis cibis loqueretur Apoſtolus, vt ad hoc videtur ex parte recurrere & Belarminus vbi ſupra cap. 10. ad 10. Ad eundem Auguſt. ſenſum, inquit Ianſenius, vſi ſunt hoc Apoſtoli teſtimonio & Fulgentius lib. de Incarnatione cap. 25. & ſerm. 2. de Ieiunio Pentecoſ. & Origenes lib. 10. in epiſt. ad Rom. inde ſic dicens: *Sine fide ſiue locutus fueris, ſiue etiam cogitaueris peccas.* & idem inquit Proſper in epiſt. ad Rufinum, & lib. 3. de vita contemplatiua cap. 1. & lib. contra Collatorem cap. 22. & lib. 1. de Vocatione gentium cap. 7. & in pſalmum 108. etiam de Oratione concludens: *Oratio, quæ non fit per Chriſtum, non ſolum non poteſt delere peccatum, ſed etiam ipſa fit ad peccatum.* & ante Proſperum Hieron. lib. 2. in Epiſ. ad Galatas cap. 3. num. 11. *Sine Chriſti fide*, inquit, *omnis virtus in vitio eſt.* & demum Concil. Arauxicanum can. 17. ex Auguſt. lib. 1. operis imperfecti decernit: *Fortitudinem Gentilium humana cupiditas, fortitudinem Chriſtianorum Dei charitas facit &c.*

Si reſpondeas cum Suarez diſtin. aſſumpta ſingula teſtimonia, ideſt opera vel virtutes infidelium ſine fide ſunt *peccata* lato modo, quatenus imperfecta ſunt & deficiunt à merito conſequendi vitam æternam conc. ſunt

F 2 pec-

peccata ſtrictè & propriè quatenus etiam mereantur pœnam nego, vt expreſsè reſpondet etiam S. Tho. p. 2. q. 65. ar. 2. & 2. 2. q. 23. ar. 7. cum ipſomet Auguſtino, ex quo etiam id repetit in Epiſt. ad Rom. cap. 14. lect. 3. quo modo ab Ezechiele dicuntur præcepta veteris *legis non bona, ideſt imperfecta*, & Ambroſius in pſal. 1. eundem ſenſum expreſſit dicens: *Virtutes ſine fide folia ſunt, videntur virere, ſed prodeſſe non poſſunt*, & demum Auguſt. id optimè recognouit & diſtinxit lib. 4. contra Iulian. cap. 3. *Non abſurdè*, inquit, *virtus difinita eſt ab his qui dixerunt: Virtus eſt animi habitus naturæ modo & rationi conſentaneus; verum dixerunt, ſed quid conſentaneum liberandæ, atque beatificandæ naturæ mortalium neſcierunt.*

Sed contra hoc inſurgit Ianſenius cap. 2. per totum; tum quia auctoritas Apoſtoli, qua ad inſtitutum vtitur Auguſt. loquebatur de peccato propriè & ſtrictè ſumpto, vt patet ex contextu Apoſtoli dicentis: *Qui autem diſcernit ſi manducauerit damnatus eſt, quia non eſt ex fide*. & pariter Auguſt. lib. 4. contra Iulianum applicat ad peccata propriè, damnationis ſc. meritoria dicens: *Deus iſtas arbores non poteſt diligere, & ſi tales permanſerint diſponit excidere, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* ergo nulla præadducta reſpõſio; Tum quia vt ibidem refertur, etiam Iulianus admittebat eſſe peccata latè, in hoc ſenſu nimirum non eſſe meritoria vitæ æternæ. *Vnde*, inquit Auguſt. *Steriles pronunciare non dubitas.* & mox infra. *Dixiſti omnes virtutes affectus eſſe per quos aut fructuosè, aut ſteriliter boni ſumus*. quod explicans ibidem Iulianus inquiebat: *Ego ſteriliter bonos dixi homines, qui non propter Deum faciendo bona, quæ faciunt, non ab eo vitam conſequuntur æternã.* ſed hoc adhuc refellit ibidem Auguſt. dicens: *Fieri non poteſt, vt ſteriliter boni ſimus, ſed boni non ſumus, quotquot ſteriliter non ſumus. Arbor enim bona bonos fructus facit. abſit autem vt Deus bonus, à quo ſecuris paratur arboribus non facientibus fructum bonum, excidat, & in ignem mittat arbores bonas: nullo igitur modo homines ſunt ſteriliter boni, ſed qui boni non ſunt, alij minus, alij magis mali: ſi fructus boni ſunt profecto ſteriles arbores non ſunt*. ergo Auguſt. ab oppoſito contra Iulianum intẽdit etiam eſſe peccata propriè. Tum quia diſputatio cum Iuliano in hoc lib. 4. contra eundem cap. 3. orta erat ex alio dicto Auguſt. lib. de Nuptijs c. 3. repræhenſo acriter à Iuliano, ſed in eo dicto Auguſt. loquebatur de peccato ſtrictè ſic ibi dicens: *Quis audeat dicere donum Dei eſſe peccatum? Anima enim & corpus, & quæcunque bona animæ & corporis naturaliter inſita etiam in peccatoribus dona Dei ſunt, quoniam Deus non ipſi iſta fecerunt: de his autem, quæ iſti faciunt, dictum eſt, omne, quod non eſt ex fide peccatum eſt.* ergo & hic iterum de peccato ſtricte loquitur Auguſt. Tum quia Aug. in eodem lib. 1. de Nuptijs cap. 3. de Infidelibus ſic aſſerebat: *Non peccat[illegible] ccei centur, ſed alijs peccatis alia peccata vincuntur*. quod repetit & Proſper in carmine de Ingratis cap. 17. & idem Aug. lib. 21. de Ciuit. cap. 16. & Hieronymus epiſt. 4. ad Ruſticum inquiens, *illi Philoſophi ſæculi vitium vitio, peccatumque peccato medicantur, nos amore virtutum vitia ſuperemus*, ſed hic profecto ſermo eſt de peccatis propriè ſiue quæ, ſine quibus vincuntur vti ita intellexit idem Iulianus apud Auguſt. lib. 4. contra

eun-

Digitized by Google

eundem cap. 3. ſubinſerens ad hominem contra Auguſt. hæc verba: *Si ergo vincuntur peccata peccatis, quanto magis poſſunt virtutibus peccata ſuperari?* ergo ſignum eſt Auguſt. de peccato proprie intelligi voluiſſe. Tum quia Proſper lib. 3. de Vita contempl. cap. 1. videtur aperte repellere hanc euaſionem de virtutibus Etnicorum Philoſophorum ita diſcurrens: *Quid dico, nihil eis profuerunt? immò etiam nocuerunt, dicente Apoſtolo, omne, quod non eſt ex fide peccatum eſt. Non dixit omne quod non eſt ex fide nihil eſt, ſed dicendo peccatum eſt, declarauit, quod omnia bona aut ex fide geſta virtutes ſunt, quæ profecto iuſtificant, aut ſi fuerint ſine fide non ſunt aliqua bona credenda, ſed vitia, quæ non iuuant ſuos operarios, ſed condemnant, inflatoſque præcipitant, atque à finibus æternæ ſalutis eliminant.* & lib. contra Collatorem cap. 28. idem repetit & alibi, ergo, tum quia tandem & Auguſt. lib. citato 4. contra Iulianum refert Iulianum eundem aientem à nobis eſſe virtutes imperfectas, quæ poſtea perficiuntur per gratiam, ſed hoc non obſtante hoc ibidem refellit Auguſtinus, ergo à pari refellit hanc eandem Scholaſticorum reſolutionem.

Tertio & principaliter, quia à natura & in natura ſine gratia eſſe inſita ſemina virtutum tradiderunt & Pelagius in Epiſt. ad Demetriadem, & Caſſianus collat. 24. cap. 11. & Fauſtus lib. 1. c. 13. dicens: *Inſita homini bona ſemina voluntatis*, ex quo Auguſt. lib. 4. contra Iulia. c. 3. ex eorum ore ſubinfert: *Cunctarum origo virtutum in rationabili anima ſita eſt.* & hoc idem iterum refert lib. 1. de Liber. Arbit. & lib. de Gratia Chriſti cap. 18. & alia loca ſuccenſet Ianſenius lib. 4. de hæreſi Pelagiana c. 7. Vnde pariter Pelagius epiſt. ad Demetriadem, & Iulianus apud Auguſt. ex hoc principio, vti nos facimus hic, ſimiliter deducebant etiam in infidelibus virtutes dari; adeout Pelagius ibidem vocet, *Naturalem quandam ſanctitatem, quæ velut in arce animi præſidet.* & id de ſingulis virtutibus Cardinalibus explicabant, vt proſequitur latè Ianſenius lib. mox citato cap. 10. per totum; ſed hæc ſemina virtutum refutat Proſper ex profeſſo lib. contra Collator. cap. 17. dicens: *Virtutum ſemina, quæ beneficio Creatoris inſerta ſunt, præuaricatione primi Parentis euerſa ſunt, nec haberi queunt niſi in eo reſtituente, qui dederat.* ex cuius etiam pelagiani principij negatione euertit ſubinde cap. 28. & noſtram concluſionem dicens: *& ita manifeſtiſſimè patet in impiorum animis nullam habitare virtutem, ſed omnia opera eorum immunda eſſe & polluta habentium ſapientiam non ſpiritalem, ſed animalem, non cæleſtem, ſed terrenã, non chriſtianam ſed diabolicam.* iuxta quod etiam Aug. nullas in Etnicis dari virtutes ſed ſimilitudines tantummodo dixerat lib. 19 de Ciuit. cap. 4. & lib. 5. c. 19. Immò ſerm. 4. de Natali Caſti & Emilij in appendice concludit: *Pia virtus, & vtilis virtus, immò ipſa eſt vera & ſola virtus dicenda, quæ non militat typo, ſed Deo*, ergo è contra non poſſumus nos affirmare in Philoſophis Etnicis aliquas admittendas eſſe virtutes.

Quarto demum omiſſis alijs Kemnitij obiectionibus à Belarmino ſolutis, quia inquit Ianſenius, in tantum effugeremus teſtimonia Aug. & aliorum aſſerentium omnia opera infidelium peccata eſſe, inquantum illa intellige-

remus

remus de operibus prouenientibus ab infidelibus, reduplicatiuè, vt infideles ſunt, non verò ab eiſdem, vt homines ſunt; ſed hanc ipſam gloſam refert ex Iuliano & refellit idem Aug. lib. 4. contra Iul. cap. 3. dicens: *An reſpondebis non inquantum infidelis eſt, ſed inquantum homo eſt arbor bona eſt? De quo ergo Dominus ait, non poteſt arbor mala bonos fructus facere? Quandoquidem quicumque erit, aut homo, aut Angelus erit, ſed ſi homo inquantum homo eſt, arbor bona eſt; profectò & Angelus, inquantum Angelus arbor bona eſt, ac per hoc nulla erit arbor mala, de qua dictum eſt, &c.* ergo ex Aug. hæc gloſa non valet, nec conſequenter nos poſſumus in Etnicorum Philoſophis aliquas propugnare virtutes.

In oppoſitum tamen eſt comunis nunc omnium Scholaſticorum conſenſus, ad 1. 2. q. 109. ar. 2. nempe Medinæ ibi dub. 1. ad quintum Monteſinos qu. 3. per totam Martinez dub. 2. Soto lib. 1. de natura, & gratia cap. 19. Vega in Trident., lib. 6. cap. 11. & 40. Vaſquez diſp. 191. Suarez lib. 1. de gratia cap. 6. & 7. referentis etiam Capreolum, Caietanum, & Bannez, & alios, ergo ita de facto cum iſtis ſentiendum eſt.

Reſpondeo affirmatiuè, & Probatur, quia prædicta propoſitio Michaelis Baij, quam litteraliter Ianſenius defendit, damnata eſt à Pio V. & Greg. XIII. ergo amplius ſuſtineri non poteſt. Nec valet reſponſio Ianſenij lib. 4. ca. 27. ſcil. damnatam eſſe, *non vt falſam, ſed vt pacis inimicam*, non inquam valet effugium hoc, quia cenſuræ theologicæ circa Baij propoſitiones ibidem à Pontifice recenſitæ ſunt iſtæ: ſcil. vt *hæretica, temeraria piarum auriũ offenſiua, & huiuſmodi*, nunquam vero dicta cenſura veluti politica nominata eſt, à Ianſenio ſubiuncta ſcil. vt *pacis inimica* ergo adducta gloſa admittenda non eſt. Probat ſecundo Suarez multipliciter ad mentem Aug. ſic: Quia plerumq; eodem modo Auguſt. loquitur de virtutibus peccatorum fidelium, ac infidelium, vt in lib. 4. contra Iulianum cap. 3. in vniuerſum dicens: *Abſit, vt in aliquo ſit vera virtus, niſi verè ſit iuſtus*, & probat quia *ſine Dei amore*, inquit, *nihil eſt bonum, & quia veræ virtutes Deo ſeruire debent & propter ipſum operari*, quæ æquè de vtriſque procedunt; ſed profectò non poterat Auguſtinus in peccatore fideli negare veram aliquam virtutem reperiri ſaltem ſpei fideique virtutem, ergo neque ex his omninò intendebat infideli negare virtutem omnem &c. & ſicut in illo ſolum poterat negare ſtatum perfectum virtutis informatum à Charitate, ita & in iſtis; & ſicut in illo non conuincunt probationes Aug. ſed alium ſenſum habent, vt explicat S. Thomas 2. 2. q. 145. ar. 1. ad 1. & qu. 184. art. 3. ad 2. & 1. 2. qu. 100. ar. 10. & alibi, ita nec in iſto ſcil. infideli conuincent nullam omninò virtutem dari. Confirmat etiam, quia alij Patres plerique id concedunt, ergo non poterat hoc negare ſolus Auguſ. antec. prob. ex Greg. Nazianz. orat. 28. de infidelibus dicente: *Ductu naturæ virtutem operari*, vt habent etiam Baſilius hom. 9. de op. ſex dierum, & Damaſcenus lib. 3. de fide c. 13 & Gregorius hom. 27. in Matth. *Nonnulli*, inquit, *qui proximos diligunt propter affectum cognationis & carnis, quibus in hoc Sacra eloquia non contradicunt, ſed aliud eſt quod ſponte impenditur naturæ, aliud, quod ex charitate.*

Gri-

Griſoſt. hom.67. ad populum: *Nec malus poteſt omnino malus eſſe, ſed euenit, vt aliquid habeat boni, neque bonus eſſe omnino, ſed & nonnulla ſolet habere peccata*: vt repetit etiam hom. de fide, & lege naturæ, & de Spiritu Sancto poſt plura naturalia concludens: *Nam & hæc ſunt opera bona, at neceſſarium eſt, vt præcedat opus ſummum.* nempe vt meritoria ſint æternæ vitæ. Vnde ad hoc idem ſubiungit: *Quæ vtilitas animæ mortuæ, Deo quidem mortuæ fide & ratione, bonis autem operibus veſtitæ?* & auctor operis imperfecti in Matth. hom. 26. *Gentiles humanitatis cauſa recipiunt Peregrinos, licet non propter Chriſtum.* & infra. *naturali bono motus infidelis fecit bonum, non propter Deum.* Hieron. ad Gala. 1. *Multi abſque fide & Euangelio Chriſti vel ſapienter faciũt aliqua, vel ſanctè, vt Parentibus obſequantur, vt inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant.* & ipſemet Aug. epiſt. 130. de continentia Polemonis Philoſophi Etnici, inquit: *Si Deum agnoſceret & piè coleret continentia illa, non tantum ad huius vitæ honeſtatem, ſed etiam ad futuræ immortalitatem illi valuiſſet.* & lib. de Tolerantia, qua infidelis mortem ſuſtinet pro falſa ſecta putans ſe recte facere, inquit: Et *hoc eſſe donum Dei*; & demum Proſper lib. contra collator. cap. 26. *Etiam poſt præuaricationem*, inquit, *manent cætera corporis, atque animi bona, quæ etiam malis, vitioſiſque non deſunt: ſed non in illis verè boni perceptio eſt, quæ mortalem vitam honeſtare poſſunt æternam conferre non poſſunt.* Confirmatur ſecundo ex ſcripturis vniuerſim etiam de infidelibus inuentibus hoc idem, vti ad hoc applicatur à Monteſinos illud 1. Corint. 7. *Si nupſerit Virgo non peccauit.* ad quod addit Suarez explicationem Aug. lib. de bono coniugali cap. 6. Ideo generaliter dicentis: *Coniugalis concubitus filios procreandi gratia non habet culpam.* & Danielis 4. Propheta non perſuadens vtique malum ſed bonum inquiebat Nabucdonoſor Regi Idolatræ: *Conſilium meum placeat tibi, & peccata tua elemoſinis redime.* ad quod auctor imperfecti in Matth. hom. 26. ſubiungit: *Si Rex ille Idolorum cultor poterat elemoſinis peccata redimere, cui non proſunt elemoſinæ?* Pariter Eſther. 15. de Aſſuero in plurium ſententia adoratore Idolorum dicitur: *Conuertitque Deus ſpiritum Regis in manſuetudinem*, ad quod Auguſt. lib. 1. de gratia Chriſti cap. 24. ab exemplo etiam iſtius infidelis deducebat: *Deum operari in cordibus hominum non ſolum reuelationes veras, ſed etiam bonas voluntates.* Item Rom. 1. dicuntur Philoſophi Etnici fuiſſe inexcuſabiles in non ſeruando naturæ legem, ad quod Fulgentius lib. de Incarn. & Gratia cap. 26. inquit: *Potuiſſe ſine fide aliqua bona opera facere*, & Rom. 2. dicitur: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt*, quam auctoritatem etiam ad non agnoſcentes vllo modo Deum extendunt Origenes lib. 2. ibid. & Griſoſt. hom. 5. & Hier. ibidem & innumeri alij Patres quos cap. 8. colligit Suarez à pag. 279. vſque ad pag. 285. ex quo & Aug. lib. de ſpiritu, & littera cap. 27. ſic intelligit, vt alia verba infra referemus, & concludit. *Ideo dici poſſe etiam in impietate vitæ ſuæ facere aliqua legis vel ſapere.* Item Exod. 1. obſtetrices ob beneficium præſtitum Iudęis remuneratæ narrantur à Deo, vt expendunt Greg. lib. 18. Moral. cap. 2. & S. Thomas 2. 2. q. 110. ar. 3. ad 2. & p. 2. q. 114 ar. 10.

ar. 10. ad 2. Ad idem facit exemplum Rahab Meretricis narratum Ioſuè 2. & 6. quæ ob beneficium præſtitum exploratoribus Iſrael pariter in bonis tẽporalibus remunerata manſit etiam ſi tunc idolorum cultrix exiſteret, vt notat S. Thomas in Matth. cap. 1. & demum Exechielis 19. etiam Rex Babilonis temporanee remuneratus eſt, quia Tirum non impugnauit, vt expendit idem S. Thomas p. 2. qu. 114. ar. 10. ad 2. & Hieronymus ibidem inde concludens: Etiam Etnicos, *ſi quid operis boni fecerint, non abſque mercede Dei iuditio præteriri*. Confirmatur vltimò euertendo Ianſenij reſponſionem ad præaddu&tam primam probationem ex Suarez; nempe reſpondet lib. 4. cap. 4. negando Maiorem, quia *in quo eſt fides*, inquit, *eſt etiam iuſtitia inchoata* iuxta illud Aug. epiſ. 107. *Initium fidei eſt etiam initium bonæ, hoc eſt, piæ voluntatis*, & ſic ſuppoſita imperfecta charitate erga Deum amore ſcil. inefficaci de ſupernaturalibus, adhuc in peccatore fideli virtus admittitur, non in Etnico vel infideli. Sed contra, quia inobduratiſſimis peccatoribus, etſi fidelibus, nec iſte amor inefficax datur, & tamen poteſt dari fidei virtus ergo &c. tum quia Aug. inquit: Non eſſe veram virtutem, *niſi ex fide viuat*; ſed in iſtis adhuc fides viua non eſt immò mortua ergo in iſtis adhuc non effugeretur, quin veram virtutem Aug. denegaret; Tum quia demum in eiſdem obduratiſſimis peccatoribus non valeret illud Aug. Epiſt. 106. *Fides impetrat*, & Epiſt. 105. *Fides orat*, cum in iſtis multoties nullus omnino actus exercitè detur in ordine ad Deum, & tamen perſeuerare poteſt fidei virtus, quæ vitium non eſt. Nec inde valet alia reſponſio Ianſenij ſcil. Aug. dum inquit, *abſit vt ſit vera virtus, niſi fuerit iuſtus, & ex fide viuat*: intelligere de vera virtute ideſt perfecta & meritoria ad vitam æternam, quam in infidelibus adhuc Iulianus defendebat, vt refert idem Aug. lib. 4. contra Iul. cap. 3. Non valet, inquam, nam hinc tandem habemus intentum in infidelibus ſaltem ab Aug. non negari niſi ſtatum perfectum virtutis contra Iulianum, non vero virtutem abſolute contra conſenſum Scholaſticorum.

Secundo principaliter noſtra Concluſio ex eodem Aug. pr. lib. 4. contra Iulianum cap. 3. dicente, *etiam ipſa bona opera, quæ faciunt infideles non ipſorum eſſe, ſed illius, qui benè vtitur malis*, & ſerm. 12. de tempore cap. 2. *Charitas alia eſt diuina alia humana, alia eſt humana licita; alia illicita; non ſolum autem licita eſt, vt concedatur, ſed etiam ita licita, vt ſi defuerit reprahendatur, liceat nobis humana charitate diligere Coniuges, Amicos filios, &c. ſed videtis iſtam charitatem eſſe poſſe & impiorum Paganorum Iudæorum, & Hæreticorum, &c.* & hom. 23. de mulieri infideli cap. 6. ſic loquitur: *Adulter non fuiſti in illa tua vita præterita plena ignorantia nondum illuminatus, nõdum bonum malumque diſcernens nondum credens in illum, qui te neſcientem regebat: hoc tibi dicit Deus tuus, regebam te mihi, ſeruabam te mihi vt adulterium non committeres; Suaſor defuit, vt Suaſor deeſſet ego feci: Adfuit Suaſor, non defuit locus, non defuit tempus, vt non conſentires, ego terrui. Agnoſce ergo gratiam eius, cui debes & quotquot non admiſiſti*. Et lib. de patientia cap. 26. loquens de infidelibus ſuſtinentibus tormenta, & mortem profecta ſua:

Digitized by Google

ćta ſua: *Etiam in his*, inquit, *nullo modo culpandam immò vero & laudandam eſſe patientiam*.

Si reſpondeas cum Ianſenio lib. 4. cap. 6. laudari non quatenus bonum agant, ſed quatenus maius malum effugiant, vnde ibibem hoc ſecundo modo ſe explicat Aug. *Dicere enim non poterimus, melius ei fuiſſet, vt Chriſtum negando nihil eorum pateretur, quæ paſſus eſt confitendo*, & ad idem omninò reducuntur verba mox inducta homil. 23. cap. 6.

Sed Contra obſtat tum quia licet hac ratione opera iſta aliquo modo culpanda non eſſent, non tamen eſſent *nullo modo culpanda immò & laudanda*, vt tamen eſſe ibidem pronunciauerat Aug. ergo licet ibi etiam de excluſione mali maioris ſermo ſit, intrinſecum tamen bonum non excluditur ab eodem immò manifeſtatur, tum quia clarius alibi ſcil. de Spiritu & littera cap. 27. hæc etiam in ſe poſitiuè bona fuiſſe & non ſolum minus mala exponit Aug. dicens: *eſſe quadam infidelium opera à gratia Chriſti alienorum, quæ ſecundum iuſtitiæ regulam non modo vituperare non poſſumus, verum etiam meritò rectèque laudamus; Quamquam ſi diſcutiatur quo fine fiant vix inueniãtur quæ iuſtitiæ debitam laudem defenſionemque mereantur*: vbi per illam particulam, *vix*, præueniens & Ianſenij obiectionem de relatione in malum finem, vtique admittit plerumque in malum finem referri, aliquando tamen etiam ſi raro & ſine malo fine fieri præſuponit. Nec dicas ibi Aug. loqui ſub conditione, data ſcil. & non conceſſa explicatione aduerſariorum ſcil. Pelagianorum ad illud Apoſtoli *Gentes, quæ legem non habent naturaliter ea, quæ legis ſunt faciunt*, diuerſo modo ab Auguſt. exponentium ly. *naturaliter*, idest ſine fide & gratia ex virtute ſola naturæ, & ideò ſub iſta conditione & hac hypoteſi data Aug. ſic loquitur: *Si autem hi, qui naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, nondum ſunt habendi in eorum numero, quos Chriſti gratia iuſtificat, ſed in eorum potius, quorum etiam impiorum nec Deum verum veraciter iuſtèque colentium quadam facta, &c.* vt ſupra.

Non inquam hoc dicas, quia aliud eſt, quod illa conditionalis, *ſi*, ponat in dubio & ſub conditione prædictam explicationem Iuliani ad illud dictũ Apoſtoli, & aliud eſt quod etiam ponat ſub dubio & conditione alia verba interpoſita ibidem, & à nobis adducta. Primum verum eſt, ſecundum vero falſum; Vnde expreſsè Aug. ibidem poſt prolixitatem periodi repetens conditionalem & applicans ad quod ipſe referebat concludit: *Si hoc eſt, quod dictum eſt, quia Gentes, quæ legem non habent hoc eſt legem Dei naturaliter quæ legis ſunt faciunt, etiam ſic illa differentia non perturbabitur, qua diſtat à veteri teſtamentum nouum*, de quo & principalis controuerſia erat. De reliquo illa verba interpoſita non conditionaliter vel dubitatiuè, vt notat Suarez, ſed valde aſſertiuè profert & repetit, immò probat ibidem dicens: *Verum tamen, quia non vſque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint, Vnde merito dici poſſit etiam in ipſa impietate vita ſua facere aliqua legis vel ſapere*, & cap. 28. de eiſdem Gentilibus ſine vlla conditionali ſeparatim inquit: *Ipſi homines erant & uis illa naturæ inerat eis, qua legitimum aliquid*

anima rationalis & ſentit & facit, & infra *ſicut non impediunt à vita æterna iuſtum quædam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur, ſic ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera ſinè quibus difficillime vita alicuius peſſimi inuenitur*, & Epiſ. 99. ad Enodium. *Illi excepto Dei cultu, in quo errauerunt colentes vana, quæ publicè colenda fuerant inſtituta, & creaturæ potius, quam Creatori ſeruientes, in cæteris moribus parſimoniæ, continentiæ, Caſtitatis, Sobrietatis, Mortiſque pro Patriæ ſalute, ſeruatæque fidei, non ſolum ciuibus, ſed etiam & hoſtibus imitandi proponuntur*.

Si igitur dicta reſponſione relicta, iterum cum Ianſenio eodem lib. ca. 6. ſubiungas ſolum hinc probari eſſe de ſe bona materialiter ex obiecto non tamen formaliter ex fine, & ſic eſſe bona, ſed non *bene immò male facta*, vti videtur dicere Aug. lib. 4. contra Iulian. cap. 3. ſicut & bona naturalia ex eodem Aug. ibidem, & iterum lib. de correptione & gratia cap. 8. Inſe bona ſunt & à Deo, & tamen eis *non bene vtuntur* Peccatores; ſic in propoſito. Sed contra plura hæc motiua repono, tum quia licet in prædictis numquam *benè* perfectè fiant ſcil. ad vitam æternam & plerumque etiam *malè* ſcil. ad prauum finem, tamen aliquando & *bene* fieri ex bono fine naturali ſinè alio prauo fine ſuperaddito licet raro, ex eodem hoc loco colligitur, dum ſolum inquit: *Poſſunt ergo aliqua bona fieri non benè facientibus à quibus fiunt*, & ex illa alia particula, *vix*, ſuperius expēſa ex conſueto loquēdi modo, &c. Tum quia inquit *Secundum iuſtitiæ regulam merito rectèque laudanda eſſe*, ſed iuſtitiæ regula ne dum reſpicit bonitatem materialem ex obiecto verum etiam præcipue formalem ex fine, ergo, &c. tum quia inquit proponi vt *imitanda*, ſed non proponuntur imitanda, quæ ſolum primo modò & non ſecundo bona ſunt ergo, &c. tum quia in eadem Epiſ. 99. inquit *Excepto Dei cultu* illos eſſe imitandos, ergo dempto hoc illis non deficit alius finis etiam bonus virtutis: Tum quia peccatum etiam materialiter vt ens eſt licet dicatur effectus Dei, non tamen propriè donum Dei dici ſolet, ſed talia opera ibi dicuntur ab Aug. donum Dei ergo non ſunt bona ſolm materialiter, quatenus veluti entia ſunt, & alias formaliter ex fine mala; Tum quia contra ponit ibi Aug. peccata venialia, quæ non obſtant iuſto ad vitam æternam, iſtis operibus bonis, quæ ad eandem non proſunt impio, ſed illa non ſolum ex obiecto materialiter mala ſunt, verum etiam ex nullo fine formaliter bona eſſe poſſunt, ergo & iſta è contra non ſolum ex obiecto materialiter bona ſunt, verum etiam ex nullo fine ſunt mala formaliter; tum quia demum opus bonum materialiter ſolum ex obiecto & malum formaliter ex fine non remuneratur à Deo etiam præmio temporaneo ſeu terreno, ſed iſta opera ex Aug. hoc modo in Romanis remunerata ſunt, ergo non ſunt ſolum bona materialiter ex obiecto mala autem ex fine, ſeu peccata, aliter etiam Deus peccata vt entia ſunt remunerate diceretur, quod abſurdum eſt.

Nec valet ad hoc vltimum Ianſenij effugium cap. 6. negantis maiorem, cum immò oppoſitum, inquit, colligatur ex Aug. lib. 5. de Ciuit. cap. 15. dicente: *Si Deus neque hanc eis terrenam gloriam Excel. imperij concederet*

non

non redderetur merces bonis artibus eorum, ideſt virtutibus quibus ad tantam gloriam peruenire videbantur. De talibus enim, qui propter hoc boni aliquid feciſſe videntur, vt glorificentur ab hominibus etiam Dominus ait: Amen dico vobis perceperunt mercedem ſuam, vbi procul dubio in his vltimis verbis ſermo eſt de opere ſolum materialiter bono ex obiecto, & formaliter malo ex fine, ſcilicet humanæ gloriæ & huiuſmodi & tamen recipiente temporaneam mercedem à Deo vel ab hominibus; quo eodem modo de Romanis applicat ſtatim Aug. dicens: *Honorati ſunt ab omnibus fere gentibus, imperij ſui leges impoſuerunt multis gentibus, &c. non eſt, quod de ſummi & veri Dei iuſtitia conquerantur, perceperunt mercedem ſuam*.

Non valet, inquam, effugium hoc, quia aliud eſt operantem bene ſimul cum aliqua cupiditate vanæ gloriæ, & peccando inde venialiter adhuc mercedem temporaneam à Deo obtinere, & aliud eſt operantem bona ex pura cupiditate vanæ gloriæ tanquam vltimi finis, & ideo peccando lethaliter, adhuc mercedem temporaneam à Deo accipere: Primum enim vtique dicit Aug. ex euangelio, non verò ſecundum, & in primo caſu adhuc opus bonum eſt abſolutè, licet cum ipſo admiſceatur alius actus culpabilis venialiter non tamen deſtruens bonitatem ſubſtantialem illius, & illud primum opus remuneratur, non vero actus iſte ſecundus, præſertim addito ex S. Tho. p. 2. q. 21. ar. 2. etiam moderatè ex virtute & ſine culpa appeti poſſe veram laudem gloriamque humanam, & hanc etiam in præmium à Deo diſtribui bonis operibus infidelium vt Romanorum, & ſic intelligi etiam poſſe prædictum euangelij locum. At in ſecundo caſu iam abſolute opus bonum non eſt, immo malum & peccatum, & ideo in ſecundo caſu ſi remuneraretur, vtiq; peccatum à Deo remunerari diceretur, quod abſurdiſſimum eſt, & tamen ſecundo modo intellexiſſe Ianſenium conſtat ex lib. 3. cap. 20. vbi vniuerſim in titulo ponit nullum peccatum ſine peccato vinci ante fidem; primo autē modo è cōtra intellixiſſe Aug. de operibus Romanorum remuneratis à Deo patet ex eodem Aug. lib. 5. de Ciuit. cap. 12. ità explicante: *Amore itaque primitus libertatis, poſt etiam dominationis, & cupiditatis laudis & gloriæ multa magna fecerunt. Hoc inſitum habuiſſe Romanos etiam Deorum ædes apud illos indicant, quas coniunctiſſimas conſtituerunt virtutis & honoris*.

Tertio principaliter probatur ex S. Thoma, quem aliquando Ianſenius commendat tom. 2. lib. proœm. cap. 22. *Tanquam Auguſtinum contractum*; Probatur inquam nam expreſsè ſuper epiſ. ad Rom. cap. 14. lec. 3. inquit, *Cum aliquis infidelis ex dictamine rationis aliquod bonum facit non referendo ad malum finem non peccat, non tamen opus eius eſt meritorium, quia non eſt gratia informatum*, & ſuper epiſt. ad Titum cap. 2. explicat illa verba Apoſtoli: *Coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum*; quam auctoritatem obijciunt etiam hæretici ad propoſitum apud Belarm. ſupra, inquit S. Thomas: *Quando peccator facit aliquod bonum ſecundum quod eſt peccator & infidelis, totum eſt peccatum ex radice, ſed ſi quid facit ex principio alicuius boni, quod habetur, vt fidei informis vel naturæ non eſt immundum*; vti eodem

omnino modo explicat & Hieron. ad eundem locum, & Aug. lib. 31. contra Fauſtum cap. 4. & retorquet optimè Belarminus, quia aliter ex contextu præmittente, *omnia munda mundis*, fideles ab oppoſito etiam à venialibus immunes eſſent. Iterum S. Thomas 2. 2. q. 10. ar. 4. per totum tradit & defendit reſolutionem noſtram proponens eandem pro titulo: *Vtrum omnis actio infidelium peccatum ſit*: & in reſponſione ad ſecundum adductam pariter à Ianſenio Aug. auctoritatem adducit in pſalmum 31. aientis: *Vbi fides non erat bonum opus non erat, bonum enim opus intentio fecit, intentionem fides dirigit.* Reſpondet & ſic groſat S. Thomas: *Fides dirigit intentionem hominis reſpectu finis vltimi ſupernaturalis, ſed lumen etiam rationis naturalis poteſt dirigere intentionem reſpectu alicuius boni connaturalis homini, quia per infidelitatem non corrumpitur totaliter in infidelibus ratio naturalis, quin remaneat in ipſis aliqua veri cognitio, per quam facere poſſunt aliquod opus de genere bonorum*, & in eodem articulo pro exemplo euidentiſſimo ſubiungit. *Sicut habens fidem poteſt aliquod peccatum committere in actu, quem non refert ad fidei finem, vel venialiter vel etiam mortaliter peccando; ità etiam infidelis poteſt aliquem actum bonum facere, eo quod non refert ad finem infidelitatis*, & alia plura ibidem adhoc quilibet videre poteſt.

Quarto tandem principaliſſimè probatur ab explicatione oppoſitæ ſententiæ Iuliani & Pelagianorum, contra quam ſolum Aug. dari in infidelibus veras virtutes inficiatus eſt. Nam virtutes poſitæ à Pelagianis in infidelibus quintupliciter longè lateque differebant à virtutibus, quas modo ponunt Scholaſtici in eiſdem. Primo quidem illi volebant eſſe veras virtutes etiam ſi haberent poſitiuè pro fine vltimo creaturam, non ſic Scholaſtici, qui ſolum negatiuè volunt à fine vltimo diuino præſcindi. Secundo illi volebant adhuc ex illis infideles debere dici verè & ſimpliciter iuſtos, non ità Scholaſtici. Tertio illi licet admitterent non eſſe meritorias vitæ æternæ in regno Cælorum addebant tamen eſſe meritorias alterius vitæ beatæ ſupernaturalis extra regnum Cælorum, non ita Scholaſtici; Quarto illi contendebant cum Semipelagianis virtutem naturalem eſſe initium & diſpoſitionem ad gratiam ſupernaturalem veluti perfectionem eiuſdem, non ſic ſcholaſtici, qui naturalibus vt ſic negant omnem diſpoſitionem ad gratiam. Quinto demum illi ponebant in infidelibus omnes etiam virtutes connexas adinuicem & in ordine ad vltimum finem naturalem perfectè completas, non ſic verò ſcholaſtici, vt ex profeſſo demonſtrat noſter Aluarez de auxilijs diſp. 50. per totam. Probemus de ſingulis illos ita ſenſiſſe; de primo quidem Iulianus apud Auguſtinum lib. 4. cap. 3. Aſſerebat *virtutes eſſe affectus animi qui voluntatis nutui ſeruientes aut ad æterna, aut ad temporalia dirigantur, vnde ne nominis ſui poſſunt nec generis ſuſtinere diſpendium, ſed ſolius, quod appetierunt, præmij aut amplitudine ditantur, aut exillitate fruſtrantur*, ex quo Auguſtinus ibidem vt abſurdum inferebat: *Iam tamen cernis*, inquit, *vt arbitror conſequens eſſe, vt vera ſit virtus auarorum prudentia temperantia, &c. ſi ad cognoſcendum vtrum veræ virtutes ſint hoc tantum modo iudicandum eſt, quod agitur, nec cauſa quærenda cur agatur*, & plura ibidem ad hoc

ad hoc propoſitum videri poſſunt vti etiam lib. 19. de Ciuit. cap. 2. & 24. vt tandem hunc primum ſenſum Pelagianorum oſtēdit ex propoſito etiam Ianſenius lib. 4. de hæreſi Pelagiana cap. 14. per totum. De ſecundo patet ex Iuliano iterum apud Auguſtinum eodem lib. 4. cap. 3. ſic de Fabritio aliiſque Romanorum Heroibus cum admiratione quærente ab Aug. *Erunt ergo, inquit, in damnatione perpetua in quibus erat vera Iuſtitia?* cui Aug. reſpondet: *Non erat, inquit, in eis vera Iuſtitia, &c. Quis enim iuſtum dixerit infidelem, iuſtum dixerit impium, iuſtum dixerit Diabolo mancipatum?* Et iterum *intellige, quod ait Dominus: Si oculus tuus nequam eſt, totum corpus tuum tenebroſum erit, &c.* & rurſus: *Per quod enim vera Iuſtitia, per hoc etiam regnum Dei, Deus namque ipſe, quod abſit, erit iniuſtus, ſi ad eius regnum vere non admittitur iuſtus.* De tertio conſtat ex illis Iuliani verbis mox ante adductis, *erunt ergo in damnatione perpetua, in quibus erat vera Iuſtitia?* cui Aug. reſpondebat *fortè iſtis, &c. promiſuri eſtis aliquem locum medium, inter damnationem regnumque cælorum, vbi non ſint in miſeria, ſed in beatitudine ſempiterna*, de quo etiam loco medio iuxta Pelagianorum ſenſum videndus Aug. lib. 1. de Anima & eius origine cap. 4. & 9. lib. 2. operis imperfecti fol. 319. & ingenuè confitetur etiam Ianſenius lib. 3. de hæreſi Pelagiana cap. 24. ex profeſſo. De quarto patet non ſolum ex communi Semipelagianorum errore ſic alibi communiter explicato, ſed etiam ex [illegible] apud Auguſtinum lib. ſæpe laudato contra eundem cap. 3. *Cum ergo* [illegible] Auguſtinus, *diuinitus adiuuatur homo, non tantum ad capeſcendam p*[illegible] *nem adiuuatur, vt ipſe poſuiſti, volens vtique intelligi eum per ſe inc*[illegible] *gratia, quod perfecit gratia, &c.* De quinto demum habetur ex epiſ. Pelagij ad Demetriadem de Etnicis ita dicentis: *Vidimus caſtos patientes, &c. cum omnia quæ dixi, vel omnia in vno, vel ſingula in ſingulis haberi videamus, cum omnium natura vna ſit exemplo ſuo inuicem ſibi oſtendunt omnia in omnibus eſſe poſſe*, & idem colligitur ex his, quæ refert Auguſt. in lib. de geſtis Pelagi c. 14. lib. 4. ad Bonif. c. 11. & Hier. lib. primo aduerſus Pelagianos fol. 832. vt hoc etiam confitetur Ianſenius lib. 4. de hæreſi Pelagiana cap. 14.

Ad primum igitur optimè reſponſum eſt vſque ad vltimam reſponſionum, ad cuius impugnationem occurrit S. Thomas in epiſ. ad Rom. ca. 14. lect. 3. ita exponens illa verba Apoſtoli: *Omne*, inquit, *quod non eſt ex fide peccatum eſt, ſic eſt intelligendum; omne quod eſt contra fidem vel contra conſcientiam, peccatum eſt, & ſi ex genere ſuo bonum eſſe videatur: puta ſi Paganus ad honorem ſuorum Deorum virginitatem ſeruet, vel eleemoſinas det, hoc ipſo peccat.* In forma igitur vt dici ſolet, ſic diſtinguo aſſumptum illud teſtimonium atque principium ſcil. ſi ly, *non eſſe ex fide*, ſumatur contrariè, id eſt eſſe ex infidelitate oppoſita fidei, conc. tunc eſſe peccatum etiam propriè iuxta Aug. ſi ly *non eſſe ex fide.* ſumatur merè negatiuè ſeu præciſiuè præcindendo ab infidelitate & fide nego tunc eſſe propriè peccatum vt dicebatur: Sic vtique primo modo ſe explicabat idem Aug. lib. 4. cap. 3. contra Iulianum: *Procul dubio*, inquit Aug. *vitium eſt infideliter miſereri, etiam iſto bono male vtitur, qui infideliter vtitur*, & lib. 1. de Nuptijs cap. 1.

Hoc

Hoc tam euidens bonum cum infideles habent, quia infideliter vtuntur, in malum peccatumque concurrunt. Vnde concludit S. Thomas in epiſ. ad Titum cap. 2. *quando*, inquit, *peccator facit aliquod bonum ſecundum quod eſt peccator & infidelis totum eſt peccatum ex radice, ſed ſi quid facit ex principio alicuius boni, quod habetur, vt fidei informis vel naturæ non eſt immundum*, vt repetit etiam 2. 2. q. 10. ar. 4. ad 1. & qu. 23. ar. 7. ad 1. Hinc ad primam impugnationem diſti. antec. loquendo de non referendo ad cultum Dei *contrariè* concedo, *mere negatiuè & præciſiuè*, nego, & eodem modo ad ſecundam impugnationem diſt. aſſumptũ primo modo cõcedo ſecundo modo nego. Vnde ibidem ſtatim ſe explicat Auguſt. *Prorſus*, inquit, *inquantum non eſt ex fide peccatum eſt non quia*, inquit, *per ſeipſum factum, quod eſt nudum opeiire, peccatum ſit, ſed de tali opere non in Domino gloriari ſolus impius negat eſſe peccatum, &c. In hoc enim*, ſubdit, *non vis in Domino, ſed in libero arbitrio gloriari, & ſic priorem dare, vt retribuatur*, Propter quod ibidem de Epicureorum virtutibus inquit: *Virtutes quæ carnalibus delectationibus ſeruiunt veræ prorſus eſſe non poſſunt*, quia ſcil. ex infidelitate contrariè ſunt, de alijs autem quæ merè negatiuè à fide præſcindunt ſolum ſubiungit: *Quæ autem nulli ſeruire volunt, nec ipſæ veræ ſunt*, ideſt non perfectæ, licet de illis non dixerit *prorſus* virtutes non eſſe.

Ad ſecundum recta eſt reſponſio data quo ad aliquas auctoritates Aug. non tamen quo ad omnes, vt oſtendit argumentum, nec prætemiſit vel ignorauit Suarez, qui ideo aliam etiam reſponſionem adiunxit. Repetenda ſunt igitur diſcrimina quinque inter Scholaſticorum explicationem & Pelagianorum adducta in quarta noſtra probatione circa virtutes Gentilium, & ſubiungendum alicubi Aug. impugnare primum, modo ſecundum, modo tertium defectum & huiuſmodi explicationis Pelagianorum. Vnde ad primam impugnationem ex Ianſenio adductam diſt. antec. loquendo de *non eſſe ex fide* contrarie conc. merè negatiuè neg. & diſt. conſequens, ergo loquebatur Aug. de peccato propriè in illis auctoritatibus, in quibus intelligit de *non eſſe ex fide* contrarie, conc. merè negatiuè, nego; ad ſecundam impugnationem diſt. Maior etiam Iulianus fatebatur *opera infidelium eſſe Sterilia*, ſcil. ad regnum Cælorum conc. ad aliam beatitudinem extra regnum Cælorum nego: non ſic Scholaſtici, qui ſolum repetunt cum Aug. lib. 4. contra Iulian. cap. 3. *Quod minus Fabritius, quam Catelina punietur*; ad tertiam impugnationem occurrimus ſicut ad primam, ad quartam pariter dicimus ſermonem eſſe de peccato ſtrictè quo regulariter & vt plurimum licet non ſemper vt vidimus infideles alia peccata coercent, qui regulariter etiam opera bona ex obiecto referunt ad malum finem, vt notabamus, & tamen adhuc iſta eſſe bona dicebat Iulianus, vti in quarta probatione attulimus, contra quem recte vtique loquitur Aug. non contra nos. ad quintam impugnationem primo dico loqui Proſperum ſimiliter de *non eſſe ex fide* nõ merè negatiue, ſed contrariè, vti probauimus intellexiſſe Iulianum, dum adhuc virtutes eſſe dicebat; Dico ſecundo etiam ſi loqueretur de *non eſſe ex fide negatiue*, adhuc intelligi poſſe, quod quia id raro contingit, & alias, vt pluri-

plurimum fiunt ex prauo fine, ideo adhuc diſponere dicuntur ad damnationem; tertio addo adhuc pro quanto merè negatiuè bonum ſi item om nittunt indirectè diſponere ad finem prauum & conſequenter ad damnationem, ſicut remigans nec ſibi determinans ex arte bonam metam, indirectè dicitur ex iſta inaduertentia in ſcopulos ducere, vti ad propoſitum omninò explicat Aug. vtens hoc eodem exemplo præfatione in pſalmum 31. Ad ſextam demum impugnationem diſt. Maio: ita vt opus purum naturæ eſſet etiam diſpoſitio ad gratiam in ſenſu ſemipelagianorum conc. abſolutè ſiuè hoc bonum eſſet neg. & ad Mino. refellit primo modo conc. ſecundo modo nego: & negatur conſequentia, vt etiam in ſequenti articulo repetemus.

Ad tertium diſt. Maio. intelligendo de ſeminibus, ex quibus etiam ſine gratia poſſent oriri virtutes perfectæ, & ſalutares ad beatitudinem ſupernaturalem conc. de ſeminibus, ex quibus ſinè gratia poſſent oriri ſolæ virtutes imperfectæ vti nos explicuimus nego, nam hoc ſecundo modo admiſerunt hæc ſemina virtutum in natura etiam ante S. Thomam p. 2. qu. 63. ar. 1. Athanaſius in vita S. Antonij. Baſilius homil. 9. in hexameron Griſ. hom. 2. in epiſt. ad Epheſ. Hieron. in caput primum ad Galat. Damaſ. lib. 3. de fide c. 14. & præter alios etiam a Lipſio diſtiſe relatos, agnouit & Aug. ſerm. 28. de verbis Domini cap. 8. dicens *Voluit Deus inſemimare omni animæ initia intellectus initia Sapientiæ*, poſtque verba etiam Auguſt. miror Ianſenium lib. 4. de natura lapſa cap. 16. in hæc verba prorupiſſe: *Sed iſtiuſmodi non tam virtutum ſemina, quam ruinæ ſunt ex illa primæua hominis integritate ſuperſtites*, hæc pro ſuo Aug. Ianſenius; hinc ad Min. primo modo conc. ſecundo modo nego: & addimus cum Monteſinos & alijs noſtris, quod quia virtus, ſicut & habitus, ex frequentatis actibus generatur, & in infidelibus rariſſimi ſunt iſti actus boni, ideo longè rarius in infidelibus virtutum habitus admittuntur.

Ad quartum demum neg. Mino: ad cuius probationem dicendum eſt, aliud eſſe etiam perſonas ipſas Gentilium & Etnicorum eſſe malas ſolum vt infideles, bonas autem & iuſtas inquantum homines, vti Pelagiani (ſi non peius) aſſerebant; & aliud eſt in infidelibus aliam dari operationem ipſorum reduplicatiuè vt infideles ſunt ex infidelitate, & aliam reduplicatiuè vt homines erant ex dictamine luminis naturalis, vti Scholaſtici dicunt cum S. Thoma & alijs. Primum ibi impugnat Auguſtinus, ſcil. de perſonis; non vero ſecundum ſcil. de actibus. Nec valet ſi quis inſurgat & contra hanc noſtram diſtinctionem & dicat eandem reſponſionem de actu voluntatis ex Iuliano ibidem referri ſtatim & refelli ab eodem Auguſt. dicente: *Sed forte dicturus es miſericors voluntas bona eſt, &c.* Non, inquam valet nam Iulianus, vt vidimus, loquebatur adhuc de actu voluntatis miſericordis ordinato ad prauum finem, Scholaſtici verò & nos in præſenti non ſic.

A R

ARTICVLVS II.

Vtrum prædicta bona in Philoſophis Etnicis fuerint etiam ſine vlla gratia ſupernaturali vel naturali ſpetiali per Chriſtum.

VIdetur non potuiſſe ſic eſſe eidem Ianſenio lib. 3. de natura lapſa à ca. 21. lib. 1. de natura pura à cap. 4. & lib. 1. de natura Chriſti cap. 4. & lib. 5. cap. 11. & 12. cum quibuſdam paucis alijs antiquioribus, & ſaltem de gratia naturali ſpeciali per Chriſtum ſic videtur & Vaſquez diſp. 190. cui Meratius & Turianus patrocinati ſunt. Probatur autem primo ex auctoritatibus inuicem connexis ſcripturæ Patrum, & Cōciliorum, quia Ioan: 15. dicitur, *Sine me nihil poteſtis facere*, & prima Corint. 4. *Quid habes, quod non accepiſti*, & ſimilia paſſim innumera congeruntur, ſed hæc non verificarentur, ſi ſinè gratia Dei poſſet homo facere aliquod bonum morale, ergo &c. & adhoc ſuperadditur illud Aug. epiſt. 95. *Oratio eſt clariſſima gratiæ teſtificatio*, & epiſt. 107. *Gratiarum actio eſt certiſſimum ſignum beneficij gratuiti*, conſtat autem de quolibet opere bono etiam naturali rite nos Deo & præces fundere, & gratias agere, & conſequenter ex gratia eſſe; Reſpondebis ſtatim ex doctrina S. Thomæ ad eundem primum locum Ioa: lec. prima gloſantis de auxilio generalis concurſus Dei, qui theologicè ſeu iuxta ſcripturas, vt aiebat Aug. non ſolet gratia nominari, non vero de concurſu aliquo ſpeciali, qui propriè gratia nominatur, *Opera enim noſtra*, inquit ibi S. Thomas, *aut ſunt virtute naturæ, aut ex gratia diuina; ſi virtute naturæ cum omnes motus naturæ ſint ab ipſo Verbo Dei nulla natura ad aliquid faciendum moueri poteſt ſine ipſo: Si vero virtute gratiæ, cum ipſe ſit auctor gratiæ, quia gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, manifeſtum eſt, quod nullum opus meritorium ſinè ipſo fieri poteſt*, vt repetit etiam 1. 2. q. 109. ar. 1. ad 1. & ſolent ſic ſcholaſtici gloſare illud Cipriani, lib. 3. ad Quirinum cap. 4. *in nullo gloriandum eſt, quando noſtrum nihil eſt*, vt refert & valde commendat Aug. epiſ. 47. & lib. 2. retractationum cap. 2. & pariter illud Arauſicani Concilij can 9. *Omnis motus bonæ voluntatis ex Deo eſt*, & can. 20. *in Omni opere bono nos non incipimus*; & Innocentij epiſt. 26. *Voluntatem nihil poſſe cæleſtibus præſidijs deſtitutam*, & demum eodem modo reſponderi ſolet ex Oratione & huiuſmodi colligi ſaltem & hæc naturalia ſinè priori Dei concurſu generali ad minus non haberi, vti etiam præcamur vt pluat vel ſerenetur, & gratias agimus, quod creati ſimus ſine defectu gibboſitatis, amentiæ & huiuſmodi; Vt agnouit etiam Caſſianus aliàs minus extollens gratiam ſcil. incollatione 13. cap. 3. dicens: *Nec ipſos quidem conatus, quos pro deſiderio opulentiæ Agricola intentus exercuit, ſuis viribus impendere potuiſſet niſi eum ad exercendum omne opus Ruris protectio Domini, ac miſericordia roborasſet, & niſi etiam peragendi copiam diuina Clementia præſtitiſſet.*

Sed Contra hoc opponi ſolet, quia plures aliæ auctoritates expreſsè & determinatè de concurſu ſpeciali gratiæ loquuntur, & tamen aſſerunt au-

huic hanc

huc hanc requiri ad omnes actus bono in vniuerſum, ergo nulla reſponſio. aſſumptum probatur ex Synodo Paleſtina contra Pelagium definiente: *Gratiam Dei, & adiutorium etiam ad ſingulos actus dari*, ex Celeſtino epiſ. 1. ad Epiſcopos Galliæ cap. 7. *Vt nemo niſi per gratiam libero benè vtatur arbitrio*, ex Aug. ſerm. 13. de ver. Apoſtoli: *Adiutorium ſpiritus Sancti prorſus ſi defuerit nihil boni agere poſſis*. Ex Proſpero lib. contra Collator. cap. 22. *Quaſi vllus ſit motus bonæ voluntatis, niſi quem creauerit diffuſæ per Spiritum Sanctum charitatis afflatus*, & idem repetit non ſolum Auguſt. epiſ. 106. & perpetuo alibi, ſed etiam Hieronymus in lib. contra Pelagium, Cirillus lib. 9. in Ioa: cap. 45. Petrus Diaconus lib. de Incarn. & Gratia cap. 8. Anſelmus lib. de concordia parte 3. Iſidorus lib. de differentijs cap. 27. Bernardus lib. de libero arbitrio, & alij.

Reſpondebis cum Monteſinos §. 8. ex pluribus alijs noſtris apud eundem iſtas ſimiles auctoritates conuenientes in hoc, quod *ſine gratia omnino nihil boni facere poſſumus*, intelligi debere de bono quod diſponat etiam ad gratiam ſupernaturalem, non vero de bono vt pure in naturali ordine manet, tum quia dirigebantur contra primum ſimilem ſenſum Semipelagianorum; tum quia ideo mos fuit Concilijs frequentius addere illam particulam ſcil. *bonum quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ*, vt loquitur Arauxicanum can. 7. ſeu *vt oportet ad ſalutem*, vt Triden. & alia Concilia locuta ſunt. Tum quia Aug. aperte lib. 4. contra Iul. cap. 3. ſe exponebat dicens. *Scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum ſine gratia per Chriſtum nemini poſſe conferri, per quod ſolum homo poteſt ad æternum Dei donum, regnumque perduci*, quod ideo etiam epiſt. 107. *Initium bonæ piæque voluntatis appellabat*, & Anſelmus vbi ſupra *Bonæ voluntatis exordium*, & demum idem Auguſt. lib. de correp. & gratia cap. 3. in hoc ſenſu Semipelagianum referebat, dicens: *Aliquid præcedere boni operis ex ipſis hominibus, propter quod gratiam conſequantur affirmas*.

Sed contra replicatur ab aduerſarijs probando etiam Patres & Concilia omne bonum ſine gratia abſolutè negaſſe. Nam in Arauxic. ſecundo can. 22. aperte definitur: *Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum*, quæ litteralis etiam ſententia Auguſt. eſt tract. 5. in Ioa: & in prolog. ad lib. de doctrina Chriſtiana, & lib. 2. de pecc. meritis ca. 18. & Greg. lib. 22. Mor. cap. 10. Bernardi. ſerm. 1. de Annunc. Fulgentij lib. de Incar. & gratia ca. 18. & aliorum, Vnde excludit omnem gloſam Auguſt. ſer. 13. de ver. Apoſtoli cap. 21. *Cum dico tibi*, inquit, *ſine adiutorio Dei nihil agis, nihil boni dico, nam ad male agendum habes ſine adiutorio Dei liberam voluntatem*, ſed ſi ad minus in homine daretur opus naturale bonum abſolutè, licet non vt initiū gratiæ &c. iam de ſuo non haberet ſolum mendacium & peccatum, cum & bonum de ſuo haberet, ergo in homine Etnico ſine gratia neque vllum bonum naturale datur, vti nos diximus.

Reſpondebis (omiſſa etiam alia reſponſione Serræ & Ouiedi cum Suarez hominem ſcil. ſine gratia dici de ſe non habere niſi mendacium, in ordine ad legem ſupernaturalem de qua Concil. loquebantur conc. naturalem ne-

go) reſpondebis inquam ex noſtro Bartholameo Caranza in ſumma Concil. ad can. 6. & 7. Arauxicanum, quem inde Scholaſtici proſecuti ſunt, diſt. Maio: ſi ly *de ſuo* excludat etiam concurſum generalem Dei, vt excluditur in deformitate peccati conc. ſi excludat ſolum concurſum ſpecialem gratiæ neg. quo primo modo peccatum in ſolam creaturam refunditur, *inquantum ex nihilo eſt*, vt explicant Aug. lib. 12. de Ciuit. cap. 1. & 6. & Greg. lib. 25. Moral. cap. 4. & S. Thomas & alij ex illo Oſeæ 13. *Perditio tua ex te, tantummodo ex me auxilium meum*; & tandem ſic explicabat Auguſtinus lib. hipognoſticon dicens: *Solum liberum arbitrium per ſe poteſt ad malum*, vt repetit etiam lib. 2. de pecc. meritis cap. 5. dicens; *Si ab illo auertimur noſtrum eſt*, & lib. de geſtis Pelagi cap. 3. & lib. de corr. & gratia & alibi inde ſaluando etiam ex hoc nunquam incipere etiam in naturalibus hominem, ſed Deum ex generali adhuc in illis concurſu eiuſdem.

Sed contra inſurgit Ianſenius lib. 3. de natura lapſa cap. 23. intendens etiam ad ſenſum Aug. (ex quo dicta auctoritas ſumpta eſt) purè adhuc excludendo concurſum ſpecialem gratiæ hominem non habere niſi mendacium & peccatum, quia Auguſtinus lib. de perfectione Iuſtitiæ cap. 11. inquit: *Dicendus eſt homo verax per Dei gratiam atque veritatem, qui per ſeipſum ſine dubio mendax eſt, vnde dictum eſt, Omnis homo mendax*, & infra vocat *errorem credere hominem ſine adiutorio gratiæ Dei per ſolam propriam voluntatem poſſe eſſe veracem*, ſed nomine gratiæ in eodē lib. profecto intelligit gratiam Dei per Ieſum Chriſtum, cum iſtam ſic in eodem libr. frequenter nominet, & contra Cæleſtium intendat propugnare ergo &c. Tum quia in præfatione de doctrina Chriſtiana & pariter ſer. 64. de temp. probat eandem Sententiam ex illo Apoſtoli *Quid enim habes quod non accepiſti*, ſed ex illo dicto Apoſtoli conuincitur gratia ſpecialis per Ieſum Chriſtum, vt ex hoc ſolo ad hanc confitendam fatetur ſe fuiſſe conuictum lib. 2. retract. cap. 1. & de prædeſtin. Sanctorum cap. 4. ergo &c. Tum quia in pſalmum 37. poſtquam eandem aſſertionem protulerat ſtatim hanc probat dicens ad Deum: *Audio quippe ab Apoſtolo tuo gratia ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt*: ergo iam in propoſito recurrit ad ſpecialem gratiæ concurſum: Tum quia tract. 22. in Ioan: poſt præmiſſam eandem ſententiam, iterum probat eandem ex illo Apoſtoli *Viuit vero in me Chriſtus*, ſed hoc eſt iterum recurrere ad ſpecialem gratiam, ergo; tum quia ſer. 67. de temp. idem propoſitum ſcil. *Quod habes ex te diſplicet Deo*, probat ſic dicens: *Ipſum enim Apoſtolum interroga, Deus etenim eſt, qui operatur in nobis velle & operari pro bona voluntate*, ſed ex hoc Apoſtoli dicto frequentiſſime colligit gratiam per Ieſum Chriſtum, ergo & hic, tum quia idem Concil. Arauxicanum in alijs Canon: paſſim loquebatur de gratia vera per Chriſtum contra Pelagium, ergo contra Concilium eſt recurrere ad concurſum generalem, quem probabile eſt neque à Pelagio fuiſſe negatum, tum quia tandem intantum iſte concurſus generalis ad bona opera naturalia ſufficeret, inquantum hæc virtus naturalis adhunc finem remanſiſſet adhuc in Ethnicis de reliquijs naturæ poſt peccatum, ſed hoc directè ex Semipelagianis

relec-

refertur & refutatur à D. Proſpero reſponſione 8. ad capita Gallorum his verbis; *Neque hæc dona ita ex Deo eſſe opinemur, vt quia ipſe naturæ noſtræ auctor eſt per conditionem, iam hæc contuliſſe videatur, quia dedit quidem ab initio hanc homini facultatem, ſed omnes iam in illo amiſimus, in quo omnes peccauimus*, ergo nequit adducta reſponſio amplius ſuſtineri,

Secundo præter Ianſenium opponit & Vaſquez intendens ſpecialem gratiam requiri ad omne opus bonum naturale etiam abſolutè, & non ſolum vt diſponens ad gratiam ſupernatulem, quia Auguſtinus cæterique Patres in Concilijs euertentes Semipelagianorum errorem ſemper ſolum recurrerunt ad hoc, quod nulla omnino darentur opera bona ſine gratia, ſeu ante gratiam, nunquem vero recurrerunt ad hanc ſcholaſticam diſtinctionē *operis boni purè in ordine naturæ*, & boni operis *diſponentis ad ſalutem ſupernaturalem*, ergo ſcholaſtici ſic ommittentes primum, & arripientes ſecundum à mente Patrum ac Conciliorum abſcedunt, antec. prob. tum quia ſic videtur arguere Aug. ideo nullum dari opus inchoans gratiam, *quia ex nobis nullum habemus bonum, immò ſolum peccatum*, vt videre eſt præfatione in pſalmum 31. & in pſalm. 35. 58. 70. 142. tract. 12. in Ioa: & alibi, vt congerit verba Ianſenius lib. 1. de gratia Chriſti cap. 5. & vnum nos ſeligimus locum ſcil. tract. 80. in Ioa: vbi inquit: *Non ait Dominus ſine me parum poteſtis facere, ſed nihil poteſtis facere, ſiue ergo parum ſiue multum ſinè illo fieri non poteſt, ſinè quo nihil fieri poteſt*, & lib. 2. ad Bonifacium cap. 8. *Hoc vno verbo initium finemque compræhendit*, tum quia epiſt. 106. immò etiam ex conceſſione alicuius boni vt ſic ante gratiam deducit bonum inchoans gratiam ita diſcurrens: *Si enim ſine gratia Dei per nos incipit cupiditas boni, ipſum ceptum erit meritum, cui tanquam ex debito gratiæ venit adiutorium, ac ſic gratia Dei non gratis donabitur*, & ad idem lib. de corr. & gratia cap. 1. *ex eo quod etiam deſiderare auxilium gratiæ initium gratiæ eſt*: inferebat neque hoc deſiderium ſinè gratia haberi poſſe, tum quia pariter ex Aug. Concilium Arauxicanum ſecundum can. 18. admiſſo, quod dentur aliqua opera bona, non dicit hoc non eſſe initia gratiæ, ſed inquit *& iſta debere fieri ex gratia*: Vnde concludit: *debetur merces bonis operibus ſi fiant, ſed gratia, quæ non debetur, præcedit vt fiant*.

Tertio quia ex Aug. & alijs Patribus omnia opera noſtra ſolum ſunt in duplici differentia quædam carnalia ſæcularia, ſeu pertinentia ad vtilitatem vitæ præſentis; quædam ſpectantia ad veram Iuſtitiam ad pietatem ad Deum ad vitam æternam, ſed iſta opera bona Philoſophorum Ethnicorum iam non eſſent ſpectantia ad vitam æternam, vt nos fatemur, neque alias videntur vocari poſſe ſæcularia & carnalia, ſi ſemel verè bona ſunt nec vllo modo peccata, ergo ex Patribus non dantur in Ethnicis iſta opera bona, quæ neque peccata ſint, neque pertineant ad ſalutem & vitam æternam. Maior probatur tum ex Maxentio, qui Aug. adheſit contra Maſilienſes, in ſua confeſſione fidei dicentis: *Liberum arbitrium ad nihil aliud valere credimus niſi ad diſcernenda tantum carnalia & Sæcularia, quæ non apud Deum ſed homines poſſunt forte videri glorioſa, ea vero quæ ad vitam æternam perti-*

nent nec cogitare, nec velle, niſi per infuſionem, & inſpirationem intrinſecùs ſpiritus Sancti: Tum ex Aug. lib. 10. de Ciuit. cap. 10. & 6. & ſer. 45. ad Fratres in Heremo comprahendentem omne opus morale bonum vt ſic ſub nomine *pietatis & cultus in Deum*, vt facit etiam Bernardus lib. 1. de conſider. ad Eug. cap. 7. ergo; Tum ex Proſpero lib. contra Collator. cap. 19. dicente, *quid ei remanſit ſcil. poſt peccatum, niſi quod ad temporalem pertinet vitam?* & conſequenter non ad moralem, & repetit eandem fraſim ca. 29. vti loquitur etiam Petrus Diac. lib. de Incan. cap. 6. Anſelmus lib. de concordia cap. vltimo Fulgentius lib. de Incar. cap. 13. & Aug. lib. 4. contra Iulianum cap. 3.

Quarto quia idē Aug. li. 22. de Trin. c. 24. enumerans bona, quæ bona poſt peccatum in homine remanſerunt, nulla inter ea recenſet opera moralia bona *Præter artes benè viuendi*, & lib. 1. ad Simplicianum qu. 2. ante gratiam non agnoſcit *Niſi vel maius ingenium, vel minora peccata vel vtrumque addamus etiam ſi placet*, inquit, *honeſtas vtileſque doctrinas*, ſed ſi in Etnicis darentur hæc opera moralia bona ſinè gratia, & iſta enumeraſſet, ne aut ex ignorantia aut inſufficientia omittere videretur, ergo non dantur.

Quinto principaliter intendit Vaſquez probare ad hominem contra nos, quod ſi iſta vt bona abſolute darentur, eſſent etiam diſpoſitiones ad gratiam vt Semipelagiani voluerunt, tum quia, inquit, iſta opera bona & Deo placerent, & *Sancta eſſent*, quia per ipſa aliquando impleretur lex, quæ ſancta eſt, & mandatum ſanctum, ſed opus placens Deo & ſanctum poteſt diſponere ad gratiam, ergo & iſta poſſent; tum quia vniuerſim de actu elemoſinæ dicitur Tobiæ & Danielis 4. *quod liberat à morte, & redimit à peccato*, ſed in noſtra ſententia fieri poſſet & bonus actus elemoſinæ ſinè gratia, ergo & redimens à peccato, & inde diſponens ad gratiam: Tum quia ſaltem ex gratitudine teneretur Deus tribuere gratiam ſic benè operanti, ergo: tum quia ſaltem ex fidelitate poſſet Deus promittere hanc ſe daturum ſic bene operanti ergo; &c. tum quia ſaltem quælibet oratio ad Deum eſt impetratoria, licet non meritoria gratiæ, ſed cōſequenter ad noſtra principia Etnicus agnoſcens naturaliter Deum eum quoque ſine gratia orare poſſet ergo &c. Tum quia iſta opera bona non ſolum remouerent prohibens ſalutem, ſcil. maiora peccata, vt etiam aliqualiter ſit per peccatum minus, verum etiam vlterius excluderent poſitiuè nouum demeritum, & ponerent nouam operis bonitatem, ſed Deus retribuit vnicuique ſecundum opera ſua ergo &c. Tum quia etiam in noſtra Sententia in Rhaab Meretrice receptio exploratorum Iſrael fuit opus bonum naturale, ſed hoc non obſtante fuit diſpoſitio ad gratiam ergo &c. Tum quia iuxta noſtram doctrinam poſſet quis ſine gratia rectè Deo vouere, cum & Religio ſit & moralis virtus acquiſita, ſed hoc damnatur in Concil. Araux. 2. can. 11. *Nemo*, inquit, *quidquam Deo rectè vouerit, niſi ab illo acceperit*, ergo tum quia multa ſunt opera etiam egregia propter quæ tamen Deus non ſemper retribuit aliam gratiam, aliter ſemel ſanctus ſemper in gratia creſceret, & numquam peccaret, ergo diſponere ad gratiam non eſt proprie-

tas

tas ſolius operis facti ex gratia, ſed quid commune operi bono vt ſic, eti m ſi hæc diſpoſitio non ſemper terminum aſſequeretur; tum quia tandem ſicut Eccleſia definiuit contra Semipelagianos non poſſe fieri aliquod opus bonum etiam imperfectum ſine gratia, ita à fortiori definiuit contra Pelagium non poſſe impleri totam legem etiam naturalem abſque gratia, ſed abſurde hoc ſecundum reſtringeretur ad ſenſum de impletione vt diſponente ad gratiam non abſoluta, ergo abſurdè pariter reſtringitur ad illud primum, vt à nobis & pluribus fit, &c.

Sexto principaliter quia Sancti Patres ex oratione & gratiarum actione inferunt neceſſitatem non ſolius concurſus generalis, ſed etiam gratiæ ſpecialis, vt videre eſt in Hieron. epiſt. ad Cteſifontem ante medium Auguſt. epiſt. 107. & lib. de perfectione Iuſtitiæ cap. 16. & lib. de Natura & gratia cap. 18. Sed etiam de operibus moralibus bonis in ordine naturæ oramus Deum & gratias agimus, ergo & in iſtis requiretur ſpecialis gratia. Vnde non valet inſtantia, inquit Vaſquez, de orationibus pro pluuia, ſerenitate, & huiuſmodi, quia illa non ſunt in noſtra poteſtate vti ſunt iſta ſi ſemel naturalia ſunt, &c.

In oppoſitum tamen eſt communis ferè conſenſus Scholaſticorum demptis pauciſſimis antea relatis vt ſingulos antiquos congerit Cabrera 3. p.q. 62. art. 1. diſp. 20. §. 10. & Suarez libr. 1. de gratia cap. 8. & cap. 11. concludens: *Modum iſtum ſcil.* Vaſquez *in alio antiquiori ſcriptore traditum non inueniri*, & Curiel ad p. 2. qu. 109. art. 2. dub. 1. vt communem ſequitur, vti & Belarminus lib. 5. de gratia cap. 9. & lib. 4. cap. 4. & vnico verbo præter pauciſſimos præadductos alij ſinguli ex qualibet ſchola ſiue ſcholaſtici, ſiue Dogmatici proſecuti ſunt ergo neque nobis videtur eſſe recedendum ab ipſis.

Reſpondeo vtique etiam hæc bona moralia ordinis naturæ in Ethnicis Philoſophis eſſe ſine gratia Theologica ſpeciali potuiſſe. Probatur autem non ſolum de mente S. Thomæ (quem fusè ad intentum loco citato p. 2. noſtri Thomiſtæ expendunt aduerſus Vaſquez interpretationem) ſed etiā de mente Eccleſiæ ſcil. Pij V. & Greg. XIII. in bulla contra Michaelem Baium damnantium illam propoſitionem eiuſdem in ordine 37. ſcil. *Cum Pelagio ſapit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit*, & propoſitionem 28. nimirum: *Liberum arbitrium ſine gratia & Dei adiutorio non niſi ad peccandum valet.* Reſpondet attamen Vaſquez primo ad primam propoſitionem, eam non damnari ratione dicti, ſed modi, ſcil. ratione cenſuræ, qua noſtram vt Pelagianam temerè condemnabat, ſecundo quo ad ſecundam reſpondet condemnari in ſenſu Baij, qui non ſolum de operibus bonis, ſed etiam de indifferentibus nagebat fieri ſine gratia poſſe, vt colligitur ex propoſitione eiuſdem 61. dicente: *Non niſi Pelagiano errore admitti poteſt vſus aliquis liberi arbitrij bonus, ſiue non malus*, tertio addit Baium intellexiſſe de gratia etiam perfectæ charitatis & ſpiritus ne dum excitantis, ſed inhabitantis vt colligitur, inquit, ex eius lib. 2. de virtutibus & Iuſtitia impiorum cap. 4. & 5. Quarto tandem

ſubiu-

ſubiungit pro Vaſquez Ouiedo cum Ripalda, immò cum eodem Vaſquez, Baium damnari, eo quia requirebat ne dum gratiam ſpecialem naturalem per Chriſtum, verum etiam ſupernaturalem.

Sed contra primam reſponſionem & vrget damnatio iterum ſecundæ propoſitionis, quæ ſinè cenſura proferebatur, & obſtat rurſus, tum quia vt vrget Monteſinos ſaltem ex data prima reſponſione certum eſt Pelagiũ in propoſito non ſenſiſſe, vti Scholaſtici ſentiunt, ergo certum eſt extra propoſitum auctoritates vrgentes contra Pelagium vrgeri à Vaſquez & Ianſenio contra Scholaſticos: tum quia ſaltem noſtra ſententia certiſſimè libera eſt à cenſura, non ſic opinio Vaſquez, ergo iam noſtra tutior erit opinione Vaſquez, quæ ex nulla difinitione à cenſura liberata eſt: Vnde non valet retorſio Ouiedi de materia Conceptionis, cum in illa, non altera tantum, ſed vtraque à cenſura liberetur. Contra ſecundam reſponſionem obſtat quod ex prima ſecundæ qu. 18. art. 9. cum Aug. Proſpero & alijs, quos ibidem diſp. 52. colligit & Vaſquez, ad minus in indiuiduo, ſeu in exercitio numquam datur actus indifferens, ergo cum in propoſito de actu exercendo verba fierent extra propoſitum Pontifices recuriſſent contra Baium ad actum ſine gratia indifferentem: tum quia veriſimile non eſt, inquit Suarez, Pontifices damnaſſe illam propoſitionem Baij fundatos in tali opinione purè probabili de actu indifferenti poſſibili ergo &c. tum quia in Trident. ſeſſ. 6. can. 7. pariter damnatur Lutherus dicens: *Omnia opera ante iuſtificationem eſſe peccata*, ſed hoc nequit gloſari ideo eſſe damnatum, quia negaret etiam actus indifferentes, vt patet, ergo neque hic. Contra tertiam reſponſionem obſtat tum quia propoſitio Baij non ſolum dicit ſine gratia, ſed etiam dicit *ſine Dei adiutorio*, ergo & de auxilio actuali loquebatur contradiſtincto gratiæ habituali: tum quia dato quod Baius de gratia habituali loqueretur, adhuc ſubdebat vlterius iuſtum iam exiſtentem in gratia habituali ſinè vlteriori gratia actuali *non niſi ad peccandum valere*, vt in eadem propoſitione conſequenter innuunt illa verba, *ſine Dei adiutorio*; ſed hoc idem aſſerit & Vaſquez, ergo &c. vt rectè vrget Monteſinos. Contra quartam tandem obſtat tum quia eiſdem teſtimonijs vtitur Baius, quibus & Vaſquez, ergo ſicut ad intentum Baij definitum eſt ea non vrgere contra ſcholaſticos, ita nec dici poſſunt vrgere ad intentum Vaſquez contra eoſdem, tum quia ſicuti Baius adhoc extendebat teſtimonia Patrum contra Pelagium, vt Scholaſticorum ſententiam faceret Pelagianam, ita Vaſquez adeo riſtringit gratiam in dictis teſtimonijs nominatam ſcil. ad naturalem per Chriſtum, *vt vix poſſit à Semipelagianorum ſententia diſcerni*, ſicuti loquitur cum Suarez Ouiedo ipſe controuerſia tertia punct. 1. num. 34. vt dixerat etiam Tancrus diſp. 6. de gratia qu. 3. dub. 3. num. 81. nimirum inquit: *Nulla alia ſententia magis detulit viribus arbitrij in ordine ad iuſtificationem, nec magis extulit naturam & è contra deprimit gratiam Chriſti*, & Ægydius diſp. 8. de merito dub. 4. num. 13. *Hanc ſcil. gratiam à Vaſquez introductam non excedere gratiam à Pelagio admiſſam*. Vnde non video, cur poſtea idem Ouiedo iuſte potuerit criminari ſimilia ſed modeſtiora verba

noſtra

noſtri Martinez ad q.109.p.2.ar.2.dub.2.dicentis: *Sententiam Vaſque declinare aliquantulum videri ad ſententiam Pelagij.*.

Secundo probatur ex alij auctoritatibus, nempe ex lib.7.canonum Apoſtolorum can. 34.(de quorum canonum auctoritate maxima agit & Turianus in epiſt. proœm.ad eoſdem) hæc ſimilis reſolutio habetur: *Abraham* inquiunt, *antequam vocaretur à Deo ex ipſa naturæ facultate viam veritatis carpſerat*, & ad idem facit illud ad Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt*, vbi ly *naturaliter* intelligi, ideſt ex ſolis viribus naturæ latè Suarez oſtendit lib. 1. de Gratia cap. 8. per totum ex Sanctis Patribus adeundem locum ſcil. Griſoſt. Theophilato, Eucumenio Theod. Ambr. Anſel. S. Thom. immo & Aug. lib. de ſpiritu & littera cap. 28. & poteſt addi Ciprianus lib. 3. aduerſus Cherintum cap. 9. ergo iam vera eſt reſolutio noſtra. Reſpondet Vaſquez negando quo ad vtramque auctoritatem noſtram iſtam interprætationem circa ly *naturaliter*, ſed ſenſum eſſe, inquit, ex lege naturæ vtique non habita adhuc lege ſcripta, habita tamen gratia actuali pro adimpletione cuiuslibet vel minimi præcepti naturalis, vt inquit explicaſſe Aug. lib. 4. contra Iul. cap. 3. Proſperum contra Collatorem cap. 22. & Fulgentium de Incar. cap. 21. & rurſus probat quia, inquit, ibi ſermo erat non de vno vel altero opere legis, ſed de omnibus vniuerſim ad contextus intentum, ſed neque in ſententia Scholaſticorum & S. Thomæ p. 2. qu. 110. art. 10. ad tertium poſſunt exerceri omnia opera legis ſine gratia, dato quod aliquod poſſet, ergo adhuc in iſtorum ſententia ibi non poterat excludi gratia.

Sed contra hanc reſponſionem ex mox adducto S. Thomæ loco inſtantia colligitur quia licet loquendo de omnibus operibus legis ſimul ad ſenſum Pelagij recte eo modo ille locus exponatur ab Aug. & alijs allatis à Vaſquez, tamen loquendo de vno vel altero opere legis, alio modo à nobis adducto exponatur neceſſe eſt, vt idem Auguſt. expoſuit S. Thomas & alij ergo nulla reſponſio: tum quia ſaltem in prima auctoritate videtur excludi illa alia expoſitio, quam adhibebat Auguſt. ſolum ad ſecundam auctoritatem, vt ponderat Monteſinos ex illis verbis *antequam vocaretur à Deo* ſcil. etiam per legem ſcriptam, & ſubiunctis nimirum, *ex facultate ipſa naturæ*; quæ iuxta communem Theologorum fraſim propriè excludunt & gratiam ergo &c. Vnde ad probationem Vaſquez neganda eſt maior, vt ex contextu & S. S. P.P. & expoſitoribus Suarez optimè demonſtrauit. Confirmatur igitur (vt proſequamur auctoritates) iterum aſſertio noſtra ex illo Matthæi 5. *Si ſalutaueritis Fratres veſtros tantum, quid amplius facitis, nonne & Etnici hoc faciunt?* ex quo etiam Apoſtolus ad Rom. 10. & ad Philip. 3. *contradiſtinguit Iuſtitiam ſuam, & Iuſtitiam Dei*, ſed hoc eſt dari etiam ſine gratia Theologica Dei aliqua opera moralia bona honeſta, ſaltem in ordine ad vitam præſentem hominum, licet non ad vitam æternam Dei, ergo ſic dantur, Vnde ad hunc ſenſum & iuxta hanc fraſem & D. Proſper in lib. contra Collator. cap. 26. hæc opera Etnicorum appellabat: *Opera, quæ mortalem vitam honeſtare poſſunt æternam conferre non poſſunt*, vt loquebatur

etiam

etiam Aug. in lib. 3. Ipognoſticon non procul ab initio dicens, *Opera præſentis vitæ non ſolum mala, ſed etiam bona eſſe*, de moralibus etiam exempla ſubiungens. Attamen reſp. Vaſquez negando minorem vel ita diſtinguendo, ideſt bona in apparentia hominum, & in ordine ad gloriam aliquam apud eoſdem conc. verè bona à parte rei neg. Vnde inquit adhuc ſenſum Maxentius in cōfeſſione fidei ea vocabat *Carnalia ſeu ſæcularia quæ non apud Deum ſed apud homines poſſunt videri fortaſſe glorioſa.* ſed contra eſt tum quia licèt plerumque ita contingat, & ſic Maxentius intelligat, negare tamen non licèt etiam aliquando apud homnes hæc opera ex ſolis viribus naturæ producta veram laudem promereri, ne aliter ſemper iniuſta hominum laus eſſet ergo &c. tum quia aliter Apoſtolus ad Philipenſes tertio contradiſtinguens in ſe ipſo *& Iuſtitiam ſuam quæ ex lege eſt* & *Iuſtitiam quæ eſt ex Deo.* Iam fateretur in ſe aliquam iuſtitiam ex fine prauam, & non ſolum imperfectam, quod abſurdum eſt & ad quod euitandum ad noſtram ſententiam recurrendum eſt, vt obſeruat Toletus ibidem cum S. Tho. in 2. diſt. 28. q. 1. ar. 1. ad quartum.

Tertio principaliter aſſertio noſtra probatur ex ratione S. Thomæ p. 2. q. 109. ar. 2. & 2. 2. q. 10. ar. 4. ad vltimum, & alibi ſępe: quia vbicumque datur aliqua natura non adhuc corrupta totaliter, ibi non eſt gratia ſed debitum naturæ dari aliquem ſaltem actum proportionatum naturæ, ſed adhuc in nobis in hoc ſtatu datur natura humana, & dabatur in Etnicis non corrupta totaliter, etiam in ordine practico & morali ad bonum, ergo adhuc non erat ſpecialis gratia ſaltem theologica in ipſis, ſed debebatur poſſe elicere aliquem actum moralem bonum eidem naturæ proportionatum &c. Reſpondet Vaſquez diſtinguendo Maiorem, ſi ſit natura imperfecta, ſcilicet determinata ad vnum, vt eſt natura inanimatorum conc: ſi perfectior & ſuperior indifferens ad plura, & conſequenter ad bonum & malum neg: immò ſubiungit cap: 6. hunc noſtrum diſcurſum ſimilem omnino fuiſſe etiam Semipelagianorum, nempe Caſſiani collatione 13. relatum a Proſp: lib: contra Collat. cap. 24. *Homo*, inquiebat Caſſianus, *iudicio naturali, quod æquum eſt poteſt diſcernere: & cauendum nobis eſt ne ita ad Dominum omnia ſanctorum merita referamus, vt nihil niſi id quod malum atq; peruerſum eſt humano adſcribamus arbitrio.* quam tamen Caſſiani propoſitionem Proſper ibidem ſtatim appellat ſententiā *blaſphemam, & ſecundum Pelagij Celeſtijque commentum*, & clarius eundem diſcurſum omnino ex Maxilienſibus refert Hillarius in epiſt: ad Aug. dicens *Nullam voluntatem ita deprauatam vel extinctam putant, vt non debeat vel poſſit ſe velle ſanari.* Sed contra hanc reſp. inſto, tum quia multo magis ab intrinſeco eſt indifferens materia prima ſublunaris ad formam perfectiſſimam Animæ, & ad formam imperfectiſſimam luti & huiuſmodi, quam ſit natura rationalis ad bonum & malum, cum immò malum ſit præter inclinationem naturæ, non ſic forma luti præter inclinationem materiæ, ſed non obſtante primo adhuc quod materia aliquando ſit ſub forma Animæ præ forma luti ſufficit concurſus generalis prouidentiæ, non requiritur ſpecialis, ergo pari-

ter

ter non obſtante ſecundo, quod natura intellectualis aliquando determinetur ad bonum prè malo, ſufficit generalis concurſus prouidentiæ, non requiritur ſpecialis: tum quia iuxta hanc reſponſionem non requireretur concurſus specialis, vt præciſe in differentia determinaretur, aliter etiam pro determinatione ad malum requireretur, ſed requiritur ſolum pro exceſſu vnius extremi indifferentiæ ſuper alterum, boni ſcilicet ſupra malum, ergo iuxta hanc reſponſionem etiam ad actum indifferentem contra Vaſquez ſpecialis concurſus requireretur, præter octo alias impugnationes a nobis adductas in quodam opuſculo contra hanc gratiam Vaſquez. Ad id vero quod addebatur de ſimili etiam Semipelagianorum diſcurſu occurrendum eſt aliud eſſe loqui de hoc diſcurſu applicato ad inferendum ſolum dari à virtute naturæ aliquod bonum, & aliud ad inferendum vlterius hoc bonum naturæ eſſe diſpoſitionem ad gratiam, ſecundo modo applicabatur à Maſſilienſibus, & Semipelagianis meritò refutatis à Proſpero licèt abutentibus eodem fundamento alibi adhibito ab Aug., propter quod idem Aug. lib. 4. contra Iul. c. 3. *Qui ſcimus*, inquit, *quid ſentiatis neſcire non poſſumus quomodo iſta dicatis*, primo autem modo applicabatur hoc fundamentum & non ſemel repetebatur ab Aug. libr. de ſpiritu & littera cap. 27. *Nam & ipſi*, inquit *homines erant, & vis illa naturæ inerat eis.* & c. 28. *Quia non vſque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe deleta eſt vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint.* Et proſequitur eadem verba Proſper lib. contra Colla. cap. 22. & 26. immò ferè & Trid. ſex. 6. can. 5.

Quarto principaliter probatur ex eodem Aug. locis mox indicatis vbi non ſolum noſtram approbat concluſionem in aliena ſententia, vti reſpondet Vaſquez, verum etiam ex propoſito probat validiſſime eandem ratione eadem, qua & S. Thomas vſus eſt; rurſus in lib. primo ad Simplic. qu. 2. in electione hominum ante omnem gratiam ſalutaté ante ire permittit: *Maius ingenium vel minora peccata, vel etiam honeſtas, vtileſq; doctrinas.* vbi iam vides & *honeſtatem* aliquam recognouiſſe ante gratiam: Nec fugias dicens, hos libros eſſe ab Aug. conſcriptos ante exortam hæreſim Pelagianorum, etenim etiam in fine vitæ ſcribens de Prædeſt. Sanctorum c. 4. & lib. de dono perſeuerantiæ cap. 21. remittit Pelagium ad doctrinam à ſe traditam in eiſdem libris; & rurſus lib. de perfectione Iuſtitiæ cap. 17. cum ſibi Pelagius opponeret illud Apoſtoli: *Cui vult nubat*, ad probandum non requiri gratiam pro ſingulis actibus ſalutaribus, Aug. reſp. admittendo ſinè gratia poſſe haberi hunc actum honeſtum volendi nubere dicens: *Quaſi pro magno habēdum ſit velle nubere vbi de adiutorio diuinæ miſericordiæ operoſius diſputatur.* Nec dicas cum Vaſquez iterum gratis ibi Aug. pertranſiſſe non a probaſſe doctinam hanc, dum adhuc ea permiſſa ſuum intentum ſuſtinebat contra Pelagium ſcil. non poſſe impleri ſinè gratia integram legem, vbi poſtea ad refellendam vlterius Semipelagianorum ſententiam videtur ibidem eandem reuocare doctrinam dicens: *Aut vero ibi prodeſt ali-*

omnino modo explicat & Hieron. ad eundem locum, & Aug. lib. 31. contra Fauſtum cap. 4. & retorquet optimè Belarminus, quia aliter ex contextu præmittente, *omnia munda mundis*, fideles ab oppoſito etiam à venialibus immunes eſſent. IterumS. Thomas 2. 2. q. 10. ar. 4. per totum tradit & defendit reſolutionem noſtram proponens eandem pro titulo: *Vtrum omnis actio infidelium peccatum ſit?* & in reſponſione ad ſecundum adductam pariter à Ianſenio Aug. auctoritatem adducit in pſalmum 31. aientis: *Vbi fides non erat bonum opus non erat, bonum enim opus intentio fecit, intentionem fides dirigit*. Reſpondet & ſic groſat S. Thomas: *Fides dirigit intentionem hominis reſpectu finis vltimi ſupernaturalis, ſed lumen etiam rationis naturalis poteſt dirigere intentionem reſpectu alicuius boni connaturalis homini, quia per infidelitatem non corrumpitur totaliter in infidelibus ratio naturalis, quin remaneat in ipſis aliqua veri cognitio, per quam facere poſſunt aliquod opus de genere bonorum*, & in eodem articulo pro exemplo euidentiſſimo ſubiungit. *Sicut habens fidem poteſt aliquod peccatum committere in actu, quem non refert ad fidei finem, vel venialiter vel etiam mortaliter peccando; ità etiam infidelis poteſt aliquem actum bonum facere, eo quod non refert ad finem infidelitatis*, & alia plura ibidem adhoc quilibet videre poteſt.

Quarto tandem principaliſſimè probatur ab explicatione oppoſitæ ſententiæ Iuliani & Pelagianorum, contra quam ſolum Aug. dari in infidelibus veras virtutes inficiatus eſt. Nam virtutes poſitæ à Pelagianis in infidelibus quintupliciter longè lateque differebant à virtutibus, quas modo ponunt Scholaſtici in eiſdem. Primo quidem illi volebant eſſe veras virtutes etiam ſi haberent poſitiuè pro fine vltimo creaturam, non ſic Scholaſtici, qui ſolum negatiuè volunt à fine vltimo diuino præſcindi. Secundo illi volebant adhuc ex illis infideles debere dici verè & ſimpliciter iuſtos, non ità Scholaſtici. Tertio illi licet admitterent non eſſe meritorias vitæ æternæ in regno Cælorum addebant tamen eſſe meritorias alterius vitæ beatæ ſupernaturalis extra regnum Cælorum, non ita Scholaſtici; Quarto illi contendebant cùm Semipelagianis virtutem naturalem eſſe initium & diſpoſitionem ad gratiam ſupernaturalem veluti perfectionem eiuſdem, non ſic ſcholaſtici, qui naturalibus vt ſic negant omnem diſpoſitionem ad gratiam. Quinto demum illi ponebant in infidelibus omnes etiam virtutes connexas adinuicem & in ordine ad vltimum finem naturalem perfectè completas, non ſic verò ſcholaſtici, vt ex profeſſo demonſtrat noſter Aluarez de auxilijs diſp. 50. per totam. Probemus de ſingulis illos ita ſenſiſſe; de primo quidem Iulianus apud Auguſtinum lib. 4. cap. 3. Aſſerebat *virtutes eſſe affectus animi qui voluntatis nutui ſeruientes aut ad æterna, aut ad temporalia dirigantur, vnde ne nominis ſui poſſunt nec generis ſuſtinere diſpendium, ſed ſolius, quod appetierunt, præmij aut amplitudine ditantur, aut exilitate fruſtrantur*, ex quo Auguſtinus ibidem vt abſurdum inferebat: *Iam tamen cernis*, inquit, *vt arbitror conſequens eſſe, vt vera ſit virtus auarorum prudentia, temperantia, &c. ſi ad cognoſcendum vtrum veræ virtutes ſint hoc tantum modo iudicandum eſt, quod agitur, nec cauſa quærenda cur agatur*, & plura ibidem

ad hoc propoſitum videri poſſunt vti etiam lib. 19. de Ciuit. cap. 2. & 24. vt tandem hunc primum ſenſum Pelagianorum oſtēdit ex propoſito etiam Ianſenius lib. 4. de hæreſi Pelagiana cap. 14. per totum. De ſecundo patet ex Iuliano iterum apud Auguſtinum eodem lib. 4. cap. 3. ſic de Fabritio aliiſque Romanorum Heroibus cum admiratione quærente ab Aug. *Erunt ergo*, inquit, *in damnatione perpetua in quibus erat vera Iuſtitia?* cui Aug. reſpondet: *Non erat*, inquit, *in eis vera Iuſtitia, &c. Quis enim iuſtum dixerit infidelem, iuſtum dixerit impium, iuſtum dixerit Diabolo mancipatum?* Et iterum *intellige, quod ait Dominus: Si oculus tuus nequam eſt, totum corpus tuum tenebroſum erit, &c.* & rurſus: *Per quod enim vera Iuſtitia, per hoc etiam regnum Dei, Deus namque ipſe, quod abſit, erit iniuſtus, ſi ad eius regnum vere non admittitur iuſtus*. De tertio conſtat ex illis Iuliani verbis mox ante adductis, *erunt ergo in damnatione perpetua, in quibus erat vera Iuſtitia?* cui Aug. reſpondebat *fortè iſtis, &c. promiſuri eſtis aliquem locum medium, inter damnationem regnumque cælorum, vbi non ſint in miſeria, ſed in beatitudine ſempiterna*, de quo etiam loco medio iuxta Pelagianorum ſenſum videndus Aug. lib. 1. de Anima & eius origine cap. 4. & 9. lib. 2. operis imperfecti fol. 359. & ingenuè confitetur etiam Ianſenius lib. 3. de hæreſi Pelagiana cap. 24. ex profeſſo. De quarto patet non ſolum ex communi Semipelagianorum errore ſic alibi communiter explicato, ſed etiam ex e[illegible] apud Auguſtinum lib. ſæpe laudato contra eundem cap. 3. *[illegible] ergo* [illegible] Auguſtinus, *diuinitus adiuuatur homo, non tantum ad capeſſendam p[illegible] nem adiuuatur, vt ipſe poſuiſti, volens vtique intelligi eum per ſe inc[illegible] per[illegible] gratia, quod perfecit gratia, &c.* De quinto demum habetur ex epiſt. Pelagij ad Demetriadem de Etnicis ita dicentis: *Vidimus caſtos patientes, &c. cum omnia quæ dixi, vel omnia in vno, vel ſingula in ſingulis haberi videamus, cum omnium natura vna ſit exemplo ſuo inuicem ſibi oſtendunt omnia in omnibus eſſe poſſe*, & idem colligitur ex his, quæ refert Auguſt. in lib. de geſtis Pelagi c. 14. lib. 4. ad Bonif. c. 11. & Hier. lib. primo aduerſus Pelagianos fol. 832. vt hoc etiam confitetur Ianſenius lib. 4. de hæreſi Pelagiana cap. 14.

Ad primum igitur optimè reſponſum eſt vſque ad vltimam reſponſionum, ad cuius impugnationem occurrit S. Thomas in epiſ. ad Rom. ca. 14. lect. 3. ita exponens illa verba Apoſtoli: *Omne*, inquit, *quod non eſt ex fide peccatum eſt, ſic eſt intelligendum; omne quod eſt contra fidem vel contra conſcientiam, peccatum eſt, & ſi ex genere ſuo bonum eſſe videatur: puta ſi Paganus ad honorem ſuorum Deorum virginitatem ſeruet, vel elemoſinas det, hoc ipſo peccat*. In forma igitur vt dici ſolet, ſic diſtinguo aſſumptum illud teſtimonium atque principium ſcil. ſi ly, *non eſſe ex fide*, ſumatur contrariè, ideſt eſſe ex infidelitate oppoſita fidei, conc: tunc eſſe peccatum etiam propriè iuxta Aug. ſi ly *non eſſe ex fide* ſumatur merè negatiuè ſeu præciſiuè præcindendo ab infidelitate & fide nego tunc eſſe propriè peccatum vt dicebatur: Sic vtique primo modo ſe explicabat idem Aug. lib. 4. cap. 3. contra Iulianum: *Procul dubio*, inquit Aug. *vitium eſt infideliter miſereri, etiam iſto bono male vtitur, qui infideliter vtitur*, & lib. 1. de Nuptijs cap. 1.

Hoc

Hoc tam euidens bonum cum infideles habent, quia infideliter vtuntur, in malum peccatumque conuertunt. Vnde concludit S.Thomas in epiſ. ad Titum cap. 2. *quando*, inquit, *peccator facit aliquod bonum ſecundum quod eſt peccator & infidelis totum eſt peccatum ex radice, ſed ſi quid facit ex principio alicuius boni, quod habetur, vt fidei informis vel naturæ non eſt immundum*, vt repetit etiam 2. 2. q. 10. ar. 4. ad 1. & qu. 23. ar. 7. ad 1. Hinc ad primam impugnationem diſti. antec. loquendo de non referendo ad cultum Dei *contrariè* concedo, *mere negatinè & præciſiuè*, nego, & eodem modo ad ſecundam impugnationem diſt. aſſumptū primo modo cōcedo ſecundo modo nego. Vnde ibidem ſtatim ſe explicat Auguſt. *Prorſus*, inquit, *inquantum non eſt ex fide peccatum eſt non quia*, inquit, *per ſeipſum factum, quod eſt nudum opere, peccatum ſit, ſed de tali opere non in Domino gloriari ſolus impius negat eſſe peccatum, &c. In hoc enim*, ſubdit, *non vis in Domino, ſed in libero arbitrio gloriari, & ſic priorem dare, vt retribuatur*, Propter quod ibidem de Epicureorum virtutibus inquit: *Virtutes quæ carnalibus delectationibus ſeruiunt veræ prorſus eſſe non poſſunt*, quia ſcil. ex infidelitate contrariè ſunt, de alijs autem quæ merè negatiuè à fide præſcindunt ſolum ſubiungit: *Quæ autem nulli ſeruire volunt, nec ipſæ veræ ſunt*, ideſt non perfectæ, licet de iſtis non dixerit *prorſus* virtutes non eſſe.

Ad ſecundum recta eſt reſponſio data quo ad aliquas auctoritates Aug. non tamen quo ad omnes, vt oſtendit argumentum, nec prætemiſit vel ignorauit Suarez, qui ideo aliam etiam reſponſionem adiunxit. Repetenda ſunt igitur diſcrimina quinque inter Scholaſticorum explicationem & Pelagianorum adducta in quarta noſtra probatione circa virtutes Gentilium, & ſubiungendum alicubi Aug. impugnare primum, modo ſecundum, modo tertium defectum & huiuſmodi explicationis Pelagianorum. Vnde ad primam impugnationem ex Ianſenio adductam diſt. antec. loquendo de *non eſſe ex fide* contrarie conc. merè negatiuè neg. & diſt. conſequens, ergo loquebatur Aug. de peccato propriè in illis auctoritatibus, in quibus intelligit de *non eſſe ex fide* contrarie, conc. merè negatiuè, nego; ad ſecundam impugnationem diſt. Maio: etiam Iulianus fatebatur *opera infidelium eſſe Sterilia*, ſcil. ad regnum Cælorum conc. ad aliam beatitudinem extra regnum Cælorum nego: non ſic Scholaſtici, qui ſolum repetunt cum Aug. lib. 4. contra Iulian. cap. 3. *Quo minus Fabritius, quam Catelina punietur*; ad tertiam impugnationem occurrimus ſicut ad primam, ad quartam pariter dicimus ſermonem eſſe de peccato ſtrictè quo regulariter & vt plurimum licet non ſemper vt vidimus infideles alia peccata coercent, qui regulariter tuam opera bona ex obiecto referunt ad malum finem, vt notabamus, & tamen adhuc iſta eſſe bona dicebat Iulianus, vti in quarta probatione attulimus, contra quem rectè vtique loquitur Aug. non contra nos. ad quintam impugnationem primo dico loqui Proſperum ſimiliter de *non eſſe ex fide* nō merè negatiue, ſed contrariè, vti probauimus intellexiſſe Iulianum, dum adhuc virtutes eſſe dicebat; Dico ſecundo etiam ſi loqueretur de *non eſſe ex fide negatiue*, adhuc intelligi poſſe, quod quia id raro contingit, & alias, vt pluri-

plurimum fiunt ex prauo fine, ideo adhuc diſponere dicuntur ad damnationem; tertio addo adhuc pro quanto merè negatiuè bonum finem om nittunt indirectè diſponere ad finem prauum & conſequenter ad damnationem, ſicut remigans nec ſibi determinans ex arte bonam metam, indirectè dicitur ex iſta inaduertentia in ſcopulos ducere, vti ad propoſitum omninò explicat Aug. vtens hoc eodem exemplo præfatione in pſalmum 31. Ad ſextam demum impugnationem diſt. Maio: ita vt opus purum naturæ eſſet etiam diſpoſitio ad gratiam in ſenſu ſemipelagianorum conc. abſolutè ſluè hoc bonum eſſet neg. & ad Mino. refellit primo modo conc: ſecundo modo nego: & negatur conſequentia, vt etiam in ſequenti articulo repetemus.

Ad tertium diſt. Maio. intelligendo de ſeminibus, ex quibus etiam ſine gratia poſſent oriri virtutes perfectæ, & ſalutares ad beatitudinem ſupernaturalem conc. de ſeminibus, ex quibus ſinè gratia poſſent oriri ſolæ virtutes imperfectæ vti nos explicuimus nego, nam hoc ſecundo modo admiſerunt hæc ſemina virtutum in natura etiam ante S. Thomam p. 2. qu. 63. ar. 1. Athanaſius in vita S. Antonij. Baſilius homil. 9. in hexameron Griſ. hom. 2. in epiſt. ad Epheſ. Hieron. in caput primum ad Galat. Damaſ. lib. 3. de fide c. 14. & præter alios etiam a Lipſio diffuſe relatos, ag ſouit & Aug. ſerm. 18. de verbis Domini cap. 8. dicens *Voluit Deus inſeminare omni animæ initia intellectus initia Sapientiæ*, poſtque verba etiam Auguſt. miror Ianſenium lib. 4. de natura lapſa cap. 16. in hæc verba prorupiſſe: *Sed iſtiuſmodi non tam virtutum ſemina, quam ruinæ ſunt ex illa primæua hominis integritate ſuperſtites*, hæc pro ſuo Aug. Ianſenius; hinc ad Min. primo modo conc. ſecundo modo nego: & addimus cum Monteſinos & alijs noſtris, quod quia virtus, ſicut & habitus, ex frequentatis actibus generatur, & in infidelibus rariſſimi ſunt iſti actus boni, ideo longè rarius in infidelibus virtutum habitus admittuntur.

Ad quartum demum neg. Mino: ad cuius probationem dicendum eſt, aliud eſſe etiam perſonas ipſas Gentilium & Etnicorum eſſe malas ſolum vt infideles, bonas autem & iuſtas inquantum homines, vti Pelagiani (ſi non peius) aſſerebant; & aliud eſt in infidelibus aliam dari operationem ipſorum reduplicatiuè vt infideles ſunt ex infidelitate, & aliam reduplicatiuè vt homines erant ex dictamine luminis naturalis, vti Scholaſtici dicunt cum S. Thoma & alijs. Primum ibi impugnat Auguſtinus, ſcil. de perſonis; non vero ſecundum ſcil. de actibus. Nec valet ſi quis inſurgat & contra hanc noſtram diſtinctionem & dicat eandem reſponſionem de actu voluntatis ex Iuliano ibidem referri ſtatim & refelli ab eodem Auguſt. dicente: *Sed forte dicturus es miſericors voluntas bona eſt, &c.* Non, inquam valet nam Iulianus, vt vidimus, loquebatur adhuc de actu voluntatis miſericordis ordinato ad prauum finem, Scholaſtici verò & nos in præſenti non ſic.

ARTICVLVS II.

Vtrum prædicta bona in Philoſophis Etnicis fuerint etiam ſine vlla gratia ſupernaturali vel naturali ſpeciali per Chriſtum.

VIdetur non potuiſſe ſic eſſe eidem Ianſenio lib. 3. de natura lapſa à ca. 21. lib. 1. de natura pura à cap. 4. & lib. 1. de natura Chriſti cap. 4. & lib. 5. cap. 11. & 12. cum quibuſdam paucis alijs antiquioribus, & ſaltem de gratia naturali ſpeciali per Chriſtum ſic videtur & Vaſquez diſp. 190. cui Meratius & Turianus patrocinati ſunt. Probatur autem primo ex auctoritatibus inuicem connexis ſcripturæ Patrum, & Cōcilliorum quia Ioan: 15. dicitur, *Sine me nihil poteſtis facere*, & prima Corint. 4. *Quid habes, quod non accepiſti*, & ſimilia paſſim innumera congeruntur, ſed hæc non verificarentur, ſi ſinè gratia Dei poſſet homo facere aliquod bonum morale, ergo &c. & adhoc ſuperadditur illud Aug. epiſt. 95. *Oratio eſt clariſſima gratiæ teſtificatio*, & epiſt. 107. *Gratiarum actio eſt certiſſimum ſignum beneficij gratuiti*, conſtat autem de quolibet opere bono etiam naturali rite nos Deo & præces fundere, & gratias agere, & conſequenter ex gratia eſſe; Reſpondebis ſtatim ex doctrina S. Thomæ ad eundem primum locum Ioa: lec. prima gloſantis de auxilio generalis concurſus Dei, qui theologicè ſeu iuxta ſcripturas, vt aiebat Aug. non ſolet gratia nominari, non vero de concurſu aliquo ſpeciali, qui propriè gratia nominatur, *Opera enim noſtra*, inquit ibi S. Thomas, *aut ſunt virtute naturæ, aut ex gratia diuinæ; ſi virtute naturæ cum omnes motus naturæ ſint ab ipſo Verbo Dei nulla natura ad aliquid faciendum moueri poteſt ſine ipſo: Si vero virtute gratiæ, cum ipſe ſit auctor gratiæ, quia gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, manifeſtum eſt, quod nullum opus meritorium ſinè ipſo fieri poteſt*, vt repetit etiam 1. 2. q. 109. ar. 1. ad 1. & ſolent ſic ſcholaſtici gloſare illud Cipriani, lib. 3. ad Quirinum cap. 4. *in nullo gloriandum eſt, quando noſtrum nihil eſt*, vt refert & valde commendat Aug. epiſt. 47. & lib. 2. retractationum cap. 2. & pariter illud Arauſicani Concilij can 9. *Omnis motus bonæ voluntatis ex Deo eſt*, & can. 20. *in Omni opere bono nos non incipimus*; & Innocentij epiſt. 26. *Voluntatem nihil poſſe caleſtibus præſidijs deſtitutam*, & demum eodem modo reſponderi ſolet ex Oratione & huiuſmodi colligi ſaltem & hæc naturalia ſinè priori Dei concurſu generali ad minus non haberi, vti etiam præcamur vt pluat vel ſerenetur, & gratias agimus, quod creati ſimus ſine defectu gibboſitatis, amētiæ & huiuſmodi; Vt agnouit etiam Caſſianus aliàs minus extollens gratiam ſcil. incollatione 13. cap. 3. dicens: *Nec ipſos quidem conatus, quos pro deſiderio opulentiæ Agricola intentus exercuit, ſuis viribus impendere potuiſſet niſi eum ad exercendum omne opus Ruris protectio Domini, ac miſericordia roboraſſet, & niſi etiam peragendi copiam diuina Clementia præſtitiſſet.*

Sed Contra hoc opponi ſolet, quia plures aliæ auctoritates expreſsè & determinatè de concurſu ſpeciali gratiæ loquuntur, & tamen aſſerunt adhuc hanc.

huc hanc requiri ad omnes actus bono in vniuerſum, ergo nulla reſponſio. aſſumptum probatur ex Synodo Paleſtina contra Pelagium definiente: *Gratiam Dei, & adiutorium etiam ad ſingulos actus dari*, ex Celeſtino epiſ. 1. ad Epiſcopos Galliæ cap. 7. *Vt nemo niſi per gratiam libero benè vtatur arbitrio*, ex Aug. ſerm. 13. de ver. Apoſtoli: *Adiutorium ſpiritus Sancti prorſus ſi defuerit nihil boni agere poſſis*. Ex Proſpero lib. contra Collator. cap. 22. *Quaſi vllus ſit motus bonæ voluntatis, niſi quem creauerit diffuſæ per Spiritum Sanctum charitatis afflatus*, & idem repetit non ſolum Auguſt. epiſ. 106. & perpetuo alibi, ſed etiam Hieronymus in lib. contra Pelagium, Cirillus lib. 9. in Ioa: cap. 45. Petrus Diaconus lib. de Incarn. & Gratia cap. 8. Anſelmus lib. de concordia parte 3. Iſidorus lib. de differentijs cap. 27. Bernardus lib. de libero arbitrio, & alij.

Reſpondebis cum Monteſinos §. 8. ex pluribus alijs noſtris apud eundem iſtas ſimiles auctoritates conuenientes in hoc, quod *ſine gratia omnino nihil boni facere poſſumus*, intelligi debere de bono quod diſponat etiam ad gratiam ſupernaturalem, non vero de bono vt pure in naturali ordine manet, tum quia dirigebantur contra primum ſimilem ſenſum Semipelagianorum; tum quia ideo mos fuit Concilijs frequentius addere illam particulam ſcil. *bonum quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ*, vt loquitur Arauxicanum can. 7. ſeu *vt oportet ad ſalutem*, vt Triden. & alia Concilia locuta ſunt. Tum quia Aug. aperte lib. 4. contra Iul. cap. 3. ſe exponebat dicens. *Scito nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum ſine gratia per Chriſtum nemini poſſe conferri, per quod ſolum homo poteſt ad æternum Dei donum, regnumque perduci*, quod ideo etiam epiſt. 107. *Initium bonæ piæque voluntatis appellabat*, & Anſelmus vbi ſupra *Bonæ voluntatis exordium*, & demum idem Auguſt. lib. de correp. & gratia cap. 3. in hoc ſenſu Semipelagianum referebat, dicens: *Aliquid præcedere boni operis ex ipſis hominibus, propter quod gratiam conſequantur affirmas*.

Sed contra replicatur ab aduerſarijs probando etiam Patres & Concilia omne bonum ſine gratia abſolutè negaſſe. Nam in Arauxic. ſecundo can. 22. aperte definitur: *Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum*, quæ litteralis etiam ſententia Auguſt. eſt tract. 5. in Ioa: & in prolog. ad lib. de doctrina Chriſtiana, & lib. 2. de pecc. meritis ca. 18. & Greg. lib. 22. Mor. cap. 10. Bernardi. ſerm. 1. de Annunc. Fulgentij lib. de Incar. & gratia ca. 18. & aliorum, Vnde excludit omnem gloſam Auguſt. ſer. 13. de ver. Apoſtoli cap. 21. *Cum dico tibi*, inquit, *ſinè adiutorio Dei nihil agis, nihil boni dico, nam ad male agendum habes ſine adiutorio Dei liberam voluntatem*, ſed ſi ad minus in homine daretur opus naturale bonum abſolutè, licet non vt initiū gratiæ &c. iam de ſuo non haberet ſolum mendacium & peccatum, cum & bonum de ſuo haberet, ergo in homine Etnico ſine gratia neque vllum bonum naturale datur, vti nos diximus.

Reſpondebis (omiſſa etiam alia reſponſione Serræ & Ouiedi cum Suarez hominem ſcil. ſine gratia dici de ſe non habere niſi mendacium, in ordine ad legem ſupernaturalem de qua Concil. loquebantur conc. naturalem ne-

go) reſpondebis inquam ex noſtro Bartholamęo Caranza in ſumma Concil. ad can. 6. & 7. Arauxicanum, quem inde Scholaſtici proſecuti ſunt, diſt. Maio: ſi ly *de ſuo* excludat etiam concurſum generalem Dei, vt excluditur in deformitate peccati conc. ſi excludat ſolum concurſum ſpecialem gratiæ neg. quo primo modo peccatum in ſolam creaturam refunditur, *inquantum ex nihilo eſt*, vt explicant Aug. lib. 12. de Ciuit. cap. 1. & 6. & Greg. lib. 25. Moral. cap. 4. & S. Thomas & alij ex illo Oſeæ 13. *Perditio tua ex te, tantummodo ex me auxilium meum*; & tandem ſic explicabat Auguſtinus lib. hipognoſticon dicens: *Solum liberum arbitrium per ſe poteſt ad malum*, vt repetit etiam lib. 2. de pecc. meritis cap. 5. dicens; *Si ab illo auertimur noſtrum eſt*, & lib. de geſtis Pelagi cap. 3. & lib. de corr. & gratia & alibi inde ſaluando etiam ex hoc nunquam incipere etiam in naturalibus hominem, ſed Deum ex generali adhuc in illis concurſu eiuſdem.

Sed contra inſurgit Ianſenius lib. 3. de natura lapſa cap. 23. intendens etiam ad ſenſum Aug. (ex quo dicta auctoritas ſumpta eſt) purè adhuc excludendo concurſum ſpecialem gratiæ hominem non habere niſi mendacium & peccatum, quia Auguſtinus lib. de perfectione Iuſtitiæ cap. 11. inquit: *Dicendus eſt homo verax per Dei gratiam atque veritatem, qui per ſeipſum ſine dubio mendax eſt, vnde dictum eſt, Omnis homo mendax*, & infra vocat *errorem credere hominem ſine adiutorio gratiæ Dei per ſolam propriam voluntatem poſſe eſſe veracem*, ſed nomine gratiæ in eodè lib. profecto intelligit gratiam Dei per Ieſum Chriſtum, cum iſtam ſic in eodem libr. frequenter nominet, & contra Cæleſtium intendat propugnare ergo &c. Tum quia in præfatione de doctrina Chriſtiana & pariter ſer. 64. de temp. probat eandem Sentētiam ex illo Apoſtoli. *Quid enim habes quod non accepiſti*, ſed ex illo dicto Apoſtoli conuincitur gratia ſpecialis per Ieſum Chriſtum, vt ex hoc ſolo ad hanc confitendam fatetur ſe fuiſſe conuictum lib. 2. retract. cap. 1. & de prædeſtin. Sanctorum cap. 4. ergo &c. Tum quia in pſalmum 37. poſtquam eandem aſſertionem protulerat ſtatim hanc probat dicens ad Deum: *Audio quippe ab Apoſtolo tuo gratia ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt*: ergo iam in propoſito recurrit ad ſpecialem gratiæ concurſum: Tum quia tract. 22. in Ioan: poſt præmiſſam eandem ſententiam, iterum probat eandem ex illo Apoſtoli *Viuit vero in me Chriſtus*, ſed hoc eſt iterum recurrere ad ſpecialem gratiam, ergo; tum quia ſer. 67. de temp. idem propoſitum ſcil. *Quod habes ex te diſplicet Deo*, probat ſic dicens: *Ipſum enim Apoſtolum* interroga, *Deus etenim eſt, qui operatur in nobis velle & operari pro bona voluntate*, ſed ex hoc Apoſtoli dicto frequentiſſime colligit gratiam per Ieſum Chriſtum, ergo & hic, tum quia idem Concil. Arauxicanum in alijs Canon: paſſim loquebatur de gratia vera per Chriſtum contra Pelagium, ergo contra Concilium eſt recurrere ad concurſum generalem, quem probabile eſt neque à Pelagio fuiſſe negatum, tum quia tandem intantum iſte concurſus generalis ad bona opera naturalia ſufficeret, inquantum hæc virtus naturalis adhunc finem remanſiſſet adhuc in Ethnicis de reliquijs naturæ poſt peccatum, ſed hoc directè ex Semipelagianis

relec-

refertur & refutatur à D. Proſpero reſponſione 8. ad capita Gallorum his verbis; *Neque hæc dona ita ex Deo eſſe opinemur, vt quia ipſe naturæ noſtræ auctor eſt per conditionem, iam hæc contuliſſe videatur, quia dedit quidem ab initio hanc homini facultatem, ſed omnes iam in illo amiſimus, in quo omnes peccauimus*, ergo nequit adducta reſponſio amplius ſuſtineri.

Secundo præter Ianſenium opponit & Vaſquez intendens ſpecialem gratiam requiri ad omne opus bonum naturale etiam abſolutè, & non ſolum vt diſponens ad gratiam ſupernaturalem, quia Auguſtinus cæterique Patres in Concilijs euertentes Semipelagianorum errorem ſemper ſolum recurrerunt ad hoc, quod nulla omnino darentur opera bona ſine gratia, ſeu ante gratiam, nunquam vero recurrerunt ad hanc ſcholaſticam diſtinctionē *operis boni purè in ordine naturæ*, & boni operis *diſponentis ad ſalutem ſupernaturalem*, ergo ſcholaſtici ſic ommittentes primum, & arripientes ſecundum à mente Patrum ac Conciliorum abſcedunt, antec. prob. tum quia ſic videtur arguere Aug. ideo nullum dari opus inchoans gratiam, *quia ex nobis nullum habemus bonum, immò ſolum peccatum*, vt videre eſt præfatione in pſalmum 31. & in pſalm. 35. 58. 70. 142. tract. 12. in Ioa: & alibi, vt congerit verba Ianſenius lib. 1. de gratia Chriſti cap. 5. & vnum nos ſeligimus locum ſcil. tract. 80. in Ioa: vbi inquit: *Non ait Dominus ſine me parum poteſtis facere, ſed nihil poteſtis facere, ſiue ergo parum ſiue multum ſinè illo fieri non poteſt, ſinè quo nihil fieri poteſt*, & lib. 2. ad Bonifacium cap. 8. *Hoc vno verbo initium finemque compræhendit*, tum quia epiſt. 106. immò etiam ex conceſſione alicuius boni vt ſic ante gratiam deducit bonum inchoans gratiam ita diſcurrens: *Si enim ſine gratia Dei per nos incipit cupiditas boni, ipſum ceptum erit meritum, cui tanquam ex debito gratiæ venit adiutorium, ac ſic gratia Dei non gratis donabitur*, & ad idem lib. de corr. & gratia cap. 1. *ex eo quod etiam deſiderare auxilium gratiæ initium gratiæ eſt*: inferebat neque hoc deſiderium ſinè gratia haberi poſſe, tum quia pariter ex Aug. Concilium Arauxicanum ſecundum can. 18. admiſſo, quod dentur aliqua opera bona, non dicit hoc non eſſe initia gratiæ, ſed inquit *& iſta debere fieri ex gratia*: Vnde concludit: *debetur merces bonis operibus ſi fiant, ſed gratia, quæ non debetur, præcedit vt fiant*.

Tertio quia ex Aug. & alijs Patribus omnia opera noſtra ſolum ſunt in duplici differentia quædam carnalia ſæcularia, ſeu pertinentia ad vtilitatem vitæ præſentis; quædam ſpectantia ad veram Iuſtitiam ad pietatem ad Deum ad vitam æternam, ſed iſta opera bona Philoſophorum Ethnicorum iam non eſſent ſpectantia ad vitam æternam, vt nos fatemur, neque alias videntur vocari poſſe ſæcularia & carnalia, ſi ſemel verè bona ſunt nec vllo modo peccata, ergo ex Patribus non dantur in Ethnicis iſta opera bona, quæ neque peccata ſint, neque pertineant ad ſalutem & vitam æternam. Maior probatur tum ex Maxentio, qui Aug. adheſit contra Maſilienſes, in ſua confeſſione fidei dicentis: *Liberum arbitrium ad nihil aliud valere credimus niſi ad diſcernenda tantum carnalia & Sæcularia, quæ non apud Deum ſed homines poſſunt forte videri glorioſa, ea vero quæ ad vitam æternam perti-*

uent nec cogitare, nec velle, niſi per infuſionem, & inſpirationem intrinſecus ſpiritus Sancti: Tum ex Aug. lib. 10. de Ciuit. cap. 10. & 6. & ſer. 45. ad Fratres in Heremo compræhendentem omne opus morale bonum vt ſic ſub nomine *pietatis & cultus in Deum*, vt facit etiam Bernardus lib. 1. de conſider. ad Eug. cap. 7. ergo; Tum ex Proſpero lib. contra Collator. cap. 19. dicente, *quid ei remanſit ſcil. poſt peccatum, niſi quod ad temporalem pertinet vitam?* & conſequenter non ad moralem, & repetit eandem fraſim ca. 29. vti loquitur etiam Petrus Diac. lib. de Incan. cap. 6. Anſelmus lib. de concordia cap. vltimo Fulgentius lib. de Incar. cap. 13. & Aug. lib. 4. contra Iulianum cap. 3.

Quarto quia idē Aug. li. 22. de Trin. c. 24. enumerans bona, quæ bona poſt peccatum in homine remanſerunt, nulla inter ea recenſet opera moralia bona *Prater artes benè viuendi*, & lib. 1. ad Simplicianum qu. 2. ante gratiam non agnoſcit *Niſi vel maius ingenium, vel minora peccata vel vtrumque addamus etiam ſi placet*, inquit, *honeſtas vtileſque doctrinas*, ſed ſi in Etnicis darentur hæc opera moralia bona ſiuè gratia, & iſta enumeraſſet, ne aut ex ignorantia aut inſufficientia omittere videretur, ergo non dantur.

Quinto principaliter intendit Vaſquez probare ad hominem contra nos, quod ſi iſta vt bona abſolute darentur, eſſent etiam diſpoſitiones ad gratiam vt Semipelagiani voluerunt, tum quia, inquit, iſta opera bona & Deo placerent, & *Sancta eſſent*, quia per ipſa aliquando impleretur lex, quæ ſancta eſt, & mandatum ſanctum, ſed opus placens Deo & ſanctum poteſt diſponere ad gratiam, ergo & iſta poſſent; tum quia vniuerſim de actu elemoſinæ dicitur Tobiæ & Danielis 4. *quod liberat à morte, & redimit à peccato*, ſed in noſtra ſententia fieri poſſet & bonus actus elemoſinæ ſinè gratia, ergo & redimens à peccato, & inde diſponens ad gratiam: Tum quia ſaltem ex gratitudine teneretur Deus tribuere gratiam ſic benè operanti, ergo: tum quia ſaltem ex fidelitate poſſet Deus promittere hanc ſe daturum ſic benè operanti ergo, &c. tum quia ſaltem quælibet oratio ad Deum eſt impetratoria, licet non meritoria gratiæ, ſed cōſequenter ad noſtra principia Etnicus agnoſcens naturaliter Deum eum quoque ſine gratia orare poſſet ergo &c. Tum quia iſta opera bona non ſolum remouerent prohibens ſalutem, ſcil. maiora peccata, vt etiam aliqualiter ſit per peccatum minus, verum etiam vlterius excluderent poſitiuè nouum demeritum, & ponerent nouam operis bonitatem, ſed Deus retribuit vnicuique ſecundum opera ſua ergo &c. Tum quia etiam in noſtra Sententia in Rhaab Meritrice receptio exploratorum Iſrael fuit opus bonum naturale, ſed hoc non obſtante fuit diſpoſitio ad gratiam ergo &c. Tum quia iuxta noſtram doctrinam poſſet quis ſine gratia rectè Deo vouere, cum & Religio ſit & moralis virtus acquiſita, ſed hoc damnatur in Concil. Araux. 2. can. 11. *Nemo*, inquit, *quidquam Deo rectè vouerit, niſi ab illo acceperit*, ergo tum quia multa ſunt opera etiam egregia propter quæ tamen Deus non ſemper retribuit aliam gratiam, aliter ſemel ſanctus ſemper in gratia creſceret, & numquam peccaret, ergo diſponere ad gratiam non eſt proprie-

tas ſolius operis facti ex gratia, ſed quid commune operi bono vt ſic, eti im ſi hæc diſpoſitio non ſemper terminum aſſequeretur; tum quia tandem ſicut Eccleſia definiuit contra Semipelagianos non poſſe fieri aliquod opus bonum etiam imperfectum ſine gratia, ita à fortiori definiuit contra Pelagium non poſſe impleri totam legem etiam naturalem abſque gratia, ſed abſurde hoc ſecundum reſtringeretur ad ſenſum de impletione vt diſponente ad gratiam non abſoluta, ergo abſurdè pariter reſtringitur ad illud primum, vt à nobis & pluribus fit, &c.

Sexto principaliter quia Sancti Patres ex oratione & gratiarum actione inferunt neceſſitatem non ſolius concurſus generalis, ſed etiam gratiæ ſpecialis, vt videre eſt in Hieron. epiſt. ad Cteſifontem ante medium Auguſt. epiſt. 107. & lib. de perfectione Iuſtitiæ cap. 16. & lib. de Natura & gratia cap. 18. Sed etiam de operibus moralibus bonis in ordine naturæ oramus Deum & gratias agimus, ergo & in iſtis requiretur ſpecialis gratia, Vnde non valet inſtantia, inquit Vaſquez, de orationibus pro pluuia, ſerenitate, & huiuſmodi, quia illa non ſunt in noſtra poteſtate vti ſunt iſta ſi ſemel naturalia ſunt, &c.

In oppoſitum tamen eſt communis ferè conſenſus Scholaſticorum demptis pauciſſimis antea relatis vt ſingulos antiquos congerit Cabrera 3. p.q. 62. art. 1. diſp. 20. §. 10. & Suarez lib. 1. de gratia cap. 8. & cap. 11. concludens: *Modum iſtum ſcil.* Vaſquez *in alio antiquiori ſcriptore traditum non inueniri*, & Curiel ad p. 2. qu. 109. art. 2. dub. 1. vt communem ſequitur, vti & Belarminus lib. 5. de gratia cap. 9. & lib. 4. cap. 4. & vnico verbo præter pauciſſimos præadductos alij ſinguli ex qualibet ſchola ſiue ſcholaſtici, ſiue Dogmatici proſecuti ſunt ergo neque nobis videtur eſſe recedendum ab ipſis.

Reſpondeo vtique etiam hæc bona moralia ordinis naturæ in Etnicis Philoſophis eſſe ſinè gratia Theologica ſpeciali potuiſſe. Probatur autem non ſolum de mente S. Thomæ (quem fusè ad intentum lococitato p. 2. noſtri Thomiſtæ expendunt aduerſus Vaſquez interpretationem) ſed etiã de mente Eccleſiæ ſcil. Pij V. & Greg. XIII. in bulla contra Michaelem Baium damnantium iſtam propoſitionem eiuſdem in ordine 37. ſcil. *Cum Pelagio ſapit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit*, & propoſitionem 28. nimirum: *Liberum arbitrium ſine gratia & Dei adiutorio non niſi ad peccandum valet*. Reſpondet attamen Vaſquez primo ad primam propoſitionem, eam non damnari ratione dicti, ſed modi, ſcil. ratione cenſuræ, qua noſtram vt Pelagianam temerè condemnabat, ſecundo quo ad ſecundam reſpondet condemnari in ſenſu Baij, qui non ſolum de operibus bonis, ſed etiam de indifferentibus negabat fieri ſine gratia poſſe, vt colligitur ex propoſitione eiuſdem 61. dicente: *Non niſi Pelagiano errore admitti poteſt vſus aliquis liberis arbitrij bonus, ſiue non malus*, tertio addit Baium intellexiſſe de gratia etiam perfectæ charitatis & ſpiritus ne dum excitantis, ſed inhabitantis vt colligitur, inquit, ex eius lib. 2. de virtutibus & Iuſtitia impiorum cap. 4. & 5. Quarto tandem

ſubiun-

ſubiungit pro Vaſquez Ouiedo cum Ripalda, immò cum eodem Vaſquez, Baium damnari, eo quia requirebat ne dum gratiam ſpecialem naturalem per Chriſtum, verum etiam ſupernaturalem.

Sed contra primam reſponſionem & vrget damnatio iterum ſecundæ propoſitionis, quæ ſinè cenſura proferebatur, & obſtat rurſus, tum quia vt vrget Monteſinos ſaltem ex data prima reſponſione certum eſt Pelagiũ in propoſito non ſenſiſſe, vti Scholaſtici ſentiunt, ergo certum eſt extra propoſitum auctoritates vrgentes contra Pelagium vrgeri à Vaſquez & Ianſenio contra Scholaſticos: tum quia ſaltem noſtra ſententia certiſſimè libera eſt à cenſura, non ſic opinio Vaſquez, ergo iam noſtra tutior erit opinione Vaſquez, quæ ex nulla difinitione à cenſura liberata eſt: Vnde non valet retorſio Ouiedi de materia Conceptionis, cum in illa, non altera tantum, ſed vtraque à cenſura liberetur. Contra ſecundam reſponſionem obſtat quod ex prima ſecundæ qu. 18. art. 9. cum Aug. Proſpero & alijs, quos ibidem diſp. 52. colligit & Vaſquez, ad minùs in indiuiduo, ſeu in exercitio numquam datur actus indifferens, ergo cum in propoſito de actu exercendo verba fierent extra propoſitum Pontifices recuriſſent contra Baium ad actum ſine gratia indifferentem: tum quia veriſimile non eſt, inquit Suarez, Pontifices damnaſſe illam propoſitionem Baij fundatos in tali opinione purè probabili de actu indifferenti poſſibili ergo &c. tum quia in Trident. ſeſſ. 6. cán. 7. pariter damnatur Lutherus dicens: *Omnia opera ante iuſtificationem eſſe peccata*, ſed hoc nequit gloſari ideo eſſe damnatum, quia negaret etiam actus indifferentes, vt patet, ergo neque hic. Contra tertiam reſponſionem obſtat tum quia propoſitio Baij non ſolum dicit ſine gratia, ſed etiam dicit *ſine Dei adiutorio*, ergo & de auxilio actuali loquebatur contradiſtincto gratiæ habituali: tum quia dato quod Baius de gratia habituali loqueretur, adhuc ſubdebat vlterius iuſtum iam exiſtentem in gratia habituali ſinè vlteriori gratia actuali *non niſi ad peccandum valere*, vt in eadem propoſitione conſequenter innuunt illa verba, *ſine Dei adiutorio*; ſed hoc idem aſſerit & Vaſquez, ergo &c. vt rectè vrget Monteſinos. Contra quartam tandem obſtat tum quia eiſdem teſtimonijs vtitur Baius, quibus & Vaſquez, ergo ſicut ad intentum Baij definitum eſt ea non vrgere contra Scholaſticos, ita nec dici poſſunt vrgere ad intentum Vaſquez contra eoſdem, tum quia ſicuti Baius adhoc extendebat teſtimonia Patrum contra Pelagium, vt Scholaſticorum ſententiam faceret Pelagianam, ita Vaſquez adeo riſtringit gratiam in dictis teſtimonijs nominatam ſcil. ad naturalem per Chriſtum, *vt vix poſſit à Semipelagianorum ſententia diſcerni*, ſicuti loquitur cum Suarez Ouiedo ipſe controuerſia tertia punct. 1. num. 34. vt dixerat etiam Tanerus diſp. 6. de gratia qu. 3. dub. 3. num. 81. nimirum inquit: *Nulla alia ſententia magis detulit viribus arbitrij in ordine ad iuſtificationem, nec magis extulit naturam & è contra deprimit gratiam Chriſti*, & Egydius diſp. 8. de merito dub. 4. num. 13. *Hanc ſcil. gratiam à Vaſquez introductam non excedere gratiam à Pelagio admiſſam*. Vnde non video, cur poſtea idem Ouiedo iuſte potuerit criminari ſimilia ſed modeſtiora verba noſtri

noſtri Martinez ad q. 109. p. 2. ar. 2. dub. 2. dicentis: *Sententiam Vaſque declinare aliquantulum videri ad ſententiam Pelagij.*

Secundo probatur ex alij auctoritatibus, nempe ex lib. 7. canonum Apoſtolorum can. 34. (de quorum canonum auctoritate maxima agit & Turrianus in epiſt. proœm. ad eoſdem) hæc ſimilis reſolutio habetur: *Abraham* inquiunt, *antequam vocaretur à Deo ex ipſa naturæ facultate viam veritatis carpſerat*, & ad idem facit illud ad Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt*, vbi ly *naturaliter* intelligi, ideſt ex ſolis viribus naturæ latè Suarez oſtendit lib. 1. de Gratia cap. 8. per totum ex Sanctis Patribus adeundem locum ſcil. Griſoſt. Theophilato, Eucumenio Theod. Ambr. Anſel. S. Thom. immo & Aug. lib. de ſpiritu & littera cap. 28. & poteſt addi Ciprianus lib. 3. aduerſus Cherintum cap. 9. ergo iam vera eſt reſolutio noſtra. Reſpondet Vaſquez negando quo ad vtramque auctoritatem noſtram iſtam interpretationem circa ly *naturaliter*, ſed ſenſum eſſe, inquit, ex lege naturæ vtique non habita adhuc lege ſcripta, habita tamen gratia actuali pro adimpletione cuiuslib. vel minimi præcepti naturalis, vt inquit explicaſſe Aug. lib. 4. contra Iul. cap. 3. Proſperum contra Collatorem cap. 22. & Fulgentium de Incar. cap. 21. & rurſus probat quia, inquit, ibi ſermo erat non de vno vel altero opere legis, sed de omnibus vniuerſim ad contextus intentum, ſed neque in ſententia Scholaſticorum & S. Thomæ p. 2. qu. 110. art. 10. ad tertium poſſunt exerceri omnia opera legis ſine gratia, dato quod aliquod poſſet, ergo adhuc in iſtorum ſententia ibi non poterat excludi gratia.

Sed contra hanc reſponſionem ex mox adducto S. Thomæ loco inſtantia colligitur quia licet loquendo de omnibus operibus legis ſimul ad ſenſum Pelagij rectè eo modo ille locus exponatur ab Aug. & alijs allatis à Vaſquez, tamen loquendo de vno vel altero opere legis, alio modo à nobis adducto exponatur neceſſe eſt, vt idem Auguſt. expoſuit S. Thomas & alij ergo nulla reſponſio: tum quia ſaltem in prima auctoritate videtur excludi illa alia expoſitio, quam adhibebat Auguſt. ſolum ad ſecundam auctoritatem, vt ponderat Monteſinos ex illis verbis *antequam vocaretur à Deo* ſcil. etiam per legem ſcriptam, & ſubiunctis nimirum, *ex facultate ipſa naturæ*; quæ iuxta communem Theologorum fraſim propriè excludunt & gratiam ergo &c. Vnde ad probationem Vaſquez neganda eſt maior, vt ex contextu & S. S. P.P. & expoſitoribus Suarez optimè demonſtrauit. Confirmatur igitur(vt proſequamur auctoritates) iterum aſſertio noſtra ex illo Matthæi 5. *Si ſalutaueritis Fratres veſtros tantum, quid amplius facitis, nonne & Etnici hoc faciunt?* ex quo etiam Apoſtolus ad Rom. 10. & ad Philip. 3. *contradiſtinguit Iuſtitiam ſuam, & Iuſtitiam Dei*, ſed hoc eſt dari etiam ſinè gratia Theologica Dei aliqua opera moralia bona honeſta, ſaltem in ordine ad vitam præſentem hominum, licet non ad vitam æternam Dei, ergo ſic dantur, Vnde ad hunc ſenſum & iuxta hanc fraſem & D. Proſper in lib. contra Collator. cap. 26. hæc opera Etnicorum appellabat: *Opera, quæ mortalem vitam honeſtare poſſunt æternam conferre non poſſunt*, vt loquebatur

etiam

ter non obſtante ſecundo, quod natura intellectualis aliquando determinetur ad bonum prè malo., ſufficit generalis concurſus prouidentiæ, non requiritur ſpecialis: tum quia iuxta hanc reſponſionem non requireretur concurſus ſpecialis, vt præciſe in differentia determinaretur, aliter etiam pro determinatione ad malum requireretur, ſed requiritur ſolum pro exceſſu vnius extremi indifferentiæ ſuper alterum, boni ſcilicet ſupra malum, ergo iuxta hanc reſponſionem etiam ad actum indifferentem contra Vaſquez ſpecialis concurſus requireretur, præter octo alias impugnationes a nobis adductas in quodam opuſculo contra hanc gratiam Vaſquez. Ad id vero quod addebatur de ſimili etiam Semipelagianorum diſcurſu occurrendum eſt aliud eſſe loqui de hoc diſcurſu applicato ad inferendum ſolum dari à virtute naturæ aliquod bonum,& aliud ad inferendum vlterius hoc bonum naturæ eſſe diſpoſitionem ad gratiam, ſecundo modo applicabatur à Maſſilienſibus, & Semipelagianis meritò refutatis à Proſpero licèt abutentibus eodem fundamento alibi adhibito ab Aug., propter quod idem Aug. lib.4. contra Iul. c.3. *Qui ſcimus*, inquit, *quid ſentiatis neſcire non poſſumus quomodo iſta dicatis*, primo autem modo applicabatur hoc fundamentum & non ſemel repetebatur ab Aug. libr. de ſpiritu & littera cap. 27. *Nam & ipſi*, inquit *homnes erant, & vis illa naturæ inerat eis.* & c. 28. *Quia non vſque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe deleta eſt vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint.* Et proſequitur eadem verba Proſper lib. contra Colla. cap. 22. & 26. immò ferè & Trid. ſex. 6. can. 5.

Quarto principaliter probatur ex eodem Aug. locis mox indicatis vbi non ſolum noſtram approbat concluſionem in aliena ſententia, vti reſpondet Vaſquez, verum etiam ex propoſito probat validiſſime eandem ratione eadem, qua & S. Thomas vſus eſt; rurſus in lib. primo ad Simplic. qu. 2. in electione hominum ante omnem gratiam ſalutarē ante ire permittit: *Maius ingenium vel minora peccata, vel etiam honeſtas, vtileſq; doctrinas.* vbi iam vides & *honeſtatem* aliquam recognouiſſe ante gratiam: Nec fugias dicens, hos libros eſſe ab Aug. conſcriptos ante exortam hæreſim Pelagianorum, etenim etiam in fine vitæ ſcribens de Prædeſt. Sanctorum c. 4. & lib. de dono perſeuerantiæ cap. 21. remittit Pelagium ad doctrinam à ſe traditam in eiſdem libris; & rurſus lib. de perfectione Iuſtitiæ cap. 17. cum ſibi Pelagius opponeret illud Apoſtoli: *Cui vult nubat*, ad probandum non requiri gratiam pro ſingulis actibus ſalutaribus, Aug. reſp. admittendo ſinè gratia poſſe haberi hunc actum honeſtum volendi nubere dicens: *Quaſi pro magno habēdum ſit velle nubere vbi de adiutorio diuinæ miſericordiæ propterius diſputatur.* Nec dicas cum Vaſquez iterum gratis ibi Aug. pertranſiſſe non a probaſſe doctinam hanc, dum adhuc ea permiſſa ſuum intentum ſuſtinebat contra Pelagium ſcil. non poſſe impleri ſinè gratia integram legem, vbi poſtea ad refellendam vlterius Semipelagianorum ſententiam videtur ibidem eandem reuocare doctrinam dicens: *Aut vero ibi prodeſt ali-*

quid velle, niſi Deus prouidentia ſua, qua gubernat omnia, marem feminamque coniungat. Non, inquam, hoc dicas: nam ſecunda reſponſ. hæc non repugnat primæ, ſed ſolum vbi prima admittebat illud opus fieri ſine gratia ſpeciali, ſecunda adiungit non tamen fieri ſinè concurſu generalis prouidentiæ diuinæ, vti litteraliter de alijs operibus pariter vtrumq; tradit S. Thomas qu. 109. p. 2. vt etiam in hoc ſecundo alter Pelagij error euerteretur de concurſu etiam generali, & inde proportionatè Pelagius ab ordine naturę ad veritatem in ordine gratiæ deduceretur. Vnde tandem hanc eandem noſtram doctrinā tradunt & Proſper lib. contra Coll. c. 26. & Fulgentius de Incarnatione & Gratia cap. pariter 26. & Gregorius hom. 27. in Euang. & alij Patres à Belarmino citati.

Ad primum igitur dicendum eſt ſatis reſponſum eſſe ibidem, vel diſtinguendo de concurſu Dei, qui requiritur, vel de operibus bonis. ad quæ requirebatur, de concurſu quidem aliquas auctoritates intelligi quoad concurſum Dei vt ſic in communi, de operibus vero alias auctoritates ſpecialiter concurſum gratiæ nominantes debere intelligi quo ad opera vt diſponentia ad gratiam, non abſolutè, quæ ſummarie eſt bimembris D. Thomæ reſponſio: tum p. 2. q. 109. ar. 1. ad 1.] tum in 2. diſt. 28. qu. prima art. primo ad tertium tum qu. 14. de Ver. ar. 14. breuiſſime ſic ad prolixa ſimilia teſtimonia dicentis: *Ad ea vero quæ in contrarium ſunt patet ſolutio quia vel procedunt de bono meritorio, ſit vel oſtendunt quod ſine operatione Dei homo nullum bonum opus facere poteſt.* & tanto amplius hæc reſponſio ſecurior eſt, quanto ad eandem neceſſ. coguntur ſimul Vaſquez atque Ianſenius, contra quos ſic adductæ auctoritates ſingulæ intorqueri poſſunt. Contra Vaſquez quidem, quia adductæ auctoritates intendunt de gratia non ſolum naturali, vt intelligit Vaſquez, ſed etiam ſupernaturali, vt octo medijs oſtendit contra eundem ipſe Suarez cap. 17. per totum; contra Ianſenium vero, quia ex dicto Canon. Arauxicano non ſolum probaretur ſinè gratia per Chriſtum haberi non poſſe opus bonum morale, verum neq; purum naturale, vt edificare Domos, agros colere, & huiuſmodi alios actus ex obiecto indifferentes, quæ de ſe peccata nō ſunt. Ad impugnationes igitur vltimæ reſponſionis ex Ianſenio adductas vnico Verbo Reſpondemus; aliud eſſe loqui ſolum de concurſu naturali determinatè in ordine naturæ vt contraponitur concurſui ſpeciali in ordine gratiæ ſub concurſu Dei in communi vt ſic; & aliud eſſe loqui de concurſu Dei in communi vt ſic ad naturalem & ſupernaturalem: Reſponſio enim noſtra non intelligit primo modo, ſed ſecundo, quia vtiq; primo modo nequit fieri tranſitus à naturali ad ſuper naturalem, ſed ſecundo modo optima demonſtratio eſt affirmatiue arguendo à ſuperiori ad inferius, & dicendo (ad omnem actum hominis vt ſic requiritur concurſus Dei vt ſic, ergo ad talem actum ſupernaturalem concurſus gratiæ ſupernaturalis) vt in ſimili adhuc arguiſſe Apoſtolum ad Rom. 14. obſeruabat Aug. lib. 4. contra Iul. cap. 3. dicens: *Hanc peccati ſpeciem, de qua agebatur, generali voluit probare ſententia dicens: Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt.* Hinc ad ſingulas Ianſenij impugna-

tiones admittimus inferri ibidem concurſum ſpecialem gratiæ loquendo in ordine ad actus ſalutares, & conſequentur ordinis ſupernaturalis, cum quo ſtat ad alios actus non ſalutares, ſed ſolum ordinis naturæ, naturalem pariter ſufficere concurſum Dei ex prædicto vniuerſali principio diſtributiuè accommodè diuerſis ordinibus adaptando. Et ſic ſinè adiutorio Dei homo in ordine naturæ de ſe neque veritatem naturalem habet, ſed purè mendacia, & in ordine gratiæ non habet ſupernaturalem veritatem ſinè adiutorio gratiæ. Vnde idem Aug. ita generaliter in præfatione ad libros de doctrina Chriſtiana pro principio aſſumebat; *Omne verum ab illo eſt, qui ait ego ſum veritas, &c.* Et pariter illud aliud Apoſtoli teſtimonium, *Quid enim habes, quod non accepiſti?* ab Ambroſ. lib. 2. in Luc. c. vltimo, & à Hieronymo epiſt. ad Cteſifontem applicabatur ad opera etiam naturalia edificandi domum, mouendi manum, & huiuſmodi, vt fecit etiam Bernardus ſer. 13. ſuper Cantica propter præexplicatam dicti principij vniuerſalitatem.

Ad Secundum iam illa noſtra diſtinctio patet ex Aug. lib. 4. contra Iul. c. 3. & Fulgentio lib. de Incarn. c. 26. vt ſupra vidimus, & iterum ex lib. primo ad Simplicianum qu. 2. vbi aliquos *Caſtiores* alijs admittit, quibus tamen gratia electionis non donatur. Et iterum lib. primo de peccat. meritis c. 22. adhuc admiſſis bonis naturalibus non admitti debere in illis diſpoſitionem ad gratiam euidenter ſic ab exemplo oſtendit: *Vnde* fit, inquit, *vt homo ab ineunti pueritia modeſtior ingenioſior temperatior, & magna parte libidinum victor, qui oderit auaritiam luxuriam deteſtetur, atq; ad virtutes cæteras prouectior, aptiorque conſurgat, & tamen eo loco ſit vbi ei prædicari gratia Chriſtiana non poſſit, alius autem tardus ingenio libidinibus deditus flagitijs & facinoribus coopertus ita gubernetur, vt audiat, credat, baptizetur, rapiatur, aut ſi detentus hic fuerit laudabiliter viuat?* Ad primam igitur huius noſtræ diſtinctionis & ſeparationis impugnationem admiſſo antec. negatur conſequentia, quia ibi pariter ſancti Patres, vt mox dicebatur, arguebant ab vniuerſali ad particulare ſcil. ſinè concurſu Dei vt ſic nullum datur bonum vt ſic, ergo ſine concurſu ſupernaturali nullum datur bonum ordinis ſupernaturalis, vt inter cęteros legere eſt in epiſt. prima Celeſtini ad Epiſcopos Galliæ cap. 9. refundentis totam probationem in illud vniuerſaliſſimum, *ſinè quo nihil poſſumus;* vt cum Cipriano egit & Aug. & Hier. & Ambroſius & alij mox ante adducti. Ad ſecundam probationem diſtinguo antec. ita vt illatio illa Aug. valeat ad hominem con. abſolute nego. ſic enim arguebat. *hæc* cupiditas boni in veſtra ſententia *eſt initium, & diſpoſitio ad gratiam*, vt eos dixiſſe ibidem refert, ſed bonum quod eſt initium & diſpoſitio ad gratiam, habet etiam rationem meriti, ergo ſi darentur iſta bona naturalia vt initium gratiæ eſſent etiam meritum gratiæ, quod Semipelagiani admittere renuebant, & iſte diſcurſus legi poteſt tum etiam in Proſpero lib. contra Coll. c. 6. tum in eodem Aug. alibi ſcil. lib. de prædeſtinatione Sanctorum c. 2. &c. Ad tertiã probationem addimus illa verba extra propoſitum adduci, ſit enim ibi comparatio inter merce-

dem æternæ vitæ, & opera noſtra in hac vita, & vt ſuſtineatur adhuc illam eſſe gratuitam recurritur ad hoc, quod & iſta ex gratia ſint.

Ad tertium diſtinguo maio. intelligendo nomine carnalium & ſæcularium ſtrictè tantummodo ea, quæ ex affectu culpabili carnis procedunt nego, latè intelligendo etiam ea, quæ fiunt ex affectu naturali naturæ vt ſic, quæ etiam caro nominatur, concedo. Vnde melius alij Patres ibidem adducti non carnalia vocarunt, *ſed vel humana, vel ſpectantia ad vitam præſentem*, & huiuſmodi, quo modo fuiſſe dicimus bona opera Etnicorum, quidquid ſit de Maxentio, quem ſciſmaticum fuiſſe Suarez obſeruat; licèt & eius diuiſio ſuſtineri valeat loquendo de his, quæ vt in pluribus accidunt, vt idem Suarez adiungit. Hinc ad ſecundam probationem ex Aug. diſtinguo antec. ſumpto nomine pietatis cultus in Deum ſemper quò ad explicitum, & ex ordinatione operantis nego, ſaltem quo ad implicitum, & naturam operis conc. quommodo ſingula opera ex obiecto miſericordiæ etiam naturalis vulgariter opera pietatis dici ſolent, præcipuè cum pietas & naturalis detur ex S. Thoma 2. 2. qu. 105. ar. 5. & 6. imperfecta ſaltem. Ad tertiam probationem planior reſponſio eſt, nimirum hæc opera bona moralia vt ſterilia & mortua ad vitam æternam merito dici ſolum ſpectantia ad vitam præſentem, *quam honeſtant*, vt loquitur Proſper contra Collat. c. 26. *non tamen æternam conferre poſſunt*, ex quo etiam quia relinquunt operantem in damnatione ideo ſpectare dicuntur ad vitam, *quæ tota eſt damnationis & pœnæ*.

Ad quartum negatur maior, vt loca Aug. pro nobis adducta demonſtrant, & in eodem illo lib. de Ciuit. clareſcit ex illis verbis, *tot tantaque artes inuentæ ſunt*, ſub quibus etiã compræhendiſſe aliquas morales virtutes patet ex eodẽ cõtextu in quo mox ante appellauerat *artes benè viuendi &c.*

Ad quintum vtique ſuſtinendam eſſe doctrinam illam contra Vaſquez iam conſtat ab exemplo euidentiſſimo Aug. lib. primo de pecc. meritis c. 22. mox ante adducto. Vnde ad primam probationem Vaſquez in oppoſitum ſecernenda ſunt duo ſcil. ly. *placens Deo, & ly ſanctum*, & de primo admittenda eſt maior, & de ſecundo eſt neganda, cum & quælibet creatura placuerit Deo ex Geneſi, nec tamen quælib. ſancta eſſe dicatur, & ſic ad minorem de primo negamus, aliter & natura de ſe in ſententia Vaſquez, quia placet Deo, eſſet initium ad gratiam: de ſecundo autem iam diximus Etnicorum opera ſancta non eſſe, ne & ſanctos Etnicos nominemus, nec ad hoc ſufficit ſanctitas legis, aliter & auarus ex auaritia ieiunans & legem obſeruans ex hoc ſanctus diceretur. immo eadem ratione & actus indifferens, quia ſaltem magis placet Deo quam peccatum, ad gratiam diſponeret contra Vaſquez. Ad ſecundum motiuum diſtinguo maio. cum Monteſinos loquendo de elemoſina facta ex motiuo ſupernaturali propter Deum conc. pure ex motiuo naturali miſerationis humanæ & huiuſmodi, vt in infidelibus nego. quommodo pariter dicebat Aug. ſer. 45. ad Fratres in heremo. *Ieiunium ſinè elemoſina parum valet, ieiunia vero cum alijs virtutibus prodeerunt*. addendum tamen cum Suarez cap. 20. n. 23.

adhuc

adhuc primo modo elemoſinam ſaltem remouere prohibens eo modo , quo actus indifferens in ſententia Vaſquez ſi daretur , & tamen ad gratiam non diſponeret. Ad tertium motivum nego antec. quia licet ex S. Thoma 2.2, q. 116. ar. 5. & 6. Deus ex gratitudine ſicut & Princeps teneatur dare pluſquam accipit à ſubditis,non tamen tenetur dare niſi aliquid proportionatum , vt patet , & conſequentur adhuc ex gratitudine operi bono naturali ſufficit retribui bona temporalia , vt de Romanis ex Aug. dicebatur, non verò gratiam ſupernaturalem, adhuc ex gratitudine licet non ex Iuſtitia : & pariter ſolum primo modo intendebant Semipelagiani errantes etiam in hoc , vt patet ex Fauſto lib. primo de gratia libero arbitrio c. 17. Caſſiano Collat. 13. & c.16. & lib. 12. inſtitu. cap. 14. & 13. & de Maſſilienſibus vt notat Hillarius in epiſ. ad Aug. ſibi à natura ſolum reſeruantibus ; *Qualemcumque dolorem qualecumque initium voluntatis bonæ.* Ad quartum primo Reſp. Monteſinos diſtiguendo antec. poteſt promitere ſe daturum gratiam pure ratione fidelitatis & gratuitæ promiſſionis conc. etiam intuitu operis naturalis vt initij ad gratiam nego ; ſecundo dato , & non cōceſso caſu negatur cōſequentia quia quidquid ſit de caſu poſſibili,in quo fortè adhuc contra Ripaldā non amplius gratia eſſet vel ſaltē non ita gratuita remaneret , vt modo eſt , de facto ſaltem oppoſitum ex auctoritatibus apertum eſt. ad quintum primo diſtinguo maio: cum Suarez c. 22. n. 5. & Monteſinos ſ. 11. loquendo de oratione ex fide ſaltem implicita ſupernaturali conc. ex ſolo lumine naturali nego nam de prima intelligitur illud ad Rom. 10. *Quommodo inuocabunt in quem non crediderunt.* vti ad inſtitutum expendit Aug. circa orationem Cornelij in lib. de Predeſt. ſancto. cap. 7. & ſecundam appellat Arauxicanum c. 3. *Inuocationem humanam.* Secundo adhuc de ſecunda ſubdiſtinguo, eſt impetratoria gratiæ ſupernaturalis neg. alicuius boni temporalis tranſeat. vt tractat S. Thomas 2. 2. q. 83. ar. 15: ad tertium, & 16. ad ſecundum & art. 10. ad tertium explicans illud pſalmi. 146. *Dat iumentis eſcam ipſorum & pullis coruorum inuocantibus eum.* ad vj. diſtinguo Maio. metus gehennæ conceptus tamen ex motiuo ſupernaturali conced., ſolum ex motiuo naturali ſeu naturalis nego: cuius oppoſitam ſententiam *improbabilem* appellat Nugno 3. p. quæſt. 69. art. 5. dub. 3. vti & Cabrera qu. 62. ar. 1. diſput. 7. nu. 68. & Martinez Prima Secundæ quæſt. 109. ar. 6. dub. 3. concluſ. 4. vocat parum tutam , vti & Curiel. quæſt. 112. ar. 2. dub. 3. & demum Suarez lib. 8. de gratia cap. 7. inquit , *eſſe repugnatem concilio Trid.* ſeſ. 14. cau. 4. Ad ſeptimum motiuum diſtinguo mino. ſub ſumptam , retribuit vnicuique ſecundum opera ſua proportionatum tamen operibus concedo improportionatum nego : vt colligitur ex S. Thoma. p. 2. q. 21. ar. 4. Ad octauum diſtinguo Maio. ſunt naturalia quo ad ſubſtantiam concedo,quo ad modum nego, Etnicorum autem opera vtroque modo naturalia erant. Ad 9. diſtinguo Maio. ſumpto ly *rectè rouere Deo* pro vouere ſimpliciter , & vt expedit ad ſalutem nego , ſecundum quid tranſeat , & hoc ſecundo modo negatur minor & conſequentia , Ad 10. diſtinguo Maio. non retribuit tunc Deus ſem-

per

per vlteriorem gratiam efficacem conc. nec ſufficientem nego. Ad 11. negatur paritas, cum longe quid maius ſit omnia opera naturalia collectiuè exercere, & alterum exercere duntaxat, vti aperte diſtinguit Aug. lib. de perfectione Iuſtitiæ. c. 4. & tandem fatetur & Vaſquez ca. 17. n. 167.

Ad ſextum demum eadem diſtinctione occurrendum, qua ad primum vtebamur, nimirum Concilia & Patres ab vniuerſali & ſuperiori arguere ad inferius hoc modo, id, quod petimus à Deo, & de quo gratias agimus, à Dei cōcurſu habetur, ergo actus ſalutaris ſeù ſupernaturalis, de quo Deum oramus, & gratias agimus, à Dei concurſu ſupernaturali dependet, & actus naturalis, de quo oramus &c. à concurſu pariter naturali eiuſdem: & ſic omnia plana ſunt & noſtræ reſolutioni conformia, nimirum opera bona moralia, quæ in Philoſophis etiam Etnicis admiſſa ſunt, ſine Theologica gratia ſeu, vt alij loquuntur, ſine concurſu ſpeciali fuiſſe.

ARTICVLVS III.

An iiſdem Philoſophi Etnici pariter ſine gratia potuerint efficaciter diligere Deum vt auctorem naturæ, quem naturaliter cognouerunt.

VIdetur hic ab alio extremo contra præcitatos affirmandum eſſe ipſi Molinæ in concordia qu. 14. diſp. 14. per totam præſertim tamen membro 3. & 6. & licet Suarez lib. 1. de gratia cap. 32. conetur pro Molina referre & plures antiquos, eos tamen non rectè referri demonſtrat noſter Aluarez lib. 5. reſponſionum cap. 7. per totum. Vnde licet de cenſura ſententiæ Molinæ recentiores Theologi diſputarint, vnus tamen (vt video) in dicta ſententia Molina permanſit. Et poteſt ſic probari: Primo quia vt arguit pro Molina etiam Ripalda diſput. 49. ſect. 3. inter propoſitiones Michaelis Baij hæc erat 37. in ordine: *Amor naturalis Dei, qui ex viribus naturæ, exoritur ex ſola Philoſophia per elationem præſumptionis humanæ cum iniuria crucis Chriſti defenditur à nonnullis Doctoribus*, ſed vt ſupra probauimus contra Vaſquez, damnata eſt iſta propoſitio, ſicut & aliæ, ne dum ratione cenſuræ ſed dicti, ergo damnatum eſt illud dictum negatiuum Baij, ac noſtrum ſcil. non datur amor naturalis Dei, qui ex viribus naturæ exoritur, ergo amplius non poſſumus in Philoſophis Etnicis negare hunc actum naturalem amoris Dei ſuper omnia & efficacis ſinè gratia &c. præſertim, inquit additque Ripalda, quia iſtud dictum negatiuum Baij damnatum eſt in ſenſu intento ab auctore, vt Pontifex in bulla profitetur, ſed auctor nempe Baius intelligebat hoc dictum negatiuum ſicut & nos intelligimus, vt Ripalda colligit ex lib. eiuſdem Baij de char. cap. 4. dicentis: *Non tantum dilectio Dei tamquam beatificatoris, verum etiam tanquam Creatoris nobis ex Deo eſt*, vt idem poſtea omnino & Ianſenius eiuſdem aſſecla ſecutus eſt lib. 1. de natura pura cap. 10. ergo illud dictum negatiuum vere etiam in ſenſu noſtro damnatum eſt.

Secundo ex S. Thoma 2. 2. qu. 171. art. 2. ad 3. habetur ſic: *Actus ali-*

quis.

quis eſt ſupra naturam humanam dupliciter, vno modo quantum ad ſubſtantiam actus, ſicut miracula facere, &c. alio modo quantum ad modum actus, non autem quantum ad ſubſtantiam eiuſdem, ſicut diligere Deum, &c. Vt repit etiam p. 2. qu. 109. art. 4. ad 3. & quæſt. 24. de Ver. art. 14. ſed hoc nil aliud eſt quam etiam Etnicos Philoſophos habere potuiſſe à natura hunc actum dilectionis Dei quo ad ſubſtantiam actus, licet non quo ad modum informationis charitatis, &c. ergo ſic verè admittendum eſt, & ad hoc facit etiam, ſeu addi ſolet Hieron. ad illud Rom. 15. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, &c.* & S.Thomas ibidem lect. 2. conuenientes ſimul in hoc, quod etiam Idolatræ & infideles poſſunt ſuſtinere mortem propter honeſtum aliquem virtutis amorem, ſub quo ſubſumitur minor, ſed in iſto actu ſuſtinendi mortem propter fidem naturalem (immò & pranum, ſi ad hoc recurreretur, vt ambitionis, &c.) non includitur minor difficultas, quam in dilectione naturali Dei ſuper omnia, cum vtrobique efficax animi promptitudo adſit ad ſuperandas quaslibet graues difficultates vſque ad mortem contra præintentum finem, ergo à pari poterit etiam haberi naturaliter à natura ſinè gratia iſte amor efficax Dei, vt dicebatur.

Tertio quia ſicut intellectus habet appetitum innatum ad cognoſcendum Deum vt auctorem naturæ, ita & voluntas ad amandum eundem iuxta S. Thom. p. 1. q. 60. art. 5. ſed ex primo adhuc Etnici Philoſophi naturaliter potuerunt agnoſcere Deum ex Apoſtolo ad Rom. 1. ergo ex ſecundo pariter potuerunt amare eundem immò ſicut per intellectum eum cognoſcere valuerunt amamdum eſſe, cur non ſic potuit moueri voluntas ab intellectu ad dilectionem?

Quarto quia ſicut ex natura actus & obiecti ſunt naturales actus aliarum virtutum moralium acquiſitarum, ita pariter etiam ex S. Thom. iſte actus dilectionis naturalis Dei, ſed ex primo Etnici Philoſophi potuerunt, ex dictis, illos elicere ſinè gratia, ergo & iſtum pariter ex ſecundo.

Quinto quia virtutes morales acquiſitæ ſe habent vt medium ad dilectionem efficacem naturalem Dei vt auctoris naturæ, tanquam ad finem, ſed vbi ſunt poſſibilia aliqua media ad finem debet etiam eſſe poſſibilis intentio efficax finis, ergo ſicut in Etnicis morales aliquæ virtutes admiſſæ ſunt, ita & amor efficax auctoris naturæ admitti debet.

Sexto quia vbi poteſt dari appetitus innatus ad aliquid poteſt & elicitus efficax inueniri; Tum quia non minus ille quam iſte in ſola poſſibilia naturæ ordinatur: tum quia ideo S. Thomas p. 2. qu. 109. art. 3. ex 1. deducit ſecundum in ſtatu integritatis naturæ, ſed adhuc in Etnicis admittebatur appetitus innatus in Deum vt auctorem naturæ, ergo & elicitus efficax in eundem admittendus eſt.

Septimo applicatur diſcurſus S. Thomæ in art. mox citato, & quodlibeto primo art. 8. ſic quia Etnici adhuc in illo ſtatu poterant ſaltem aliqualiter (vt omnes admittunt) diligere Deum. ſed nec minus ſe, nec æqualiter ac ſe ipſos, aliter ſemper in iſta dilectione peccaſſent, ergo ſupra ſe vt intendimus ſicut à pari deducebat, vt mox dictum, eſt, hanc illationem & S.

Tho.

Thomas de homine in ſtatu integritatis naturæ.

Octauo quia non minus vniuerſalis actus eſt odium peccati vt ſic, conuerſio efficax in bonum honeſtum vt ſic, amor efficax concupiſcentiæ boni diuini vt ſic, & huiuſmodi, quam ſit prædicta amicabilis dilectio efficax Dei vt auctoris naturæ, ſed non obſtante illa generalitate actus in ſe cæteros continente videntur illi potuiſſe elici ſinè gratia etiam ab Etnicis, ergo pariter & iſte.

Nono quia & homo in pura natura conditus id potuiſſet, & pueri in Limbo hunc actum habent, ſed Etnici etiam in ſtatu peccati non habebant vires minores, ac homo in pura natura habuiſſet, neque maiorem auerſionem habebant à Deo vt auctore gratiæ, quam pueri in originali culpa exiſtentes, ergo & Etnici eundem actum naturaliter habere potuerunt.

In oppoſitum tamen eſt quod præſcindendo à cenſura ſententiæ Molinæ omnes Theologi modo in negatiua ſententia conueniunt, vt videre eſt etiam in Vaſquez & Suarez lib. 1. de Gratia cap. 33. Ouiedo in primam ſecundæ qu. 109. art. 3. Aluarez vbi ſupra & alijs paſſim relatis ab illis, ſed temeritate non vacat, vt probat Cano, à communi Scholaſticorum cõſenſu recedere ergo neceſſario in negatiua ſententia permanendum eſt.

Reſpondeo vtique negatiuè cum S. Thom. 1. 2. qu. 109. art. 3. & primo probatur ab auctoritate ex illo Concil. Araux. 2. Can. 25. diffinientis. *Nos credere debemus, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, vt nullus poſtea aut diligere Deum ſicut oportet &c. aut operari propter Deum quod bonum eſt poſſit niſi gratia eum & miſericordia diuina præuenerit*, ſed hæc eſt reſolutio noſtra ergo &c. Reſpondent tamen aliqui probabiliter pro Molina diſting. Maiorem loquendo de dilectione ſupernaturali concedo; de dilectione naturali nego vel ſubdiſtinguunt de naturali etiam efficaci efficacia exequtiua includente plures actus, & diù durante conc. de naturali efficaci ſolum efficacia affectiua per ſimplicem actum, & breui tempore nego. & de ſupernaturali quidem loqui Concilia probant (nam de affectiua non minus quam exequtiua eandem eſſe difficultatem nos infra probamus) probant inquam, tum quia in Concilio ponitur notanter illa particula, *ſicut oportet*, ſed hæc ſolet apponi ad actus naturales quoad ſubſtantiam vel modum vt clarius explicat Trid. dicens: *Non poſſe diligere Deum ſicut oportet, vt iuſtificationis gratia ei conferatur*, ergo in Concilio intelligitur de dilectione ſupernaturali quo ad ſubſtantiam vel modum actus, tum quia eo modo intelligitur ly *diligere Deum*, quo ibidem intelligitur credere in Deum, ſed credere in Deum ibi intelligitur de fide tantummodo ſuper naturali, vt poſtmodum explicat idem Arauxicanum dicens: *Hanc fidem non per bonum naturæ quod prius in Adam datum fuerat*, ſed per gratiam fuiſſe collatam ergo pariter ly diligere intelligitur de dilectione ſupernaturali: tum quia tandem eo modo intelligitur concluſio Concilij, quo modo probationes ſcil. teſtimonia aſſumpta ſcripturarum & Patrum, ſed hæc loquuntur expreſſe de dilectione ſupernaturali ergo & Concluſio ſeù definitio.

Sed

Sed contra iſtam interpretationem ac ſolutionem obſtat, quod licet admittamus, non ita eſſe euidentem diſinitionem Concilij etiam de dilectione naturali vt oppoſita Molinæ ſententia hæretica ſit, attamen pro certo putamus, quod magis ſit conforme Concilio de vtraque dilectione ſupernaturali ſcil. & naturali ſimul intelligere diſinitionem eiuſdem, quod ſic probamus: tum quia ratio cur dilectio ſupernaturalis nequeat in hoc ſtatu haberi ſine gratia eſt ipſe exceſſus ſupernaturalitatis actus & obiecti, non vero attenuatio ſeu vulneratio naturæ etiam in naturalibus, vnde neque in natura integra & ſana poterat ſupernaturalis dilectio ſine gratia haberi, ſed concilium per ly *attenuatum & inclinatum* tanquam rationē ſuæ concluſionis adduxit ipſam attenuationem & vulnerationem etiam naturæ in naturalibus, ergo eiuſdem Concilij concluſio non ſolum de dilectione ſupernaturali ſed etiam naturali intelligitur: tum quia dum Patres ſolent dicere nos in Adam *perdidiſſe liberum arbitrium*, profecto intelligunt libertatem etiam naturalem noſtram eſſe attenuatam & infirmatam etiam in ordine ad naturalia, aliter ſolum dixiſſent nos perdidiſſe gratiam non vero liberum arbitrium contra diſtinctum contra gratiam, ſed ex Aug. epiſ. 107. *Etiam ad diligendum Deum liberum arbitrium primi peccati granditate perdidimus*, ergo ex Aug. etiam libertas ipſa naturalis in ordine ad diligendum Deum etiam naturaliter perdita eſt, ideſt attenuata & infirmata quo vſque à gratia reſtauretur; tum quia eo modo definit Arauxicanum ſine gratia non poſſe haberi dilectionem Dei, quo modo errauit Pelagius in eadem dilectione aſſerenda, ſed Pelagius errauit etiam in aſſerenda dilectione efficaci Dei vt auctoris naturæ originante obſeruantiam totius legis naturalis ſine gratia, vt planè refert Aug. lib. 4. contra Iul. cap. 3. & de Iuſtitia ſolum naturali & de virtutibus Gentilium ad differentiam Chriſtanorum apertè diſtinguebat & ipſe Pelagius in epiſ. ad Demetriadem ideo ſolum vocans *naturalem ſanctitatem*, & apud Aug. lib. de peccato orignali ca. 26. iterum idem Pelagius diſtinguebat: *Tres ſtatus hominum iuſtorum, primum ex natura, ſecundum ſub lege, tertium ſub gratia*, vnde ex ipſo auctor qu. veteris teſtamenti parte 2. qu. 4. repetebat: *Ad naturalem regreſſus Iuſtitiam recipiens poſtea fidem Chriſti erit filius Dei*, de quo triplici ſtatu rectior explicatio videnda eſt in Aug. lib. 83. quæſtionum; quæſt. 66. & in Epiſt. ad Gal. cap. 5. verſu 17. & in Enchiridion ca. 118. ergo ab oppoſito etiam de dilectione naturali intelligenda eſt contra Pelagium diſinitio Concilij: tum quia tandem Aug. ad probandum contra Pelagium non poſſe diligi Deum ſine ſpeciali inſpiratione Dei, adducit auctoritates etiam Philoſophorum Gentilium præcipuè Platonicorum, vt patet lib. 11. de Ciuit. cap. 25. & lib. 8. cap. 5. & 9. & lib. 4. contra Iulianum cap. 3. ſed auctoritates iſtorum Philoſophorum non loquebantur profecto niſi de obiecto dilectionis naturalis, quod tantummodo agnouerunt, ergo & de dilectione naturali intelligit Aug. contra Pelagium, ex quo Aug. plerumque Arauxicani Canones deſumpti ſunt. Hinc ad primam probationem in oppoſitum facillima reſponſio eſt, quod ſicut ex illa particula, *ſicut oportet*, eo loci poſita

oſtenditur loqui etiam de ſupernaturali, ita ex illa eadem particula omiſſa alibi conuincitur etiam de naturali ſermonem eſſe, quandoquidem omittitur cum Aug. mox citato tum in principio illius eiuſdem can. dicentis: *Prorſus donum Dei eſt diligere Deum*, tum in Concil. Milleuitano can. 4. *Vtrumque donum Dei eſt; ſcire, & diligere*; tum in Aug. epiſt. 107. & alibi ſæpe; tum in Proſpero contra collat. cap. 31. Fulgentio lib. 2. de miſſione Spiritus Sancti & aliis. Ad ſecundam probationem diſtinguo Maio. loquendo de *diligere Deum ſicut oportet*, concedo paritatem, quam ibi ſolum egit aperte Concilium; loquendo de dilectione abſolute de qua mox antea loquebatur, nego paritatem; quia in fide etiam ſupernaturali non includitur propoſitum ſeruandi totam legem, vti indilectione Dei naturaliter cõtinetur, Vnde & illa ſemper permanet in peccatore Chriſtiano, & non iſta. Ad tertiam probationem diſtinguo Mai. eo modo ſolũ neg. eo ſimul & alio modo conc. Concilium igitur, quia de vtraque dilectione naturali & ſupernaturali loquebatur, ideo pro iſta adhibet quædam teſtimonia de ſupernaturali loquentia, pro illa verò adhibet motiua etiam de naturali probantia, vt attenuationem virium naturæ & huiuſmodi, ex quo Aug. circa illa verba *Diliges Dominum Deum tuum*, quæ ſine dubio & de naturali procedunt, ideo vniuerſim ipſe in lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 16. concludebat: *Si charitas non eſt ex Deo, ſed ex hominibus, vicerunt Pelagiani, ſi autem ex Deo vicimus Pelagianos.*

Secundo principaliter concluſio probatur deducendo ad inconueniens, quia ſaltem de potentia Ordinaria (licet de potentia abſoluta dubitare videatur Caiet. 1.2.q.113.ar.2.) abſurdum eſt hominẽ eſſe poſitiuè conuerſũ in Deum vt auctorẽ naturæ, & tamen ſimul eſſe poſitiuè contrarie auerſum ab eodem vt auctore gratiæ, ſed ſi Philoſophus Etnicus iam exiſtens in peccato lethali dilexiſſet efficaciter Deum vt auctorem naturæ, iam fuiſſet poſitiuè conuerſus in Deum vt auctorem naturæ per hanc ſcil. dilectionem, & ſimul auerſus poſitiuè contrarie ab eodem vt auctore gratiæ per peccatum ſcil. ſinè gratia delente ipſum, ergo abſurdum eſt ſaltem de potentia ordinaria Etnicum Philoſophum hoc ſine gratia potuiſſe, Minor quo ad primam partem patet ex hypoteſi dilectionis naturalis in Deum; quo ad ſecundam conſtat, quia in omni peccato in hoc ſtatu ſaltem indirectè includitur auerſio a Deo vt auctore gratiæ, vt concordant Theologi p. 2. q. 71. ar. 6. & qu. 113. ar. 2. quæ inde auerſio à Deo vt auctore gratiæ per ſolam ipſam gratiam auferri poteſt. Maior vero probatur tum quia auerſio poſitiua & contraria à Deo vt auctore gratiæ ſubinfert auerſionem ab eodem vt auctore naturæ, ſicut negatio animalis vt ſuperioris ſubinfert negationem hominis vt inferioris, ſed auerſio à Deo vt auctore naturæ non ſtat cum conuerſione in eundem pariter vt auctorem naturæ, ſicut non ſtat recedere à termino, & permanere in eodem; ergo neque cum ipſa ſtabit auerſio à Deo vt auctore gratiæ ſicut dicitur in maiori; tum quia non ſtat ſaltem de potentia ordinaria conuerſio in Deum vt auctorem gratiæ per charitatem cum auerſione ab eodem vt auctore naturæ per peccatum, ergo neque.

neque è contra ſtabit conuerſio in Deum vt auctorem naturæ cum auerſione ab eodem vt auctore gratiæ, vel diſparilitas aſſignetur. Fortè reſpondebis ad minorem principalem ex doctrina Suarez cap. 33. & 35. à num. 6. per hanc ſcil. dilectionem eſſet conuerſus in Deum auctorem naturæ, loquendo de conuerſione purè actuali conc. etiam habituali neg. & negatur conſequentia, quia è contra ſola habituali auerſione eſſet auerſus ab auctore gratiæ, quæ duo vtique ſimul ſtare non repugnat, ſicut habens habitum vitij & peccati auaritiæ aliquando exercet actus oppoſitos reſtituendi quandoque alicui ſuum. ſed Contra eſt: tum quia cum habituali conuerſione in Deum vt auctorem gratiæ non ſtat contraria actualis auerſio ab eodem vt auctore naturæ, aliter etiam de potentia ordinaria ſimul ſtaret peccatum & gratia, ergo pariter è contra cum contraria habituali auerſione à Deo vt auctore gratiæ non ſtat contraria actualis conuerſio in eundem vt auctorem naturæ; tum quia conuerſio efficax in Deum vt auctorem naturæ ſaltem in hoc ſtatu eſt proxima diſpoſitio ad conuerſionem in eundem vt auctorem gratiæ, & conſequenter ad gratiam ſanctificantem ex S. Th. quodlibet primo art. 8. ſed diſpoſitio proxima ſtare nequit cum eo, cum quo nequit ſtare ipſa forma, ergo ſicut cum auerſione habituali à Deo vt auctore gratiæ ſimul gratia non ſtat, ita non ſtat ſimul hæc diſpoſitio proxima ad gratiam ſcil. conuerſio actualis in Deum vt auctorem naturæ: tum quia, vt inquit Monteſinos, in iſtis actibus inſtantaneis ſimul eſt fieri & factum eſſe, ſeu actuale & habituale, ergo ſicut cum auerſione habituali non ſtat conuerſio habitualis, ita nec poteſt ſtare actualis; tum quia habitualiter auerſus à Deo diligit appretiatiuè plus creaturam, quam Deum, è contra vero conuerſus actualiter in Deum etiam vt auctorem naturæ diligit e contra appretiatiuè plus Deum, quam creaturam, nimirum ſuper omnia, ſed repugnat hæc duo ſimul adunari in eodem, ergo repugnat ſimul Philoſophum Etnicum eſſe habitualiter auerſum à Deo & actualiter conuerti in eundem etiam vt auctorem naturæ; tum quia demum auerſio habitualis à Deo auertit in ordine ad omnia obiecta & omnes actus, ita vt ea ſtante nullum iſtorum poſſit ab operante referri efficaciter in Deum, non ſic autem habitus vitij ita totaliter auertit ab obiecto virtutis in ordine ad omnia, vt præter ipſum nulla alia poſſint efficaciter referri in obiectum virtutis, ergo nulla eſt paritas, quæ contra hunc noſtrum diſcurſum à Suarez adducebatur. Confirmatur hinc primo diſcurſus allatus, quia abſurdum eſt Deum non diligere hominem, qui homo diligit efficaciter Deum, vt patet ex illo Prou. 8. *Ego diligentes me diligo*, & Io: 14. *Qui diligit me diligetur à Patre meo*, ſed hoc abſurdum ſequeretur de Philoſopho Etnico, qui efficaciter diligeret Deũ, & tamen Deus non diligeret ipſum, quia adhuc peccator eſſet, ergo &c. Confirmatur ſecundo cum noſtro Medina, quia abſurdũ eſſe videtur aliquem pati mortem propter Deum ſummè dilectum efficaciter vt auctorem naturæ, & tamen Deum è contra damnare ad inferos, vt patet ex illo: *Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, & iterum. *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor,*

tiſebor & ego eum coram Patre meo; ſed hoc totum abſurdum ſequeretur ſi in aduerſatiorum ſententia Socrates v. g. ex veneno mortem intrepide ſuſtinuiſſet propter confeſſionem vnius Dei vt auctoris naturæ, & tamen poſtea damnatus eſſet, eo quod fide ſupernaturali adhuc caruiſſet, ergo pariter ſententia oppoſita abſurda videtur: Confirmatur vltimo, quia abſurdum eſt ſaltem de potentia ordinaria Deum vel remittere rationem culpæ ſolum dimidiatè, vel illi negare remiſſionem culpæ, qui ſufficienter ſeipſum ad remiſſionem preparauit, ſed ſi Philoſophus Etnicus iam in peccato infidelitatis exiſtens ſine gratia diligeret efficaciter Deum vt auctorem naturæ, iam iſte ſufficienter ſe præpararet atque diſponeret ad remiſſionem culpæ, pro vt culpa dicit auerſionem à Deo vt auctore naturæ, licet non pro vt dicit auerſionem ab eodem vt auctore gratiæ, ergo in hoc caſu vel ſequeretur primum abſurdum, ſcil. Deum remittere dimidiatè culpam quo ad primam auerſionem non ſecundam, vel inferreretur ſecundum abſurdum ſcil. Deum omnino denegare remiſſionem culpæ illi, qui ſe ſufficienter diſponit & præparat.

Tertio principaliter noſtra concluſio à priori probatur quia in dilectione efficaci Dei ſuper omnia vt auctoris naturæ includitur etiam intentio efficax ſuperandi quaſcumquæ graues difficultates & tentationes pro obſeruandis ſingulis præceptis totius legis naturalis, ſaltem quo ad vſquè durat præfata dilectio, ſed Philoſophus Etnicus in hoc ſtatu lapſo ſine gratia non potuiſſet habere hanc prædictam intentionem efficacem adeo amplam &c. ergo neque potuit ſine gratia prædictam elicere dilectionem: maior Probatur tum à pari quia in dilectione efficaci Dei ſuper omnia vt auctoris gratiæ includitur intentio efficax ſuperandi omnes tentationes etiam graues contra præcepta ſupernaturalia, ergo etiam in dilectione efficaci Dei ſuper omnia vt auctoris naturæ includitur intentio efficax ſuperandi quaſcumquæ tentationes etiam graues contra ſingula præcepta naturalia; tum quia ſic colligitur ex illo Io: 14. *Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit*, ex quo dicto tamquam communi vtriquæ dilectioni auctoris naturæ & gratiæ vtraque dilectio, inquit S. Thomas p. 2. q. 109. ar. 8. *Firmat cor in Deo, ita vt pro nullo bono conſeruando vel malo vitando ab eo Separari velit.* ergo &c. tum ex Baſil. de regu. Monach. c. 12. hinc concludente. *Mandatum iſtud ſcil. dilectionis, vnum quidem videtur, ſed omnium mandatorum in ſe virtutem complectitur.* ergo &c. Minor vero principalis probatur quia vt docet Ariſtoteles 3. & 5. Ethicor. c. 2. & S. Thom. p. 2. q. 13. ar. 5. Nemo poteſt pro aliquo tempore efficaciter intendere aliquid agere per ſuas vires, quod per ſuas vires, quas habet, cognoſcit ſibi impoſſibile exequi eſſe, ſed Philoſophus Etnicus in læthali peccato exiſtens ab experientia cognoſcit per virès, quas habet, eſſe ſibi impoſſibile etiam pro breui tempore ſuperare quaſlibet difficultates (ſeu vt nos Chriſtiani loquimur) tentationes pro ſingulis præceptis totius legis naturæ ſeruandis, ergo nequit efficaciter intendere eas per ſuas uires quas habet, ſine gratia ſuperare. Nec fugias dicendo id poſſe inuincibiliter ignorare hoc eſſe ſibi

ſe ſibi naturaliter impoſſibile, immo philoſophicè exiſtimare ſibi ſine gratia poſſibile eſſe; Non fugias, inquam, tunc enim ſicut finis eſſet ſolum ſibi poſſibilis apparenter, ita efficacia intentionis finis ſolum apparens eſſet non vera in re, *& mentiretur iniquitas ſibi*, vt præuidit etiam Suarez cap. 34. à nu. 23. Fortaſſe tamen reſpondebis adhuc ad hunc vltimum ſyllogiſmum pro Molina negando maiorem, tum quia (inquit Ripalda) ſacerdos ſola voluntate naturali intendit efficaciter conficere Sacramentum, quod tamen ſcit ſine ſupernaturali concurſu Dei ſe conficere non valere, tum quia iuſtus quilibet in hac vita intendit efficaciter omnia etiam venialia collectiuè euitare, quæ tamen collectiuè vitare non poteſt: tum quia quilibet iuſtus habens ſola axilia generalia gratiæ intendit efficaciter perſeuerare in amore Dei vſque ad mortem, & tamen id profectò exequi nequit, niſi ipſi ſuperaddatur de nouo illud ſpecialiſſimum donum perſeuerantiæ, ergo, tum quia tandem S. Thomas 2. 2. quæſt. 137. artic. 4. apertè inquit: *Plerumque eſt in noſtra poteſtate electio, & non executio*, ergo poterit efficaciter eligi vel intendi aliquid, quod intendenti illud exequi impoſſibile eſt, ergo ex his omnibus maior illa falſa erat. Contra tamen hanc reſponſionem eadem maior, quam procul dubio ſupponunt vt certam & Ariſtoteles adductus, & S. Thomas p. p. q. 63. ar. 3. & in 4. diſt. 17. q. 2. ar. 1. quæſtiuncula prima, ſic vlterius probatur: tum quia perfectior eſt appetitus elicitus efficax, quam innatus, ſed innatus ex ſua perfectione nequit ferri in impoſſibile naturaliter, vt omnes admittunt, ergo neque appetitus elicitus efficax, vt dicebatur; tum quia appetitus elicitus efficax in hoc diſtinguitur ab inefficaci, quod non præſcindit à circumſtantijs, immo attendit ordinem ad opus, ergo nequit ferri in aliquod impoſſibile ordinari ad opus: tum quia illa dicitur cauſa efficax, quæ poteſt ponere effectum in executione, ſed intentio finis eſt cauſa electionis mediorum, ergo illa ſola dicetur intentio efficax finis, quæ poteſt ponere in executione electionem mediorum ad opus, ergo illa ſola dicetur intentio efficax finis, quæ reſpicit executionem finis vt poſſibilem: Vnde non valet hic altera Ouiedi reſponſio ſcil. ſatis eſſe, eſſe poſſibilem executionem tunc adhuc mediante gratia danda, licet non datam; non valet, inquam, quia quidquid ſit an Etnico poſtea danda ſit, ad minus intenderet adhuc pro tunc executionem, ſed pro tunc cum non ſit data id non poſſet, ergo adhuc pro tunc impoſſibile intenderetur, vt præuidit & refutauit hanc euaſionem & Aluarez noſter lib. 5. reſponſ. cap. 8. num. 17. Hinc ad primam inſtantiam in oppoſitum diſtinguimus antec. *intendit ſola voluntate naturali* loquendo de conſecratione pro vt inuoluit aliquid naturale, ſcil. naturalem prolationem verborum & huiuſmodi conc., pro vt formaliter dicit motum ſupernaturalem ſibi pro tunc naturaliter impoſſibilem nego, nam intendendo illud primum ſcit poſtea Deum infallibiliter eidem primo præſto ac futurum per concurſum ſupernaturalem quo ad ſecundum, quæ connexio non adeſt inter hanc intentionem efficacem naturalem, & gratiam ipſam ad obſeruandam totam legem &c. Ad ſecundam inſtantiam nego aſſumptum quoad ly *collectiuè*, vt tradit apertè S. Thomas 3. p. q.

3. p. qu. 83. ar. 3. ad 1. dicens: *Iuſtum intendere efficaciter ſolum vitare omnia venialia diuiſiuè præſcindere autem ab intentione euitandi omnia collectiuè:* vel hoc ſecundum ad ſummum intendere ſolum conditionatè ſi poſſet. ad tertiam nego ſecundam partem antecedentis, licet enim ad actum perſeuerandi vſque in finem corequiratur magnum illud perſeuerantię donum, tamen ad aliquo modo perſeuerare poſſe ſufficiunt axilia etiam generalia gratiæ, vt colligitur ex eodem S. Thoma 3. p. qu. 62. art. 6. ad tertium & alibi repetente: *Quod minima gratia vel charitas ſufficit ad reſiſtendum cuilibet tentationi.* Ad quartam demum gloſo auctoritatem eiuſdem S. Thomę, loquendo ſcil. de mero poſſe exequi nego, de ipſa executione conc. ſcil. de actuali perſeuerantia vt modo dictum eſt. Confirmatur igitur hinc hæc noſtra tertia probatio & S. Thomæ principalis ſic, quia ſicut infirmus phyſicè eſt impotens phyſicè ad exequendum opus perfectiſſimum ſani, ita natura infirma moraliter in Etnicis erat impotens moraliter ad exequendum actū perfectiſſimum naturæ ſanæ, aliter in nullo deſeciſſet aut differens fuiſſet, ſed certum eſt in eiſdem Etnicis & in alijs ob ſtatum naturæ lapſæ fuiſſe naturam infirmam moraliter ex corruptione peccati, & alias actus perfectiſſimus naturæ ſanæ in ordine naturali eſt dilectio efficax Dei ſuper omnia vt auctoris naturæ, ergo in Etnicis fuit impotens natura moraliter ad dilectionem efficacem Dei ſuper omnia vt auctoris naturæ, & bene hic nota cum doctiſſimo noſtro Ioan: de S. Thoma nomine impotentiæ moralis hic non intelligi id, quod ſolum raro contingit, ſed etiam id, quod numquam fiet ex impedimento præſuppoſito in linea motionis moralis obiecti vel finis, vt in Etinicis erat appoſitio praui finis, propter quem aiebat Aug. in Enchir. cap. 117. *in prædictis regnat carnalis cupiditas, in quibus non eſt Dei charitas &c.* Confirmatur hinc vltimo cum eodem S. Thoma, tum p. 2. tum quodlibet 1. art. 8. quia ille, qui conuerſus eſt in bonum priuatum ex corruptione peccati oppoſitum bono vniuerſali, nequit ſimul conuerti in bonum vniuerſale ſupra priuatum bonum, aliter ſimul ſiſteret in bono priuato & ab eodem recederet, ſed natura humana in Philoſophis Etnicis erat conuerſa in bonum priuatum ex corruptione peccati oppoſitum bono vniuerſali ſcil. Deo, ergo non poterat ſimul conuerti in bonum vniuerſale ſupra priuatum ſeu in Deum ſuper omnia efficaciter diligendum, vt optimè ad hunc ſenſum diſcurrebat Aug. lib. de ſpiritu & littera cap. 15. & tom. 10. inter fragmenta, & qu. 18. in Exodum, & alijs ommiſſis in expoſitione epiſtolæ ad Galatas dicens: *Qui non ducuntur ſpiritu ſequitur vt carne ducantur.*

Ad primum igitur diſtinguenda eſt minor, ſcil. damnata eſt illa propoſitio Baij ratione etiam dicti in ſenſu tamen Baij conc. in ſenſu noſtro nego; Baius autem non ſolum negabat poſſe dilectionem Dei eſſe naturalem ex conditione ſubiecti, ideſt ex viribus naturæ ſine gratia, vti nos; ſed etiam ex natura actus & obiecti, ideſt in ordine ad auctorem naturæ, præſcindendo ab auctore gratiæ, quod nos vtique incunctanter contra Baium & contra Ianſenium lib. 1. de natura cap. 10. alibi negandum eſſe probauimus, ex eodem

dem Aug. lib. 8. de Trin. cap. 8. & alibi ſæpe & ex S. Thoma in epiſ. primā ad Cor. cap. 13. lect. 4. & poteſt fuſius videri Medina p. 2. qu. 109. art. 3. dub. 1. §. hanc diſtinctionem probās ex eodem Aug. lib. 14. de Ciuit. ca. 7. Vnde patet ad illud aliud quod à Ripalda adiungebatur, præterquamquod Baius neque agnouit vllam dilectionem Dei inefficacem ſine gratia vt legitur in eiuſdem propoſitione damnata 39. qua, non obſtante hoc, iterum vtitur Ianſenius lib. 1. cap. 14. non ſic autem nos.

Ad ſecundum diſtinguenda eſt maior cum Bannez 2. 2. qu. 24. art. 2. & alijs noſtris ſcil. loquendo de ſubſtantia actus genericè quo ad genus proximum amoris Dei vt ſic conc. etiam ſpecificè quo ad differentiam ſpecificam efficacis nego, præter alias reſponſiones Aluarezij diſp. 51. & Ioan: de S. Thoma in p. 2. diſput. 20. art. 1. & ad illud quod additur ex Hier. & S. Thoma de infideli ſuſtinente mortem propter finem ſibi propoſitum late reſpondet Medina q. citata 109. artic. 3. ad 2. & breuiter diſparitas aſſignari poteſt, quia Deus amatus rectè & efficaciter longe magis diſtat ab iſtis corporalibus, quam diſtet vel ambitio famæ, vel peruicacia ſectæ, & huiuſmodi, & conſequenter minus apprehenſio naturalis Dei mouet ad toleranda mala voluntatem, quam alia prædicta moueant, vt pulcherimè animaduertit Aug. & ſoluit hanc obiectionem ſibi propoſitam ca. 16. in lib. de patientia c. 17. vbi poſtquam de amore terrenorum præmiſerat, hac inde de cauſa c. 25. conclucludit: *Voluntas autem Creatoris alterius generis eſt*, præter aliam diſparitatem ex ſecunda noſtra principali probatione deducendam.

Ad tertium diſt. Mino. ita vt habeat cognitionem naturalem etiam perfectiſſimam, ideſt ſine omni admixtione errorum nego; non ita perfectam, adeo vt cum permixtione errorum etiam in ordine naturali permaneat circa Deum conc. vt colligitur ex S. Thoma p. p. qu. 1. art. 1. & primo contra Gentes & alibi, & negatur conſequentia, quia dilectio efficax Dei ab oppoſito eſt actus perfectiſſimus voluntatis in ordine naturali. Secundo Reſpondetur diſtinguendo maio. ſi intelligatur paritas quo ad aliqua conc. quo ad omnia nego, diſparitas eſt quia exiſtens in peccato lethali, conſequenter habens auerſionem à Deo, habet etiam impedimentum præcipuè in voluntate, cuius eſt auerſio, non in intellectu, cuius eſt cognitio, Vnde etiam in præcitata qu. S. Thomas art. 2. ad 3. reſpondebat: *Magis eſſe corruptam naturam ex peccato quantum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri*, & ideo non valet paritas, immo neque in intellectu agnoſcente Deum eſſe amandum ſuper omnia poteſt admitti hoc iudicium eſſe practicè practicum, & ideo concludendum eſt hoc non valere, vt voluntas ad efficacem Dei dilectionem ſine gratia moueatur.

Ad quartum diſt. minor. ex illo primo præciſè nego, ex illo ſimul & ex alio concedo, quia ſcil. illi actus non dicuntur nec ſunt ſupremus actus perfectiſſimus naturæ ſanæ, neque incompatibilis cum auerſione à Deo, neque virtualiter continens vim totius legis naturalis, vti ſe habet actus efficax dilectionis Dei ſuper omnia, & ideo conſequentia neganda eſt; neq; ſequitur nos requirere gratiam ſolam ad facilius cum Pelagio, vti inferebat contra

hanc

hanc noſtram reſponſionem Vaſquez num. 43. non ſequitur, inquam, cum immo ex dicta perfectione iſtus actus deducamus ſimpliciter ſine gratia eſſe impoſſibilem.

Ad quintum diſtinguo Maio. virtutes morales naturales in ordine etiam naturali perfectæ ſunt media ad dilectionem efficacem auctoris naturæ conc. virtutes ſolum in hoc ordine imperfectæ nego, & conceſſa mino. diſtinguitur conſequens, ſi eſſent poſſibiles ſine gratia primo modo conc. ſecundo modo nego, ſunt autem dumtaxat ſecundo modo, vt ex profeſſo oſtendit Aluarez diſputatione 50. de auxilijs per totam, ex defectu ſcil. aſſequtionis vltimi finis etiam in ordine naturali ſine gratia.

Ad ſextũ diſtinguo maio. vbi datur appetitus innatus naturæ & alias natura eſt integra vel pura nec impedita à ſuperaddito impedimento praui finis oppoſiti concedo, & alias natura eſt impedita, vt in propoſito, nego, & admiſſa min. negatur conſequentia, quia vtique in natura integra vrget illa probatio S. Thomæ, vt de illa ab eodem adhibetur, non vero eodem modo currit in natura lapſa, quia appetitus innatus ſequitur naturam vt eſt in ſe, & ſecundum ſe, elicitus autem cum ſequatur cognitionem practicam attendit omnes circumſtantias ſuperadditas naturæ &c. Secundo Reſpondetur cum Curiele art. 3. citato dub. 2. in reſponſione ad primum diſtinguendo minor. datur appetitus innatus in Deum tamquã in terminum inadequatum licet principalem contentum ſub adequato bono in communi vt ſic conc. tanquam in terminum adequatum in quem omnia alia referantur, & qui ſuper omnia diligatur nego; primo vtique modo etiam in Dæmonibus datur appetitus ne dum innatus ſed elicitus efficax in Deum, immo neceſſarius quo ad ſpecificationem, vt tradunt Thomiſtæ cum S. Thoma p. p. qu. 60. art. 1. ad 3. non vero ſecundo modo, & primo modo diligitur Deus neceſſario vt principium ipſius eſſe boni vt ſic, ſicut neceſſario diligitur ipſum eſſe & bonum vt ſic ex eodem S. Thoma p. p. qu. 63. ar. 1. ad 3. ſecundo vero modo non ſic, & licet ex primo deduxerit S. Thomas quodlibeto primo art. 8. hoc ſecundum in natura pura vel integra, non rectè tamen deducitur in natura lapſa, ob ſuperadditum impedimentum peccati, quod naturæ repugnat ex 1. 2. qu. 71. art. 2.

Ad ſeptimum diſtinguo maio. poteſt diligere Deum æqualiter in linea dilectionis inefficacis conc. efficacis nego, & admiſſa mi. diſtingitur conſequens ſupra ſe tamen inefficaciter concedo, efficaciter nego; quia ergo in homine adhuc condito in puris naturalibus neceſſe fuiſſet admittere aliquam dilectionem efficacem in ordine ad Deum, vt ex iſta inciperet efficaciter operari, ideo de iſta loquendo optimè vrget S. Thomæ diſcurſus, non vero in natura lapſa, in qua homo aut ex intentione efficaci finis praui, aut alterius boni naturalis præſcindentis ab vltimo & ſupremo poteſt incipere operationes: ex qua diſparitate etiam alia ſuboritur, quod homo in natura pura ex inclinatione naturali tenebatur in illo priori ſe conuertere in Deum ſuper omnia, non ſic autem modo ſaltem poſt primum inſtans rationis perpetuo ad hoc tenetur, de primo autem inſtanti alibi dicturi ſumus.

Ad

Ad octaum negatur min. nam de amore etiam efficaci concupiſcentiæ Dei negant ad primam ſecundæ qu. 109. art. 3. Martinez in fine commentarij, Gonet art. 4. §. 5. Corrol. 3. & Aluarez lib. 5. reſponſ. cap. 6. nu. 14. præter Vaſquez, Suarez, Auerſa, & Ouiedo controuerſia 3. punct. 2. conclu. 6. pariter de amore efficaci boni honeſti, ſeu iuſti vt ſic negant Salmaticenſes diſputat. 20. de peccatis dub. 1. nu. 20. Ioan. de S. Thoma diſput. 19. in primam ſecundæ art. 4. & Suarez lib. 1. de gratia cap. 37. num. 21. contra Ripaldam diſput. 49. ſect. 3. ante numerum 16. & de odio pariter efficaci ipſius peccati alios refert & ſequitur Aluarez lib. 5. reſponſionum cap. 8. per totum contra Molinam, & nos deiſtis ac ſimilibus ex profeſſo loco citato primæ ſecundæ pertractauimus.

Ad nonum tandem neganda eſt Maio. vt docet & probat idem Aluarez lib. 5. reſponſionum cap. 12. per totum referens Vaſquez, Conradum, & alios, præter quos profecuti ſunt Curiel quæſtione ſæpe citata dub. vltimo §. 3. Monteſinos qu. 6. §. 3. poſt numerum 235. Gonet art. 4. §. 5. Corrol. 1. contra Suarez lib. 1. de gratia cap. 33. nu. 6. & cap. 35. num. pariter 6. quæ nos vt Theologica nimis & minus appoſita noſtro huic inſtituto de cenſura morum iu Philoſophiæ Principes prætermittimus.

ARTICVLVS IV.

Vtrum probabilior ſit aliquorum opinio Platonem, vel Socratem, & huiuſmodi in gratia ſaluos è vita ceſſiſſe.

Videtur præſertim de Platone quod ſic recentiori cuidam Nicolao Securo iu opuſc. de ſalute Platonis, edito Venetijs anno 1666. referenti etiam Abulenſem parad. 5. cap. 132. præter Caterinum in Epiſt. ad Rom. cap. 1. ſolum ſub dubio fauentem, & præter Ludouicum Viuez in lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 10. hinc conquerentem *Platonem Sanctiſſimum Philoſophorum præ Ariſtotele præteriri*, vt morem fortaſſe gereret Apuleo vel Labeo Platonico, qui Platonem inter Semideos, immo Deos numerauerunt; Quid plura? idem Securus in fine opuſculi refert ex Niceta in Nazianzenum oratione 2. paſchali Chriſtiano cuidam Platonis conuitiatori Platonis animam apparuiſſe noctu minitantem & admonentem ſe à limbo cum Patribus in cælum euolaſſe, adeo vt Securus ipſe de Platonis ſalute ſecurior concludat his verbis: *Cum enim in vita quaſi alter præcurſur Chriſtum Redemptorem prædicaſſet mortuus etiam confeſſus eſt*, hæc in præſenti ſententia expendenda eſt hiſce argumentis pro illa præmiſſis.

Primo nam fides implicita ad iuſtificatiouem & ſalutem indiſpenſabiliter prærequiſita ſufficit quod ſit ſupernaturalis ex parte modi, naturalis autem ex parte obiecti, vt actus ille, quo credit fidelis ruſticus Deum vt auctorem naturæ dari, ſed plures Gentilium Philoſophorum hoc habuerunt, & præſertim Plato, ergo & Plato cum iſtis fidem habuit ſufficientem ad iuſtificationem & ſalutem, maior approbatur à Soto lib. 2. de natura & gra-

tia cap. 11. cum Magiſtro Victoria, & denuo à Ripalda licet cum aliqua trepidatione defenditur diſput. 20. de ente ſupernaturali ſect. 23. & diſput. 63. ſect. 4. & 5. & prob. ab ipſo ab exemplo Cornelij appellati iuſti ante fidei Cathechiſim actorum 10. de quo inquit Hieron. in epiſt. ad Galatas 3. *Sine auditione externa fidei accepiſſe ſpiritum Dei ex lege naturali per quam dudum Abraham & Moyſes & cæteri Sancti iuſtificati ſunt*, ſicut per multi ſubdit qu. 34. Abſque fide *ſapienter faciunt aliqua vel Sancte*, & Clemens Romanus lib. 7. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 34. *Abraham*, inquit, *viam veritatis, duce Deo, ex ipſa naturæ facultate capeſciſſe cognitione antegreſſa fidem*. Clemens Alexandrinus lib. 5. & 6. Stromatum ait quoſdam ante Chriſtum iuſtificatos *vel per legem vel per Philoſophiã*, & demum Ambroſius in Epiſt. ad Rom. cap. 2. *Dum natura*, inquit, *duce credunt, opus legis oſtendunt, non per litteram ſed per conſcientiam*. Minor vero probatur ex Fulgentio apud Ripaldam eundem ſcil. lib. de Incarnatione & gratia ca. 17. dicente: *Deum gentibus pænitentiam dediſſe ad vitam æternam priuſquam credere incipiant*. Nazianzeno oratione 19. ſubdente: *Permultos exterorum infidelium à Chriſtianis ſtare moribus ſalutaribus anteuertentes fidem, & ſolo Chriſtiano nomine carentes*; Vnde & illum locum Apoſtoli ad Rom. 1. *Deus enim illis, ſcil. Philoſophis, manifeſtauit* Anſelmus exponit, ideſt, *Quia Deus eorum cordibus notitiam ſui dignatur infundere*, Vt proſequitur ibidem S. Thomas dicens: *Vel interius infundendo lumen, vel exterius proponendo vniuerſas creaturas, in quibus ſicut in quodam libro Dei cognitio legeretur*.

Secundo quia Platonem etiam agnouiſſe Deum vt auctorem gratiæ eique ſic credidiſſe probatur à Securo ex eodem Platone nominante *& Deo amicum Sanctum*, & ſubdente *ab eo ſanctum amari, & quia amatur ſanctum eſſe*, & lib. 6. de Republica *Deum eſſe ſupra omnem contemplationem* vt repetit etiam in Timeo, & ex ipſo notat Cirillus in lib. contra Iulian. & Iuſtinus Martir concludit *Platonem de Deo optimam ſententiam habuiſſe*, ergo iterum Plato habuit fidem implicitam etiam ex parte obiecti ſupernaturalem, & conſequenter ſufficientem ad iuſtificationem & ſalutem.

Tertio quia loquendo adhuc de fide explicita ad iuſtificationem ſufficere fidem ex modo agendi naturalem licet ex parte obiecti ſupernaturalem, vt eſt actus, quo credit hæreticus Caluiniſta v. g. Incarnationem vel Trinitatem, arbitratus eſt Vega lib. 6. in Trid. ca. 20. & 21. ſed procul dubio hanc habuit Plato, ergo Plato adhuc habuit fidem ſufficientem etiam explicitam ad iuſtificationem: minorem probat diffusè Securus à pag. 31. vſque ad finem plerumque congerens ex Euſebio lib. 11. de præparatione Euangelica, vel Clemente libr. 5. Strom. aut Leone à Caſtro in caput 40. Eſaiæ ſingula loca Platonis, in quibus quam plura fidei noſtræ miſteria tangit perlecta ab eodem in Iudæorum libris, vt notant Clemens Alexandrinus in exhortatione ad Gentes Origenes lib. 6. contra Celſum, & demum Aug. in lib. 7. Confeſſionum teſtis eſt ſe vidiſſe in Platonicorum libris etiam caput primum Ioannis Euangeliſtæ, & huiuſmodi.

Quarto quia Platonem hæc noſtræ miſteria fidei credidiſſe etiam ex mo-

tiuo

tiuo ſupernaturali vt à Deo vel Prophetis reuelata, probatur ab eodem Securo ex eodem Platone in libr. 12. de legibus ita dicente *credendum eſt autem & de aliis legum latori, & de anima cum eam dicat à corpore differre*, & in Alcibiade; *Deus autem vtpote à muneribus in corruptus ſpernit hæc omnia, vt ipſe eiuſque Propheta prædixit*, nimirum Dauid, vt interpretatur Securus, in pſalmo 14. *Et munera ſuper innocentem non accepit* Vt obſeruauit etiam Ficinus libr. 14. cap. 9. ergo habuit & fidem explicitam etiam ex motiuo ſupernaturalem.

Quinto quia Platonem ne dum iſta agnouiſſe, vti & catholici peccatores agnoſcunt, verum etiam ſanctè iuxta iſta vixiſſe colligitur à Securo ex Baſilio homilia ad adoleſcentes aiente, *Platonem ab Vrbe in accademiam receſſiſſe Vt venuſtior corporis habitus veluti vitis luxurians amputaretur, & elegias ac Tragedias à ſe in iuuentute compoſitas concremaſſe*, ex S. Tho. p. p. qu. 6. ar. 4. teſtante inquit Securus, Platonem poſuiſſe *ideam ſeparatam entis & vnius boni, & ſolum amore virtutis contemplandæ ab omni delectatione venerea abſtinuiſſe*, adeo vt idem Securus concludat Platonem & in vita & in morte mirabilem extitiſſe, in vita quidem, quia ex Laertio & Ficino adhuc infantis oris inſederunt mellifluæ apes, & eum Socrates in oloris ſomnio prænidit, in morte autem, quia ex Bartholamæo Caſſaneo in Cathal. glorię mundi parte 12. §. 26. In tumba Platonis inuenta fuit lamina ſuper pectus eius aurea in qua ſcribebatur: *Credo in Chriſtum naſciturum de Virgine paſſurum pro humano genere, & tertia die reſurrecturum*, & minimum abeſt quin eo Securus peruenerit, vt ex Celſo apud Origenem lib. 6. in eundem, repetierit & ipſe *in Platonis Philoſophia & Dominum Ieſum profeciſſe*.

Sexto hæc opinio Securi probari poteſt à pari, quia & Socratem aliqui ſaluum eſſe putarunt, vt Abulenſis vbi ſupra cum Iuſtino dicente Socratem adhuc viuentem vidiſſe & audiuiſſe Chriſtum & lib. quæſt. Gentilium qu. 8. ſic concludente: *Qui cum ratione vixiſſent Chriſtiani etiam ſi Deum non nouiſſent exiſtimati ſunt, quales apud Grecos Socrates Eraclitus & alij ſimiles*. De Seneca etiam Otho Fricingenſis apud Lipſium in vita Senecæ cap. 7. *Inquit nō tam Philoſophum, quam Chriſtianum dicendum*, Tertullianus appellat *noſtrum*, Hieron. in li. ſcriptorum eccleſiaſticorum, *eum*, inquit ſcil. *Senecam non ponerem in cathalogo ſanctorum niſi me epiſtolæ illæ prouocarent, quæ leguntur à plurimis Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum*, & Concil. Turonenſe ſecundum can. 15. adducit & Senecæ teſtimonium, & idem Seneca de rigida ſui abſtinentia corporiſque maceratione conſuli poteſt epiſtola 87. & 108.

Septimo & Auguſt. epiſ. 130. admittit Polemonem Philoſophum Ethnicum ex auxilio gratiæ de ebrio & luxurioſo effectum eſſe continentem, & li. 1. de gratia Chriſti cap. 24. Regem Aſſuerum (quem Suarez lib. 1. de gratia cap 16. probat fuiſſe gentilem) admittit ex actuali gratia de furore conuerſum in manſuetudinem, ergo à pari hoc de Platone veriſimile erit.

Octauo tandem, ab exemplo Iob credibile eſſe etiam plures alios inter Gentiles ſanctè vixiſſe nos docent Dionyſius cap. 9. de cæleſti Hyerarchia,

Digitized by Google

Griſoſtomus homil. 37. ad illa verba Math. *taci vident*, & cum alijs addu-ctis in primo argumento etiam Bouauentura in 2. diſt. 28. ar. 2. q. 1. Ro-ua lib. 1. de prouidentia qu. 7. nu. 50. Didacus Ruiz diſput. 46. de præde-ſtinatione ſect. 8. Alexander parte 8. qu. 69. membro 5. ar. 3. & alijs om-miſſis hoc non diſplicet S. Thomæ in 3. diſt. 25. qu. 2. art. 2. quæſtiuncula 2. ad 3. & 2. 2. qu. 2. ar. 7. ad 3. dicenti: *Si qui Gentilium ſaluati fuerunt qui-bus reuelatio facta non fuit ſcil. Chriſti, non fuerunt ſaluati abſque fide mediato-ris, quia & ſi non habuerunt fidem explicitam habuerunt tamen fidem implici-tam in diuina prouidentia credentes Deum eſſe liberatorem hominum ſecundum modos ſibi placitos & ſecundum quod aliquibus veritatem cognoſcentibus ſpiri-tus reuelaſſet*.

In oppoſitum tamen eſt Aug. lib. 1. retraction. cap. 1. ſimilia dicta Secu-ri retractans his verbis, *laus quoque ipſa, qua vel Platonem, vel Platonicos, ſiuè accademicos Philoſophos tantum extuli, quantum impios homines non opor-tuit, non immerito mihi diſplicuit*, & D. Bernardus in epiſ. 189. ad Inn. Abai-lardo hæretico exprobrabat, *Quod dum multum ſudaret, quomodo Platonem Chriſtianum faceret, ſe Etnicum comprobaret*, ergo vere ex his Patribus ſimilis Securi conatus reprobandus eſt.

Reſpondeo iſtos (vt à cenſura preſcindam) aut minus probabiliter pro-cedere, aut ad ſummum nimis leuiter diuinare, quia & Plato Græcorum Deos cenſuit adorandos, vt teſtantur Euſebius libr. 13. de præparatione Euangelica cap. 8. & 11. & Aug. lib. 8. de Ciuitate cap. 12. & in Epimeni-de idem Plato diuinum cultum tribuit cælis & aſtris & Dæmonibus, & in-de Griſoſt. homil. 7. in Epiſt. ad Corin. cap. 2. refert Platonem etiam Ido-la coluiſſe; immo, quod peius eſt ac dicere pudet, etiam pederaſtiæ vitio Platonem laboraſſe recenſent Laertius & Gellius lib. 18 cap. 2. & lib. 19. cap. 11. & Plutarcus lib. de educan. liberis ante finem; & Ariſtippus lib. 4. de delitijs antiquor. nominatim refert captũ fuiſſe Platonem amore Stellæ, ac Dionis, & alij Phedrum adiungunt, alij etiam Alexin, vt Laertius fatetur lib. 4. & Beſarion in præfatione apologiæ pro Platone confeſſus eſt obiecta fuiſſe Platoni *vitia ebrietatis, fornicationis, adulteria, ſtupra, latrocinia, tirran-nidem*: Et vt vna periodo plura comprætendam, fat erit ex currere in dire-ctorio Inquiſitorum parte 2. qu. 4. mirabiles Platonis hæreſes ac errores. Profecto Apoſtolus de his Principibus Etnicæ Philoſophiæ verba faciens ad Rom. cap. 1. *Euanuerunt*, inquit, *incogitationibus ſuis, & cum cognouiſſent Deum non ſicut Deum glorificauerunt*, Vt valde ad propoſitum vrget Am-broſius lib. 1. de vocatione gentium cap. 2. & cum S. Thoma plerique Pa-tres paſſim ad eundem locum Apoſtoli proſequuntur: Inde & Aug. in pſal-mum 14. ad illa Pſalmiſtæ verba, *abſorti ſunt iuncti petræ iudices eorum*, hoc de primoribus Philoſophorum Gentilium exponit, & hinc inter cæteros in inferis damnatos exiſtere ſupponit nominatim *Platonem* & alios pleroſ-que Etnicorum Philoſophos, quorum ſigillatim etiam enormia crimina in-texit alias addictus eiſdem Diogenes Laertius in vita Philoſophorum, vt li. 1. inquit, *Periander Cratea propria matre vſus eſt*, lib. 2. ſubdit, *Socrati Al-*

cibiades

cibiades in delitijs fuit, ex lib. 6. Diogenes Cinicus aiebat *debere eſſe communes mulieres ac liberas*, ex lib. 7. Zeno (quem & in hoc Plato ſecutus eſt) *Vxores communes in Republica ſtatuit*; & huiuſmodi plurima, quæ & pudendum exſcribere & ſuper vacaneum audire: ex quibus tamen nec non ſimilibus breuiter poſſumus reſtingere hanc probationem, immò etiam præſcindendo ab eiſdem; nam quicumque ponit habitualiter vltimum finem in aliquo ente creato præter Deum habitualiter malus eſt, neque iuſtus aut ſaluus exiſtimari poteſt, ſed Socrates Stoicorum Princeps & Plato cum ipſo auditor & admirator eiuſdem habitualiter poſuit adminus vltimum finem in honore vel gloria proueniente à bono virtutis, veluti ente creato præter Deum, ergo habitualiter ſemper hi mali fuerunt, neque iuſti vel ſalui potuiit exiſtimari: maio. Theologis in p. 2. certiſſima & ſancta eſt; min. vero probatur apertè ab Aug. ſerm. 13. de verbis Apoſtoli cap. 7. his verbis: *Fuerunt Philoſophi ſæculi huius, alij putauerunt non eſſe beatitudinem niſi ſecundum carnem viuere, & bonum hominis in voluptate corporis poſuerunt, & iſti Philoſophi Epicurei dicti ſunt, &c. extiterunt alij ſuperbi quaſi à carne ſe remouentes, & totam ſpem beatitudinis ſuæ in anima ſua conſtituentes poſuerunt ſummum bonum in virtute ſua, & tales fuerunt Philoſophi, qui Stoici nuncupati ſunt, Illi ſecundum carnem viuentes, iſti ſecundum animam, nec iſti, nec illi ſecundum Deum viuentes*, & infra. *Dicebat Epicureus, mihi frui carne bonum eſt*; *dicebat Stoicus, mihi frui mente mea bonum eſt, dicit autem Apoſtolus, mihi autem adherere Deo bonum eſt*. Hucuſque pulcherrimè Auguſt. qui etiam ad propoſitum inſpici poteſt lib. 4. contra Iul. cap. 3. & epiſt. 56. & lib. 19. de Ciuit. & 21. cap. 25. & libr. 5. cap. 20. & alibi frequentiſſimè, adeo vt ex hac vnica Aug. doctrina pateſiat hallucinatio recentiorum quorundam minus cautè Platonis vel Socratis Dialogos excurrentium, nec diſcernentium hanc diſtinctionem ſapientis Etnici à Chriſtiano, & inde quandoque præbentium occaſionem errori hæreſi etiam Pelagianæ peiori, quæ vt in ſuperiori articulo ex Aug. referebamus ſaltem ſapientibus Etnicis pro conſimilium virtutum præmio conceſſit ſolum beatitudinem quandam extra cælorum regnum, iſti vero procedentes vlterius inuitos adhuc hos Etnicos in regnum etiam Cælorum deducere conati ſunt, quod quanta careat probabilitate, vel ſolum ex ipſa eaque facillima argumentorum ſolutione patefiet.

Ad primum igitur, prærerquamquod de vita ac moribus peculiariter hæc quæſtio procedit, non de quacumque cognitione duntaxat, quæ in catholico etiam peccatore admitti ſolet, adhuc maior illa abſolutè neganda eſt, vt eam damnant ad minus vt erroneam vel temerariam Cano relectione 2. de Sacram. & cum eodem Cabrera 3. p. q. 62. art. 1. diſp. 20. de auxilijs §. 6. & 7. Corduba lib. 2. de ignor. qu. 5. & cum alijs Scolaſticis Bannes ad 2. 2. qu. 2. art. 8. dub. 1. obſeruans & Soto noſtrum pro oppoſita opinione relatum eam poſtmodum ideo admonitum renocaſſe, tum in editione ſalmantina eiuſdem libri de natura & gratia, tum in fine 4. Sent. diſt. 5. qu. 1. ar. 2. & ad Rom. cap. 1. & 2. nec Patres adducti in oppoſitum

patro-

patrocinantur aut fauent, nam vti cum alijs & nos ipſi diſtinximus in commentarijs ad primam ſecundæ qu. 109. art. 6. dub. 2. aliud eſt fidem implicitam ex obiecto naturalem & ſolum ſupernaturalem ex modo agendi eſſe poſſe diſpoſitionem aliquam præuiam ac remotam ad iuſtificationem, & aliud eſt eſſe poſſe etiam vltimam in genere fidei diſpoſitionem ad iuſtificationem eandem; primum vtique verum eſt, & colligi poteſt ne dum ex Patribus in argumento citatis, verum etiam iterum ex Fulgentio de Incarnatione & gratia cap. 17. dicente: *Vt homo credere in Deum incipiat a Deo accipit pænitentiam ad vitam, ita vt omnino credere non poſſit, niſi pænitentiam dono Dei miſerentis acceperit*, ſecundum vero adhuc admiſſo primo refellitur ab Auguſt. lib. ad Simplic. quæſt. 2. *Nam ſiunt quidem*, inquit, *quædam inchoationes fidei conceptionibus ſimiles, non tamen ſolum concipi, ſed naſci opus eſt, vt ad vitam perueniatur æternam*. Vnde & in Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. vniuerſaliter definitum eſt: *Quod ſine fide nulli vnquam contigit iuſtificari*, & rationem meo videri ineluctabilem Bannes adduxit, tum quia in fide implicita, quæ ſufficere debet pro vltima diſpoſitione in hoc genere ad iuſtificationem, debet in virtute contineri etiam explicita, ſed prædicta fides ex parte obiecti naturalis nequit continere in virtute fidem explicitam ex parte obiecti ſupernaturalem, ergo non ſufficit, tum quia in illis verbis Apoſtoli ad Hæbre. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & quia inquirentibus ſe remunerator eſt* Exprimitur profecto Deus vt auctor non ſolum naturæ ſed gratiæ, ad quem accedimus ſcil. ſolum per charitatem & qui nos remuneratur in Patria, ergo ex Apoſtolo fides neceſſaria ad iuſtificationem debet eſſe ex obiecto ſupernaturalis, ommiſſo quod auctoritas prima Hieronymi relata à Ripalda non fideliter recenſetur, dum inquit in textu Hieron. *Accepiſſe quidem eius ſpiritum, ſed ex auditu fidei & naturali lege*, Ripalda autem in illa ſect. 4. num. 20. reticuit primam particulam ſcil. *ex auditu fidei*, vt auctoritas ſuo intento magis faueret, & commentaria in epiſt. ad Rom. attributa Ambroſio recenſita ab eodem aliqui dubitant, an verè Ambroſij ſint, eo quod & Pelagius ſimilia ſcripſerit commentaria, & in eiſdem aliqua inſerta ſint non parum eidem Pelagio fauentia, vt plura percurrit etiam Ianſenius lib. 1. de Hæreſi Pelagiana cap. 4. licet Suarez libr. de gratia cap. 21. *grauem & catholicum auctorem cenſeri* pronuncíet. Concludat igitur Aug. lib. de natura & gratia cap. 7. *Euacuari crucem Chriſti, ſi aliquo modo præter Chriſti Sacramentum ad iuſtitiam vitamque æternam perueniri poſſe dicatur*.

Ad ſecundum negatur aſſumptum, ſi enim vt vidimus errauit Plato circa Deum etiam vt auctorem naturæ, quomodo non errauiſſe dicendum eſt à fortiori de Deo vt auctore gratiæ? Vnde ſi quando Patres ex Platone præſertim de Deo aliqua recte dicta commemorant, vti ſunt illa, quæ in argumento citantur, non veluti ſupponant quo ad cætera omnia rectè cenſuiſſe Platonem accipiendi ſunt, ſed potius illud Tertulliani Monitum obſeruaſſe lib. de anima cap. 2. dicentis: *Et ex Æmulis nonnunquam teſtimonium neceſſarium eſt ſi non æmulis proſit*.

Ad

Ad tertium & maior omnino damnanda eſt, vt communiter damnatur ex Trid. à Theologis 2.2. qu. 8. vbi inter cæteros Bannes dub. 1. & alij, & adhuc gratis eadem prætermiſſa, minor iterum neganda venit, vti ex propoſito negat & probat S. Thomas p. p. quæſt. 32. artic. 1. ad 1. dicens: *Philoſophi non cognouerunt miſterium Trinitatis diuinarum perſonarum per propria quæ ſunt Paternitas, Filiatio, & Proceſſio ſecundum illud Apoſtoli primæ Corint. 2. Loquimur Dei ſapientiam, quam nemo Principum huius ſæculi cognouit, ideſt Philoſophorum ſecundum gloſam. Cognouerunt vtique quædam eſſentialia attributa, quæ approprientur perſonis, ſicut potentia Patri, ſapientia Filio, bonitas Spiritui Sancto. In libro pariter Platonicorum inuenitur in principio erat Verbum, non ſecundum quod Verbum ſignificat perſonam genitam in diuinis, ſed ſecundum quod per Verbum intelligitur ratio idealis per quam Deus omnia condidit, quæ filio appropriatur. Et licet appropriata tribus perſonis cognoſcerent, dicuntur tamen in tertio ſigno defeciſſe ideſt in cognitione tertiæ perſonæ, quia à bonitate, quæ Spiritui Sancto appropriatur, deuiauerunt dum cognoſcentes Deum non ſicut Deum glorificauerunt, vt dicitur Rom. 1. vel quia ponebant Platonici vnum primum ens, quod etiam dicebant eſſe Patrem totius vniuerſitatis rerum conſequenter ponebant aliam ſubſtantiam ſub eo quem vocabant mentem, ſicut Macrobius recitat in ſomnium Scipionis, nec aliquam ponebant tertiam ſubſtantiam ſeparatam, quæ Spiritui Sancto reſponderet; Nos autem non ſic ponimus Patrem, & Filium ſecundum ſubſtantiam differentes, qui fuit error Origenis, & Arrij ſequentium Platonicos*, hæc S. Thomas, quæ à me etiam confirmari poſſunt ex eadem Aug. doctrina in epiſt. ad Colloſ. pariter animaduertentis Platonicos per ſimilia nomina intellexiſſe in Trinitate diſtinctionem ſubſtantiarum, quam deinde pluralitatem perſonarum ita erroneè à Platonicis explicatam refutauit etiam Ptolomæus referente Hieron. in Præfatione ad Penteteucon, & adnotante Abulenſi in commentarijs eiuſdem præfationis pag. 61. vti & vniuerſim Beſarion in ipſa Platonis Apologia lib. 2. c. 3. hunc Platonis errorem de Trinitate confeſſus eſt, & Aug. iterum in lib. 7. de Ciuit. cap. 28. addit nomine trium principiorum intellexiſſe Platonicos cælum terram & ideas, de quibus & Tertullianus de ſpectac. cap. 8. & demum Theodoretus libr. 2. de principijs ex dictis hucuſque concludit: *Plato cum ex hoc fonte occaſionem Theologicè ſcribendi nactus fuiſſet aquis puriſſimis terraceam ac limoſam commiſcuit aquam*.

Ad quartum iterum aſſumptum negandum eſt, tum quia ſi Plato referatur ab aliquibus ſacram præſertim Moyſis legiſſe ſcripturam refertur etiam ea verba dixiſſe de Moyſe *benè hic diceret ſi probaſſet*, quod dictum profectò vnico fidei motiuo repugnat, tum quia arguens animaduertere debuiſſet in eodem Euſebio (ex quo adeo pro Platonis doctrina profecit) lib. 11. in præfat. ſic legi: *Illud vero ante omnia dictum ſit, nonnulla Platonem ex Sacris libris non conuertiſſe, ſed peruertiſſe*, vt etiam Lactantius aduertit lib. 5. cap. 15. tum quia Ambroſius lib. de bono Mortis obſeruat *Platonem quædam Canticorum loca peruertiſſe in ſuos illos Iouis hortos & huiuſmodi*, tum quia & Auguſt. lib. 18. de Ciuit. cap. 37. & lib. 7. retractationum cap. 4. reuocat

quod

quod alibi ex eiuſdem Ambroſij teſtimonio deceptus dixerat de Platone; ſcil. cum audiuiſſe Hyeremiam, cum tamen Plato ſeptuaginta poſt ipſum annis natus eſſe probetur, & lib. 7. Confeſs. cap. 9. idem Auguſt. ſolum fatetur ex libris Platonicorum illud Ioan. dictum, *in principio erat Verbum*, per quaſdam conſequentias haberi, *non vero, inquit, his verbis legi*. Et iterum lib. 8. de Ciuit. cap. 11. repetit (vt Abulenſis etiam aduertit in primum caput Geneſis pag. 4.) non potuiſſe Platonem in egipto legere libros Bibliorum non adhuc græca lingua donatos, ſed ſolum ad ſummum aliquos audiuiſſe Iudæos ibidem, ex quo non mirum ſi per tranſennam vmbratica quadam tinctus doctrina ſacrorum, fuerit inde in eorumdem intelligentia deceptus.

Ad quintum miror Securi fiduciam in referendo illud S. Thomæ teſtimonium ex p. p. qu. 6. art. 4. apud quem nec verbum extat de Platonis abſtinentia à delectatione venerea, vt ipſe ſupponit, de aliqua autem alia virtute Platonis laudata ab aliquibus in argumento relatis, iam præter hic dicta præmiſimus ſupra non ſemel Auguſtinum in Iuliano reprehendiſſe hunc errorem, quod ex eo quod aliqua virtus in Etnicis admitteretur, inde ſtatim illi Philoſophi iuſti appellari deberent, & inter cætera ibidem frequentiſſima Auguſt. teſtimonia hoc ſolum veluti reſolutorium eiuſdem in præſenti ſeligimus ex lib. 4. contra Iul. cap. 3. *breuiter*, inquit, *accipe ne forte cum in rebus ipſis tantum erres, quantum errari plurimum poteſt videar tecum certare de verbis, aut ergo intellige, quod ait Dominus, ſi oculus tuus nequam eſt totum corpus tuum tenebroſum erit, & hunc oculum agnoſce intentionem, qua facit quiſque quod facit, & per hoc diſce eum, qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc eſt eius, quæ per dilectionem operatur, totum quaſi corpus, quod illis velut membris operibus conſtat tenebroſum eſſe, boc eſt plenum nigredine peccatorum*, de mirabilibus autem alijs, quæ de Platone iactantur, ommiſſo apium euentu an fide ab Hiſtoricis relatus ſit, an potius caſui concedendus, abſque dubio ſecundum de Sepulcro Platonis vt Platonicorum figmentum obliuionis tumulo ſepeliendum eſt, tum quia ſimilem omnino narrationem vt dubiam adducens S. Thomas 2. 2. qu. 2. art. 7. ad 3. recenſet eandem non de Platone loquentem, *ſed in Hiſtorijs Romanorum dumtaxat hoc de quodam homine legi*, tum quia in eadem lamina legebatur hæc Prophetia: *O ſol me iterum tempore Conſtantini videbis*, quod tamen ad minus prophetiæ donum nemo adhuc auſus eſt Platoni donare.

Ad ſextum de Socrate planum eſt Zenofontem & Platonem in Charmide ipſum atteſtari Socratem dijs Græcorum ſacrificaſſe & inter cætera Gallum Eſculapio, & eidem Socrati etiam Pederaſtiæ ſordem attribuit Philo li. 2. de vita contemplatiua, & Laertius in vita Socratis narrat eum morti damnatum ducentis octoginta ſententijs accuſatum: Aug. etiam lib. 1. de conſ. Euang. cap. 7. memorat Socratem iactitaſſe ſibi adfuiſſe Dæmonem familiarem, & eius inſtinctu etiam Æſopi fabulas conſcripſiſſe, nec Lucianus deeſt, qui in dialogo amoris peiora de Socrate non teſtetur, & demum plerique obſeruant Iuſtinum pro Socrate fuiſſe deceptum in ſupputatione

tem-

temporum credentem vidiſſe Chriſtum, cum Socrates non paucis annorum luſtris ortum Chriſti præceſſiſſet, vt ex cronologia etiam Perrerij lib. 4. de princip. verbo Socrates, conſtare poteſt. De Seneca pariter Aug. lib. 6. de Ciuit. cap. 10. obſeruat eum ſacrificia commendaſſe Deorum, ſaltem quia legibus præcepta erant, vt ſe excuſauit & Cicero lib. 1. de natura Deorum, & præter hæc à Dione notatur auaritiæ non ſolum ſed Agrippinæ adulterij infamiſque in Neronem flagitij, vti & Lipſio in vita Senecæ negare non licuit; nec ſuffragantur confictæ illæ ab aliquibus epiſtolæ Pauli ad Senecam, & inde viciſſim, etenim ſi Apoſtoli hæ epiſtolæ forent, & inter canonicas viſerentur, ſicut & illa breuiſſima Apoſtoli epiſtola ad Philimonem canonica eſt, etiamſi plura de re familiari pertractet, nec æedem redolent Paulum vti & contra morem eiuſdem nec ſemel nominant Chriſtum, immo nec epiſtolæ Senecæ Deum, quem tamen alibi toties Seneca nominabat; quis non miretur in altera Senecam miſſo libello effectum Pauli præceptorem pro Romana lingua diſcenda, in altera Paulum ob communicatas epiſtolas de Nerone pauere? Quis vnquam credat aut Senecam adeo imperterritum vitæ contemptorem & mortis ex metu deinde adhuc in morte de ſua vera Religione tacuiſſe, aut Paulum, cuius epiſtolas fortitudinis ſpiritu plenas Romana legebat Eccleſia, Romæ deinde nomen ſubſcribere timuiſſe? quomodo tandem iſtæ nō potuiſſent manifeſtari Neroni vt ante vel poſt apparentiori iuſtitia crudelis in nece vtriuſque à Paganis ſaltem hiſtoricis diceretur? hæc procul dubio, me iudice, nimis inueriſimilia ſunt in hiſtoricos, nimis iniuria in Philoſophum, nimis blaſphema in Apoſtolum, & demum minus in Senecæ lectores vtilia, quem merito, vt alter aiebat, ſicut Paganum loquentem Chriſtiane ſuſpiciunt, ita Chriſtianum tunc loquentem nimis pagane contemnerent. Vnde quo ad Tertullianum eum nominantem *è noſtris* planiſſimus ſenſus erit ſæpe Senecæ dicta noſtræ Religioni congruere, vt patet ex eodem Tertuliano lib de Anima cap. 10. *Seneca*, inquit, *ſæpe noſter* qua ratione etiam S. Thomas & Eccleſiaſtici alij Senecæ teſtimonia adhibuerunt. De Hieronymo autem, cui imponunt aliqui etiam in eodem libro ſcriptorum Eccleſiæ adnumeraſſe Donatum & Nouatianum, etiam ſi hæretici ſint, nobis abundans ex eiuſdem verbis expoſitio ſe offert ſcil. loqui ex ſuppoſitione dumtaxat, quod illæ adductæ epiſtolæ verè Pauli & Senecæ eſſent, Vnde concludit in hoc ſenſu Hieronymus: *Quem non ponerem in cathalogo ſanctorum, niſi me illæ epiſtolæ prouocarent*, quas tamen inter pſeudografica recenſet Sixtus noſter Senenſis lib. 1. Bibliotecæ etiamſi præmiſiſſet eaſdem commemorari à Lino Pontifice in hiſtoria de paſſione Pauli, & Auguſt. epiſt. 53. ad Macedonium.

Ad ſeptimum de Polemone reſpondeo Auguſtinum ibidem, vt legenti patebit, reſoluere ſolum quodcumqne bonum in ipſo ſaltem ab auxilio Dei generali veniſſe, & ſi aliqua virtus vera & perfecta adfuiſſet, ex gratia Chriſti fuiſſe, vt idem repetit de Aſſuero, quem tamen non Idolorū, vt Suarez exiſtimat, ſed veri Dei adoratorem fuiſſe demonſtrat & Thomas Vrtado diſp. 2. de ente ſupernaturali mem. 4. ſect. 1. cum alijs recenſitis ab ipſo & à Be-

M larmi-

larmino lib. 1. de Verbo Dei cap. 7. Tena lib. 2. Iſagoges difficultate 4. ſect. 3. & 4. & demum Periera in Danielem lib. 10. ca. 2.

Ad octaum demum admittimus aliquos etiam Gentilium potuiſſe ex auxilio gratiæ Chriſti ſaluari, etiam ante Saluatoris aduentum, & etiam ſi fidem explicitam non haberent, ſicuti & alibi nos ad p. p. qu. 23 de prædeſt. probauimus auxilia ſufficientia gratiæ ſaltem remota & intrinſeca ſingulis etiam infidelibus licet obduratiſſimis præſto eſſe: ſed his Platonem ac ſimiles recte vſos eſſe negamus, eiuſque oppoſitum inueriſimilius oſtendere hucuſque rationabiliter diſcurrendo conati ſumus.

ARTICVLVS V.

An Ariſtoteles quo ad mores peior Philoſophiæ Principibus credendus ſit vt quidam imponunt.

VIdetur quod ſic Franciſco Patritio tom. 1. diſcuſſ. peripatet. lib. 1. per totum, ex quo etiam Neoterici quidam tranſcripſerunt, vt Gaſſendus proſequitur lib. 1. aduerſus Ariſtotelicos exercit. 3. Primo quidem inquit Patricius, nam Ariſtotelē ſtatim ab adoleſcentia viuendo luxurioſe conſumpſiſſe paternam hæreditatem, adeo vt inde coactus fuerit cuidam Farmacopulæ pro quæritando victu famulari, referunt Ælianus lib. 5. variæ hiſtoriæ, & Athenæus lib. 8. qui etiam adiungit *Epicurum veritatis amantiſſimum hæc de eo dixiſſe in epiſtola de ſtudijs.*

Secundo nam Ariſtoteli Hermias Eunucus ne dum auditor ſed amaſius fuit, vt inquiunt Diogenes Laertius & Suidas in vita Ariſtotelis, cuius etiam Hermiæ filiam, vt Suidas nuncupat, ſeu neptem, vt Strabo & Demetrius, ſeu pellicem vt Arriſtippus, in vxorem duxit nomine Pytiadam, cui inde defunctæ veluti Cereri Eleuſinæ ſacra fecit, & Herpilidam Stagiritem in concubinam accepit, præter Eſchionem & Palephatum Abydenum & alios, quos pro delitijs habuit quouſque vixit, vt Suidas refert, & moriens etiam in teſtamento honorifice à ſuis hæredibus haberi præcepit.

Tertio quia apud eundem Suidam hæc Timei de vita Ariſtotelis referuntur fuiſſe ſcil. *promptum audacem procacem, non tamen ſapientem, tardæ diſciplina, odibilem, qui celebri mediceo clauſo in omnem aulam & ſcenam inſilijt; Ad hæc vaſti ventris obſoniorum conditorem ore ad omnia propenſum.* Cui narrationi quo ad aulæ adulationem ſuffragatur Tertullianus in apologetico de Ariſtotele dicens, *tam turpiter Alexandro adulatur, quam Plato à Dionyſio ventris gratia venditatur*, & inde Diogenes refert eum repræhendiſſe Caliſthenem, eo quod eidem Alexandro adulari neſciret eo Homeri verſu:

Citæ mortis mi fili eris, ſi talia loquaris.

quo ad gulæ vitium atteſtatur Hieronymus in quadam epiſtola, inquit Patritius, *Eum fuiſſe ebrioſum, quo ad auaritiam,* inquit, *Lico & Ariſtocles licet peripatetici confeſſi ſunt*, vt refert Theodoretus lib. 12. græcarum affectionum, nec diſſentit Laertius, *poſt eius obitum adinuentas ei fuiſſe ollas trecentas,*

vel

vel vt Plinius ait *ſexaginta oleo plenas, quo ſe luere ac poſtea diuendere ipſe ſolebat.*

Quarto ingratum ſimul & impium in ſui Præceptorem, ac in Regē tam ſibi beneficum criminantur ex Æliano quidam in li. variæ hiſtoriæ referente Platoni, cuius peruiginti annos auditor fuerat, adhuc viuenti reſtitiſſe, ex eo ſolum orto diſſidio, quod eius luxum indumentorum carperet, ſed emēdaret, & ideo ei Zenocratem ac ſimiles anteponeret, ex quo Plato apud Ælianum eundem lib. 4. & Laertium in eius vita *eundem muli nomine vocitabat*: ex alijs autem eum tot beneficijs onuſtum à Philippo Macedoniæ Rege Alexandri parente, *vt in eiuſdem gratiam Stagires etiam eius Patria reædificata ſit* (vt Plutarchus refert in Alexandro, & Plinius lib. 7. ca. 29.) poſtea Alexandro fuiſſe de coniuratione Ermolai ſuſpectum, & Alexandri epiſtolam adhoc Plutarchus in Alexandro exſcribit aientem: *Sophiſtem vero ſcil. Caliſthenem puniam ego & eos, qui eum miſerunt, & qui in Vrbes eos recipiunt, qui mihi inſidiantur*, Clare in his, inquit Plutarchus, *contra Ariſtotelem ſeſe indicat Alexander*, ex qua deinde Macedonis ſuſpicione non perterritum, ſed præuaricatum vltro Ariſtotelem Antipatro auctorem veneni fuiſſe, quo Alexander extinctus eſt, proſequitur Plutarchus ibidem ex aliorum relatione, etiam adiungens: *Agnotemen quendam ita narraſſe aiunt, qui id ab Antigono Rege audierit*, & ſuffragantur Arrianus lib. 7. & Plinius lib. 13. cap. vlt. Vnde & eundem Antipatrum ſui teſtamenti curatorem eſſe voluit, vt in Laertio videre eſt.

Quinto quia eundem ſibimet tandem mortem intuliſſe conueniunt auctores, ſiuè poſtea ebibendo venenum, vti commemorat ex Hermippo 5. hiſtor. Laertius & Tertullianus in Apologetico dicens: *Criminis poſtea accuſatum ſe ipſum acconito interfeciſſe*, ſiue in Euripi vndas immerſum, vt quidam Ioan. Vallenſis apud Patritium inducit, & afferri ſolent Iuſtinus in Pareneſi ad gentes, Nazianzenus oratione prima contra Iulianum, & alij apud Cælium lib. 9. cap. 8. & Poſſeuinum lib. 13. cap. 17. & alios.

Sexto quia hinc vniuerſim etiam Philo Iudæus lib. de mundo incorruptibili aſſerebat *Ariſtotelem numquam piè, aut ſanctè vixiſſe* & Lactantius lib. de ira Dei cap. 19. *Ariſtotelem nec Deum coluiſſe, nec curauiſſe*, Vnde concludunt etiam ex iſtis in Philoſophicis ab Ariſtotelis ſequela cauendum.

In oppoſitum tamen eſt, quod inquit Seneca de vita beata ca. 18. *Etiam per maligniſſima capita & optimo cuique inimiciſſimè Platoni obiectum eſt, obiectum Epicuro, obiectum Zenoni*, ex quo proinde concludit: *Nec malignitas me iſta multo veneno tincta deterrebit ab optimis, nec virus illud quo alios ſpargitis, nos necatis*, ergo nec mirum hic aut Ariſtoteli plurima obiecta eſſe, aut ea nos ab eiuſdem Philoſophia neutiquam deterrere.

Reſpondeo mentem mihi non eſſe, vti antedicti fecere de Platone vel Socrate, pro ſancto Ariſtotelem venditare, ſed propugnare dumtaxat eundem longe meliorem extitiſſe, quam plurimi calumniatores imponant. Pro quo meo videri ſufficiet non Neoterici alicuius Peripatetici, ſed antiquiſſimi Eccleſiæ ſcriptoris, non minus Platonici, quam Peripatetici

M 2 pro

pro Ariſtotele exſcribere Apologiam ſcil. Euſebij Cæſarienſis lib. 15. præpar. Euang. cap. 1. per totum ſimul cum Ariſtocle peripatetico in ſuo lib. 7. de Philoſophia,ſic repellentis adducta adeo maledica æmulorum Ariſtotelis teſtimonia: *Quis præterea,* inquit, *Ariſtoxeni muſici illius, quæ in Platonis vita habentur, verbis credat? Qui dicit eum dum erraret hinc inde,& peregrinaretur, ſeditionem commouiſſe, ibique tum peregrinos quoſdam peripatum ei extruxiſſe, quæ adhuc verba de Ariſtotile dicta eſſe aliqui putant, cum tamen Ariſtoxenus honorifice ſemper Ariſtotelis mentionem faciat: ſed & hæc ridicula quis non merito dicet, quæ ab Alexino Eriſtico commemorantur? Fingit enim Alexandrum filium cum Patre ſuo Philippo differentem, & Ariſtotelis rationes planè contemnentem. Eubulides quoque in libro,quem contra Ariſtotilem ſcripſit, mentitur apertè, primum quidem frigida quædam poemata proferens tanquam ab alijs quibuſdam conſcripta de coniugio, & familiaritate cum Hermia, poſtea Philippo eum maledixiſſe affirmans,nec denique Platoni morituro adfuiſſe,& libros eiuſdem corrupiſſe; Quid vero attinet hic Democaris contra Philoſophos criminationes recenſere? non enim Ariſtotelem ſolum, ſed & alios quoque Philoſophos malignè perſtringit, & quidem ſi quis iſtas probè conſideret calumnias nefariè locutum hunc eſſe dicet; ait enim epiſtolas ſe Ariſtotelis inueniſſe contra Atthenienſes, nec non Stagiram Patriam ſuam Macedonibus tradidiſſe. Cæphiſodorus autem Iſocratis diſcipulus ſtultè eum calumniatus eſt, qui delicatum & voracem nec non alijs quibuſdam eiuſmodi nominibus appellauit. Hæc vero omnia ſtultitia longè vincunt, quæ à Lycone, qui ſe ipſum pitagoricum nominat, dicta ſunt, ſcil. Ariſtotilem vxoris ſuæ defunctæ tale ſacrificaſſe ſacrificium, quale ſolent Atthenienſes Cereri, & oleum, in quo calido lauiſſet, vendere ſolitum, ex his igitur, qui Ariſtotilem criminati ſunt, iſti ferè præcipui habentur, quorum alij quidem coeui Ariſtotelis, alij vero poſt ipſum paulò fuerunt, omnes tamen aut Sophiſtæ, aut Eriſtici, quorum nomina & libri ſimul cum corporibus interierunt. Ablegandi autem prorſus iſti nobis ſunt, qui aut diù, aut poſt hæc fuerunt, aut talia, & talia ab illis dicta commemorant, aut (de quibus in primis hoc dictum volumus) qui in libros illorum numquam inciderunt, ſed ex ſeipſis tales finxere calumnias, quales ſunt hi, qui trecentas eum ollas habuiſſe affirmant, cum tamen nullus eorum apud quemquam, qui tunc fuerunt, quidquam tale ſcriptum repererint, nec apud ipſum quidem Lyconem. Is enim, vt antea dixi, ſeptuaginta quinque vrceolos inuentos fuiſſe aſſerit. Non ſolum autem ex temporum collatione & ijs, qui calumniati ſunt, colligere quis poteſt omnia hæc quæ dicta ſunt, falſa eſſe, ſed vel ex hoc ipſo quoque quia non omnes eadem dicunt, ſed ſinguli eorum peculiare aliquid. Quorum ſanè ſi vel vnum verum eſſet, non ſemel tantum ſed millies ab ijs qui tum fuerunt petiſſent: Eſt igitur manifeſtum idem Ariſtoteli accidiſſe, quod multis alijs quoque ſolet, nimirum propter amicitiam, quam cum principibus habuit, nec non admirabilem illam, qua excelluit, ſapientiam, odio à Sophiſtis, qui tum erant, habitum eſſe*, hucuſque pro me ipſo Euſebius, cuius vtique apologia pro ſingularum obiectionum ſolutione ſufficeret, præcipuè ſi adderemus vlterius plurimos etiam extitiſſe Philoſophos hoc Ariſtotelis nomine inſignitos, vt idem Euſebius aduertit lib. 14. cap. 7. & inde alij cum

Laer-

tio in eiuſdem Philoſophi vita proſecuti ſunt.

Ad primum igitur etiam gratis admiſſo Ariſtotelem farmacopoleam aliquandiù exercuiſſe, non inde aliquid tam indignum Philoſopho inferretur: *Satis enim conſtat*, vti & Franciſcus Patritius ibidem confeſſus eſt, *farmacopoleam antiquis temporibus medicos exercuiſſe, Ariſtotelē autem medicum fuiſſe, tum ex genere, quo ortus erat, medicorum, tum ex libro, quem de ſanitate & morbo conſcripſit, tum præcipuè colligitur ex teſtimonio Plutarchi in Alexandro ſcribentis: Videtur mihi Alexandro medicinæ amorem indidiſſe magis quam alius quiſquam Ariſtoteles; neque enim ſpeculatricem ſolam amauit, ſed etiam amicis laborantibus auxilia tulit, & medicationes quaſdam, & dietas præcepit.* Verum tamen eſt Ælianum & Athenęum retuliſſe potius, quam aſſeruiſſe eam totam de Ariſtotile narrationem ex vna Epicuri epiſtola, cui vt prauè affecto ac maledicentis ingenij quam minimè credendum ſit admonuit ab aliorum exemplo Laertius in Epicuri vita ſic dicens: *Epicurus etiam Nauſiphanem appellabat plumbeum illiteratum ac rudē deceptorem, & eos qui circa Platonem erant Dionyſij aſſentatores & ipſum Platonem aureum adulatorem Ariſtotilem intemperantem Protagoram vocabat ſportiligerum, Democritum Scribam, Pironem rudem inſipientem & indoctum*, Quod obſeruat & ſextus Empiricus initio librorum addens *& eundem Nauſiphanem licèt ei Præceptor fuiſſet appellauiſſe pulmonem*, & in hoc cum Laertio conſentiunt & cum ſexto Empirico Cicero lib. 1. de natura Deorum, Plutarchus lib. 2. aduerſus Colorem, & alij, adeo vt merito Euſebius concluſerit mox ante verba relata: *nil Epicuro tam maledico*, ex quo in Ariſtotilem calumniæ in cæterorum relationes deriuatæ ſunt, *haud quaquam credendum eſſe*.

Ad ſecundum iam cum Ariſtocle idem Euſebius oſtendit ex æmulorum inuidia ficta ea dicteria primitus emanaſſe, quod nos vlterius poſſumus ex eorundem calumniatorum contra dictione (vt ſolent iudices) ſtabilire, nam ſi Ariſtoteli Hermias pro delitijs fuit, quomodo componi poterit ac verificari cæterorum calumnia à Tertulliano relata in apologetico, ſcil. *Ariſtotilem familiarem ſuum Hermiam turpiter loco excedere feciſſe*, & apud Laertium in Ariſtotile ſcil. *Hermiam Accarnenſium Tirannum Eunucum prætextu familiaritatis interfeciſſe*? Quomodo ſi Hermias Eunucus fuerat, eius filia Pitiada nominatur? Quomodo Herpilida pro pellice vſus eſſe refertur, ſi Appellicon apud Euſebium laudato lib. 15. cap. 1. inquit, *eandem duxiſſe in vxorem*, ex qua filius ei natus eſt? Quomodo alibi adoleſcens inducitur prius infeliciter militiæ addictus, ſi ex Amonio in eiuſdem vita vix decimum ſeptimum annum agens præacquiſitis etiam artibus liberalibus, aut Socratis auditor fuit, aut ſaltem iuxta Laertium Platonis Scholæ addictus eſt? Quomodo tandem tot alij antiquiſſimi hiſtorici hæc de Ariſtotele tacuerunt, vt Dionyſius Alicarnaſeus, & alij plures? Quomodo inuicem ijdem Calumniatores in communicandis ſeu repetendis Philoſophi criminibus non conuenerunt? merito igitur concludebat Euſebius hæc omnia ac ſimilia ab inuidis & maledicis in Ariſtotelis gloriam efficta eſſe.

Ad tertium eodem modo de Timeo Euſebius cum Ariſtocle reſpondet:

Quo-

Quiſnam enim, inquit, *veriſimile vnquam admitteret totum illud Timei Taurominitæ, qui id dixit, &c.* cuius Timei narrationibus innixi poſtea ſcriptores, ac Patres ea ſingula, quæ adiunguntur in argumento, ſine aſſertione retulerunt, cum nos tamen inquit Beſarion lib. 2. in calumniatorem Platonis c. 4. *ne Chriſtianos quidem illos ſcil. Ariſtotilem vel Platonem, ne dum Sanctos fuiſſe fateamur.*

Ad quartum quo ad Platonis impugnationem mirum eſt inde Nouatores arripere occaſionem carpendi Philoſophum, vnde Pius ſecundus eiuſdem Ariſtotelis encomia depromſit in bulla ſuarum retractationum dicens: *Paucos inueniri Ariſtotiles, qui Platonica dogmata deſtruere norint*, & ſatis adhuc occurrerat pro ſeipſo Ariſtoteles in primo Etich. cap. 3. dicens. *Sanctum enim eſt præſertim viro Philoſopho veritatem amicis in honore anteponere* quod comprobarat & Plato in Charmide & Critone ſubiungens, *Socrates quidem quid dicat parum ſollicití eſſe debemus, de veritate autem multum ſollicitos eſſe oportet*, neque in hoc quo ad propoſitum inæqualis Ariſtotiles Platoni fuit, niſi quod vbi Ariſtotiles Platoni ſaltem poſt mortẽ Ariſtotiles aram erexit, vt ex Ammonio & alijs etiam aduerſarij concedunt, id ergà Socratem ſui Præceptorem Plato non egit, prætarquamquod ſi Platoni viuenti etiam Ariſtotiles in ſpeculationibus contradixit, id potius defenſionis quam impugnationis fuiſſe credendum eſt, cum antea Plato ipſe in Parmenide Ariſtotilẽ introduxerit, & laceſſiuerit veluti à Parmenide ex ætate poſteriori contemptum. De nece autem Alexandri, quis credat Olimpiadem Alexandri matrem, ſi ſuſpectus Ariſtotiles adeo fuiſſet, eum Stagiræ ſubditum viuentem adhuc liberum permiſiſſe immo & Stagiræ Populos ſibi ſubiectos annua eidem feſta per ſoluere? Quis neſcit iſtam in alios, & ſi ſeuiſſimè de prædicta nece ſuſpectos etiam ſi mortuos, etiam poſt longi temporis ſpatia rigidè ſeuiuiſſe? ita profecto Plutarchus in Alexandro recenſet dicens: *Vigeſimo octauo ſub veſperam Alexander expirauit. Veneni exemplo ſuſpicionem nemo habuit. Sexto decimo anno autumant iudicio delato Olimpiade multos necaſſe, oſſa etiam proieciſſe mortui Iolæ, quaſi venenum hic miſcuiſſet.* Sic & Caliſthenem (de cuius coniuratione ſimul cum Ariſtotile opponebatur) ab eadem necis ſuſpicione abſoluit integerrimè Seneca lib. 16. quæſtionum naturalium cap. 23. & Quintus Curtius lib. 8. dicens; *Interyt initi conſilij in caput Regis innoxius*, Vnde ex vnius illius Agnothomin cuiuſdam ignoti falſo rumore dumtaxat hanc ſuſpicionem referunt non decernunt in argumento auctores adducti.

Ad quintum vtraque ea narratio de morte ab Ariſtotele ſibi illata neganda eſt, tum quia ex Dionyſio Alicarnaſeo *Ariſtotiles Calcidam migrauit ibique ex morbo deceſſit*, tum quia Iuſtinus (ex cuius præpoſtera intelligentia non pauci hallucinati ſunt) ſolum hæc verba habet: *Cum neque Euripi Calcidic. naturam cognoſcere poſſet, propter ingens probrum, & pudorem in mœrorem conuerſus morte vitam commutauit*, nihil autem habet de veneno vel præcipitio efficto ab alijs præſertim à quodam Ioanne Vallenſi, vt & Patritius aduertit, tum quia eodem ferè modo cum Iuſtino recenſent eiuſdem

Ari-

Ariſtotelis mortem Nazianzenus oratione prima contra Iulianum, Gelius lib. 5. cap. 5. & alij, tum quia ex Laertio eodem cum Appollodoro, vti & Fonſeca obſeruauit, *obijt morbo Ariſtotiles ſub id tempus quo Demoſtenes Orator in Calabria Traciæ hauſtó veneno vitam finiuit*; quod ſecundum mortis genus in Ariſtotilem fortaſſe aliqui perperam retulerunt.

Ad ſextum demum præter adducta addendum eſt, immò Ariſtotilem referri communiter propria voluntate exulem Athenis Calcidam emigraſſe, & iterum reuocatum accedere renuiſſe, ne aut Dei vnitatem negare, aut vitam ammittere cogeretur ab exemplo Socratis, cui id contigiſſe præſenſerat; vti hoc de Ariſtotile teſtati ſunt Seneca de vita beata cap. 32. Crinitus ex Origene lib. 10. cap. 3. & Cælius lib. 2. cap. 2. & lib. 17. cap. 14. ſimul cum Iuſtino in Parenneſi ad gentes & alij, & poteſt à nobis ex eiuſdem Ariſtotelis Epiſtola ad Antipatrum comprobari recenſita à Patricio eodem lib. primo vtente & illo Homerico verſu.

Pirus ſuper piro ſeneſcit, ficus vero ſuper ficu.

& ex altero pariter reſponſo Philoſophi laudato ab eodem, *ſe nolle Athenienſes bis in Philoſophiam peccare*, in Ariſtotilem ſcil. vti & in Socratem, de quo tamen fuſius contra Ferchium & alios ſcil. de vnitate Dei ab Ariſtotile agnita cum Eugubino lib. 4. per totum agendum eſt. Ommitto in Ariſtotelis vita impreſſa Pariſijs anno 1619. vlterius haberi Ariſtotilem morti proximum effuſum in lachrimas prorupiſſe in hæc verba. *Tu ens entium miſerere mei, nec non diſcipulos aſſiſtentes eidem addidiſſe: Ille qui Philoſophorum animas excipit & tuam colligat in ſuis condens theſauris, vti animam addecet recti hominis & perfecti, qualem te nouimus* vt refert etiam ex alijs Cælius Rhodiginus lib. 10. cap. 31. præſertim ex libro de pomo, quem cum alijs nominat etiam Patritius tom. 1. lib. 3. adeo, vt Abulenſis ex his fortaſſe deduxerit paradoxo 5. cap. 123. licet minus cautè *& Ariſtotilem ſaluum in Patrum Limbo extitiſſe*, ommitto inquam, tum quia adducta intento noſtro ſufficiunt, tum quia demum dato etiam & non conceſſo Ariſtotilem peiorem omnibus in moribus extitiſſe, non deſunt alij, qui dicant hoc adhuc eiuſdem ſequelæ in Philoſophicis non obeſſe, cum & nos Salomon ad formicam vt ab ipſa diſcamus, & Dominus ad Serpentem, vt erudiamur, inuitet.

QVÆSTIO IV.

De Vitijs impoſitis Philoſophiæ Ariſtotelis.

EXpeditis faciliorībus obiectionibus circa mores progredimur ad difficiliores circa doctrinam, quas fusè congerit etiam ex Franciſco Patritio tom. 1. per totum in ſuo tom. 3. Gaſſendus lib. 1. aduerſus Ariſtoteleos exercitatione quarta cōtedens incertos eſſe Philoſophi libros, exercitatione quinta in innumeris deficere, ſexta innumeris ſuperfluere, ſeptima in innumeris fallere, octaua in innumeris contradicere. Quæ ſingula ferè propoſuerat etiam Io annes Franciſcus Picus lib. 4. & 6. de examine vanitatis

doctri-

doctrinæ gentiũ per ſingula capita diffuſiſſimè ; ſed quia ex his plurima ſuis locis Philoſophiæ à Philoſophis vt antiquiſſima obiecta antiquis pariter reſponſionibus præoccupata ſunt, ideo in præſenti vt reſpondeamus Gaſſendo ſufficiet ad duos articulos hæc capitalia reſtringere. Primum quidem de vitijs Philoſophiæ Ariſtotelis ex parte librorum vel modi tradendi eandem, ſecũdo ex parte obiectorum ſeu de erroribus cõtra fidem attributis eidem.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Philoſophia Ariſtotelis, quam habemus, in modo Philoſophandi vitiata ſit.

Videtur quod ſic prædicto Gaſſendo cum Patritio & Pico, ex quibus hæc & ſimilia motiua tranſcribit. Primo nam Ariſtotelis ſermo obſcurus & barbarus eſt; Vnde ab Attico dicitur *ſponte ſeipſum more ſepiæ occultauiſſe*, apud Euſebium lib. 15. præpar. cap. 8. & Cicero in initio ſuorum topicorum Trebatio cuidam cupienti prius ſtudere Ariſtotelis Philoſophiæ dicebat: *Sed a libris te obſcuritas reiecit*, & vniuerſim mendis plurimis obſcuriſſimis fædatos eſſe ex varijs eorundem librorum infortunijs auctores ſunt Strato in lib. 13. Geographiæ, Atthenæus lib. 1. Plutarchus in Sylla, & cum alijs Patritius tom. 1. libr. 4. in initio, ergo Ariſtotelis Philoſophia vitiata eſt.

Secundo nam & lubricus eſt Ariſtotiles & ſibi ſæpiſſimè contradicit, vti de primo colligitur ex illo eiuſdem Ariſtotelis in Cathegorijs cap. de Relatione dicentis. *Fortè vero difficile ſuper talibus ſecurè pronunciare, niſi multoties quis fuerit ſpeculatus*, & in initio Metheororum, *In quibus*, inquit, *quædam dubitamus, quædam attingimus quodammodo*; de ſecundo verò præter loca collata a Patritio probat diffuſe conferendo eadem Picus lib. 4. & 5. & inde Gaſſendus (nec ijs relatis per quos profecerat) lib. 1. exercit. 4. per totam, ergo Ariſtotelis Philoſophia ex ſe etiam pluribus vitijs referta eſt.

Tertio nam in ſua eadem Philoſophia Ariſtotiles & flagitioſus, & iniquus fuit; flagitioſus quidem arrogans ſibi aliorum inuenta, vt in elenchis artem Eriſticam *ſe primum*, inquit, *inueniſſe*, cum tamen à Protagora eo antiquiore adinuẽta ſit ex Laertio, & Architæ Cathegorias ſibi vſurpauit, & plura ex Ocello, Theage, & alijs ſuppreſſo auctoris nomine ſuffuratus eſt, immò combuſtis, quod peius eſt, eorundem libris, vt percurrit Patritius tom. 3. lib. 1. & ſub ſequentibus: Porrò iniquus fuit, dum falsò poſtea Philoſophos, per quos profecerat, modo traduxit vt *ſtolidos* ac *ſtupidos*, modo *ſimplices*, modo *deliros*, modo eorundem interpratatus eſt potius verba, quam ſenſum, vt haberet in eiſdem, quod irrideret, vti ne dum de Parmenide Pitagora & alijs pluribus, ſed de eodem etiam ſui Præceptore Platone prolixè excurrit eodem tom. 3. Patritius penè per totum.

Quarto nam incertiſſimi ſunt Ariſtotelis libri tum deficientibus pluribus, tum ſuperabbundantibus alijs, vti quo ad primum Patritius tom. 1. lib.

2. recenſet præter cathalogum librorum Ariſtotelis in Laertio ab eodem Laertio alibi vt Ariſtotelis nominari, modo *Magicum* in proemio, modo *epitomen Rethorum* in Ariſtippo, modo *librum de fabis* in Pitagora, immo & ab Ariſtotele ipſo hos ſingulos nunc non extantes ſcil. *librum de mixtione,* in lib. de ſenſu cap. 3. *librum de ſuccis* cap. 4. *librum de nutrimento* in lib. de ſomno cap. 3. *librum de ſelectione contrariorum* in lib. 3. Metaphiſ. cap. 2. *de diuiſione contrariorum* lib. 10. Metaphiſ. cap. 3. præter alios innumeros memoratos à Plutarcho Attheneo & alijs antiquis etiã commentatoribus Ariſtotelis, vti Patritius eodem loco percurrit, & repetit lib. 7. per totum etiam aliorum librorum non extantium veluti Ariſtotelis fragmenta ex antiquorum monumentis exſcribens, & ſubſcribente Gaſſendo exercitatione quinta per totam. De ſecundo autem ſcil. plurimos Ariſtotelis libros ſuperfluere ante Gaſſendum eundem de hoc integra exercitatione ſexta ſcribentem percurrerat prius idem Patritius eodem tom. 1. lib. 3. tum quia in Laertio inter Ariſtotelis libros nulli leguntur inſcripti *phyſicæ auſcultationis, de Cœlo, de generatione, de Metheoris de ortu animalium elenchi Metaphyſici & huiuſmodi*, tum quia de anima ipſe recenſet *vnum*, nos circumferrimus tres, ille Ethicorum *quatuor*, nos decem & nouem, & ita de alijs, tum quia liber prædicamentorum vt Ariſtotelis ſuppoſititius reicitur à non paucis apud Ammonium, liber de interpretatione ab Andronico, de ſenſu à Scaligero, de prima Philoſophia à Philoppono, & innumeri alij ab eodem Patritio lib. 3. & 4. diffusè, ergo nutat ac ruit vt vitijs ſcatens iam tota Ariſtotelis Philoſophia.

In oppoſitum tamen eſt quod ex Alexandro conſilio 138. colum. 3. Io. Andrea de Bud. cap. 2. de fide inſtir. colum. 3. Cranet. de antiquit. temporæ parte prima §. 4. num. 14. *Scriptura etiam priuata longo tempore obſeruata pro publica meretur fidem integram,* & ex Gloſa in cap. cum cauſam, de prob. per tex. in cap. ſanè, colum. 2. 24. qu. 2. & ex Speculo titul. de prob. §. videntur; ex Baldo conſil. 130. littera 15. Decio conſil. 135. *etiam ſcriptura collocata ab antiquo in loco publico meretur fidem integram iuxta principia iuris,* Sed dato quod iſta Philoſophia, quam modo publicè habemus, & Ariſtotelis verè non eſſet & multiplici ſcriptoris vitio conſarcinata eſſet, adhuc in facie mundi & Eccleſiæ tot doctiſſimiorum virorum conſenſu, tot ſeculorum præſcriptionibus approbata eſt, vt pro vera Ariſtotelis Philoſophia (debita ſuperius cautela præmiſſa) acceptanda à Chriſtiano Philoſopho exiſtimetur, ergo ita de facto acceptanda eſt.

Reſpondeo non tanti faciendas eſſe à Chriſtiano Philoſopho obiectiones adductas, vt adhuc eum à ſequela Ariſtotelis valeant deterrere. Nam ſi nunc liceat non quidem à pari ſed à fortiori, vel ſaltem à proportione, diſcurrere, profectò & in ſcripturam, quam vt canonicam recognouere Concilia, mos fuit hæreticis pariformiter omnino obiectare modo non ſolum obſcuritatem, ſed in dicendo barbariem, vti atteſtantur Arnobius lib. 1. aduerſus gentes, Lactantius lib. 3. inſtit. cap. 1. Origenes contra Celſum Clemens Alexandrinus & alij, modo non ſolum ambiguitatem ſed repu-

N gnan-

Griſoſtomus homil. 37. ad illa verba Math. *taci vident*, & cum alijs addu-ctis in primo argumento etiam Bouauentura in 2. diſt. 28. ar. 2. q. 1. Ro-ua lib. 1. de prouidentia qu. 7. nu. 50. Didacus Ruiz diſput. 46. de præde-ſtinatione ſect. 8. Alexander parte 8. qu. 69. membro 5. ar. 3. & alijs om-miſſis hoc non diſplicet S. Thomæ in 3. diſt. 25. qu. 2. art. 2. quæſtiuncula 2. ad 3. & 2. 2. qu. 2. ar. 7. ad 3. dicenti: *Si qui Gentilium ſaluati fuerunt qui-bus reuelatio facta non fuit ſcil. Chriſti, non fuerunt ſaluati abſque fide mediato-ris, quia & ſi non habuerunt fidem explicitam habuerunt tamen fidem implici-tam in diuina prouidentia credentes Deum eſſe liberatorem hominum ſecundum modos ſibi placitos & ſecundum quod aliquibus veritatem cognoſcentibus ſpiri-tus reuelaſſet*.

In oppoſitum tamen eſt Aug. lib. 1. retraction. cap. 1. ſimilia dicta Secu-ri retractans his verbis, *laus quoque ipſa, qua vel Platonem, vel Platonicos, ſiuè accademicos Philoſophos tantum extuli, quantum impios homines non opor-tuit, non immerito mihi diſplicuit*, & D. Bernardus in epiſ. 189. ad Inn. Abai-lardo hæretico exprobrabat, *Quod dum multum ſudaret, quomodo Platonem Chriſtianum faceret, ſe Etnicum comprobaret*, ergo vere ex his Patribus ſimilis Securi conatus reprobandus eſt.

Reſpondeo iſtos (vt à cenſura preſcindam) aut minus probabiliter pro-cedere, aut ad ſummum nimis leuiter diuinare, quia & Plato Græcorum Deos cenſuit adorandos, vt teſtantur Euſebius libr. 13. de præparatione Euangelica cap. 8. & 11. & Aug. lib. 8. de Ciuitate cap. 12. & in Epimeni-de idem Plato diuinum cultum tribuit cælis & aſtris & Dæmonibus, & in-de Griſoſt. homil. 7. in Epiſt. ad Corin. cap. 2. refert Platonem etiam Ido-la coluiſſe; immo, quod peius eſt ac dicere pudet, etiam pederaſtiæ vitio Platonem laboraſſe recenſent Laertius & Gellius lib. 18 cap. 2. & lib. 19. cap. 11. & Plutarcus lib. de educan. liberis ante finem; & Ariſtippus lib. 4. de delitijs antiquor. nominatim refert captũ fuiſſe Platonem amore Stellæ, ac Dionis, & alij Phedrum adiungunt, alij etiam Alexin, vt Laertius fatetur lib. 4. & Beſarion in præfatione apologiæ pro Platone confeſſus eſt obiecta fuiſſe Platoni *vitia ebrietatis, fornicationis, adulteria, ſtupra, latrocinia, tirran-nidem*: Et vt vna periodo plura comprehendam, ſat erit ex currere in dire-ctorio Inquiſitorum parte 2. qu. 4. mirabiles Platonis hæreſes ac errores. Profecto Apoſtolus de his Principibus Etnicæ Philoſophiæ verba faciens ad Rom. cap. 1. *Euanuerunt*, inquit, *incogitationibus ſuis, & cum cognouiſſent Deum non ſicut Deum glorificauerunt*, Vt valde ad propoſitum vrget Am-broſius lib. 1. de vocatione gentium cap. 2. & cum S. Thoma plerique Pa-tres paſſim ad eundem locum Apoſtoli proſequuntur: Inde & Aug. in pſal-mum 14. ad illa Pſalmiſtæ verba, *abſorti ſunt iuncti petra indices eorum*, hoc de primoribus Philoſophorum Gentilium exponit, & hinc inter cæteros in inferis damnatos exiſtere ſupponit nominatim *Platonem* & alios pleroſ-que Etnicorum Philoſophos, quorum ſigillatim etiam enormia crimina in-texit alias addictus eiſdem Diogenes Laertius in vita Philoſophorum, vt li. 1. inquit, *Periander Cratea propria matre vſus eſt*, lib. 2. ſubdit, *Socrati Al*

cibiades

Alcibiades in delitijs fuit, ex lib. 6. Diogenes Cinicus aiebat *debere eſſe communes mulieres ac liberas*, ex lib. 7. Zeno (quem & in hoc Plato ſecutus eſt) *Vxores communes in Republica ſtatuit*; & huiuſmodi plurima, quæ & pudendum exſcribere & ſuper vacaneum audire: ex quibus tamen nec non ſimilibus breuiter poſſumus reſtingere hanc probationem, immò etiam præſcindendo ab eiſdem; nam quicumque ponit habitualiter vltimum finem in aliquo ente creato præter Deum habitualiter malus eſt, neque iuſtus aut ſaluus exiſtimari poteſt, ſed Socrates Stoicorum Princeps & Plato cum ipſo auditor & admirator eiuſdem habitualiter poſuit adminus vltimum finem in honore vel gloria proueniente à bono virtutis, veluti ente creato præter Deum, ergo habitualiter ſemper hi mali fuerunt, neque iuſti vel ſalui poterunt exiſtimari: maio. Theologis in p. 2. certiſſima & ſancta eſt; min. vero probatur apertè ab Aug. ſerm. 13. de verbis Apoſtoli cap. 7. his verbis: *Fuerunt Philoſophi ſæculi huius, alij putauerunt non eſſe beatitudinem niſi ſecundum carnem viuere, & bonum hominis in voluptate corporis poſuerunt, & iſti Philoſophi Epicurei dicti ſunt, &c. extiterunt alij ſuperbi quaſi à carne ſe remouentes, & totam ſpem beatitudinis ſua in anima ſua conſtituentes poſuerunt ſummum bonum in virtute ſua, & tales fuerunt Philoſophi, qui Stoici nuncupati ſunt, Illi ſecundum carnem viuentes, iſti ſecundum animam, nec iſti, nec illi ſecundum Deum viuentes*, & infra. *Dicebat Epicureus, mihi frui carne bonum eſt; dicebat Stoicus, mihi frui mente mea bonum eſt, dicit autem Apoſtolus, mihi autem adherere Deo bonum eſt*. Hucuſque pulcherrimè Auguſt. qui etiam ad propoſitum inſpici poteſt lib. 4. contra Iul. cap. 3. & epiſt. 56. & lib. 19. de Ciuit. & 21. cap. 25. & libr. 5. cap. 20. & alibi frequentiſſimè, adeo vt ex hac vnica Aug. doctrina pateſiat hallucinatio recentiorum quorundam minus cautè Platonis vel Socratis Dialogos excurrentium, nec diſcernentium hanc diſtinctionem ſapientis Etnici à Chriſtiano, & inde quandoque præbentium occaſionem errori hæreſi etiam Pelagiana peiori, quæ vt in ſuperiori articulo ex Aug. referebamus ſaltem ſapientibus Etnicis pro conſimilium virtutum præmio conceſſit ſolum beatitudinem quandam extra cælorum regnum, iſti vero procedentes vlterius inuitos adhuc hos Etnicos in regnum etiam Cælorum deducere conati ſunt, quod quanta careat probabilitate, vel ſolum ex ipſa eaque facillima argumentorum ſolutione pateſiet.

Ad primum igitur, præterquamquod de vita ac moribus peculiariter hæc quæſtio procedit, non de quacumque cognitione duntaxat, quæ in catholico etiam peccatore admitti ſolet, adhuc maior illa abſolutè neganda eſt, vt eam damnant ad minus vt erroneam vel temerariam Cano relectione 2. de Sacram. & cum eodem Cabrera 3. p. q. 62. art. 1. diſp. 20. de auxilijs §. 6. & 7. Corduba lib. 2. de ignor. qu. 5. & cum alijs Scolaſticis Bannes ad 2. 2. qu. 2. art. 8. dub. 1. obſeruans & Soto noſtrum pro oppoſita opinione relatum eam poſtmodum ideo admonitum renocaſſe, tum in editione ſalmantina eiuſdem libri de natura & gratia, tum in fine 4. Sent. diſt. 5. qu. 1. ar. 2. & ad Rom. cap. 1. & 2. nec Patres adducti in oppoſitum

patro-

Digitized by Google

patrocinantur aut fauent, nam vti cum alijs & nos ipſi diſtinximus in commentarijs ad primam ſecundæ qu. 109. art. 6. dub. 2. aliud eſt fidem implicitam ex obiecto naturalem & ſolum ſupernaturalem ex modo agendi eſſe poſſe diſpoſitionem aliquam præuiam ac remotam ad iuſtificationem, & aliud eſt eſſe poſſe etiam vltimam in genere fidei diſpoſitionem ad iuſtificationem eandem; primum vtique verum eſt, & colligi poteſt ne dum ex Patribus in argumento citatis, verum etiam iterum ex Fulgentio de Incarnatione & gratia cap. 17. dicente: *Vt homo credere in Deum incipiat a Deo accipit pænitentiam ad vitam, ita vt omnino credere non poſſit, niſi pænitentiam dono Dei miſerentis acceperit*, ſecundum vero adhuc admiſſo primo refellitur ab Auguſt. lib. ad Simplic. quæſt. 2. *Nam fiunt quidem*, inquit, *quædam inchoationes fidei conceptionibus ſimiles, non tamen ſolum concipi, ſed naſci opus eſt, vt ad vitam perueniatur æternam*. Vnde & in Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. vniuerſaliter diffinitum eſt: *Quod ſine fide nulli vnquam contigit iuſtificari*, & rationem meo videri ineluctabilem Bannes adduxit, tum quia in fide implicita, quæ ſufficere debet pro vltima diſpoſitione in hoc genere ad iuſtificationem, debet in virtute contineri etiam explicita, ſed prædicta fides ex parte obiecti naturalis nequit continere in virtute fidem explicitam ex parte obiecti ſupernaturalem, ergo non ſufficit, tum quia in illis verbis Apoſtoli ad Hæbre. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & quia inquirentibus ſe remunerator eſt* Exprimitur profecto Deus vt auctor non ſolum naturæ ſed gratiæ, ad quem accedimus ſcil. ſolum per charitatem & qui nos remuneratur in Patria, ergo ex Apoſtolo fides neceſſaria ad iuſtificationem debet eſſe ex obiecto ſupernaturalis, ommiſſo quod auctoritas prima Hieronymi relata à Ripalda non fideliter recenſetur, dum inquit in textu Hieron. *Accepiſſe quidem eius ſpiritum, ſed ex auditu fidei & naturali lege*, Ripalda autem in illa ſect. 4. num. 20. reticuit primam particulam ſcil. *ex auditu fidei*, vt auctoritas ſuo intento magis faueret, & commentaria in epiſt. ad Rom. attributa Ambroſio recenſita ab eodem aliqui dubitant, an verè Ambroſij ſint, eo quod & Pelagius ſimilia ſcripſerit commentaria, & in eiſdem aliqua inſerta ſint non parum eidem Pelagio fauentia, vt plura percurrit etiam Ianſenius lib. 2. de Hæreſi Pelagiana cap. 4. licet Suarez libr. de gratia cap. 21. *grauem & catholicum auctorem cenſeri* pronunciet. Concludat igitur Aug. lib. de natura & gratia cap. 7. *Euacuari crucem Chriſti, ſi aliquo modo præter Chriſti Sacramentum ad iuſtitiam vitamque æternam perueniri poſſe dicatur*.

Ad ſecundum negatur aſſumptum, ſi enim vt vidimus errauit Plato circa Deum etiam vt auctorem naturæ, quomodo non errauiſſe dicendum eſt à fortiori de Deo vt auctore gratiæ? Vnde ſi quando Patres ex Platone præſertim de Deo aliqua recte dicta commemorant, vti ſunt illa, quæ in argumento citantur, non veluti ſupponant quo ad cætera omnia rectè cenſuiſſe Platonem accipiendi ſunt, ſed potius illud Tertulliani Monitum obſeruaſſe lib. de anima cap. 2. dicentis: *Et ex Æmulis nonnunquam teſtimonium neceſſarium eſt ſi non æmulis proſit*.

Ad

Ad tertium & maior omnino damnanda eſt, vt communiter damnatur ex Trid. à Theologis 2.2. qu. 8. vbi inter cæteros Bannes dub. 1. & alij, & adhuc gratis eadem prætermiſſa, minor iterum neganda venit, vti ex propoſito negat & probat S. Thomas p.p. quæſt. 32. artic. 1. ad 1. dicens: *Philoſophi non cognouerunt myſterium Trinitatis diuinarum perſonarum per propria quæ ſunt Paternitas, Filiatio, & Proceſſio ſecundum illud Apoſtoli primæ Corint. 2. Loquimur Dei ſapientiam, quam nemo Principum huius ſæculi cognouit, ideſt Philoſophorum ſecundum gloſam. Cognouerunt vtique quædam eſſentialia attributa, quæ appropriantur perſonis, ſicut potentia Patri, ſapientia Filio, bonitas Spiritui Sancto. In libro pariter Platonicorum inuenitur in principio erat Verbum, non ſecundum quod Verbum ſignificat perſonam genitam in diuinis, ſed ſecundum quod per Verbum intelligitur ratio idealis per quam Deus omnia condidit, quæ filio appropriatur. Et licet appropriata tribus perſonis cognoſcerent, dicuntur tamen in tertio ſigno defeciſſe ideſt in cognitione tertiæ perſonæ, quia à bonitate, quæ Spiritui Sancto appropriatur, deuiauerunt dum cognoſcentes Deum non ſicut Deum glorificauerunt, vt dicitur Rom. 1. vel quia ponebant Platonici vnum primum ens, quod etiam dicebant eſſe Patrem totius vniuerſitatis rerum conſequenter ponebant aliam ſubſtantiam ſub eo quem vocabant mentem, ſicut Macrobius recitat in ſomnium Scipionis, nec aliquam ponebant tertiam ſubſtantiam ſeparatam, quæ Spiritui Sancto reſponderet; Nos autem non ſic ponimus Patrem, & Filium ſecundum ſubſtantiam differentes, qui fuit error Origenis, & Arrij ſequentium Platonicos*, hæc S. Thomas, quæ à me etiam confirmari poſſunt ex eadem Aug. doctrina in epiſt. ad Colloſ. pariter animaduertentis Platonicos per ſimilia nomina intellexiſſe in Trinitate diſtinctionem ſubſtantiarum, quam deinde pluralitatem perſonarum ita erroneè à Platonicis explicatam refutauit etiam Ptolomæus referente Hieron. in Præfatione ad Penteteucon, & adnotante Abulenſi in commentarijs eiuſdem præfationis pag. 61. vti & vniuerſim Beſarion in ipſa Platonis Apologia lib. 2. c. 3. hunc Platonis errorem de Trinitate confeſſus eſt, & Aug. iterum in lib. 7. de Ciuit. cap. 28. addit nomine trium principiorum intellexiſſe Platonicos cælum terram & ideas, de quibus & Tertullianus de ſpectac. cap. 8. & demum Theodoretus libr. 2. de principijs ex dictis huculque concludit: *Plato cum ex hoc fonte occaſionem Theologicè ſcribendi nactus fuiſſet aquis puriſſimis terraceam ac limoſam commiſcuit aquam*.

Ad quartum iterum aſſumptum negandum eſt, tum quia ſi Plato refertur ab aliquibus ſacram præſertim Moyſis legiſſe ſcripturam refertur etiam ea verba dixiſſe de Moyſe *bene hic diceret ſi probaſſet*, quod dictum profectò vnico fidei motiuo repugnat, tum quia arguens animaduertere debuiſſet in eodem Euſebio (ex quo adeo pro Platonis doctrina profecit) lib. 11. in præfat. ſic legi: *Illud vero ante omnia dictum ſit, nonnulla Platonem ex Sacris libris non conuertiſſe, ſed peruertiſſe*, vt etiam Lactantius aduertit lib. 5. cap. 15. tum quia Ambroſius lib. de bono Mortis obſeruat *Platonem quædam Canticorum loca peruertiſſe in ſuos illos Iouis hortos & huiuſmodi*, tum quia & August. lib. 18. de Ciuit. cap. 37. & lib. 7. retractationum cap. 4. reuocat

quod

quod alibi ex eiuſdem Ambroſij teſtimonio deceptus dixerat de Platone, ſcil. cum audiuiſſe Hyeremiam, cum tamen Plato ſeptuaginta poſt ipſum annis natus eſſe probetur, & lib. 7. Confeſs. cap. 9. idem Auguſt. ſolum fatetur ex libris Platonicorum illud Ioan. dictum, *in principio erat Verbum*, per quaſdam conſequentias haberi, *non vero, inquit, his verbis legi*. Et iterum lib. 8. de Ciuit. cap. 11. repetit (vt Abulenſis etiam aduertit in primum caput Geneſis pag. 4.) non potuiſſe Platonem in egipto legere libros Bibliorum non adhuc græca lingua donatos, ſed ſolum ad ſummum aliquos audiuiſſe Iudæos ibidem, ex quo non mirum ſi per tranſennam vmbratica quadam tinctus doctrina ſacrorum, fuerit inde in eorumdem intelligentia deceptus.

Ad quintum miror Securi fiduciam in referendo illud S. Thomæ teſtimonium ex p. p. qu. 6. art. 4. apud quem nec verbum extat de Platonis abſtinentia à delectatione venerea, vt ipſe ſupponit, de aliqua autem alia virtute Platonis laudata ab aliquibus in argumento relatis, iam præter hic dicta præmiſimus ſupra non ſemel Auguſtinum in Iuliano repræhendiſſe hunc errorem, quod ex eo quod aliqua virtus in Ethnicis admitteretur, inde ſtatim illi Philoſophi iuſti appellari deberent, & inter cætera ibidem frequentiſſima Auguſt. teſtimonia hoc ſolum veluti reſolutorium eiuſdem in præſenti ſeligimus ex lib. 4. contra Iul. cap. 3. *breuiter*, inquit, *accipe ne forte cum in rebus ipſis tantum erres, quantum errari plurimum poteſt videar tecum certare de verbis, aut ergo intellige, quod ait Dominus, ſi oculus tuus nequam eſt totum corpus tuum tenebroſum erit, & hunc oculum agnoſce intentionem, quæ facit quiſque quod facit, & per hoc diſce eum, qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc eſt eius, quæ per dilectionem operatur, totum quaſi corpus, quod illis velut membris operibus conſtat tenebroſum eſſe, hoc eſt plenum nigredine peccatorum*, de mirabilibus autem alijs, quæ de Platone iactantur, ommiſſo apium euentu an fide ab Hiſtoricis relatus ſit, an potius caſui concedendus, abſque dubio ſecundum de Sepulcro Platonis vt Platonicorum figmentum obliuionis tumulo ſepeliendum eſt, tum quia ſimilem omnino narrationem vt dubiam adducens S. Thomas 2. 2. qu. 2. art. 7. ad 3. recenſet eandem non de Platone loquentem, *ſed in Hiſtorijs Romanorum dumtaxat hoc de quodam homine legi*, tum quia in eadem lamina legebatur hæc Prophetia: *o ſol me iterum tempore Conſtantini videbis*, quod tamen ad minus prophetiæ donum nemo adhuc auſus eſt Platoni donare.

Ad ſextum de Socrate planum eſt Zenofontem & Platonem in Charmide ipſum atteſtari Socratem dijs Græcorum ſacrificaſſe & inter cætera Gallum Eſculapio, & eidem Socrati etiam Pederaſtiæ ſordem attribuit Philo li. 2. de vita contemplatiua, & Laertius in vita Socratis narrat eum morti damnatum ducentis octoginta ſententijs accuſatum: Aug. etiam lib. 1. de conſ. Euang. cap. 7. memorat Socratem iactitaſſe ſibi ad fuiſſe Dæmonem familiarem, & eius inſtinctu etiam Æſopi fabulas conſcripſiſſe, nec Lucianus deeſt, qui in dialogo amoris peiora de Socrate non teſtetur, & demum plerique obſeruant Iuſtinum pro Socrate fuiſſe deceptum in ſupputatione

tem-

Digitized by Google

tẽporum credentem vidiſſe Chriſtum, cum Socrates non paucis annorum luſtris ortum Chriſti præceſſiſſet, vt ex cronologia etiam Perrerij lib. 4. de princip. verbo Socrates, conſtare poteſt. De Seneca pariter Aug. lib. 6. de Ciuit. cap. 10. obſeruat eum ſacrificia commendaſſe Deorum, ſaltem quia legibus præcepta erant, vt ſe excuſauit & Cicero lib. 1. de natura Deorum, & præter hæc à Dione notatur auaritiæ non ſolum ſed Agrippinæ adulterij infamiſque in Neronem flagitij, vti & Lipſio in vita Senecæ negare non licuit; nec ſuffragantur confictæ illæ ab aliquibus epiſtolæ Pauli ad Senecam, & inde viciſſim, etenim ſi Apoſtoli hæ epiſtolæ forent, & inter canonicas viſerentur, ſicut & illa breuiſſima Apoſtoli epiſtola ad Philimonem canonica eſt, etiamſi plura de re familiari pertractet, nec ædem redolent Paulum vti & contra morem eiuſdem nec ſemel nominant Chriſtum, immo nec epiſtolæ Senecæ Deum, quem tamen alibi toties Seneca nominabat; quis non miretur in altera Senecam miſſo libello effectum Pauli præceptorem pro Romana lingua diſcenda, in altera Paulum ob communicatas epiſtolas de Nerone pauere? Quis vnquam credat aut Senecam adeo imperterritum vitæ contemptorem & mortis ex metu deinde adhuc in morte de ſua vera Religione tacuiſſe, aut Paulum, cuius epiſtolas fortitudinis ſpiritu plenas Romana legebat Eccleſia, Romæ deinde nomen ſubſcribere timuiſſe? quomodo tandem iſtæ nõ potuiſſent manifeſtari Neroni vt ante vel poſt apparentiori iuſtitia crudelis in nece vtriuſque à Paganis ſaltem hiſtoricis diceretur? hæc procul dubio, me iudice, nimis inueriſimilia ſunt in hiſtoricos, nimis iniuria in Philoſophum, nimis blaſphema in Apoſtolum, & demum minus in Senecæ lectores vtilia, quem merito, vt alter aiebat, ſicut Paganum loquentem Chriſtiane ſuſpiciunt, ita Chriſtianum nunc loquentem nimis pagane contemnerent. Vnde quo ad Tertullianum eum nominantem *è noſtris* planiſſimus ſenſus erit ſæpe Senecæ dicta noſtræ Religioni congruere, vt patet ex eodem Tertuliano lib de Anima cap. 10. *Seneca,* inquit, *ſæpe noſter* qua ratione etiam S. Thomas & Eccleſiaſtici alij Senecæ teſtimonia adhibuerunt. De Hieronymo autem, cui imponunt aliqui etiam in eodem libro ſcriptorum Eccleſiæ adnumeraſſe Donatum & Nouatianum, etiam ſi hæretici ſint, nobis abundans ex eiuſdem verbis expoſitio ſe offert ſcil. loqui ex ſuppoſitione dumtaxat, quod illæ adductæ epiſtolæ verè Pauli & Senecæ eſſent, Vnde concludit in hoc ſenſu Hieronymus: *Quem non ponerem in cathalogo ſanctorum, niſi me illæ epiſtolæ prouocarent,* quas tamen inter pſeudografica recenſet Sixtus noſter Senenſis lib. 1. Bibliotecæ etiamſi præmiſiſſet eaſdem commemorari à Lino Pontifice in hiſtoria de paſſione Pauli, & Auguſt. epiſt. 53. ad Macedonium.

Ad ſeptimum de Polemone reſpondeo Auguſtinum ibidem, vt legenti patebit, reſoluere ſolum quodcumque bonum in ipſo ſaltem ab auxilio Dei generali veniſſe, & ſi aliqua virtus vera & perfecta adfuiſſet, ex gratia Chriſti fuiſſe, vt idem repetit de Aſſuero, quem tamen non Idolorũ, vt Suarez exiſtimat, ſed veri Dei adoratorem fuiſſe demonſtrat & Thomas Vrtado diſp. 2. de ente ſupernaturali mem. 4. ſect. 1. cum alijs recenſitis ab ipſo & à Be-

M larmi-

Digitized by Google

larmino lib. 1. de Verbo Dei cap. 7. Tena lib. 2. Iſagoges difficultate 4. ſect. 3. & 4. & demum Periera in Danielem lib. 10. ca. 2.

Ad octaum demum admittimus aliquos etiam Gentilium potuiſſe ex auxilio gratiæ Chriſti ſaluari, etiam ante Saluatoris aduentum, & etiam ſi fidem explicitam non haberent, ſicuti & alibi nos ad p. p. qu. 23 de prædeſt. probauimus auxilia ſufficientia gratiæ ſaltem remota & intrinſeca ſingulis etiam infidelibus licet obduratiſſimis præſto eſſe: ſed his Platonem ac ſimiles recte vſos eſſe negamus, eiuſque oppoſitum inueriſimilius oſtendere hucuſque rationabiliter diſcurrendo conati ſumus.

ARTICVLVS V.

An Ariſtoteles quo ad mores peior Philoſophiæ Principibus credendus ſit vt quidam imponunt.

VIdetur quod ſic Franciſco Patritio tom. 1. diſcuſs. peripatet. lib. 1. per totum, ex quo etiam Neoterici quidam tranſcripſerunt, vt Gaſſendus proſequitur lib. 1. aduerſus Ariſtotelicos exercit. 3. Primo quidem inquit Patricius, nam Ariſtotelē ſtatim ab adoleſcentia viuendo luxurioſe conſumpſiſſe paternam hæreditatem, adeo vt inde coactus fuerit cuidam Farmacopulæ pro quæritando victu famulari, referunt Ælianus lib. 5. variæ hiſtoriæ, & Athenæus lib. 8. qui etiam adiungit *Epicurum veritatis amantiſſimum hæc de eo dixiſſe in epiſtola de ſtudijs.*

Secundo nam Ariſtoteli Hermias Eunucus ne dum auditor ſed amaſius fuit, vt inquiunt Diogenes Laertius & Suidas in vita Ariſtotelis, cuius etiam Hermiæ filiam, vt Suidas nuncupat, ſeu neptem, vt Strabo & Demetrius, ſeu pellicem vt Arriſtippus, in vxorem duxit nomine Pytiadam, cui inde defunctæ veluti Cereri Eleuſinæ ſacra fecit, & Herpilidam Stagiritem in concubinam accepit, præter Eſchionem & Palephatum Abydenum & alios, quos pro delitijs habuit quouſque vixit, vt Suidas refert, & moriens etiam in teſtamento honorifice à ſuis hæredibus haberi præcepit.

Tertio quia apud eundem Suidam hæc Timei de vita Ariſtotelis referuntur fuiſſe ſcil. *promptum audacem procacem, non tamen ſapientem; tardæ diſciplinæ, odibilem, qui celebri medico clauſo in omnem aulam & ſcenam inſi'yt; Ad hæc vaſti ventris obſoniorum conditorem ore ad omnia propenſum.* Cui narrationi quo ad aulæ adulationem ſuffragatur Tertullianus in apologetico de Ariſtotele dicens, *tam turpiter Alexandro adulatur, quam Plato à Dionyſio ventris gratia venditatur*, & inde Diogenes refert eum repræhendiſſe Caliſthenem, eo quod eidem Alexandro adulari neſciret eo Homeri verſu:

Citæ mortis mi fili eris, ſi talia loquaris.

quo ad gulæ vitium atteſtatur Hieronymus in quadam epiſtola, inquit Patritius, *Eum fuiſſe ebrioſum, quo ad auaritiam,* inquit, *Lico & Ariſtocles licet peripatetici confeſſi ſunt*, vt refert Theodoretus lib. 12. græcarum affectionum, nec diſſentit Laertius, *poſt eius obitum adinuentas ei fuiſſe ollas trecentas,*

vel

vel vt Plinius ait *ſexaginta oleo plenas, quo ſe luere ac poſtea diuendere ipſe ſolebat*.

Quarto ingratum ſimul & impium in ſui Præceptorem, ac in Regē tam ſibi beneficum criminantur ex Æliano quidam in li. variæ hiſtoriæ referente Platoni, cuius per uiginti annos auditor fuerat, adhuc viuenti reſtitiſſe, ex eo ſolum orto diſſidio, quod eius luxum indumentorum carperet, ſed emēdaret, & ideo ei Zenocratem ac ſimiles anteponeret, ex quo Plato apud Ælianum eundem lib. 4. & Laertium in eius vita *eundem muli nomine vocitabat*: ex alijs autem eum tot beneficijs onuſtum à Philippo Macedoniæ Rege Alexandri parente, *vt in eiuſdem gratiam Stagires etiam eius Patria reędificata ſit* (vt Plutarchus refert in Alexandro, & Plinius lib. 7. ca. 19.) poſtea Alexandro fuiſſe de coniuratione Ermolai ſuſpectum, & Alexandri epiſtolam adhoc Plutarchus in Alexandro exſcribit aientem: *Sophiſtem vero ſcil. Caliſthenem puniam ego & eos, qui eum miſerunt, & qui in Vrbes eos recipiunt, qui mihi inſidiantur*, Clare in his, inquit Plutarchus, *contra Ariſtotelem ſeſe indicat Alexander*, ex qua deinde Macedonis ſuſpicione non perterritum, ſed preuaricatum vltro Ariſtotelem Antipatro auctorem veneni fuiſſe, quo Alexander extinctus eſt, proſequitur Plutarchus ibidem ex aliorum relatione etiam adiungens: *Agnotemen quendam ita narraſſe aiunt, qui id ab Antigono Rege audierit*, & ſuffragantur Arrianus lib. 7. & Plinius lib. 13. cap. vlt. Vnde & eundem Antipatrum ſui teſtamenti curatorem eſſe voluit, vt in Laertio videre eſt.

Quinto quia eundem ſibimet tandem mortem intuliſſe conueniunt auctores, ſiuè poſtea ebibendo venenum, vti commemorat ex Hermippo 5. hiſtor. Laertius & Tertullianus in Apologetico dicens: *Criminis poſtea accuſatum ſe ipſum aeconito interfeciſſe*, ſiue in Euripi vndas immerſum, vt quidam Ioan. Vallenſis apud Patritium induxit, & afferri ſolent Iuſtinus in Pareneſi ad gentes, Nazianzenus oratione prima contra Iulianum, & alij apud Cælium lib. 9. cap. 8. & Poſſeuinum lib. 13. cap. 17. & alios.

Sexto quia hinc vniuerſim etiam Philo Iudæus lib. de mundo incorruptibili aſſerebat *Ariſtotelem numquam piè, aut ſanctè vixiſſe* & Lactantius lib. de ira Dei cap. 19. *Ariſtotelem nec Deum coluiſſe, nec curauiſſe*, Vnde concludunt etiam ex iſtis in Philoſophicis ab Ariſtotelis ſequela cauendum.

In oppoſitum tamen eſt, quod inquit Seneca de vita beata ca. 18. *Etiam permaligniſſima capita & optimo cuique inimiciſſimè Platoni obiectum eſt, obiectum Epicuro, obiectum Zenoni*, ex quo proinde concludit: *Nec malignitas me iſta multo veneno tincta deterrebit ab optimis, nec virus illud quo alios ſpargitis, nos necatis*, ergo nec mirum hic aut Ariſtoteli plurima obiecta eſſe, aut ea nos ab eiuſdem Philoſophia neutiquam deterrere.

Reſpondeo mentem mihi non eſſe, vti antedicti fecere de Platone vel Socrate, pro ſancto Ariſtotelem venditare, ſed propugnare dumtaxat eundem longe meliorem extitiſſe, quam plurimi calumniatores imponant. Pro quo meo videri ſufficiet non Neoterici alicuius Peripatetici, ſed antiquiſſimi Eccleſiæ ſcriptoris, non minus Platonici, quam Peripatetici

pro Ariſtotele exſcribere Apologiam ſcil. Euſebij Cæſarienſis lib. 15. præpar. Euang. cap. 1. per totum ſimul cum Ariſtocle peripatetico in ſuo lib. 7. de Philoſophia, ſic repellentis adducta adeo maledica æmulorum Ariſtotelis teſtimonia: *Quis præterea*, inquit, *Ariſtoxeni muſici illius, quæ in Platonis vita habentur, verbis credat? Qui dicit eum dum erraret hinc inde, & peregrinaretur, ſeditionem commouiſſe, ibique tum peregrinos quoſdam peripatum ei extruxiſſe, quæ adhuc verba de Ariſtotile dicta eſſe aliqui putant, cum tamen Ariſtoxenus honorifice ſemper Ariſtotelis mentionem faciat: ſed & hæc ridicula quis non merito dicet, quæ ab Alexino Eriſtico commemorantur? Fingit enim Alexandrum filium cum Patre ſuo Philippo differentem, & Ariſtotelis rationes planè contemnentem. Eubulides quoque in libro, quem contra Ariſtotilem ſcripſit, mentitur apertè, primum quidem frigida quædam poemata proferens tanquam ab alijs quibuſdam conſcripta de conuigio, & familiaritate cum Hermia, poſtea Philippo eum maledixiſſe affirmans, nec denique Platoni morituro adfuiſſe, & libros eiuſdem corrupiſſe; Quid vero attinet hic Democaris contra Philoſophos criminationes recenſere? non enim Ariſtotelem ſolum, ſed & alios quoque Philoſophos malignè perſtringit, & quidem ſi quis iſtas probè conſideret calumnias nefariè locutum hunc eſſe dicet; ait enim epiſtolas ſe Ariſtotelis inueniſſe contra Atthenienſes, nec non Stagiram Patriam ſuam Macedonibus tradidiſſe. Cæphiſodorus autem Iſocratis diſcipulus ſtultè eum calumniatus eſt, qui delicatum & voracem nec non alijs quibuſdam eiuſmodi nominibus appellauit. Hæc vero omnia ſtultitia longè vincunt, quæ à Lycone, qui ſe ipſum pitagoricum nominat, dicta ſunt, ſcil. Ariſtotilem vxoris ſuæ defunctæ tale ſacrificaſſe ſacrificium, quale ſolent Atthenienſes Cereri, & oleum, in quo calido lauiſſet, vendere ſolitum, ex his igitur, qui Ariſtotilem criminati ſunt, iſti ferè præcipui habentur, quorum alij quidem coeui Ariſtotelis, alij vero poſt ipſum paulò fuerunt, omnes tamen aut Sophiſtæ, aut Eriſtici, quorum nomina & libri ſimul cum corporibus interierunt. Ablegandi autem prorſus iſti nobis ſunt, qui aut diù, aut poſt hæc fuerunt, aut talia, & talia ab illis dicta commemorant, aut (de quibus in primis hoc dictum volumus) qui in libros illorum numquam inciderunt, ſed ex ſeipſis tales finxere calumnias, quales ſunt hi, qui trecentas eum ollas habuiſſe affirmant, cum tamen nullus eorum apud quemquam, qui tunc fuerunt, quidquam tale ſcriptum repererint, nec apud ipſum quidem Lyconem. Is enim, vt antea dixi, ſeptuaginta quinque vrceolos iuuentos fuiſſe aſſerit. Non ſolum autem ex temporum collatione & ijs, qui calumniati ſunt, colligere quis poteſt omnia hæc quæ dicta ſunt, falſa eſſe, ſed vel ex hoc ipſo quoque quia non omnes eadem dicunt, ſed ſinguli eorum peculiare aliquid. Quorum ſanè ſi vel vnum verum eſſet, non ſemel tantum ſed millies ab ijs qui tum fuerunt petiſſent: Eſt igitur manifeſtum idem Ariſtoteli accidiſſe, quod multis alijs quoque ſolet, nimirum propter amicitiam, quam cum principibus habuit, nec non admirabilem illam, qua excelluit, ſapientiam, odio à Sophiſtis, qui tum erant, habitum eſſe*, hucuſque pro me ipſo Euſebius, cuius vtique apologia pro ſingularum obiectionum ſolutione ſufficeret, præcipuè ſi adderemus vlterius plurimos etiam extitiſſe Philoſophos hoc Ariſtotelis nomine inſignitos, vt idem Euſebius aduertit lib. 14. cap. 7. & inde alij cum

Laer-

tio in eiuſdem Philoſophi vita proſecuti ſunt.

Ad primum igitur etiam gratis admiſſo Ariſtotelem farmacopoleam aliquandiù exercuiſſe, non inde aliquid tam indignum Philoſopho inferretur: *Satis enim conſtat*, vti & Franciſcus Patritius ibidem confeſſus eſt, *farmacopoleam antiquis temporibus medicos exercuiſſe, Ariſtotelē autem medicum fuiſſe, tum ex genere, quo ortus erat, medicorum, tum ex libro, quem de ſanitate & morbo conſcripſit, tum præcipuè colligitur ex teſtimonio Plutarchi in Alexandro ſcribentis: Videtur mihi Alexandro medicinæ amorem indidiſſe magis quam alius quiſquam Ariſtoteles; neque enim ſpeculatricem ſolam amauit, ſed etiam amicis laborantibus auxilia tulit, & medicationes quaſdam, & dietas præcepit*. Verum tamen eſt Ælianum & Atthenęum retuliſſe potius, quam aſſeruiſſe eam totam de Ariſtotile narrationem ex vna Epicuri epiſtola, cui vt prauè affecto ac maledicentis ingenij quam minimè credendum ſit admonuit ab aliorum exemplo Laertius in Epicuri vita ſic dicens: *Epicurus etiam Nauſiphanem appellabat plumbeum illiteratum ac rudē deceptorem, & eos qui circa Platonem erant Dionyſij aſſentatores & ipſum Platonem aureum adulatorem Ariſtotilem intemperantem Protagoram vocabat ſportiligerum, Democritum Scribam, Pironem rudem inſipientem & indoctum*, Quod obſeruat & ſextus Empiricus initio librorum addens *& eundem Nauſiphanem licèt ei Præceptor fuiſſet appellauiſſe pulmonem*, & in hoc cum Laertio conſentiunt & cum ſexto Empirico Cicero lib. 1. de natura Deorum, Plutarchus lib. 2. aduerſus Colorem, & alij, adeo vt meritò Euſebius concluſerit mox ante verba relata: *nil Epicuro tam maledico*, ex quo in Ariſtotilem calumniæ in cæterorum relationes deriuatæ ſunt, *haud quaquam credendum eſſe*.

Ad ſecundum iam cum Ariſtocle idem Euſebius oſtendit ex æmulorum inuidia ficta ea dicteria primitus emanaſſe, quod nos vlterius poſſumus ex eorundem calumniatorum contra dictione (vt ſolent iudices) ſtabilire, nam ſi Ariſtoteli Hermias pro delitijs fuit, quomodo componi poterit ac verifficari cæterorum calumnia à Tertulliano relata in apologetico, ſcil. *Ariſtotilem familiarem ſuum Hermiam turpiter loco excedere feciſſe*, & apud Laertium in Ariſtotile ſcil. *Hermiam Accarnenſium Tirannum Eunucum prætextu familiaritatis interfeciſſe*? Quomodo ſi Hermias Eunucus fuerat, eius filia Pitiada nominatur? Quomodo Hetpilida pro pellice vſus eſſe refertur, ſi Appellicon apud Euſebium laudato lib. 15. cap. 1. inquit, *eandem duxiſſe in vxorem*, ex qua filius ei natus eſt? Quomodo alibi adoleſcens inducitur prius infeliciter militiæ addictus, ſi ex Amonio in eiuſdem vita vix decimum ſeptimum annum agens præacquiſitis etiam artibus liberalibus, aut Socratis auditor fuit, aut ſaltem iuxta Laertium Platonis Scholæ addictus eſt? Quomodo tandem tot alij antiquiſſimi hiſtorici hæc de Ariſtotele tacuerunt, vt Dionyſius Alicarnaſeus, & alij plures? Quomodo inuicem ijdem Calumniatores in communicandis ſeu repetendis Philoſophi criminibus non conuenerunt? merito igitur concludebat Euſebius hæc omnia ac ſimilia ab inuidis & maledicis in Ariſtotelis gloriam efficta eſſe.

Ad tertium eodem modo de Timeo Euſebius cum Ariſtocle reſpondet: *Quo-*

Quiſnam enim, inquit, *veriſimile vnquam admitteret totum illud Timei Tauromenitæ, qui id dixit, &c.* cuius Timei narrationibus innixi poſteà ſcriptores, ac Patres ea ſingula, quæ adiunguntur in argumento, ſine aſſertione retulerunt, cum nos tamen inquit Beſarion lib. 2. in calumniatorem Platonis c.4. *ne Chriſtianos quidem illos ſcil. Ariſtotilem vel Platonem, ne dum Sanctos fuiſſe fateamur.*

Ad quartum quo ad Platonis impugnationem mirum eſt inde Nouatores arripere occaſionem carpendi Philoſophum, vnde Pius ſecundus eiuſdem Ariſtotelis encomia depromſit in bulla ſuarum retractationum dicens: *Paucos inueniri Ariſtotiles, qui Platonica dogmata deſtruere norint*, & ſatis adhuc occurrerat pro ſeipſo Ariſtoteles in primo Etich.cap. 3. dicens. *Sanctum enim eſt præſertim viro Philoſopho veritatem amicis in honore anteponere* quod comprobarat & Plato in Charmide & Critone ſubiungens, *Socrates quidem quid dicat parum ſolliciti eſſe debemus, de veritate autem multum ſollicitos eſſe oportet*, neque in hoc quo ad propoſitum inæqualis Ariſtotiles Platoni fuit, niſi quod vbi Ariſtotiles Platoni ſaltem poſt mortē Ariſtotiles aram erexit, vt ex Ammonio & alijs etiam aduerſarij concedunt, id erga Socratem ſui Præceptorem Plato non egit, prætarquamquod ſi Platoni viuenti etiam Ariſtotiles in ſpeculationibus contradixit, id potius defenſionis quam impugnationis fuiſſe credendum eſt, cum antea Plato ipſe in Parmenide Ariſtotilē introduxerit, & laceſſiuerit veluti à Parmenide ex ætate poſteriori contemptum. De nece autem Alexandri, quis credat Olimpiadem Alexandri matrem, ſi ſuſpectus Ariſtotiles adeo fuiſſet, eum Stagiræ ſubditum viuentem adhuc liberum permiſiſſe immo & Stagiræ Populos ſibi ſubiectos annua eidem feſta per ſoluere? Quis neſcit iſtam in alios, & ſi ſeuiſſimè de prædicta nece ſuſpectos etiam ſi mortuos, etiam poſt longi temporis ſpatia rigidè ſeuiuiſſe? ita profecto Plutarchus in Alexandro recenſet dicens: *Vigeſimo octauo ſub veſperam Alexander expirauit. Veneni exemplo ſuſpicionem nemo habuit. Sexto decimo anno autumant iudicio delato Olimpiade multos necaſſe, oſſa etiam proieciſſe mortui Iolæ, quaſi venenum hic miſcuiſſet.* Sic & Caliſthenem (de cuius coniuratione ſimul cum Ariſtotile opponebatur) ab eadem necis ſuſpicione abſoluit integerrimè Seneca lib. 16. quæſtionum naturalium cap. 23. & Quintus Curtius lib. 8. dicens; *Interyt imiti conſilij in caput Regis innoxius*, Vnde ex vnius illius Agnothonin cuiuſdam ignoti falſo rumore dumtaxat hanc ſuſpicionem referunt non decernunt in argumento auctores adducti.

Ad quintum vtraque ea narratio de morte ab Ariſtotele ſibi illata neganda eſt, tum quia ex Dionyſio Alicarnaſeo *Ariſtotiles Calcidam migrauit ibique ex morbo deceſſit*, tum quia Iuſtinus (ex cuius præpoſtera intelligentia non pauci hallucinati ſunt) ſolum hæc verba habet: *Cum neque Euripi Calcidic. naturam cognoſcere poſſet, propter ingens probrum, & pudorem in mœrorem conuerſus morte vitam commutauit*, nihil autem habet de veneno vel præcipitio efficto ab alijs præſertim à quodam Ioanne Vallenſi, vt & Patritius aduertit, tum quia eodem ferè modo cum Iuſtino recenſent eiuſdem

Ari-

Ariſtotelis mortem Nazianzenus oratione prima contra Iulianum, Gelius lib. 5. cap. 5. & alij, tum quia ex Laertio eodem cum Appollodoro, vti & Fonſeca obſeruauit, *obijt morbo Ariſtotiles ſub id tempus quo Demoſtenes Orator in Calabria Tracia hauſtó veneno vitam finiuit*; quod ſecundum mortis genus in Ariſtotilem fortaſſe aliqui perperam retulerunt.

Ad ſextum demum præter adducta addendum eſt, immò Ariſtotilem referri communiter propria voluntate exulem Athenis Calcidam emigraſſe, & iterum reuocatum accedere renuiſſe, ne aut Dei vnitatem negare, aut vitam ammittere cogeretur ab exemplo Socratis, cui id contigiſſe præſenſerat; vti hoc de Ariſtotile teſtati ſunt Seneca de vita beata cap. 32. Crinitus ex Origene lib. 10. cap. 3. & Cælius lib. 2. cap. 2. & lib. 17. cap. 14. ſimul cum Iuſtino in Parenneſi ad gentes & alij, & poteſt à nobis ex eiuſdem Ariſtotelis Epiſtola ad Antipatrum comprobari recenſita à Patritio eodem lib. primo vtente & illo Homerico verſu:

Pirus ſuper piro ſeneſcit, ficus vero ſuper ficu.

& ex altero pariter reſponſo Philoſophi laudato ab eodem, *ſe nolle Athenienſes bis in Philoſophiam peccare*, in Ariſtotilem ſcil. vti & in Socratem, de quo tamen fuſius contra Ferchium & alios ſcil. de vnitate Dei ab Ariſtotile agnita cum Eugubino lib. 4. per totum agendum eſt. Ommitto in Ariſtotelis vita impreſſa Pariſijs anno 1619. vlterius haberi Ariſtotilem morti proximum effuſum in lachrimas prorupiſſe in hæc verba. *Tu ens entium miſerere mei, nec non diſcipulos aſſiſtentes eidem addidiſſe: Ille qui Philoſophorum animas excipit & tuam colligat in ſuis condens theſauris, vti animam addecet recti hominis & perfecti, qualem te nouimus* vt refert etiam ex alijs Cælius Rhodiginus lib. 10. cap. 31. prælertim ex libro de pomo, quem cum alijs nominat etiam Patritius tom. 1. lib. 3. adeo, vt Abulenſis ex his fortaſſe deduxerit paradoxo 5. cap. 123. licet minus cautè *& Ariſtotilem ſaluum in Patrum Limbo extitiſſe*, ommitto inquam, tum quia adducta intento noſtro ſufficiunt, tum quia demum dato etiam & non conceſſo Ariſtotilem peiorem omnibus in moribus extitiſſe, non deſunt alij, qui dicant hoc adhuc eiuſdem ſequelæ in Philoſophicis non obeſſe, cum & nos Salomon ad formicam vt ab ipſa diſcamus, & Dominus ad Serpentem, vt erudiamur, innitet.

QVÆSTIO IV.

De Vitijs impoſitis Philoſophiæ Ariſtotelis.

Expeditis faciliſoribus obiectionibus circa mores progredimur ad difficiliores circa doctrinam, quas fusè congerit etiam ex Franciſco Patritio tom. 1. per totum in ſuo tom. 3. Gaſſendus lib. 1. aduerſus Ariſtoteleos exercitatione quarta cõtĕdens incertos eſſe Philoſophi libros, exercitatione quinta in innumeris deficere, ſexta innumeris ſuperfluere, ſeptima in innumeris fallere, octaua in innumeris contradicere. Quæ ſingula ferè propoſuerat etiam Ioannes Franciſcus Picus lib. 4. & 6. de examine vanitatis

2. recenſet præter cathalogum librorum Ariſtotelis in Laertio ab eodem Laertio alibi vt Ariſtotelis nominari, modo *Magicum* in proemio, modo *epitomen Rethorum* in Ariſtippo, modo *librum de fabis* in Pitagora, immo & ab Ariſtotele ipſo hos ſingulos nunc non extantes ſcil. *librum de mixtione*, in lib. de ſenſu cap. 3. *librum de ſuccis* cap. 4. *librum de nutrimento* in lib. de ſomno cap. 3. *librum de ſelectione contrariorum* in lib. 3. Metaphiſ. cap. 2. *de diuiſione contrariorum* lib. 10. Metaphiſ. cap. 3. præter alios innumeros memoratos à Plutarcho Attheneo & alijs antiquis etiā commentatoribus Ariſtotelis, vti Patritius eodem loco percurrit, & repetit lib. 7. per totum etiam aliorum librorum non extantium veluti Ariſtotelis fragmenta ex antiquorum monumentis exſcribens, & ſubſcribente Gaſſendo exercitatione quinta per totam. De ſecundo autem ſcil. plurimos Ariſtotelis libros ſuperfluere ante Gaſſendum eundem de hoc integra exercitatione ſexta ſcribentem percurrerat prius idem Pattitius eodem tom. 1. lib. 3. tum quia in Laertio inter Ariſtotelis libros nulli leguntur inſcripti *phyſicæ auſcultationis, de Cœlo, de generatione, de Metheoris de ortu animalium elenchi Metaphyſici & huiuſmodi*, tum quia de anima ipſe recenſet *vnum*, nos circumferrimus tres, ille Ethicorum *quatuor*, nos decem & nouem, & ità de alijs, tum quia liber prædicamentorum vt Ariſtotelis ſuppoſititius reicitur à non paucis apud Ammonium, liber de interpratatione ab Andronico, de ſenſu à Scaligero, de prima Philoſophia à Philoppono, & innumeri alij ab eodem Patritio lib. 3. & 4. diffusè, ergo nutat ac ruit vt vitijs ſcatens iam tota Ariſtotelis Philoſophia.

In oppoſitum tamen eſt quod ex Alexandro conſilio 138. colum. 3. Io. Andrea de Bud. cap. 2. de fide inſtit. colum. 3. Crauet. de antiquit. tempor. parte prima §. 4. num. 14. *Scriptura etiam priuata longo tempore obſeruata pro publica meretur fidem integram*, & ex Gloſa in cap. cum cauſam, de prob. per tex. in cap. ſanè, colum. 2. 24. qu. 2. & ex Speculo titul. de prob. *§.* videntur; ex Baldo conſil. 130. littera 15. Decio conſil. 135. *etiam ſcriptura collocata ab antiquo in loco publico meretur fidem integram iuxta principia iuris*, Sed dato quod iſta Philoſophia, quam modo publicè habemus, & Ariſtotelis verè non eſſet & multiplici ſcriptoris vitio conſarcinata eſſet, adhuc in facie mundi & Eccleſiæ tot doctiſſimorum virorum conſenſu, tot ſeculorum præſcriptionibus approbata eſt, vt pro vera Ariſtotelis Philoſophia (debita ſuperius cautela præmiſſa) acceptanda à Chriſtiano Philoſopho exiſtimetur, ergo ita defacto accceptanda eſt.

Reſpondeo non tanti faciendas eſſe à Chriſtiano Philoſopho obiectiones adductas, vt adhuc eum à ſequela Ariſtotelis valeant deterrere. Nam ſi nunc liceat non quidem à pari ſed à fortiori, vel ſaltem à proportione, diſcurrere, profectò & in ſcripturam, quam vt canonicam recognouere Concilia, mos fuit hæreticis pariformiter omnino obiectare modo non ſolum obſcuritatem, ſed in dicendo barbariem, vti atteſtantur Arnobius lib. 1. aduerſus gentes, Lactantius lib. 3. inſtit. cap. 1. Origenes contra Celſum Clemens Alexandrinus & alij, modo non ſolum ambiguitatem ſed repu-

gnantiam, vt refert Auguſtinus in vtroque lib. Euang. quæſtionum Griſoſt. homil. 1. in Mattheum & alij, modo flagitia & iniquitatem vt de Fauſto Manicheo recenſet idem Aug. lib. 22. contra eundem Fauſtum cap. 35. & ſubſequentibus, & iterum in lib. contra aduerſarium legis & Prophetarum, modo dubitationes Sanctorum Patrum circa addendos aut diminuendos ſcripturæ libros, vt eruditè percurrit poſt noſtrum Cano lib. 2. & Sixtum Senenſem & alios cum Aug. ſecundo de doctrina Chriſtiana cap. 8. Belarminus lib. 1. ferè per totum, inimo & aliquos è canonicis libris perijſſe defacto concedit & probat Bonfrerius in proloquijs ad Penteteucon ſeſſ. 9. c. 6. referens ſimul Belarm. Pinedam, Serrarium, Sixtum Senenſẽ & alios, ſed his non obſtantibus numquam Catholici exiſtimarunt tanti has obiectiones hæreticorum faciendas eſſe, vt ab antiqua Eccleſiæ poſſeſſione valuerint remoueri, ergo ſeruata proportione (ſimul cum inæqualitate, quam præſuponimus) à Chriſtiano Philoſopho hic non tanti faciendæ ſunt obiectiones adductæ, vt ab antiqua tot ſæculorum poſſeſſione valeant deturbare, & ſicut illi omnia argumenta ſoluerunt, ita nobis proportionaliter in propoſito diſſolutio obiectionum tentanda eſt.

Ad primum igitur de obſcuritate reſpondet præter Themiſtium ingenuè Simplicius in prolegomenis ad chathegorias, ea vſum iure merito Ariſtotilem, tum ne à vulgaribus philoſophica fædarentur, tum vt ſtudioſis ſpeculandi ſtimulus adderetur, Vnde, inquit, *non fabulis nec ſimbolicis enigmatibus. vt ante eum quidam, Ariſtotiles vſus eſt, ſed loco omnis alius velamenti obſcuritatem elegit*, ex quo etiam Acromaticos libros iure merito nominauit vt latè demonſtrat lib. 6. Patritius, quod vero ſubdit Simplicius ibidem *nulla ſermonis imbecillitate obſcuritas eius ſcripta inuaſerit, norunt quidem hi, qui vel mediocriter ſermonem aſſequi poſſunt, quod multam præſeferat dicendi facultatem Ariſtotelica elocutio, vt ſæpe paucis ſyllabis longe plura tradat, quam alius multis periodis tradere queat*, ex quo & Tullius Romanæ eloquentiæ ſine lite Princeps in 4. accadem. non dubitauit aſſerere Ariſtotilem *Fonderẽ flumen aureum orationis, clarum autem eſt hoc*, concludit tandem eodem loco Simplicius, *ex ijs etiam in quibus voluit clariſſimè docere, vt in Metheoris, & Topicis, quæ Rethor ille magnus, vt opinor, ariſtotelica ſi ignorare reſpodit, minimè ſum admiratus, eum nempe Philoſophum Rethori non eſſe cognitum, qui ab ipſis Philoſophis præter admodum paucos ignoratur*. Sed audiamus quid ſimul de obſcuritate & barbariè proportionali circa ſcripturam obiectioni Arnobius lib. 2. reſpondeat: *Puerilis ſanè* inquit, *atque anguſti pectoris reprahenſio hæc eſt, quam ſi admitteremus vt vera ſit, abiaciamus oportet ex vſibus noſtris quorumdam fructuum genera, quod cum ſpinis naſcuntur & purgamentis alijs, quæ vt alere non poſſunt, nec tamen impediunt perfrui nos eo, quod principaliter antecedit & ſaluberrimum nobis voluit eſſe natura. Quid enim officit quæſo, aut quam præſtat intellectui tarditatem? vtrum ne quod lene, an hirſuta cum aſperitate promatur? inflectatur quod acui, an acuatur quod oportebat inflecti? an minus id quod dicitur verum eſt, ſi in numero peccetur aut caſu præpoſitione, participio, coniunctione? Pompa iſta ſermonis & oratio miſſa per*

regulas

regulas concionibus, litibus, foro, iudicijſque ſeruetur. Cum de rebus agitur ab oſtentatione remotis quid dicatur ſpectandum eſt, non quali cum amœnitate dicatur, & ita de facto locutos eſſe Philoſophos in fine concludit, ne ſcil. inquit, *corrumperent grauitatis rigorem, & ſophiſtica ſe potius oſtentatione iactarent.*

Ad ſecundum in primis Ariſtotelica quandoque in difficilioribus v. g. Cælorum arcanis, aut de minima relationum entitate, modeſtia non vellicanda ſed laudanda eſt, quæ turgidis ſolum nouatoribus aliquibus diſplicere poteſt, ſed paſſim à Patribus etiam in philoſophicis commendatur præſertim ab Aug. lib. 7. ſuper Geneſim ad litt. cap. 1. & epiſ. 250. dicente *multo meliorem eſſe hanc inquirendi cautionem, quam affirmandi temeritatem*; de apparenti autem alicubi contradictione Ariſtotelis remiſſo ſingulorum teſtimoniorum examine ſuis proprijs locis à ſingulis Ariſtotelis expoſitoribus expendi ſolitis ac planiſſimè concordari, & omiſſo pariter quod Alexander aiebat apud Auerroem ſecundo de Cælo commento 1. *Nos autem non ſumus ſuſtentati ſuper ſententiam huius hominis inter omnes alios, niſi quia videmus ipſam minoris ambiguitatis & remotiorem à contradictione*, his, inquam, omiſſis ſat erit nobis adducere, quæ in ſimili contra ſcripturam hæreticorum obiectione dicebat perpulchrè Griſoſt. homil. 1. in Matth. his verbis: *Hoc ipſum*, inquit, *maximum eſt teſtimonium veritatis. Si enim ex toto & in omnibus conſonarent, & cum nimia diligentia & cura, atque ad tempora, & loca omnia vſque ad ſingula æqualiter verba concurrerent, nemo inimicus crediidiſſet vnquam, quin illi communi ad decipiendum conſilio congregati quaſi ex humana quadam conſpiratione ſcripturas condidiſſent: non enim ſimplicitatis fuiſſe tam ſollicitam conſonantiam indicarent, nunc vero quæ videtur in rebus exiguis diſſonantia ab omni illos ſuſpicione defendit, & ſatis clare ſcribentium exiſtimationem tuetur.*

Ad tertium ex ſupra dictis circa mores Ariſtotelis patere poteſt, quamplures ſcil. plura de ipſo inuidiæ creandæ gratia confinxiſſe, vti illud eſt de combuſtione librorum cum tamen Auerroes aliunde, cur illi perierint, manifeſte demonſtret ſcil. illos extinctos vtique Ariſtotelis ope manſiſſe, ſed eo dumtaxat modo, quo ſydera extincta à luce ſolis nominare ſolemus; Vnde concludit in proemio Phyſicorum. *Poſtquam innotuerunt libri Ariſtotelis, libri prædeceſſorum eius fuerunt abrogati & aboliti*. Vtique verum eſt quod narrat Zonaras etiam apud Patritium tom. 1. lib. X. à Leone Iſauro anno 750. *poſt Chriſtum pleroſque quos potuit libros inuenire ſimul cum magna baſilica combuſſiſse*, ex quo non mirum ſi antiquorum volumina periere, quorum alias combuſtionem, ſi ab Ariſtotile vel tentata fuiſſet, tot, qui ſcripſerunt in ipſum aut viuentem aut poſtmodum, abſque dubio ſępiſſimè & plurimi obieciſſent: cur autem poſtea eorundem antiquorum loquendi modum, & ne dum ſensũ, aliquando Ariſtotiles criminatus ſit iuſtam rationem adduxit ne dum Euſtratius in primo Ethic. cap. 6. vel S. Thomas 1 de Anima lect. 8. & 3. Metaph. lec. 11. ſed etiam ommiſſis alijs Platonicus ipſe Beſarion lib. 2. in calumniatorem Platonis cap. 10. dicens: *Ideo iudicio omnium doctiſſimorum Ariſtotilem ita feciſse, ne quis primo aſpectu ſermonis arre-*

Digitized by Google

ptus ſentiret, quid alienum a rei, de qua agebatur, recta veraque ratione.

Ad quartum de incertitudine librorum ſupponendum eſt & plurimos Ariſtotelis libros eoſdem, quos nos aliter inſcriptos habemus, longè aliter inſcripſiſſe Laertium, vt de pluribus adnotat idem Patritius lib. 5. per totum, ex quo exempla quamplurima exſcribere in præſenti non vacat, vti & de topicis adnotarat idem Patricius lib. 3. & de alijs repetit pagina 25. ex qua inſcriptionum diuerſitate hallucinati non pauci crediderunt plures longè, quam deſint, Ariſtotelis libros perijſſe; rurſus & pluries ab Ariſtotile ſua quædam opuſcula recenſeri, non vt diſtinctos libros ab alijs, ſed vt partes eorundem ſpeciali nomine nuncupatas apud Simplicium in 6. Phyſicorum compertum eſt, vt *de motu* in tribus vltimis Phyſicorum libris, *de mixtione* in libris ſimul de ortu & interitu reperitur, *de ſelectione vel diuiſione contrariorum* in poſt prædicamentis, *de nutrimento* in ſecundo de anima, & ita de alijs. Demum & plurimos ex non extantibus commemorari ab antiquis, non quidem vt certos, ſed Ariſtotelis dubios habetur ex modo loquendi tum Athenæi lib. 4. ſic disiunctiue loquentis: *Ariſtotiles vero vel Theophraſtus in commentarijs de Phaſianis*, & lib. 15. *Ipſe Ariſtotiles in Apologia, niſi commentitius ſermo. ſit*, tum ex Laertio in fine vitę Ariſtotelis concludente. *Hæc ſcil. ſcripta ea ſunt, quæ indubia ſunt, multa enim alia quoque in Ariſtotilem ſcripta referuntur*, tum ex eodem Patritio lib. 3. à pag. 26. erudite probante ad augendam librorum quorundam eſtimationem fuiſſe frequenter celebriorum ſcriptorum nomine inſignitos, vt de Ariſtotelè non ſolum ſed Hyppocrate Galeno Platone & alijs ampliſſima eruditione percurrit, ex quo tamen inſipientis eſſet inferre pleroſque eos, quos nunc habemus, neque Platonis neque Hyppocratis neque Galeni dicendos; vti aptiſſimè vrget in ſimili ac concludit Auguſtinus lib. 33. contra Fauſtum c. 6. dicens. *Hos igitur libros, quibus illi, qui de tranſuerſo proferuntur, comparati reperiuntur, Vnde conſtat eſſe Hyppocratis? Vnde ſi quis hoc neget, nec ſaltem refellitur ſed ridetur niſi quia ſic eos ab ipſo Hyppocratis tempore vſque ad hoc tempus & deinceps ſucceſſionis ſeries commendauit, vt hinc dubitare dementiæ ſit Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, Varronis, aliorunque huiuſmodi auctorum libros, vnde nouerunt homines quod ipſorum ſint, niſi eadem temporum ſibimet ſuccedentium conteſtatione continua approbatos?* hucuſque Aug. ex quo iterum dubitationis huiuſmodi recentiorum retorſio in eoſdem ad hominem videri poteſt in lib. pariter 32. contra Fauſtum c. 21. mutato ſolo nomine Manichæi in Democritum vel Platonem ſic. *Si hinc & vobis aliquis moueat quæſtionem, & ſcrupulum contradictionis impingat dicens, libros quos profertis Platonis aut Democriti & eiuſmodi non eſſe eorum, quid facturi eſtis? nonne potius eius deliramenta ridebitis, qui contra rem tanta connexionis & ſucceſſionis ſerie firmatam impudentiam huius vocis emittat? ſicut ergo certum eſt illos libros eſſe Platonis &c. & omnino ridendus eſt, qui ex tranſuerſo veniens tanto poſt natus litem vobis huius contradictionis intenderit, ita pro nobis certum eſt, &c.* vt concludit ibi Aug. pro nobis, & demum idem ad ſimilem obiectionem de textu vitiato reſponderat antea Tertullianus libr. 4.

contra

contra Marcionem cap. 4. dicens: *Si ego meum ſcil. textum dico verum, Marcion ſuum, Ego Marcionis affirmo adulteratum, Marcion meum, Quis inter nos determinabit niſi temporis ratio ei præſcribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præiudicans vitiationem quod poſterius reuincetur? inquantum enim falſum eſt corruptio veri, intantum præcedat neceſſe eſt veritas falſitatem.*

ARTICVLVS II.

An Ariſtoteles eximi poſſit in ſua Philoſophia ab erroribus contra fidem attributis eidem.

Videtur quod non nedum Gaſſendo vbi ſupra & Pico lib. 4. de exam. cap. 1. poſt Ramum apud Carpentarium in Alcinoum digreſſione tertia, ſed etiam Cano lib. 10. cap. 5. & Eimerico in Directorio Inquiſitorum parte 2. qu. 4. Primo quia Ariſtotiles ſæpiſſimè nominat Deos in plurali numero, vt quinquaginta textus adduxit Ferchius veſtigatione quarta, & præter illos recognitione 18. in Licetum adiungit textum ex ſecundo Rethoricorum cap. 23. primo ad Nicomacum 12. ſpetimo ibidem cap. 6. octauo Politicorum cap. 5. ſeptimo Politicorum cap. 14. tertio de hiſtoria animalium cap. 28. & alios, Sed hic eſt error apertiſſimus contra fidem, ergo ab hoc ſaltem errore Ariſtotelis Philoſophia abſolui nequit.

Secundo nam ſi Ariſtotiles poſuit vnum ſupremum Deum adhuc eum ſibi confinxit vt formam informantem ſupremum orbem, quem ideo & animal in 5. & 12. Metaph. nominabat, vt probat ex profeſſo S. Thomas 2. contra Gentes cap. 70. & inde Cicero lib. 1. de natura Deorum ex eodem Ariſtotele lib. 3. de Philoſophia refert *Deum eſſe ardorem Cæli*, & ita de facto tum 8. Phyſico. tex. 84. tum 1. de Cælo tex. 22. & 2. de Cælo text. 2. tum in lib. de mundo cap. 6. videtur Ariſtotiles Dei ſubſtantiam adſtringere cælo, ſed hic iterum error eſt, ergo &c.

Tertio quia in ſecondo magnorum moralium cap. 15. excludere videtur à Deo contemplationem tum ſui tum aliorum dicens, *quid igitur contemplabitur? nam ſi quidquam aliud aſpiciet illud erit melius, hoc vero abſurdum, vt ſe quid melius habeat Deus, ipſe igitur ſe contemplabitur, at hoc delirum, nam hominem, qui ſeſe contemplatur, vtpote ſenſu carentem increpamus. Quid igitur Deus contempletur ommittamus, neque de eo quod ſibi Deus ſit ſatis conſideremus*, hæc ille, & ne dicas ibi de hoc vtique Ariſtotilem dubium permanſiſſe, ſed poſtea reſoluiſſe alibi veritatem, legatur iterum 12. Metaph. cap. 9. vbi citra dubium erat huius doctrinæ locus, & apparebit ibidem adhoc Ariſtotilem deueniſſe ſcil. *Deum ſolummodo ſeipſum intelligere*, ſed hoc iterum erroneum eſt, ergo aliquid eroneum in Philoſophia Ariſtotelis reperitur.

Quarto Nam Ariſtotilem Deo negaſſe libertatem ac prouidentiam in hominem & inferiora teſtantur Clemens Alexandrinus lib. 5. Strom. Epiphanius lib. 3. aduerſus hæreſes cap. vltimo Euſebius lib. 15. cap. 4. Niſſenus lib. de Prouidentia cap. 3. Theodoretus lib. 6. Græcarum affectionum

Na-

Nazianzenus oratione prima, Origenes lib. 1. contra Celſum, Ambroſius lib. 1. de officijs cap. 13. Cirillus Alexandrinus lib. de Prouidentia, Athenagoras oratione pro Chriſtianis, & poteſt ex ipſo Ariſtotele & ne dum ex Laertio in eius vita probari, tum quia ſecundo Cæli tex. 35. & 5. Metaph. tex. 7. tenet Deum non poſſe velocius aut tardius mouere cælum, quam moueat; tum quia 8. Phyſ. tex. 9. & lib. 7. commento 2. inquit *impoſſibile eſſe quod non moueat Cælum*, tum quia in lib. de bona fortuna duobus argumentis probat res fortuitas ſubſtrahi diuinæ prouidentiæ, & lib. de ſomno & vigilia negat Deum immittere dormientibus ſomnia, *aliter immitteret*, inquit, *& vigilantibus*, ſed hic apertiſſimus error eſt, ergo.

Quinto demum nam Ariſtotiles poſuit mundum ab æterno eſſe, vt probat ipſe in 8. Phyſ. ex profeſsò tribus argumentis & repetit in primo de generatione. Vnde & in primo de Cælo ſupponebat omne incorruptibile eſſe etiam ingenitum ſeu ingenerabile, ex quo concludit Cano etiam in eius ſententia animam, ſi immortalis eſt, ab æterno fuiſſe, de cuius pariter immortalitate de mente Ariſtotelis, & ſi D. Thomas & alij non dubitēt, dubitat tamen Caietanus, immo diſſentit cum alijs, ſed nos ommittimus in præſenti, tum quia hoc ſicut ex præadductis aliqua in ſubſequentibus libris reperere neceſſe erit, tum quia obiectio nimis vulgaris eſt, tum quia iam diu Oxonienſis accademia Chriſtianiſſime prædecreuit *Neminem tueri poſſe non inuentum eſſe ab Ariſtotele, quod intellectus maneat poſt ſeparationem*, vt in Iulio Clemente Scoto diſertatione 6. ſuæ Pædiæ pag. 416. videre eſt.

In oppoſitum tamen eſt quod inueriſimile eſſe videtur præcipuas philoſophicas veritates, eaſque planiſſimè lumine naturali cognoſcibiles, poſtea illi non innotuiſſe, qui Princeps extitit Philoſophiæ, vt ſupra vidimus, ſed ſingulæ veritates, quibus errores adducti contrarij ſunt, philoſophicæ ſunt & præcipuę etiam lumine naturali demonſtrabiles, vt in ſpeciali de anima rationali, & à pari de alijs, in Lateranenſi Concilio ſeſſ. 8. definitum eſt contendentes oppoſitum *eſſe temerè philoſophantes*, qui nimirum oppoſitum *ſecundum ſaltem Philoſophiam verum eſſe aſſeuerant*, ergo inueriſimile eſt veritates adductas ignotas Principi Philoſophiæ fuiſſe.

Reſpōdeo optimè à prǽadductis erroribus etiam Ariſtotelē eximi poſſe, vti de ſingulis non proprio marte ſed ex doctrina Angelici Præceptoris etiā ad argumenta dicemus, & pro Ariſtotele in primis ſtant ne dum communius cum S. Thoma Thomiſtæ, ſed etiam Beſarion Eugubinus ac ſimiles eruditiſſimi viri, & è Societate non pauci, ques refert & laudat etiam Poſſeuinus lib. 13. ſuæ Bibliotecæ cap. 18. cum alijs, quos reſpondendo ad argumenta tangemus, nec Cano id tandem negat, cum in fine concludat. *Si quis vero pro Ariſtotelis ſenſu apologiam adornet, cum hoc ego non magnopere contenderim*, nec Directorij auctoritas obſtat, cum Eimericus in illa cenſura Ariſtotelis potius Auerrois errores à commento diriuatos in textus commemorarit, vel eos præciſè retulerit ex ſcripto Egydij Romani, vt Pegna ibidem commento 29. perpendit, & poteſt vlterius in generali hæc reſolutio probari, nam Apoſtolus ad Rom. 1. *Per iudices ſeculi*, intelligit

Prin-

Principes Philoſophiæ Ethnicorum ſcil. Ariſtotilem Platonem & huiuſmodi, vt ibidem gloſa & Sancti Patres exponunt, ſed de illis ſubdit ibidem Apoſtolus *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis manifeſtauit*, ergo iam ex Apoſtolo veritates naturaliter notę de Deo, vti ſunt omnes oppoſitæ præadductis erroribus, illis ſcil. Ariſtoteli & Platoni notæ fuerunt.

Secundo in ſpeciali de ſingulis ex eiuſdem Ariſtotelis teſtimonijs euinci poteſt, etenim vnum Deum agnoſcit in primis Ariſtotiles 7. ad Eudemum cap. 14. & vltimo, 1. Metaph. cap. 2. ſecundo Cæli tex. 22. & alibi ſæpe, ſed præſertim 8. Phyſicorum ex propoſito probat vnum primum motorem exiſtere ne dum genere vel ſpecie vnum (vti Ferchius accepta è Pico reſponſione reſpondet) ſed vnum numero, cum vtatur eadem ratione, qua noſtri Theologi cum pluribus Patribus vti ſolent ad p. p. qu. 2. ar. 3. & rurſus in 12. Metaphyſ. vt illud effugium fortaſſe præcluderet, vnum numero vniuerſi Principem eſſe demonſtrat tex. 49. quia inquit, *quæcumque multa numero materiam habent*, cum tamen materiam ibidem excluſiſſet à Deo dicens, *Ipſum vero quod quid erat eſſe primum non habet materiam cum actus ſit*, & inde tex. 50. irridet vt fabuloſam apud antiquos Deorum multitudinem, & demum in 1. de Cælo tex. 100. concludit, *Vnus Deus eſt*, vti ex profeſſo Eugubinus lib. 4. de perenni Philoſophia per totum in hoc oſtendit Ariſtotelis pietatem innumera eiuſdem loca tranſcribens, quæ & contra Ferchium abundant, & nobis ſuperfluunt exſcribenda. Eundem pariter immaterialem ſeu abſque informatione materiæ poſuiſſe probatur tum ex loco prætacto 12. Metaphyiſ. tum ex 8. Phyſic. tex. 43 vbi primus motor dicitur mouere ſolum per contactum virtutis non vero per informationem, & tex. 51. aſtruitur immobilis tam per ſe quam per accidens, quod ſi informaret materiam vel corpus non ſaluaretur, vt expendit etiam S. Thomas p. p. qu. 70. art. 3. quinimmo in 1. de Cælo cap. 9. Deum veluti vniuerſa natura ſuperiorem etiam extra Cælum poſuiſſe videtur (quod negatiue à nobis alibi cum S. Thoma & Patribus explicatum eſt, ideſt non ita in vniuerſo quin poſſit & alibi & extra eſſe, ſi velit). Eundem ne dum primario intelligere ſeipſum, ſed ſecundario & alijs intellectu imperio affectuque præſidere tradit in libro paſſim de mundo ad Alexandrum, quem librum Ariſtotelis eſſe Patritius aliorum Ariſtotelis librorum rigidiſſimus cenſor approbat, & oſtendit tom. 1. non ſolum ex Iuſtino & Apuleio ſed pluribus alijs, & repetit Ariſtotiles 7. ad Eudemum cap. vlt. & alibi ſæpe, vt congerit etiam Eugubinus ad hoc lib. 4. laudato cap. præſertim 7. & ca. 14. & 16. ab erudito lectore videndus. Dei iterum libertatem & ampliſſimam prouidentiam agnouiſſe deducit relato lib. 13. Poſſeuinus ex lib. de auditionibus mirabilibus, vbi Philoſophus fatebatur terram de ſui natura debuiſſe vndequaque operiri aquis, ſed ad viuentium alimentum à Deo fuiſſe hoc alio modo ſeruatam, & 4. Topic. cap. 5. inquit, *Multa facere poſſe Deum & homines quæ non faciunt*; quod vero ſubdit in eodem Topic. libro, *& poſſe praua facere*, id in catholico ſenſu optimè explicatur à S. Thoma p. p. qu.

p. qu. 15. ar. 3. ad 2. Rurſus 12. moralium aperte dicebat, *ſi Dij mortalia curant, vt probabile eſt & euidens* (ſicut legit, & transfert Eugubinus ca. 9.) *veriſimile eſt bonos beneque & probe viuentes eos redamare*, tandem de vniuerſi creatione (quæ remanebat) & ſi hæc quæſtio de facto ſit non de iure, vt dici ſolet, & naturaliter indemonſtrabilis vt profitetur S. Thom. p. p. q. 46. ar. 1. attamen & Ariſtotilem productionem ex nihilo cognouiſſe ante Ferchium edocuit idem S. Thom. 8. Phyſic. lec. 9. & opuſc. 15. cap. 9. & ex noſtris adherent Albertus, Herueus & alij, quos refert ibidem, ac ſequitur Maſius qu. 3. præter Conimbric. cum Argentina, Scoto, & pluribus alijs, & nos alibi ex profeſſo ſcil. lib. 8. in Zenophaniſtas agemus, immo non aſſertiuè neque, in ſententia propria voluiſſe Ariſtotilem mundum ab æterno fuiſſe demonſtrat idem S. Thomas eadem p. p. qu. 44. art. 1. diffusè. Vnde nos non immerito Philoſophiæ Principem Ariſtotilem ab erroribus omnibus præadductis eximere, ſingulis philoſophandi ſtudio magis quam contendendi percitis conſtare poteſt.

Ad primum igitur prætermiſſo Ariſtotilem permiſiſſe quandoque ad vulgi ſenſum & antiquorum Deos etiam in plurali nominaſſe, vt patet tum ex illo ſecundo de Cœlo tex. 22. *& barbari & Græci quicunque putant eſſe Deos*, tum 12. Metaphiſ. tex. 50. *Tradita autem ſunt quædam à maioribus noſtris & admodum antiquis, ac in fabulæ figura poſterioribus relicta, quod ij Dij ſunt*, vti & benè vidit Beſarion lib. 3. in calumniatorem Platonis cap. 4. immò & Paulus primæ ad Corint. cap. 8. hoc propoortionali modo *ſecundum errorem quorundam*, inquit S. Thom. p. p. q. 11. ar. 3. ad 1. plures Deos nominanit, vt repetitur etiam ad Galat. 4. adnotante eodem S. Thoma p. p. q. 13. ar. 9. hoc, inquam, ommiſſo ſat erit aduertere ex hoc eodem vltimo loco S. Thomæ etiam ſecundum veritatem ſupremas præcipuè creaturas appropinquantes Deo etiam participatiue Deos à ſcriptura nominari ex illo pſalmi. *Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes*, quomodo, & Platonem & Ariſtotilem poſuiſſe vnum ſupremum Deum, à quo deinde alij quidam Dij per participationem ſolummodo dependerent, neque in hoc errauiſſe probat eruditiſſime idem Cardinalis Beſarion lib. 3. a cap. 1. vſque ad 11. & proſequitur Eugubinus lib. 4. præſertim cap. 5. 6. & 13. ex quibus plurima poſſem erudito lectori proponere, niſi me properantem vlterius huius ſeries operis prouocaret.

Ad ſecundum de Ariſtotelis mente circa Dei immaterialitatem & in hoc dubitandum non eſſe demonſtrat præter Eugubinum eodem lib. 4. cap. 7. magis accurate Beſarion eodem lib. 3. cap. 11. & 12. octo in oppoſitum argumenta diſſoluens (quem videre ſufficiet), neque illud vrgere quod Ariſtoteles Deum animal nominarit oſtendit poſtea cap. 14., tum quia, inquit, *Debuerunt interpretes interpretari vitam, aut viuens, non vero animal quia animal in græco non dicitur ab anima, ſicut in latino, ſed à vita*. Beſarion autem græcus erat; tum quia ſubdit ibidem Beſarion. *Et D. Thomas ad eum locum exponit ſic, appellat Ariſtoteles Deum animal ſempiternum optimum, quia vulgo ita dicebatur, &c.* tum quia monente & Carpentario ad hoc d...

4. pag.

4. pag. 242. præter ſimilem modum loquendi Platonicorum in Phædro, & Gregorij vocantis Angelum *animal rationale*, etiam Seneca lib. 20. Epiſtolarum in ſenſu cauſali animum appellabat animal, quia, inquit Seneca *ipſe efficit, vt ſimus animalia*, tum quia demum & S. Thomas ab hoc errore Ariſtotilem eximebat apertiſſimè p. p. q. 70. ar. 3. & in quæſtione de ſpiritualibus creaturis art. 6. & alibi ſæpe, vnde cum ab oppoſito in 2. contra Gentil. cap. 70. regerere hunc errorem in ipſum viſus eſt, vt Ferrarienſis ibidem exponit, contendebat ſolum ad hominem diſputando in Auerroem, qui hoc pacto Ariſtotilem interpræatabatur in 12. Metaphiſ. Vnde ſic inchoat S. Thomas relatum caput. *Et quia Auerroes maxime nititur ſuam opinionem de anima non vnita corpori vt forma confirmare per verba & demonſtrationem Ariſtotelis, oſtendendum reſtat, &c.* hæc S. Thomas, ex quibus de eius mente iam conſtat.

Ad tertium obiectum à Ramo rèſpondet idem Carpentarius ibidem ſimilem etiam quandoque in S. Thoma propoſitionem perperam fuiſſe notatam à Pariſienſi antiquitus accademia prolatam ab ipſo lib. 1. contra Gentiles cap. 48. (Deum ſcil. primo & per ſe ſolum cognoſcere ſeipſum) quod tamen poſtea, reuocata cenſura, veriſſimum eſſe compertum eſt ex ſimili omnino modo loquendi cum Ariſtotile & S. Thoma non ſolum Plotini in lib. inſcripto, quod ſuper ens non intelligit & Marſilij Ficini in commentarijs eiuſdem, Trimegiſti ſeu Hermetis in Catholico, ſed etiã Dionyſij lib. de diuinis nominibus aliorunque Patrum, iuxta quos eodem modo Ariſtotilem intellexiſſe concludendum eſt.

Ad quartum adeo longe difficilius exiſtimatum ab alijs, vt Dandinus ſuccumbere videretur, fatemur in primis de puncto illo Ariſtotilem dubium alicubi & ambiguum apparuiſſe, ex quo non pauci etiam ex Patribus quo ad hoc de eius mente frequentiſſimè dubitarunt, vt monuit antea Beſarion lib. 2. cap. 8. inmò & Cicero lib. 1. de nat. Deorum ſic dicens. *Ariſtotiles in 3. de Philoſophia lib. multa turbat, modo enim menti tribuit omnem diuinitatem; modo mundum ipſum Deum dicit eſſe, modo quemdam alium præficit mundo*, & huiuſmodi alia aliquando in Ariſtotile ambigua proſequitur Orator ibidem; præcipua tamen in hoc de Ariſtotele dubitandi occaſio fuit locus ille de bona fortuna, cui ſi Auguſtini Eugubini interpratatio planiſſima adiungatur lib 4, cap. 9. probantis Ariſtotilem ibi ſolum edocere & bona temporalia fortunæ non vtique eſſe à ſpeciali beneuolentia diuina, *à qua erga probos*, inquit, *præ impijs ſpecialia bona deſcendunt, ſed cum hoc ſolum à generali quadam prouidentia diſtribui*, quis non videat catholicè & Ariſtotilem diſſeruiſſe? Conſulat hic Lector cætera in Eugubino, dum interim mihi ſufficiet in hoc pro Ariſtotile patrocinium S. Thomæ 10. Ethic. lect. 13. ex cuius doctrina mox ſtatim ſubiungenda ſoluuntur, quæ in hoc quarto argumento ex Ariſtotelis teſtimonio præmiſſa erant, vt ommittam hic Caietanum in opuſc. de infinitate primi Motoris Nazarium p. p. qu. 1. ar. 1. controuerſia 1. Maſium in 8. Phyſic. qu. 4. Conimbricenſes, Ruuium, Toletum & alios referentes etiam Alexandrum, Simplicium, Euſtracium, &

Ammonium ita pariter interprætantes.

Ad quintum igitur (ex quo ſoluto dumtaxat, vt adnotauit Romanus Egydius apud Poſſeuinum collector errorum Ariſtotelis, cæteri omnes alij errores Ariſtoteli attributi dependent ſcil. ex eo quod nihil de nouo poteſt aliter ſe habere, ac antea ſe habebat niſi per motum) ad quintum, inquam, pro me ipſo reſpondet S. Thomas p. p. qu. 49. art. 1. his verbis: *Rationes quas ad mundi æternitatem Ariſtoteles adducit non ſunt demonſtratiuæ ſimpliciter, ſed ſecundum quid ſcil. ad contradicendum rationibus antiquorum ponentium mundum incepiſſe ſecundum quoſdam modos in veritate impoſſibiles, & hoc apparet ex tribus primo quidem, quia tam in 8. Phyſic. quam in primo de Cælo præmittit quaſdam opiniones vt Anaxagoræ, Empedoclis, & Platonis, contra quos rationes contradictorias inducit. Secundo quia vbicumque de hac materia loquitur inducit teſtimonia antiquorum, quod non eſt demonſtratoris, ſed probabiliter procedentis. Tertio quia expreſſe dicit in primo lib. Topic. cap, 9. quod quædam ſunt problemata dialectica, de quibus rationes non habemus, vt vtrum mundus ſit æternus.* Quarto poteſt aliquis addere, quia quidam antiqui, contra quos agebat, intendebant neceſſario ex lumine naturali demonſtrari mundum in tempore fuiſſe non ab æterno, hoc autem refellere non repugnat, cum immo fiat etiam catholicè à S. Thom. eadem p. p. qu. 46. art. 2. per totum. Quinto quia antiqui illi ponentes mundum in tempore incepiſſe ſimul ſupponebant non potuiſſe ex nihilo produci, cum puri phyſici eſſent, & conuenirent ex nihilo nihil fieri, ſed hoc ſuppoſito (licet falſo) veriſſimum eſt & ante prædictam inceptionem mundum ab æterno fuiſſe, vt intulit rectè cõtra ipſos Ariſtoteles ad hominem diſputans contra eoſdem, ergo adhuc in hoc verum Ariſtoteles dixit, neque Ariſtoteles in hoc ſenſu deceptus eſt, videat, cui ſat iſta non ſunt, de hoc iterum S. Thomam 8. Phyſic. lec. 2. in 2. diſ. 1. qu. 1. art. 5. 2. de Cælo lec. 1. & qu. 3. de Potentia ar. 17. & demum Eugubinum lib. 7. de perenni Philoſophia cap. 4. per totum ſic Ariſtotelem éruditiſſimè intelligentem, dum interim mihi hæc mea ad propoſitum pro Ariſtotele Apologia videtur pro mea ſaltem tenuitate ſufficiens.

QVÆSTIO V.

De exceſſibus Peripateticorum quorundam in Ariſtotelis patrocinium.

POſt detrahentes nimis Ariſtoteli ſubſequuntur nimis eidem attribuentes: & primo quidem illi, qui aſſerunt Ariſtotelem etiam myſterium Trinitatis & huiuſmodi calluiſſe, ſecundo qui audent etiam aliquos ex erroribus ſupra dictis ipſi attributi ſolitis ita mordicus propugnare, vt autument aliquid verum eſſe poſſe ſecundum veram Philoſophiam, quod hoc non obſtante ſit falſum ſecundum fidem, tertio qui adhuc finem adiungunt ab Eccleſia non poſſe vllam propoſitionem in Philoſophia iudicio in-

falla-

fallibili condemnari, quorum ſingulorum exceſſus ex n mis effreni in Ariſtotele ingenio ſigillatim in ſubſequentibus tribus articulis coh.bendi ſunt.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Ariſtoteles agnouerit miſterium Trinitatis & huiuſmodi.

VIdetur quod ſic tum Trapeſontio olim antiquitus apud Beſarionem lib. 3. cap. 13. tum nouiſſime Fortunio Liceto lib. 1. de pietate Ariſtotelis a pag. 35. & quibuſdam alijs. Primo nam intellectus producens eſt Pater, intellectio producta eſt filius, & Amor ab vtroq; eſt Spiritus, ſed Ariſtoteles intellectum intellectionem & amorem in Deo ritè cognouit, vt patet in 12. Metaphyſ. à tex. 35. vſque ad tex. 51. ergo Ariſtoteles Patrem, & Filium, & Spiritum & conſequenter Sacram Triadem recognouit.

Secundo quia in primo de Cælo tex. 2. apertius hæc eius verba leguntur, *Quemadmodum enim aiunt & Pitagorei ipſum omne & omnia tribus determinata ſunt, finis enim & medium & principium numerum habens eum, qui ipſius omnis eſt: hæc autem eum qui Trinitatis eſt; quapropter à natura accipientes tanquam leges ipſius, & ad ſacrificia Deorum hoc vtimur numero*, ſed per hæc verba, inquit Licetus, de Trinitate diuina ſermonem habere videtur, ergo Ariſtoteles eam agnouiſſe dicendus eſt.

Tertio ſubiungit idem Licetus in ſuo lib. de quæſitis per epiſtolas epiſtola ad Naudeum pag. mihi 89. in gemino quodam hæbreo Chirographo ex catena cabaliſtica alterius antiqui Hiſpani Rabini tranſumpto ſic legebatur, *Ego vidi in præfatione explicationis libri morum Rabini Ioſephi Stem Tob, quod obſeruauerit in Ægypto librum in quo ſcriptum erat Ariſtotelem in fine dierum ſuorum ea confeſſum fuiſſe omnia, quæ reperiuntur ſcripta in lib. legis Moyſis, tranſijſſeque ad partes peregrinorum iuſtorum, ſeu Iudæorum, hoc enim ita legitur in lib. Maquen, hoc eſt Clipei, cuius auctor eſt Abraham ſapiens Peritſol*, cuius geminati ſimiliſque Chirographi ſcriptores Rabinos adhuc tunc viuentes nominat, & alterum ex manu ſcriptis tranſmiſſum à Domino Gaffarello, alterum à Domino Vincentio Noghera recenſet, in quorum ſubſidium etiam vlterius ſignum adiungit tum quod & nos ſupra retulimus ex Cælio Rodighino lib. 17. cap. 34. de pia morte Ariſtotelis, tum quod Ioſephus hæbreus ne dum lib. 1. in Apionem ex Clearco commemorat Ariſtotelem ab hæbreo quodam quamplurima didiciſſe, ſed etiam in lib. 11. antiquitatum cap. 8. de Alexandro, cui hæc Ariſtotelem Præceptorem indidiſſe credit, atteſtatur *vero Deo hæbreorum obſequia tuliſſe*, ergo concludit, non mirum ſi Ariſtoteli etiam cognitio Myſterij Trinitatis attribuatur.

In oppoſitum tamen eſt quod ſi ad hoc propoſitum libri Platonicorum cum operibus Ariſtotelis conferantur, in iſtis vix vno loco & vix vmbratice ſimilia indicari Licetus poterit inuenire, in illis non ſemel ſed frequentiſſimè & ſine vlla comparatione diſtinctius ea miſteria ſe offerunt; vt ex pro-

O 2 teſſo

feſſo erudite percurrit Eugubinus de peren. Philoſophia lib. 2. per totum; ſed Platonicos adhuc ex hæbreorum ſcripturis ea peruertiſſe potius, quam attigiſſe probauimus ſupra ex quam plurimis Sanctis Patribus qu. 3. art. 4. ad 4. & nunc occurrit & vnus ſufficit Aug. lib. 13. contra Fauſtum cap. 15. relatus etiam in decretalibus diſtinctione 37. cap. *ſi quid. Si enim Orfeus,* inquit, *& neſcio quis Hermes & ſi qui alij Vates, vel Theologi, vel Philoſophi Gentilium de filio Dei, aut de Patre vera prædixiſſe, ſeu dixiſſe perhibentur, valet quodammodo ad Paganorum vanitatem reuincendam, non tamen ad iſtorum auctoritatem amplectendam, cum illum Deum nos colere oſtenderimus, de quo nec illi tacere potuerunt, qui ſuos congentiles populos Idola & Dæmonia colenda partim docere auſi ſunt, partim non ſunt auſi prohibere*, ergo à fortiori id de Ariſtotele credere non valemus.

Reſpondeo inuериſimile eſſe ſimilia de Ariſtotele opinari, nam vti diſcurrit pro me ipſo S. Thomas p. p. qu. 32. art. 1. ad 1. *Philoſophi non cognouerunt Myſterium Trinitatis diuinarum perſonarum per propria, quæ ſunt Paternitas, Filiatio & Proceſſio, ſecundum illud Apoſtoli primæ ad Corinth. 11. Loquimur Dei ſapientiam, quam nemo principum huius ſæculi cognouit, ideſt Philoſophorum ſecundum gloſam. Cognouerunt vtique quædam eſſentialia attributa, quæ appropriantur perſonis, ſicut potentia Patri, ſapientia filio, bonitas Spiritui Sancto &c. Vnde quod Ariſtoteles dicit per hunc numerum ſcil. ternarium adhibuimus nos ipſos magnificare Deum, non eſt ſic intelligendum, quod ipſe poneret ternarium numerum in diuinis, ſed vult dicere quod antiqui vtebantur ternario numero in ſacrificijs & orationibus propter quamdam ternarij numeri perfectionem*, hæc S. Thomas, cui vt latinorum Theologorum Principi conſentit ſimul & Græcorum Theologorum faciliè Princeps antiquiſſimus æque ac Eminentiſſimus Cardinalis Beſarion lib. 3. contra Trapeſontium cap. 15. & 19. tria eiuſdem Trapenſontij diſſoluens argumenta, quæ prælibatæ S. Thomæ doctrinæ poterant aduerſari, nimirum inquiebat Trapeſontius per veſtigium dignoſcitur aliquo modo animal, cuius veſtigium eſt, in creaturis autem adeſt Trinitatis veſtigium, vt omnes admittunt, igitur per creaturas poterant Philoſophi & Ariſtoteles Trinitatem agnoſcere; Rurſus lumine naturali dignoſcimus Deo omnem maiorem perfectionem adeſſe debere, ſed numerus ternarius ex lumine naturali dignoſcitur vt perfectio omnium maior, Vnde in problematibus quærens idem Ariſtoteles, cur Aquilo noctu ortus nunquam tertiam diem excedat, reſpondet: *Quia omnia per terna perficiuntur, & quæ minima ſunt per primam Trinitatem finem aſſequuntur*, vt affert Trapeſontius ibidem, ergo lumine etiam naturali Ariſtoteles potuit dignoſcere in Deo & agnouit Trinitatem adeſſe, ad quam etiam vt finem ex modo adductis ſingulæ creaturæ, vt perficiantur, ordinatæ ſunt: Demum, inquiebat Trapeſontius, aliud eſt cognoſcere Deum trinum, vt ſic penes communia perſonis, aliud cognoſcere eiuſdem Trinitatis perſonas penes propria ſingularum, ſed ex adducta S. Thomæ ratione colligitur ſolum non potuiſſe Philoſophos cognoſcere Trinitatem hoc ſecundo modo, ergo ſaltem primo modo adhuc cognoſcere etiam na-

Digitized by Google

turaliter potuerunt, omiſſo vlterius ſecundo Angelici Præceptoris argumento vbi ſupra, quod etiam à Trapeſontio repetebatur, & poterit in S. Thoma videri ſolutum. Præcludit autem his non obſtantibus validiſſimè hanc triplicem obiectionem eodem loco Beſarion,quo ad primam his verbis, *Vti qui veſtigium pedis humani viderit intelligit quidem non equum, ſed hominem eſſe, qui impreſſerit, verum quiſnam ſit Socrates ne, an Plato intelligere nequit, ita & quod Metaphyſice veſtigium primæ cauſæ in creatura haberi fatemur, impræſſio quædam eſt, quæ eſſentialia ſeu communia attributa diuinis perſonis dignoſci poſſunt, non vero appropriata vel propria.* Secundæ deinde obiectioni cap. 19. occurrit dicens: *Non valet conſequentia illa quia à natura impellimur offerre Deo animal aut numerum perfectum ergo id tale in Deo eſt quale à nobis offertur ſcil. formaliter, quamquam ſequatur in Deo ſit aliquo modo vt effectus in cauſa ſcil. virtualiter,* quia ſcil. ternarius numerus pro vt naturaliter eſt cognoſcibilis ex creaturis, vt notat S. Thomas p. p. qu. 30. ar. 1. & alibi, ita maior perfectio ſecundum quid eſt (in genere ſcil. determinato numerorum) vt quatenus in creaturis aliquam imperfectionem inuoluat, neque vlterius intelligit in problematibus Ariſtoteles omnia per ternarium numerum perfici, ſed terminari etiam ſeu finiri (ſubdit Beſarion) vti & Medici ternarijs diem criticum ægris ſtatuere ſolent, præterquam quod in fine concludit *& propria vniuſcuiuſque forma eſt perfectio vel finis, nec tamen vltimus finis eiuſdem,* vt patet, Tertiam tandem euertit eodem cap. 15. dicens *Nec poſſibile eſt vt quis Trinitatem ſub ratione qua Trinitas eſt cognoſcat, & tamen ignoret qua ratione diſtinguantur ipſa ſuppoſita, & proprijs ſuis aut appropriatis deſcribantur. Quid enim Trinitas illa Ariſtoteli cognita? per diſtinctionem rationis fit, an realem? nam ſi per diſtinctionem rationis nihil ad nos pertinet Chriſtianos, ſed ſi realē prorſus, aut ita eſt vt accidentia realiter diſtincta ſint, quod eſſe in Deo nemo concesſerit, aut ita vt tres ſubſtantiæ primæ realiter ſint diſtinctæ, Sic enim ab Ariſtotele ſuppoſita & hyppoſtaſes diſtinguuntur &c.* hæc ille.

Secundo inde principaliter noſtra reſolutio ex eodem Beſar. cap. 19. probari poteſt quia iuxta principia naturalia Ariſtotelis (quæ à ſupernaturalibus præſcindebant) in primo de Cælo & 12. Metaph. forma non niſi in materia poteſt pluribus eiuſdem ſpeciei indiuiduis communicari, ſed vt agnouit & Ariſtoteles in 12. Metaph. natura diuina in materia non eſt, ergo iuxta prædicta principia non potuit Ariſtoteles agnoſcere naturam diuinam pluribus ſub ſe indiuiduis communicabilem. Rurſus per Ariſtotelem in 5. Metaph. relatio nequit in ſubſtantia immediate fundari, ſed ab oppoſito Trinitas perſonarum habetur ex tribus relationibus identificatis immediatè ſubſtantiæ diuinæ, ergo iuxta hæc poſita principia Ariſtoteles numquam potuit agnoſcere Trinitatem. Ad idem congerit Beſarion (ex quo non erubeſco ſed glorior à te ſciri, quæ ſumo) & illud ſecundi de Anima ſcil. cauſam multiplicationis indiuiduorum eſſe, vt conſeruetur ſpecies & illud 12. Metaphyſ. *Si vnum ſufficit ad omnia tuenda fruſtra plura poni,* & demum 1. Phyſ. *Id quod intelligit & quod intelligitur in abſtractis idem eſt,*
ſed

ſed hæc profectò niſi lumine fidei eleuentur non iuuant, ſed impediunt Trinitatis cognitionem, ergo hanc Ariſtoteles non cognouit. Quod ſi quis dicat hanc vtique iuxta pure naturalia principia non agnouiſſe, ſed penes Superiora & aliunde. Videat iſte ſic dicens quam inueriſimile ſit Ariſtotelem toties ea generalia principia ſine vlla reſtrictione tuliſſe, & ne quidē vno loco vel ſemel ab ipſis excipere voluiſſe, vt debebat, quod excipiendum ex data reſponſione prænouiſſet.

Tertio vlterius hinc meo videri roborabat aſſertum noſtrum, apud eundem Beſar. cap. 15. prælaudato, concors in hoc Sanctorum Patrum ſententia excludentium ſcil. à cognitione prædicti ſupræmi miſterij Philoſophos, vti ipſe affert ad hoc Auguſtinum primo de Trinitate Baſilium in ca. 1. Io. Nazianzenum oratione de Diuinitate & alijs à nobis ommiſſis poterimus concludere nos cum Hieronymo epiſ. ad Paulinum in ſimili aduerſus quoſdam ſuo tempore opinantes Virgilium de Incarnatione filij Dei fuiſſe locutum, ac repræhendente his verbis eoſdem *Puerilia ſunt hæc, & circulatorum ludo ſimilia, ac ſi ſine Marrone* (dicemus nos ſine Ariſtotele) *non poſſemus eſſe Chriſtiani*.

Quartum tandem vrget ſolidiſſima coniectura eiuſdem Beſarionis lib. 2. ſuperiori cap. 4. dicentis. *Res ſi ita foret, nequaquam id ſubticuiſſent tot præclaro ingenio expoſitores tam Græci, quam Latini, præſertim qui opiniones noſtras ſcil. Chriſtianorum Ariſtotelicis rationibus quantum fieri poteſt roborare conati ſunt &c. & ſi quid tale Religioni noſtræ lucrifacere potuiſſent, id proculdubio feciſſent*, id autem non egerunt, vt notat ibidem de S. Thoma & de alijs, ergo ſignum euidens eſt non ita ſe habere rem, vt à Liceto vel Trapeſontio ſupponebatur.

Ad primum igitur neganda eſt maior, vt ex profeſſo demonſtrat S. Thomas p. p. q. 39. ar. 5. per totum, aliter ſi nomina eſſentialia in abſtracto, vt ſunt intellectus vel intellectio, ſubijci poſſent actibus notionalibus, etiam hæc vera eſſet, *eſſentia generat*, quæ tamen hæretica locutio eſt, vt communiter ibidem à Theologis adnotatur; ſecundo & minor diſtingui debet, loquendo ſcil. de proceſſione virtuali intellectionis ſeu ex noſtro modo concipiendi & ſignificandi concedo, de proceſſione reali ſeu ex parte rei ſignificatæ vti vna perſona procedit ab altera nego, ſicut animaduertit idem S. Thomas & diſtinguit p. p. q. 25. ar. 1. ad 3. & q. 41. ar. 4. ad 3.

Ad ſecundum iam diu reſponderat S. Thomas vbi ſupra & in 1. ſententiarum, & quæſtione 11. de Ver. ſic dicens. *Dicendum Ariſtotelem non ternarium numerum in Deo intellexiſſe, ſed huius perfectionem numeri oſtendere voluiſſe, ex eo quod veteres hunc in ſacris ſeruauerunt*, quæ S. Thomæ reſponſio ne gratuita alicui videatur adducam ego teſtimonia antiquorum id atteſtantium, ita de facto fuiſſe ſeruatum, vt ad hunc ſenſum Ariſtoteles recenſebat, nempe atteſtante Damaſcio Platonico apud Eugubinum lib. 2. c. 6. *Tenebras ſignando Deum ter acclamabant*, & in incantationibus exempla plurima ſuppetunt apud Vates ne dum Virgilium Ecloga 8. *Terque hæc altaria circum effigiem duco, numero Deus impare gaudet*, ſed etiam Theocritum

ia

in Pharſa. *Ter libo, ter & hæc pronuncio miſtica verba*, Ouidium Faſtorum ſecundo. *Et digitis tria thura tribus ſub limine ponit.* Tibullum li. 1. *Ter cane, ter dictis expue carminibus.* Petronium de Maga. *Ter me iuſſit expuere, terque lapillos conijcere in ſinum.* Apuleiũ 2. Aſ. *Herbulam ter ob os corporis, & aliam pectoris eius imponit.* Nemeſianum. *Ter vittis, ter fronde ſacra, ter thure vapores.* Hinc & Plutarcus omnino ſimiliter cum Ariſtotele huiuſce moris rationem afferebat lib. 9. cap. 3. dicens. *Ternarius enim numerus omnium eſt princeps, cum principium, medium, & finem habeat;* & licet Goropius, & Beccanus lib. 8. origin. per deum gaudentem numero impari in Virgilio intelligant Venerem; attamen Seruius & cum ipſo alij ad cætera etiam numera extendere ſolent, ex eo quod etiam dicebatur Iouis trifidum fulmen, Neptuni tridens, Plutonis canis triceps, vel quod omnia ternario numero continentur, vt Parchæ, Furiæ, & huiuſmodi & Hercules etiam trinoct o conceptus eſt. Mitto cætera, quæ legi poſſunt in eodem Gorropio, ſeu Beccano lib. 10. Hieroglificorum in Dalet in Conſtantio Lando libro numiſmatum Nummo Antiochi Soteris, in Petro Bongo de myſticis numeris in Gripho Auſonij, & alijs huiuſmodi paſſim.

Ad tertium tandem recurrens potius, vt patet, ad malæ cauſæ peius patrocinium vel ea tota fabuloſa narratio ſeu coniectura ridenda eſt, vel quomodocumque ſit, negandum adhuc eſt Ariſtotelem *Id didiciſſe in Iudeorum libris;* inquit cap. 19. Beſarion *quando ne aduerſarius quidem peritiorem fuiſſe Ariſtotelem Iudæorum libris admittit.* Iudęorum autem error fuit, vt patet ex Rabbi Moyſes & ex alijs, agnoſcendi dumtaxat perſonam vnicam in diuinis. Dicamus igitur non parum eſſe pro Ariſtotele ſi in naturalibus abſoluatur ab erroribus contra fidem; de quo antiquitus, vt vidimus, adeo contentioſe diſputatum eſt, non vero vlterius ex alia parte extrema pro myſteriorum etiam ſupernaturalium notitia fabulæ confingendæ aut credendæ ſunt, de quibus licet ad ſpeciem compoſitis inquit in ſimili propoſito Tertullianus, lib. de pudicitia cap. 8. *Meminimus & hiſtriones cum allegoricos geſtus accommodant canticis, alia longè à præſenti & fabula, & ſcena, & perſona, tamen congruentiſſimè exprimentes. Sic & iſti eaſdem parabolas, quo volunt, tribuunt, & non quo debent excludunt. Quare aptiſſimè? Quoniam à primordio ſecundum occaſiones parabolarum ipſas materias confinxerunt doctrinarum.* Sic nos de illorum duorum hæbreorum ridicula ac parabolica narratione concludimus veritatem.

ARTICVLVS II.

An aliquis error contra fidem poſſit eſſe verus adhuc ſecundum veram Ariſtotelis Philoſophiam.

VIdetur quod ſic tum antiquitus Pomponatio, tum noſtris temporibus Cremonino & alijs, quos ſuppreſſo nomine refert Iulius Clemens Scotus in ſua Pædia diſ. vlt. hæcque eſſe poſſunt argumenta pro ipſis, ſi tamen aliqua argumenta ſunt. Primo quia vt arguebat etiam Robertus Olcot in primo ſententiarum ratio naturalis non ſolum Ruſticorum ſed Sapientum dictat nec dari regreſſum à priuatione ad formam, nec poſſe accidens exiſtere ſine ſubiecto & huiuſmodi plurima, ſed hæc omnia contrariantur miſterijs fidei v. g. reſurrectioni mortuorum, Sacramento Euchariſtiæ, & huiuſmodi, ergo iam ratio naturalis contrariatur lumini fidei, & conſequenter aliquid poterit eſſe verum iuxta rationem naturalem Philoſophiæ licet ſit falſum iuxta ſupernaturale lumen fidei.

Secundo quia communis animi conceptio neceſſario vera debet eſſe ſaltem iuxta lumen naturale, vti colligitur ex primo & ſecundo Poſt. ca. vlt. de habitu primorum principiorum, qui aliter incertus eſſet; ſed vt habet Ariſtoteles primo Phyſicorum tex. 33. communis conceptio eſt quod *ex nihilo nihil fiat*, ergo non obſtante quod hoc fidei de creatione diuina repugnet, ad minus iuxta lumen naturale verum erit, vti videtur huic argumento concedere & S. Thomas qu. 3. de Potentia ar. 1. ad 1. dicens *Dicendum quod ex nihilo nihil fieri Philoſophus inquit eſſe communem animi conceptionem, quia agens naturale quod à naturalibus conſideratur non agit niſi per motum, Vnde oportet eſſe aliquod ſubiectum motus, vel mutationis, quod in agente ſupernaturali non oportet, vt dictum eſt.*

Tertio quia quo cauſa vniuerſalior eſt eo magis effectus etiam contrarios adinuicem producere poteſt, vt virtus ſolis diſſoluere & exſiccare, virtus Dei frigus & calorem producere & huiuſmodi, qui effectus adinuicem licet contrarij ſint, non tamen virtuti ſuperiori repugnant, ſed Sapientia increata Dei ſe habet vt cauſa vniuerſaliſſima in ordine ad noſtram fidei cognitionem vel Philoſophiæ naturalis notitiam vt effectus participatos ab ipſa, ergo etiam ſi iſtæ duæ cognitiones nequeant repugnare increatæ Sapientiæ diuinæ poterunt tamen adinuicem contrariari vt dicebatur.

Quarto quia propoſitiones contradictoriæ de in eſſe, vt Petrus eſt albus, Petrus non eſt albus, ſi modales fiant deſinunt aliquando eſſe contradictoriæ, ita vt valeant ambæ verificari dicendo *Petrus poſſibiliter eſt albus, Petrus poſſibiliter non eſt albus, talis contractus probabiliter eſt iuſtus, & ſimul probabiliter iniuſtus eſt* ſicut etiam addita particula diminuente dicendo, *Ætiops ſecundum dentes eſt albus, Ætiops ſecundum alias partes corporis non eſt albus,* ſed in propoſito iſtæ propoſitiones v. g. anima rationalis ſecundum veram Ariſtotelis Philoſophiam eſt corruptibilis, ſecundum lumen fidei eſt immorta-

mortalis, ſunt veluti propoſitiones modales vel diminutæ, ergo iam ambæ poterunt eſſe veræ.

In oppoſitum tamẽ eſt apertiſſima difinitio Concil. Lat. ſub Leone X. ſeſ. 8. ſic decernentis, *Cum itaq; diebus noſtris &c. de natura præſertim animæ rationalis, quod videl. mortalis ſit aut vnica in cunctis hominibus, nonnulli temere philoſophantes ſecundum ſaltem Philoſophiam verum id eſſe aſſeuerent, contra huiuſmodi peſtem opportuna remedia adhibere cupientes, hoc ſac. approbante Concilio damnamus & reprobamus &c. Cumque verum vero minimè contradicat, omnem aſſertionem veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falſam eſſe difinimus, & vt aliter dogmatizare non liceat, diſtrictius inhibemus. Inſuper omnibus & ſingulis Philoſophis in vniuerſitatibus ſtudiorum generalium & alibi publicè legentibus diſtrictè præcipiendo mandamus, vt cum Philoſophorum principia aut concluſiones, in quibus à recta fide deuiare noſcuntur, auditoribus ſuis legerint, ſeu explanauerint &c. teneantur huiuſmodi Philoſophorum argumenta, cum omnia ſolubilia exiſtant, pro viribus excludere atque reſoluere*, hucuſque Concilium, cuius non poterant ad propoſitum aptiora verba cõponi. Igitur ſententia oppoſita repudianda eſt.

Reſpondeo immo reſpondet pro me ipſo S. Thomas lib. 1. contra Gentiles integro cap. 7. de verbo ad verbum hic iure merito tranſcribendo. *Quamuis*, inquit, *prædicta veritas fidei Chriſtianæ humanæ rationis capacitatem excedat, hæc tamen, quæ ratio naturaliter indita habet, huic veritati contraria eſſe non poſſunt. Ea enim quæ naturaliter rationi ſunt inſita veriſſima eſſe conſtat In tantum, vt nec ea eſſe falſa ſit poſſibile cogitare, nec id, quod fide tenetur, cum tam euidenter diuinitus confirmatum ſit, fas eſt credere eſſe falſum Quia igitur ſolum falſum vero contrarium eſt, vt ex eorum definitionibus inſpectis manifeſtè apparet, impoſſibile eſt illis principijs, quæ ratio naturaliter cognoſcit, prædictam veritatem fidei contrariam eſſe. Item illud quod inducitur in animam diſcipuli à docente Doctoris ſcientia continet, niſi doceat fictè, quod de Deo nefas eſt dicere, Principiorum autem naturaliter notorum cognitio nobis diuinitus indita eſt, cum ipſe ſit auctor noſtræ naturæ. Hæc ergo principia etiam diuina ſapientia continet, quidquid igitur principijs huius contrarium eſt, eſt diuinæ ſapientiæ contrarium, non igitur à Deo eſſe poteſt, ea igitur quæ ex reuelatione diuina per fidem tenentur non poſſunt naturali cognitioni eſſe contraria, vel è conuerſo. Adhuc contrarijs rationibus intellectus noſter ligatur, vt ad veri cognitionem procedere nequeat, ſi igitur contrariæ cognitiones nobis à Deo immitterentur ex hoc ad veritatis cognitionẽ intellectus noſter impediretur, quod à Deo eſſe non poteſt. Amplius ea quæ ſunt naturalia mutari non poſſunt natura manente; contrariæ autem opiniones ſimul eidem ineſſe non poſſunt, non igitur contra cognitionem naturalem aliqua opinio vel fides homini à Deo immitti poteſt, & ideo huic etiam auctoritas Auguſtini concordat, qui in ſecundo ſuper Geneſ. ad litteram ſic dicit, illud quidem quod veritas patefacit libris ſanctis ſiuè veteris teſtamenti ſiue noui, nullo modo poteſt eſſe aduerſum, ex quo euidenter colligitur quæcumque argumenta contra fidei documenta ponantur hæc ex principijs primis naturæ inditis per ſe notis non rectè procedere*, hæc S. Thomas ex cuius

P ferè

ferè verbis, vt patet, præadducta Concilij definitio concinnata videtur, cum præſertim eidem Concilio Eminentiſſimus noſter Caietanus adeſſet, vbi S. Thomam præcipuum ſuum fundamentum, quod *verum vero non contrariatur*, ex illo Boetij metro deprompſiſſe crediderim

At nulla diſcordia veris, ſemperque ſibi certa cohærent.

vt repetit etiam Theodor. ſer. 5. de natura hominis, *Falſitas enim*, inquit, *non ſolum veritati, ſed & ſibi ipſi contraria eſt; veritas autem eſt ſibi concors, & vnam modo falſitatem infeſtam habet.* Mitto tum quæ ad argumenta ſubiungo, tum quod ex ipſo Ariſtotele 9. Metaphyſ. tex. 7. Illud ſolum poſſibile dicitur, *ad quod nullum ſequitur impoſſibile*, ſed ad tuam iſtam veritatem Philoſophicam ſequitur aliquid impoſſibile ſcil. contradictorium veritatis certiſſimæ fidei, ergo poſſibilis iſta tua veritas philoſophica non eſt, tum quod oratio dicitur vera vel falſa *ex eo quod res eſt vel non est in ſeipſa* vt dicitur in prædicamentis non vero ex eo quod huic vel illi cognoſcenti appareat, vt probatur in 4. Metaphyſ. Sed iuxta prædictam aduerſariorum ſententiam non ſaluaretur illud primum ſed ſecundum, ergo adhuc iuxta vera principia Philoſophi aduerſariorum ſentẽtia refutanda eſt, omitto inquam, hæc & ſimilia, quia aut à S. Thoma præoccupata ſunt in breuiſſimis illis verbis *ſolum falſum vero contrarium eſt, vt ex eorum definitionibus inſpectis manifeſtè apparet*, aut ſaltem potiora his, quæ S. Thomas adduxerat, non habebam, niſi cum Tertulliano de reſurrectione carnis ca. 3. hinc breuius ita concluderem: *Si hæreticus ad vulgi vitia vel ſæculi ingenia confugerit, diſcede, dicam, ab Etnico hæretice & ſi vnum eſtis omnes &c. redde illi ſuos ſenſus, quia nec ille de tuis inſtrui vult. Quid cæco duci inniteris ſi vides? Quid veſtiris à nudo, ſi Chriſtum induiſti? quid alieno vteris clipeo, ſi ab Apoſtolo armatus es? Ille potius diſcat à te carnis reſurrectionem, immortalitatemque animorum confiteri, quam tu ab illo diffiteri condiſcas.*

Ad primum igitur diſtinguenda eſt maior, ratio naturalis dictat non dari regreſſum à priuatione ad formam abſolutè etiam penes cauſas tam inferiores naturales, quam ſuperiores ſupernaturales nego; determinatè ſolum reſtrictè penes cauſas inferiores naturales concedo, quia has ſolum naturaliter poteſt lumen naturæ attingere non verò illas, vnde ab illis præſcindit, non vero eiſdem propriè contradicit, ſicut oculus in pomo attingens colorem non vero odorem, dicitur ſic abſtrahendo non mentiri, quia non iudicat pomum odorem non habere, ſed colorem attingens nil de odore conſiderat: Vnde ſi hoc pacto facerent & iſti Philoſophi, ſcil. aſſerendo dumtaxat veram Ariſtotelis naturalem Philoſophiam non attingere v. g. mortuorum reſurrectionem & huiuſmodi, à quibus immo præſcindit, non fallerentur, ſed aſſerendo vlterius poſitiuè eandem Philoſophiam refellere reſurrectionem ſeu reſurrectioni contradicere, in hoc vtique decepti ſunt tranſeuntes à primo ſenſu præciſiuo ad ſecundum contrarium, vt explicatum eſt.

Ad ſecundum eadem omnino diſtinctione quo ad minorem reſpondendum eſt, vt ex adducta ibidem S. Thomæ expoſitione colligitur, quæ mox

addu

adducta noſtra eſt, iuxta quam etiam poſſumus humaniter Cremoninum olim huiuſce Patauinæ Vniuerſitatis Lectorem, & ſi qui alij ſimiles ſint, interpretari, ſcil. in ſenſu præciſiuo non contrario, in quo 1. ſenſu dicebat & ipſe Philoſophus in 2. Phyſ. tex. 18. *Quod abſtrahentium non eſt mendacium*, in ſecundo vero ſenſu contrario repetebat S. Thomas ſuper Boetium de Trinitate quæſtione 27. ar. 3. *quod ſi in dictis Philoſophorum inueniatur aliquid contrarium fidei hoc non eſt Philoſophia; ſed magis abuſus Philoſophiæ ex defectu rationis*; quod etiam docuerat idem Boetius vbi ſupra ad verba præadducta ſubiungens,

Sed mens cæcis obruta membris, nequit oppreſſo luminis igne, rerum tenues noſcere nexus.

Ad tertium diſtinguenda eſt maior ex doctrina Ferr. in com. ad idem cap. 7. 1. lib. contra Gentiles §. *ad euidentiam* loquendo ſcil. de effectibus contentis in cauſa ſolum continentia principij actiui, vt ſunt adducti in argumento, concedo; de contentis etiam continentia ſimilitudinis & conuenientiæ, vti ſunt lumen naturale & fides iuxta illud pſalm. *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, nego: aliter eodem modo ſequeretur recte dixiſſe Philoſophos illos, quos refert & irridet Ariſtoteles in 4. Metaph. tex. 19. nimirum de quocumque obiecto poſſe verè enunciari duo contradictoria à diuerſis prout diuerſis illa apparere poſſibile eſt, quod citra dubium eſt totum lumen naturale ſubuertere, immò proſternere penitus, vti euidenter proſequitur tex. 21. Ariſtoteles demonſtrare.

Ad quartum minor propoſitio negatur, quia veritas propoſitionis tantummodo importat adæquationem cum re ſicut eſt in ſeipſa adeo vt nullam in hoc genere diminutionem aut reſtrictionem admittat, qualem admittunt exempla in argumento relata; *aliter quid prohiberet*, vt intulit etiam Iulius Clemens Scotus diſſert. 5. pag. 413. *Eſſe multiplicem veritatem, ne dum Philoſophicam, & Theologicam, Mathematicam, & Phyſicam, ſed immò Catholicam, Hebraicam, Turcicam, Lutheranam, ac Caluiniſticam?* Hi citra dubium ſunt pro hæreticorum libertate Cuniculi; hæc hoſtilia illa popularium veritatum zizania, quæ adeò accurrate Patres ab Eccleſiæ agro funditus vellere ſtuduerunt, præſertim adhoc inſtitutum Griſoſt. homil. 48. in caput 13. Matth. *Vna*, inquit, *veritas eſt, nec in multas ſcinditur partes*, & vt alios omittam apud dogmaticos de fidei vnitate videndos, hinc claudam ego ad verſus huiuſmodi philoſophantes cum tanta Chriſtianæ Iuuentutis pernicie, quam in Italia præſertim cordatiſſimè commiſerabatur eruditiſſimus noſter Cano lib. 9. c. 9. claudam, inquam, cum Quintiliano lib. 1. c. 2. *Si ſtudijs*, inquit, *prodeſſe, moribus autem nocere conſtaret, potior mihi ratio viuendi honeſtè, quam vel optimè dicendi ſeu philoſophandi ratio videretur. Mala enim, & impia* ſubiungit Cicero lib. 2. de natura Deorum, *conſuetudo eſt contra Deos diſputandi, ſiuè id ex animo ſiuè ſimulatè fiat.*

ARTICVLVS III.

An propoſitio Philoſophicè falſa etiam vt talis ab infallibili iudicio Eccleſiæ iudicari poſſit.

VIdetur quod non Greg. de Valentia tom. 3. diſp. 1. qu. 1. punct. 7. qu. 6. in reſp. ad 4. cui etiam ex parte applaudunt Ouiedo controuerſia 17. punct. 11. & Linceus lib. 3. Phyſicę tract. 5. cap. 6. & alij, quorum opinio à nobis ſic diſputando probari poteſt.

Primo quia Auguſtinus ad hunc finem admonere videtur libr. 1. ſuper Geneſ. ad litt. cap. 18. his verbis *Si quæ inde ſcripta etiam diuina legerimus, quæ poſſint ſalua fide, qua imbuimur, alias atque alias parere ſententias, in nullam earum nos præcipiti affirmatione ita proiciamus, vt ſi forte diligentius diſcuſſa veritas eam rectè labefactauerit, corruamus non pro ſententia diuinarum ſcripturarum, ſed pro noſtra ita dimicantes, vt eam velimus ſcripturarum eſſe, quæ noſtra eſt, cum potius eam, quæ ſcripturarum eſt, noſtram eſſe velle debeamus*, & in idem reducitur auctoritas S. Thomæ opuſ. 10. in initio dicentis *Multum nocet talia ſcil. ſpectantia ad philoſophica dogmata, quæ ad pietatis doctrinam non ſpectant, vel aſſerere vel negare quaſi pertinentia ad ſacram doctrinam*, ſed hoc ſeruari non videretur, ſi de propoſitione philoſophica adhuc vt falſa in Philoſophia Eccleſia intenderet diffinire, ergo hoc aſſerere incongruum erit: & non ſolum hoc dicit loco citato Auguſtinus, ſed etiam probat cap. 19. ſubſequenti de philoſophicis aperte loquens, & nos aliter deducens ad abſurdum his verbis, *Plerumque enim accidit, vt aliquid de terra de Cœlo de cæteris huiuſmodi elementis non Chriſtianus ita nouerit, vt certiſſima ratione vel experientia teneat, turpe autem nimis eſt, & pernicioſum, ac maxime cauendum, vt Chriſtianum de his rebus quaſi ſecundum Chriſtianas litteras loquentem ita delirare quilibet infidelis audiat, vt quemadmodum dicitur toto Cœlo aberrare conſpiciens riſum tenere vix poſſit, & non tam moleſtum eſt quod errans homo deridetur, ſed quod auctores noſtri ab eis, qui foris ſunt, talia ſenſiſſe creduntur, & cum magno eorum exitio, de quorum ſalute ſatagimus, tanquã indocti reprabenduntur ac reſpuuntur, cum enim quemquam de numero Chriſtianorum in ea re, quam optime norunt, errare deprahenderint, & vanam ſententiam ſuam de noſtris libris aſſerere, quo pacto illis libris credituri ſunt de reſurrectione mortuorum, & de ſpe vitæ æternæ regnoque Cœlorum, quando de his rebus quas experiri vel indubitatis numeris percipere potuerunt, fallaciter putauerint eſſe conſcripios?*

Secundo quia adhoc, vt iudicari queat de propoſitione philoſophica falſa etiam in Philoſophia, oporteret reuelationem aliquam aſſignare diuinã, qua eius falſitas & oppoſita veritas haberetur, ſed hoc de philoſophicis difficillimum eſſe videtur, *Paraclitus enim*, inquit idem Auguſtinus lib. 1. de actis cum Felice Manichæo cap. 10. *non docet has veritates ſcil. philoſophicas, nam Chriſtianos vult nos facere non Mathematicos*, ergo difficillimum

vide-

videtur aſſerere Eccleſiam etiam de propoſitione philoſophica falſa in Philoſophia diſinire poſſe.

Tertio quia præcipua ſaltem regula diſinitionum Eccleſiæ ſcriptura eſt, quia dicit idem Auguſtinus in lib. de vtili credendi, *Quod credimus debemus auctoritati, quod intelligimus rationi*, ſed ex ſcriptura profecto non habetur aliquam propoſitionē philoſophicam in Philoſophia falſam eſſe, ergo de hac Eccleſia non poteſt diſinire.

In oppoſitum tamen eſt, quod vt retulimus in articulo antecedenti de facto in Later. Concil. ſub Leone X. ſeſ. 8. de mortalitate animæ, eiuſque vnitate & huiuſmodi damnati ſunt illi, *Qui temere philoſophantes ſecundum ſaltem Philoſophiam verum id eſſe aſſeuerabant*, ſed hoc eſt apertè de aliqua propoſitione Philoſophica etiam vt falſa in Philoſophia determinare, ergo ita de facto Eccleſiam determinare poſſe dicendum eſt.

Reſpondeo ita de facto ſentiendum eſſe, quia vt aduertit etiam Souſa lib. 1. Aphoriſmorum referens S. Thomam, Suarez, & alios & ad noſtrum inſtitutum proſequitur Lugo diſp. 20. de fide ſect. 3. num. 97. cum Hurtado, Tanero, Coninck ac cæteris è Societate, & repetit Franciſcus Amicus diſp. 7. de fide ſect. 2. num. 72. dupliciter aliquid ab Eccleſia damnari poteſt ſeu Theologica cenſura notari: primo vt directè & primario ſeu immediatè contra fidem, ſecundo vt indirectè ſecundario ſeu mediatè contra eandem, ſed propoſitio philoſophica etiam vt falſa in Philoſophia, licet primo modo non repugnet fidei, poteſt tamen repugnare ſecundo modo, vt in articulo antecedenti euidenter demonſtratum eſt, ergo propoſitio philoſophica etiam vt falſa in Philoſophia poteſt ab Eccleſia iure merito condemnari aut cenſura Theologica notari.

Secundo probatur quia ſicuti dantur propoſitiones puræ philoſophicæ de anima & huiuſmodi, ita & Metaphyſicæ de Deo vt auctore naturæ cum attributis eiuſdem & ſimilibus, ſed de iſtis ſecundis enormiſſimum eſſet negare Eccleſiam diſinire poſſe, ergo pariter de illis primis abſurdum eſt, in cuius ſignum non defuerunt hęretici, qui vt retardarent aut ſubterfugerent damnationem Eccleſiæ, recurrerunt adhoc, quod eorumdem diſputationes eſſent potius Methaphyſicæ ſubtilitates permittendæ ab Eccleſia in vtramque partem, vt de Ario refert Euſebius lib. 2. de vita Conſtantini, & de Celeſtio etiam atteſtatur Zozimus Pontifex in epiſ. ad Epiſcopos Aphricanos apud Baronium anno 417. num. 22.

Tertio quia eas quaſcumque propoſitiones Eccleſia damnare poteſt, ex quarum aſſertione hæreſes ſubortæ ſunt aut ſuboriri poſſunt tamquam concluſiones ex principijs, ſed ex propoſitionibus philoſophicis falſis in Philoſophia etiam vt talibus innumeræ hæreſes ſubortæ ſunt vt concluſiones ex principijs, ergo propoſitiones philoſophicas falſas in Philoſophia etiam vt tales Eccleſia damnare poteſt. Minor probatur inductiuè à Tertulliano lib. de proſcript. aduer. hæreſes in initio his verbis, *Ipſæ etenim hæreſes à Philoſophia ſuboriuntur. Inde Eones & formæ neſcio quæ, & apud Valentinum Trinitas hominis, Platonicus fuerat. Inde Marcionis Deus melior de*

tran-

tranquillitate, à Stoicis venerat; vti anima interire dicatur ab Epicureis obſeruatur, vt carnis reſtitutio negetur, de vna omnium Philoſophorum ſchola deſumitur; vbi materia cum Deo æquatur eſt diſciplina Zenonis; vbi aliquid de igneo Deo allegatur interueniet Heraclitus, eadem materia apud Philoſophos atque hæreticos volutantur. Sic Epiphanius lib. 2. aduerſus hæreſes cap. 69. Arianos extendentes cauſæ & effectus difinitionem ad proceſſiones in Deo *Nouos Ariſtotelicos appellabat*, ſic Pelagij venena de nimia exaltatione naturæ aduerſus gratiam aiebat Hieron. in epiſt. ad Cteſiphontem in initio *De Philoſophorum & maximè Pitagoræ & Zenonis Principis Stoicorum fonte manaſſe*. Sic poſt Pelagium Iuliano & cæteris Semipelagianis exprobabat Auguſtinus lib. 6. contra Iul. cap. 20. dicens, *Ad hoc redacta eſt hæreſis veſtra, vt gemant veſtri Sectatores, non inueniri Dialecticos iudices in Eccleſia de Scholis peripateticorum ſiue Stoicorum, à quibus poſſitis abſolui*. Sic iterum Priſcilianiſtas fatalem ſyderum influxum extendentes ad hominis voluntatem è Stoica Chriſippi Philoſophia deſcendiſſe lamentatur Greg. Niſs. lib. de fato; ſic ex Nicephoro & alijs, inquit Renanus in commentarijs ad præadductum Tertulliani locum, *Ipſamet Philoſophia traduxit Celſum, Porphirium, Lucanum, Menachium, multoſque alios, qui cauſam dedere prouerbio relato ab Agrippa lib. de contemptu artium, maximos quoſque Philoſophos ſolere maximos hæreticos eſſe*. Sic alias è Philoſophia ſubortas hæreſes congerunt Ireneus lib. 2. aduer. hæræ. cap. 19. Lactantius lib. 2. cap. 11. Cirillus Alexandrinus in theſauro aſſert. 11. & alij paſſim. Sic vt deſcendamus & nos ad poſteriora exempla præ illis, Petrus Abbailardus ex falſo ſuppoſitis in Philoſophia principijs, vt refert Bernardus epiſ. 189. adeo proceſſit, vt dixerit: *In diuinis etiam hoc eſſe filium ad Patrem, quod quædam potentiam ad potentiam, quod ſpeciem ad genus*, vti exponebat deinde ſcil. Patri conuenire potentiam ad omnia, nimirum amandum, ſciendum, & eſſe à ſe, filio duntaxat potentiam ad ſciendum & amandum, non vero adeſſe à ſeipſo, vt ibi Bernardus adiungit ac reprobat. Sic inde poſtmodum Raimundus Lullus, vt in Inquiſitorum directorio ſecunda parte refertur, ex illis Platonicorum ideis de eſſentia eſſentiante, & eſſentiata, vt ita loqui liceat, intulit in lib. de ſeptem arboribus quod in diuinis, *Pater eſt eſſentia eſſentians, ne eſſentia otioſa ſit, filius eſt eſſentia eſſentiata, ſpiritus eſt eſſentiare ipſum; & ſic pariter æternitas æternificans, æternificata, & æternificare & huiuſmodi*, ex quo quis non videat totam inuerti Theologiam? Sic tandem vt regrediamur, vnde diſceſſimus, & mox ſæculo elapſo ex Pitagoricorum terrena vertigine, quam olim Seneca referrebat lib. 7. quæſtionum naturalium cap. 2. Copernicus intulit terram moueri non ſolem. & noſtris hiſce temporibus à recenſioribus quibuſdam in Gallia contra damnatam ab ipſis ſolis Ariſtotelis Philoſophiam, veluti pro ſanctiori antiperipatetica Philoſophia ad Chriſtianæ iuuentutis prouentum dimidio Gaſſendi tomo introducitur Epicurus è cathedra loquens, & ab altero ſimul eiuſdem Gaſſendi Collega de Gymnaſio vel Zenodochio Democriti, ne dicam puteo, non quidem ſepulta veritas, ſed philoſophica larua emancipatur, ſub cuius Cartaceo

pallio.

paſſio & ſi ad ſpeciem epicto quot antiquorum errores lateant, & impune fundantur inſpicies, ſi librum quartum ex noſtris ſubſequentibus vel curſim legere non dedigneris, ſed ad quid vltro nunc immoror in recenſendis erroribus ex effreni nimis philoſophandi licentia ſolitis ſuboriri, cum non dum totus hic noſter labor ac liber eiſdem refellendis incumbat, verum etiam in præadducta ſecunda parte directorij Inquiſitorum, verbo *hæreſes Philoſophorum*, eorundem ampliſſimus ſillabus perlegatur?

Claudo ſolum has noſtri aſſerti probationes ex facto rationabiliter repetito ab Eccleſia, ne dum vt diximus in Lateranenſis Concil. laudato mox ante, ſed iterum etiam non ſemel, tum in damnatione Copernici edita à Sac. Congreg. citata ab Amico trac. 5. de Cælo qu. 6. dub. 2. ar. 2. & ab alijs, tum in damnatione multarum propoſitionum quoque philoſophicarum Io. Vs & Viglef in Coſtantienſi Concil. vt refert in tom. 1. Valdenſis; tum alijs ommiſſis ex diſcurſibus Conciliorum atque Pontificum, in quibus & neceſſario termini Philoſophici præſupponendi ſunt pro decretorum notitia, & quandoque philoſophica dogmata præmitti ſolent, vt inde Securior ſeligatur opinio, vt inter cæteros egit Innocentius Tertius in cap. *Cum Marthę* de celeb. miſ. vbi Pontifex reſponſurus quæſito, vtrum aqua cum vino in ſanguinem conuertatur, ab opinionibus Philoſophorum exorditur modo dicens: *Opiniones apud Scholaſticos variari, modo* ſubiungens, *licet Phyſici contrarium aſſeuerent*, & tandem ex his probabiliorem eligendo determinat dicens: *Verum inter opiniones prædictas illa probabilior iudicatur, &c.* En iam diſcernis quo ducat & quanti in Eccleſia etiam Philoſophicarum opinionum diuerſitas facienda ſit.

Ad primum igitur ex auctoritate Aug. & S. Thomæ à nobis ipſis non vero ab aduerſarijs adducta occurrit planus ſenſus ex textu ſcil. ibi prohiberi priuatis hominibus de Philoſophica veritate, vt infallibiliter amplectenda, decernere, non vero Eccleſiæ, cui & alibi Aug. ampliſſimam eamque infallibilem facultatem admiſit, & eodem lib. cap. 21. ſubiunxit, *reſpondendum tamen eſt hominibus, qui calumnias libris noſtræ ſalutis affectant, vt quidquid ipſi de natura rerum veracibus documentis demonſtrare potuerunt, oſtendamus noſtris litteris non eſſe contrarium. Quidquid autem de quibus libet ſuis voluminibus his noſtris litteris contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate oſtendamus, aut nulla dubitatione credamus eſſe falſiſſimum*, ex quo appoſite & S. Thomas in contrarium adductus pro noſtra immò reſolutione deducebat p. p. q. 1. ar. 6. ad 2. *Ad ſacram doctrinam inquit non pertinet probare principia aliarum ſcientiarum, ſed ſolum iudicare de eis, quidquid enim in alijs ſcientijs inuenitur veritati huius repugnans, totum condemnatur, vt falſum, Vnde dicitur 2. Corinth. 10. Concilia deſtruentes & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei.*

Ad ſecundam ommiſſo per ſæpe inueniri in ſcriptura apertiſſimè oppoſitam veritatem aliquibus etiam philoſophicis propoſitionibus, vt quod ſol non vero terra moueatur contra Copernicum, quod anima ſit immortalis & multiplex contra Auerroem & Pomponacium, & huiuſmodi vlterius

ſtius poſſumus adhuc reſpondere ex eodem Valentia eadem qu. 6. in reſponſ. ad 1. quod ipſe ſimili obiectioni dicebat, ſcil. *ſatis eſſe in propoſito generalem illam reuelationem, qua conſtat quidquid Pontifex determinat ad vniuerſam Eccleſiam pertinens id eſſe veriſſimum* tamquam ſcil. ab ipſo propoſitum vt ab vniuerſali Eccleſia tenendum; aliter eadem ratione probaretur nec etiam Eccleſiam poſſe propoſitionem aliquam ex morali Philoſophia diffinire, vt de Iuſtitia & Iure & huiuſmodi, cuius tamen oppoſitum improbandum eſſe demonſtrat nouiſſimè etiam Franciſcus Amicus vbi ſupra ex bulla Martini V. poſt vltimam ſeſſionem Concil. Conſtan. anathemate plectentis eos, qui renuant aſſentiri Eccleſiæ damnanti *Quod bonis moribus contrarium eſt*.

Ad tertium tandem ex dictis habetur plurium philoſophicarum aſſertionum falſitatem implicite ſaltem ex ſcriptura deduci, pro quanto ex ipſis infertur aliquid contra fidem in eadem ſcriptura contentum. Vnde ad hoc facit quod ſimili obiectioni reſpondet Nazianzenus orat. 5. de Theologia, *nonne enim, inquit, perſpicuum eſt iſta, quæ non ſunt in ſcripturis expreſſa, tam etſi non dicantur, tamen ex illis colligi, quæ hæc neceſſario efficiant & probent?* & Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatum pariformiter proſequebatur: *Qui ſolum quidem guſtauere ſcripturas ſunt fideles; qui autem etiam vlterius proceſſerunt, ſunt perfecti gnomones veritatis*, & infra *cum ergo habeamus à natura multa, quæ nos incitant & dant occaſionem ad ea examinanda, quæ dicuntur, debemus etiam veritatis inuenire conſequentiam*, & cætera legenda in eodem.

QVÆSTIO VI.

De aliorum erratis in methodo philoſophandi.

POſt deprimentes nimis extremè aut extollentes Ariſtotelis Philoſophiam, duo hic pariter extremi quorundam exceſſus quo ad methodum reuocandi vel reprimendi ſunt. Alter eorum, qui in ſua methodo introducunt prius mentem ab omnibus præiudicatis etiam principijs eximendam eſſe. Alter eorum, qui ab oppoſito ommittunt omne aliud in ſua Philoſophia principium præter Ariſtotelis auctoritatem. Hæc duo igitur diuerſorum errata extremè oppoſita in methodo philoſophandi per duos ſubſequentes articulos caſtiganda ſunt.

ARTICVLVS PRIMVS.

An pro ſciendi methodo repellenda ſit prius à mente qualibet præcognitio etiam ſi vera ſit.

VIdetur quod ſic Renato Carteſio in ſua prima meditatione de prima Philoſophia adeo excurrenti, vt dicat etiam ad hunc finem aliquando

do ſibi præſupponendum: *Aut verum Deum eſſe deceptorem, aut ſaltem genium aliquem malignum, eumdemque ſummè potentem*, quorum vtrumque craſſiſſima hæreſis manichea eſt, & ſic concludit inde generaliter. *Omne praiudicium ſeu pracognitum habitum vt verum ac certum ita haberi poſſe falſum ad aliquod tempus, vt inde fiat praiudicium nouum, priori oppoſitum, mentis faciens æquilibrium* Vt inde nulli magis præ alio adſtricta mens ſit in iudicio liberior; cui effato ex parte fauent & alij ibidem apud eundem hoc temperare volentes, ac dicentes: *Quodlibet pracognitum non quidem adhuc pro aliquo tempore accipiendum vt falſum, ſed ſolum vt incertum aut dubium.* Vti Gaſſendus in eundem locum. Et poſſunt pro hac noua ſciendi methodo partim ex ipſis, partim à nobis hæc argumenta proferri. Primo: nam etiam de facto Theologi ad primam partem qu. 36. ar. 2. ſupponunt aliquid falſum & hæreticum in proceſſione Spiritus Sancti, vt inde verius eiuſdem proceſſionis naturam inquirant, dum diſputant inter ſe, an ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio adhuc diſtingueretur, vti & ſimile dubium ab Aug. proponebatur 5. de Trin. c. 8. *An ſi Pater non eſſet innaſcibilis adhuc generaret Filium*, ergo à pari pro methodo ſciendi veritatem rerum vt ſic etiam verè prænotiones poterunt præſupponi vt falſæ, abſque eo quod inde vllum ſubinferatur abſurdum.

Secundo quia paſſim & S. Thomas proponens pro concluſione examinanda quandoque id quod de fide certum eſt v.g. exiſtentiam Dei, Trinitatem & huiuſmodi, & prius adducens argumenta in oppoſitum pro tempore ſaltem quo argumenta proponit in eorundem argumentorum conſecutione videtur oppoſitum præſupponere illi eiuſdem fidei veritati, vti & cæteri paſſim Theologi proponere ſolent ac Sancti Patres, quidquid Lutherus vnico D. Thomæ imponere videatur, ergo adhuc ab exemplo eiuſdem S. Thomæ & aliorum Theologorum prædicta methodus comprobatur.

Tertio nam, vt inquit ex Ariſtotele ſecundo Ethicorum cap. vlt. Carteſius *Sicut baculum, qui curuus eſt, vt rectum reddamus, illum in contrariam partem inflectimus, ſic aliquando pro veris aſſumunt ad indagandam veritatem falſa etiam aſtronomi Quandò æquatorem, Zodiacum, alioſque circulos imaginantur in Cælo, & huiuſmodi alia Geometræ, ac Philoſophi multis in locis*, Vti, adiungerem ego, adnotat Ariſtoteles in lib. de Cælo cap. 10. & apud Logicos ficta entis rationis cognitio ad veritatis indaginem pro ſciendi modo ordinari ſolet. Ergo &c.

Quarto iterum, adiungo ego, nam Aug. lib. 6. de Muſica cap. 11. docere videtur cæteros ommittentes hanc methodum ideo paſſim errare, dum inquit, *Sequuntur nonnulli phantaſmata ſua tam pracipites, vt nulla ſit alia materies omnium falſarum opinionum, quam habere phantaſias, vel phantaſmata pro cognitis*, Vt idem ferè dixerat etiam Philoſophus in primo de Elementis cap. 7. & inde alibi laudauit dubitare, vt ediſcamus, tum cap. de relatione tum Metaphyſ. 2. & alibi ſæpe, ergo ſufficienter hæc methodus probata eſt.

In oppoſitum tamen eſt id, quod Auguſt. è contra omnino admonuit in

difficillima omnium controuerſia ſcil. lib. de gratia & libero arbit. cap. 1. dicens. *In quod peruenimus in eo ambulemus, ambulando enim in quod peruenimus, & quo nondum peruenimus peruenire poterimus*, & D. Proſper lib. 1. de Vocat. gent. cap. 8. ſic Magiſtro ſubſcribit: *Vt ea, quæ clara ſunt, non de his, quæ occulta ſunt, obſcuremus, ne dum procaciter inſiſtimus clauſis excludamur ab apertis, cum ſufficere debeat vt in eo, quo peruenimus, ambulemus*, præter Xenophontem in Æconomico ſuo ſic concludentem, *ducens me per ea, quæ ſcio, ſimilia his demonſtrans, quæ non putabam ſcire, perſuaſus puto quod & hæc ſcio*.

Reſpondeo peſſimam omnino videri præadductam methodum recentiorum.

Primo quia peſſimum eſt adhuc ad leue tempus incurrere hæreſim vel Atheiſmum, per aſſenſum ſcil. iudicando falſam vel incertam eſſe fidei veritatem vt v. g. exiſtentiam Dei, ſed iuxta hanc methodum hoc faciendum eſſet, vt patet ex verbis recentiorum adductis, ergo peſſima eſt prædicta methodus recentiorum; Vnde merito quidam aiebat hos ſimiles nouatores inducere ſaltem *temporarium Atheiſmum*.

Secundo quia inter præiudicata vel præcognita adſunt & prima principia immediatè nota per ſe, de quibus agit & Ariſtoteles primo Poſt. & 4. Methaph. ſed prima principia, licet ore poſſint, non tamen mente valent vt falſa negari, vt probat etiam S. Thomas in ſecundo diſt. 25. qu. 2. art. 1. & in 4. diſt. 49. qu. 1. art. 3. & 1. contra Gentes cap. 7. & 85. ergo non poterunt omnia adhuc naturalia præcognita vt falſa vel incerta damnari, vti & Aug. in ſimili arguebat contra Accademicos lib. 3. cap. 13.

Tertio quia abſurdiſſimum eſſet ex Auguſt. 2. Confeſ. cap. 3. hominem enormiter vulnerare vt inde pure ſanaretur, vel alicui tabulæ prius inducere nigredinem, vt inde dealbaretur, vel ſicut aiebat Nazianz. oratione tertia *per ſcopulos immo per naufragia ducere ad litus*, ſed hoc eſt ſimile huic recentiorum methodo ſcil. ex falſa etiam negatione verorum progrediendum eſſe ad veritatis acquiſitionem, ergo dicta pariter methodus recentiorum abſurdiſſima eſt.

Quarto quia vt refert Aug. lib. contra mendacium ad Conſenſium ca. 2. hæreſis Priſcillianiſtarum inter cæteras erat, licitum eſſe catholicis cum hæreticis mendacijs vti, vt inde hæretici per mendacium ad veritatem adducerentur, ſed hæc recentiorum ſententia ne dum æquare ſed excedere videtur Priſcillianiſtarum aſſertum, dum non ſolum ore ſed mente propugnat eſſe licitum aſſentiri falſitati cõtra fidem, adhoc vt aditus aperiatur veritati, ergo vt in illos ita & in iſtos inuehi poteſt cum Aug. eodem loco dicente, *Quomodo igitur mendacio mendacia rectè potero perſequi? An & latrocinio latrocinia, & ſacrilegio ſacrilegia, & adulterio adulteria perſequenda ſunt? numquid & nos dicturi ſumus faciamus mala vt veniant bona?* & infra cap. 5. *Vides ne quo tendat hoc malum, vt ſcil. non ſolum nos illis, ipſique nobis, ſed omnis Frater omni Frati non immerito videatur eſſe ſuſpectus? Atque ita dum per mendacium tenditur, vt doceatur fides, id agi potius, vt nulli fides habenda ſit*, hæc

Aug.

Aug. appoſitè ad noſtrum vtique inſtitutum tum de Dei exiſtentia, de qua Carteſius ſermonem habebat, tum Philoſophię vt ſic, quæ vt ſupra vidimus ad fidei etiam veritates ordinata eſt.

Quinto impugnatur hæc methodus à poſteriori, ſeu vt dici ſolet à ſigno: etenim primus huius methodi adinuentor Carteſius in eodem lib. de methodo nil aliud egiſſe videtur, quam euertere præcipuos Sanctorum Patrum diſcurſus ad demonſtrandam Dei exiſtentiam ab eiſdem excogitatos, & à S. Thoma collectos p. p. q. 2. ar. 3. (quos exprofeſſo lib. 6. in Epicureos vrgebimus, ac defendemus) & inde illis euerſis tam ſolidum Chriſtianæ fidei fundamentum commendare è contra vni harundineæ illius inſtabilitati rationis, quam referebat de verbo ad verbum & refutabat ingenuè S. Thomas eadem q. 2. ar. 1. in argumento 2. & de qua ratiocinatione Hieronymi illud verificari poteſt in cap. 10. Matth. ſcil. *Virga & baculus harundineus eſt, quem ſi paulum præſſeris, frangitur, & manum perforat incumbentis*. Hinc licet alias Gaſſendus ille idem fuerit, de quo prius Carteſius ſe dixiſſe fatetur in præfatione Philoſophiæ; *ſe tantum tribuere illius ingenio, vt non putaret illum alicui opinioni adhærere, quam pro ſua nollet idem Carteſius agnoſcere*: attamen idem hicipſe Gaſſendus in tom. 3. lib. integro contra Carteſium veritate coactus eandem Carteſij raciocinationem non ſolum impugnauit, ſed iure merito aſpernatus eſt, ex quo deinde pænitnit relata præfatione Carteſium ſimilia ſe de Gaſſendo ſcripſiſſe, iactando etiam eundem è ſuis ſcriptis pleraque tranſcripſiſſe, ſed *male*, inquit, *mutato ordine, & negatis quibuſdam veritatibus methaphyſicis, quibus tota Phyſica inniti deberet*, ſcil. negata tam celebri, vt ipſe ſolus Carteſius opinatur, raciocinatione prædicta à S. Thoma repulſa pro exiſtentia diuina, ex quo concludit *ſe eum prorſus repudiare impelli*, & nobis interim contra hanc nouam Carteſij Methaphyſicam Lectorem remittere ſatis erit ad prælibatum Gaſſendi librum, & cum Baſilio homil. 1. de vtroque concludere: *Non opus eſt, vt nos contra illos pugnemus, cum illi mutuis diſſentionibus ſufficiant ad ſuam ipſorum doctrinam euertendam* Dum iuncti prius communem cæterorum Philoſophiam euertere conati ſunt.

Sexto demum impugnatur, quia delirum eſt dubitare, an nos ſimus corpus & huiuſmodi, ſed iuxta hanc methodum de his etiam & ſimilibus Carteſius dubitat, vt legere eſt in eadem meditatione prima ſuæ primæ Philoſophiæ, ergo delirare methodus prædicta videtur: Vnde eodem modo Aug. lib. 3. contra Accademicos cap. 10. ſic delirantis ad inſtar inducit Carneadem dubitantem: *Ergo ne ait Carneades ſecum ipſe loquens, dicturus es neſcire te vtrum homo ſis, an formica?* & Ariſtoteles in 4. Methaphyſ. tex. 26. *tales*, inquit, *dubitationes ſimiles huic ſunt dubitationi, dormimus ne nunc, an vigilamus? ſed vti diximus hic eſt ipſorum error; rationem eorum quæritant, quorum nulla eſt ratio; principia enim demonſtrationis non eſſe demonſtrare*, & demum Gregorius Nazian. in Apologetico hos ſimiles nouatores ſic dubitantes deſcripſiſſe videtur his verbis. *In vltima claſſe ſunt, qui nec certam vllam opinionem, nec diuinæ doctrinæ, vel probam vllam, vel vitioſam formam im-*

Q 2 *preſ-*

preſſionem ſecum ferentes, verum Sermonibus omnibus ſe ſe ſubijcientes tamquam ex omnibus id quod melius certiuſque eſt electuris, ac ſibi ipſis hoc eſt malis veritatis iudicibus confidentes à diſertis poſtea verbis, & ad perſuadendum comparatis, ſubinde circumferuntur atque verſantur à doctrina Profeſſoribus ad doctrinæ condemnationem tranſeuntes.

Ad primum igitur diſtiguendum eſt quo ad illam hyppoteticam conditionalem Theologorum, aliud eſſe quod ſimpliciter appræhendant Theologi in antecedenti Spiritum Sanctum non procedere à filio, & aliud eſſe quod præter ſimplicem appræhenſionem ſic etiam iudicent & aſſentiant; primum permittimus, quia nec abſtrahentium mendacium eſt, nec in prima intellectus operatione veritas aut falſitas adeſt; ſecundum vero negamus, de quo ſecundo dumtaxat hic ad propoſitum verba facienda ſunt: ex quo etiam ad ſecundum conſtare poteſt.

Ad tertium, quod eſt vnicum Carteſij argumentum, reſpondet etiam coactus veritate Gaſſendus tom. 3. in lib. aduerſus Carteſ. Metaphyſ. pag. 283. his verbis, *Sed dum baculus incuruatur per rectitudinem tranſit, ſicq; aſſueſcit ſe paulatim ad illam componere; tu vero menti dubiæ non per veritatem facis tranſitũ, ſed diflexę in falſitatem impulſum præbes, & ex curuitate parua aut mediocri curuitatem maximam facis*, & inde de aſtronomis addit *Pro certis habere planetarum loca*, & ſolum mente ad eadem diſtinguenda circulos deſignare, non aſſentiendo tamen vel iudicando veros eſſe ſed falſos, quomodo profecto falli non eſt aut falſitati aſſentiri, vti obſeruauit appoſite deformatione etiam entis rationis S. Thomas opuſ. 42. cap. 1.

Ad quartum tandem occurrimus aliud eſſe prius appræhendere nos debere aduerſariorum argumẽta prolata in oppoſitum, vt paſſim egit S. Thomas, & immitamur & nos, aliud vero prius aſſentiri oppoſitis aduerſariorum opinionibus proprias euellendo etiam ſi veras, vt Carteſius intendit, primum vtique libentiſſimè admittimus, non ſecundum, vti colligitur ex Ariſtotelis explicatione in primo de Cælo tex. 10. dicentis: *Narratis opinionibus aliorum magis vtique credibilia erunt dicenda ijs, qui ante audierint dubitatorum Sermonum iuſtificationem, nam videri indicta cauſa condemnare minus vtique nobis in erit*, & 13. Methaphyſ. cap. 1. *Quæ ab alijs dicuntur, primo ſpeculandum eſt, vt tum ſi quid non rectè dicant non ſimus eiſdem conſcij*, & idem habet primo de Anima tex. 19. 3. Math. tex. 1. & 7. Ethic. cap. vlt. Vnde poſſumus cum Origene repetere lib. 3. contra Celſum: *Quid mali eſt eruditum eſſe diſciplinis optimis, hiſque ingenium excoluiſſe? Quid hæc obſtant cognitioni Dei? An non potius conducunt ad conſequendam veritatem?* vt dixerat etiam Clemens Romanus lib. 10. recognit. & alij. Demum addo, vt magis argumenti deceptio detegatur, ad ſummum inde conuinci mentem expurgari debere à dubijs (quod contra ipſum aduerſarium eſt volentem prius de omnibus dubitare) non verò à prius ſcitis vel certis: audiat an clarius potuerit id etiam Plato docere in Sophiſta vocans hanc *animæ medicinam*, & dicens: *Hoc idem de anima ſenſerunt illi non prius habituram allatarum diſciplinarum iuuamen, quam redarguens quis eum, qui redarguitur in pudorem*

dorem conijciat eas, quæ impedimento diſciplinis ſunt, opiniones, & eximens purgatum reddat, ita vt putet ſcire ea ſola quæ ſcit, & non plura; Vnde dicendum eſt Elencum eſſe maximam & perfectiſſimam purgationem. Hæc Plato, quæ ſi Carteſius vidiſſet, vti & alia à nobis ex Ariſtotele & Auguſtino relata pro ipſo, non dubito quin in proprium ſenſum ſed perperam pertraxiſſet, nimis extremè volens omnia examinari *Quaſi non liceat,* inquit Tertullianus de præſcript. cap. 4. *omnibus malè examinatis in electionem alicuius mali impingere per errorem.*

ARTICVLVS II.

An expediat Methodus connectendi dumtaxat Ariſtotelis textus?

Videbatur quod ſic aliquibus præſertim hiſpanis, quos retulit Franciſcus Patritius tom. 1. lib. 12. in fine, & alijs quos refert Iulius Clemẽs Scotus in ſua Pædia diſert. 1. & vltima, & id audio quoſdam in ſcholis Neotericos profiteri, quorum ſententia his vel ſimilibus argumentis inniti poteſt.

Primo quia alia methodo philoſophantes per quæſtiones ac dubia in Ariſtotelis textum videtur Plutarchus carpere in lib. de audiendis poetis dicens: *Præterea contemplationis &, acritatis intempeſtiui gloriam iſti venantes retardant loquacitate, & ſuperfluitate loquentes, ſemper aliquid non neceſſariorum addubitantes, & requirentes demonſtrationes rerum ea non egentium; Sic via breuis fit longa, vt ait Sophocles, non ſibi ſolum, ſed alijs etiam: apprehendentes enim ſingulis in rebus docentem vanis & ſuperfluis interrogationibus veluti in triuio impediunt diſciplinæ continuationem, quia ſtationes quaſdam & remoras accipiat. Iſti quidem ſecundum Hieronymum Peripateticum veluti timidi ac guloſi canes coria domi mordentes & pilos vellicantes, ipſas feras non attingunt,* ergo ex Plutarcho Sophocle & Hieron. Peripatetico methodus dubitationum in textum relinquenda eſt, & acceptanda dumtaxat methodus textualium, vt dici ſolet.

Secundo quia ita veri antiqui Peripatetici Philoſophiæ Ariſtotelis incũbebant, vt de Aſpaſio pleraque verba Ariſtotelis expendente conſuli poteſt Simplicius dicens lib. 3. de natura com. 11. & com. 15. *Aſpaſius ſic ſcribit contextum,* & lib. 4. com. 107. *Aſpaſius ſic verba exponit,* lib. 6. com. 7. *Aſpaſius hic punctum ſubſcripſit & notauit.* Sic de Andronico Rhodio idem Simplicius in cap. de æquiuocis inquit: *Andronicus paraphraſi exponit librum* & in proemio ad Cathegorias quid ſimile repetit de Themiſtio dicẽs: *Alij quidem ipſam ſolam dictionem clarius tranſponere aggreſſi ſunt velut Themiſtius,* & de Porphirio ſubiungit: *Hi vero & ſententias, ſed nudas ſolas, quæ ab Ariſtotele intendebantur, breuiter manifeſtas facere ſtuduerunt.* Sic Philoponus, vt videre eſt in lib. de anima, Plotini, Plutarchi, Neſtorij, Procli, Marini, Ammonij, aliorumque interpræṫationes diſcuſſit: Sic tandem Simplicius, vt patet in libris de Cælo & Phyſicorum, Alexandri Porphirij, & eiuſdem

Digitized by Google

eiuſdem Philoponi explanationes exagitauit, ergo iterum ab iſtorum exemplo purè textualium methodus comprobatur.

Tertio quia ad hoc videntur facere plures eiuſdem Ariſtotelis auctoritates, vt primo Metheor. cap. 13. dicentis: *Idcirco melius vulgus dicit ſine quæſtione quam hi ita cum quæſtione dicant*, & libr. 4. ad Eudemum: *Eſt enim primorum terminorum atque vltimorum mens, non ratio ſeu demonſtratio. Itaque oportet mentem adhibere non minus quam demonſtrationibus expertorum, ac ſeniorum, vel prudentum pronunciatis ac opinionibus, etiam ſi demonſtrari nequeant*. Sed hoc nil aliud eſt quam Philoſophis expedire quo ad præcipua ſaltem Philoſophiæ aſſerta intra auctoritatis alicuius ſupremi Philoſophi terminos detineri dumtaxat, cuiuſmodi eſt ſine vllo dubio Ariſtoteles, ergo iſta defacto methodus innixa dumtaxat Ariſtotelis textui expediens erit.

In oppoſitum tamen eſt quod per eundem Philoſophum in Poſt. 1. ſcientia eſt cognitio rei per cauſam non per auctoritatem, cui fides potius innititur & opinio, Vnde & idem Philoſophus in 1. Topic. cap. 11. repetebat *Philoſophiæ de ipſis rebus tractandum eſſe ſecundum veritatem, Dialectica vero ad opinionem*. Et hinc Plato in 5. de Republica eum, qui auctoris potius opiniones quam rationes expendit, inquiebat *Non Philoſophum, ſed Philodoxum vocandum eſſe ſcil. opinionis amatorem*, ſed textuales huiuſmodi procul dubio auctoritati non rationi inniti ſolent, ergo textuales huiuſmodi Philodoxi potius quam Philoſophi & opinantes potius quam ſcientes exiſtimandi ſunt, & conſequenter purè textualium methodus ommittenda.

Reſpondeo à non paucis hanc purè textualium methodum iure merito repræhendi, quorum cathalogum & verba recenſet Maſtrius in ſua expurgatione quarta contra Ferchium, & ijs omiſſis In primis occurrit Scotus in ſua illa Pædia peripatetica diſſer. 1. pag. 10. ſic inter cæteros aulæ Philoſophicæ contubernales deſcribens & irridens hos dumtaxat textuales his verbis: *Mox*, inquit, *occurrunt homines nonnulli, qui pede altero pendulam è ligno tabellam demittunt, altero attollunt, buxeiſque nauiculis quibuſdam oblongis, quæ linea quadam fila repoſita habent intexta ſimilibus diſpoſitis in pectinum ſpatijs, vltro citroque vtriuſque manus beneficio recurrentibus lineam telam affabre conformant. Hi ſunt illi Philoſophi*, ſubiungit, *qui ſtudium reponunt vnicum aut in notis quibuſdam ad Ariſtotelis codicum oras apponendis, aut in diſcutiendo an hæc vox vel particula ſit aptè diſpoſita, an ex alio reſarcienda loco, in quot capita libri quidam Ariſtotelis, in quot textus capita diſtribuenda ſint, ac pro vno Ariſtotelis vocabulo pro vna inter punctione Ariſtotelis addenda vel demenda integra conſcribunt volumina, verborum lacunas ſuis coniecturis explent ſententiarũ ſciſſuras ſuis commentationibus conſarcinant, & in Ariſtotelica tela texenda, diſtinguenda, continuandaque textorum ad inſtar vniuerſum Ariſtotelis adhibent opificium*, hæc Scotus, cuius auctoris allegoriæ è textorum officina deprompta altera è Sutorum affinis erat apud Senecam epiſt. 33. vocantem iſtos appoſite *Humanæ ſapientiæ Sutores*. Occurrit inde tum in Gorgia, tum in Pitagora Plato eoſdem ſimileſque ſugillans his verbis.

bis. *Videtur etenim mihi hæc diſputatio ſimilis eſſe conuiuijs imperitorum plebeorumque hominum, qui cum propter inſcitiam nequeant inter ſe propria voce ſuisque ſermonibus alloqui, tibicines mercede conducunt, & aliena voce conuiuium hoc eſt tibiarum flatu tranſigunt. Vbi autem boni præclarique conuiuæ conueniunt, neque tibicines ibi neque cantatrices inſpicies, ſed voce propria remotis ijs &c. alternis interrogationibus reſpõſionibuſq; modeſtè differere: eodem modo ad diſputationes huiuſmodi ſi uiri conueniant tales haud quaquam aliena voce Poetarum Theologizantium opus eſt, quos percunctari de his, quæ ſcribunt, non datur, & qui eorum teſtimonia in medium afferunt alij hoc, alij illud Poetam ſentire dicunt, nec tamen conuincere aut expedire rem poſſunt, de qua differere inceperunt. Tales ergo confabulationes uiri ſapientes ommittunt, ipſique inter ſe colloquuntur, viciſſimque ingenij periculum inter ſe facere ſtudeant,* ſubſcribit Platoni Cicero lib. 1. de Natura dicens: *Non tam auctoritas indiſputando quam rationis momenta quærenda ſunt: Quia etiam obeſt plerumque ijs, qui diſcere volunt, auctoritas eorum, qui docere ſe profitentur, deſinunt enim ſuum iudicium adhibere & habent ratum, quod ab eo, quem probant, iudicatum eſſe conſpiciunt*, Suffragatur Ciceroni Plinius Iunior. lib. 1. Epiſt. 20. *hæc eſt*, inquit, *adhuc ſententia mea, quam mutabo, ſi diſſenſeris tu, ſed plane cur diſſentias, explic es rogo; quamuis enim credere authoritati tuæ debeam, rectius tamen arbitror in tanta re ratione quam authoritate ſuperare*, Inde Aug. lib. 2. de ordine cap. 9. ſubiungit *quamquam bonorum authoritas imperitæ multitudini videatur eſſe ſalubrior, ratio verè eſt aptior eruditis*. Inde Lactantius lib. 2. inſtitutionum ca. 8. *Cum ſapere*, inquit, *id eſt veritatem quærere omnibus ſit innatum, ſapientiam ſibi adimunt, qui ſine vllo iudicio inuenta maiorum probãt, & ab alijs pecudum more ducuntur*, ſuccinit in ſpeciali Cirillus Alexandrinus lib. 11. Theſ. irridens eos, *Qui nihil aliud quam Ariſtotelem ructant*, conſentit aduerſus eoſdem veluti illud de Pitagorica ſchola repetentes, *ipſe dicit*, etiam Hieron. lib. 2. Dialogi ſic illos alloquentes inducens: *Nos Pitagoricæ Philoſophiæ ructamus ſuperbiam*. Concludit cum iſtis & Scaliger lib. 1. de plan. ex oppoſita ipſius Ariſtotelis conſuetudine dicens, *Diuinum eſſe Platonem & Ariſtotelem, illum tamen quod inuenerat auctoritate ſola tamquam virum bonum, hunc nihil ſine ratione quaſi accerrimum iudicem ſtatuiſſe*, quod vtique ingenuè de ſeipſo Philoſophus confeſſus eſt 1. Ethic. cap. 8. ſic ſcribens: *Videtur melius ob veritatis ſalutem propria quoq; deſtruere præſertim cum Philoſophi ſimus; ambobus enim exiſtentibus pium eſt veritatem in honore præferre*, & hinc iterum 3. Politic. cap. 5. monebat *Philoſophanti circa quamque methodum & non reſpicienti ſolum ad opinionem proprium eſſe non negligere, aut aliquid prætermittere, ſed declarare veritatem circa vnamquamque rem*.

Ad primum igitur libenter admitto, quod præmonebat noſter Cano lib. 9. cap. 7. ex decantato Poetæ carmine, *eſt modus in rebus ſunt certi denique fines*; Doctorem eſſe debere *eruditum & pium*, *qui cum certa ab incertis ſeparet, item vanis quæſtionibus declinatis, vtiles ſeligat ac neceſſarias*. Verum tamen aliquando tam multam eſſe congeriem vel euertentium, vel perpe-

ram intelligentium Ariſtotelis Philoſophiam exploratum eſt, vt repetere cum Tertulliano in lib. de reſur. poſſimus: *Nos rhetoricari quoque prouocant heretici ſic & Philoſophi,* ſeu cum Nazianzeno in Math: ca. 19. *Quæſtionum abſurditatem abſurdioribus interrogationibus ſoluere licet.*

Ad ſecundũ conſtat plures adductos in argumẽto Criticos potius litteræ tranſlatores, quam Ariſtotelis Philoſophiæ expoſitores, ſeu de ſciẽtia Philoſophica benemeritos extitiſſe. Vnde præ illis potiori iure videntur ex veteribus digni, quos philoſophicè ratiocinando vt Peripateticos immitemur, ne dum Dexippus in Dialogo ad Catheg. Ariſtotelis, qui referente Simplicio ad eaſdem Cathegorias, *Principali etiam intentione Plotini dubitationes veluti in Dialogo ſibi propoſitas diſſoluere propoſuit*, Sed etiam Philoponus, qui hac de cauſa ſuas vocat in libros de Anima *ſpeculationes*, & in lib. de natura *egreſſiones*, vti Olimpiodorus appellauerat in Metheoris *actiones*, & de Boetio ad Catheg. itidem atteſtatur Simplicius, *Quod aliqui circa hunc librum profundioribus ſenſibus vſi ſunt, quemadmodum admirabilis Boetius*, & tandem de Porphirio ac Iamblico proſequitur dicens: *Poſt hos Porphirius omnium nobis bonorum cauſa & expoſitionem libri perfectam & inſtantiarum omnium ſolutiones ſeptem libris confecit. Poſt hunc & alios Iamblicus &c. aliqua eorum dijudicans & diligentius diſcernens, vbique intellectualem contemplationem ſingulis ferè capitibus appoſuit,* vt hic S. Thomam ommitram, quem & hanc methodum dubitandi ex textu ſecutum eſſe conſtabit, & præ cæteris eligendum eſſe in ſubſequenti quæſtione dicemus.

Ad tertium demum admittimus vtique contra Neotericos Nouatores inde rectè conuinci Peripateticos rationabiliter ſibi pro Duce præfigere in Philoſophando Ariſtotelem, vt ſupra vidimus, negamus tamen adhuc ab eodem Philoſopho prohiberi raciocinia de his, quæ nec ipſe quidem ſine vlla ratione, vt retulimus, voluit edocere. Claudat igitur hic pro nobis in prolegomenis ad cathegorias Ammonius, quem tanti ij faciunt, cum quibus nunc diſputamus. *Horum vero*, inquit, *explanator debet neque per beneuolentiam veluti à Tripode ea recipere, neque ea, quæ rectè dicta ſunt, malo more atque odio amplecti, ſed primo ſententiam auctoris claram reddere, & interpretari quæ illi videantur aduerſa, poſtea ſuum ipſius afferre iudicium*, vt repetit etiam eodem loco Simplicius.

QVÆ-

QVÆSTIO VII.

De propria methodo philoſophandi Thomiſtarum in Ariſtotelem.

DE vera eligenda Thomiſtarum methodo in Ariſtotelem poſt aliquas refutatas aliorum ſubdendum eſt; & primo de ipſa ex parte formæ Dialecticæ communis etiam plerisque cæteris contra nouatores eoſdem non ſolum omnia oratorie non Syllogiſticè pertractantes, verum etiam ex propoſito Dialecticam impugnates, vt videre eſt in Gaſſendo lib. 2. aduerſus Ariſtotelicos exercit. 1. per totam. Secundo ex parte expoſitoris ſcil. S. Thomæ, quem inter alios Ariſtotelis comm. ſchola noſtra ſelegit, & inde non paucæ etiam Religiones ſubſecutæ ſunt. Tertio ex parte iuratæ vnitatis eiuſdem, quam ſchola noſtra in S. Thumam obſeruat, quamque mirum eſt, quoti exagitent & oſores traducant.

ARTICVLVS PRIMVS.

An nobis & alijs expediat Dialectica ſeu Scholaſtica methodus præ poſitiua, vel oratoria recentium.

VIdetur quod non ipſi Gaſſendo tom. 3. lib. 2. aduerſus Ariſtotelicos exercit. 1. per totam poſt Ianſenium lib. 1. proem. Cornelium Agrippam in lib. de vanitate ſcientiarum cap. de Dialectica & alios, & ſic poſſunt eorum augeri rationes.

Primo quia Seneca epiſt. 48. ſic dialecticos irridebat: *Mus ſyllaba eſt, ſyllaba caſeum non rodit, mus ergo caſeum non rodit; O pueriles ineptias! in hoc ſupercilia ſubducimus? in hoc barbam demittimus? hoc eſt quod triſtes docemus & pallidi?* vt dixerat etiam ſimilia epiſ. 45. & ante ipſum Democritus apud Clementem lib. 1. Stromat. *Minutarum*, inquiebat, *artium rerumque aucupes ſunt, certatores & litium auidi, & flexuoſarum captionum Sartores*, ſed huiuſmodi eſſe videntur Ariſtotelici Dialectici de facto, ergo huiuſmodi Ariſtotelici repudiandi ſunt.

Secundo quia & Plato in 3. de Republica prohibet ne quis ante 30. annos Dialecticæ ſtudeat, & Origenes homil. 4. ad cap. 7. Exod. ſcribit per Ægypti Ciniphes eoſdem Dialecticos deſignari, & Tertullianus lib. de præſcript. in initio: *Ariſtotelis Dialecticam ſtruendi & deſtruendi verſipellem artificem* nominat. Nazianz. orat. 26. *Prauum artium Ariſtotelicarum artificium*, Epiphanius lib. 3. hæreſi. 76. *Ariſtotelicas voces illas & inanes*. Fauſtinus Præsbiter lib. contra Arianos cap. 2. *Ariſtotelis artificioſa argumenta*. Hieron. lib. 10. contra Eluidium, *Ariſtotelis ſpineta*. Sidonius carmine 11. *Ariſtoteles partitus mēbra loquēdi argumentoſis dat retia ſyllogiſmis*, & demum Aulus Gelius lib. 16. cap. 8. *hinc dialecticos giros, ſyreneoſque ſcopulos vitandos eſſe dicebat*, & Viues in libros Auguſt. de Ciuit. deduxit: *Dialecticam*

R Damo-

Dæmoniorum inuentum eſſe, ergo Dialectica methodus repellenda eſt.

Tertio quia præterquamquod manca, arbitraria, & incerta eſt Ariſtotelis Dialectica, vt Gaſſendus loco allegato percurrit præeunte ſemper Patricio tom. 3. lib. 4. fermè per totum, adhuc eſſe inutilem demonſtrabat Aug. lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 37. dicens: *Plerumque accidit, vt facilius homines res eas aſſequantur, propter quas aſſequendas iſta logicalia addiſcuntur, quam talium præceptorum nodoſiſſimas & ſpinoſiſſimas diſciplinas, tamquam ſi quiſpiam docere volens præcepta ambulandi, moneat non eſſe leuandum pedem poſteriorem, niſi cum poſuerit priorem, deinde minutatim quemadmodum articulatim & poplitum cardines oporteat mouere deſcribat. Vera enim dicit, nec aliter ambulari poteſt, ſed facilius homines hæc faciendo ambulant, quam animaduertant cum faciunt, aut intelligant, cum audiunt, ita plerumque citius ingenioſus videt non eſſe ratam concluſionem, quam præcepta eiuſdem capiat*, ergo etiam ex Auguſtino probatur inutilem nimis rigidam illam Ariſtotelis Dialecticam eſſe, conſequenter eadem ommiſſa poſitiuo potius ac oratorio diſcurſu, vt iſti ſcribunt, agendum eſt.

In oppoſitum tamen eſt, quod vſque ad tempora Aug. ſimilis obiectio fuit hæreticorum, vt refert item Aug. lib. 1. contra Creſconium cap. 13. dicens *Dialecticam mihi obijcere voluiſti, quaſi Chriſtianæ nō congruat veritati*, & inde, Lutherus in li. aduer. Latamum ſcholaſticam appellabat *ignorantiam veritatis, inanemque fallaciam*, Inde Melanchton in Apologia contra Pariſienſes aiebat: *Lutetiæ natam eſſe profanam ſcholaſticam, qua admiſſa euangelium obſcuratum eſt, & fides extincta*, & demum inde Ianſenius lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 24. inferebat, *quaſdam propoſitiones antiquæ & Eccleſiaſticæ fidei fuiſſe obſcuratas obliteratas, ſepultas ſcholarum puluere, hoc eſt Scholaſticorum*, vti ſimilia dixerat in lib. 1. proem. cap. 6. & 7. ſed hæreticorum obiectiones contra Catholicos non approbandæ ſunt, ſed refellendæ, ergo nec etiam obiectiones adductas contra Dialecticam methodum approbare expedit, ſed refutare.

Reſpondeo Dialecticam methodum optime conuenire, Ita in primis Aug. lib. 1. contra Creſconium cap. 17. & 18. *quia*, inquit, *Si dixeris Chriſtum Dialecticum, laudabis Dialecticam*, ſed Chriſtum cogeris dicere Dialecticum ex Euangelio; igitur cogeris Dialecticam laudare. Minorem probat ex colloquio Chriſti cum Hebreis relato cap. 22. Matth. & inde concludit his verbis: *Obſecro te illi ne fuerunt Dialectici, qui prætenſis interrogationum inſidijs decipiendo ſuperare moliti ſunt: an ille potius, qui ex hoc ipſo, quod interrogauerunt veram eorum reſponſionem prudentia interrogationis eliciens, illud verum, quod ab eo putabant perículosè dici, ipſos compulit confiteri?*

Secundo probat eodem ferè modo ab exemplo Apoſtoli eodem lib. 1. cap. 14. grauiſſimè inde deducens: *Si & Paulus Dialecticus erat, & ideo conferri cum Stoicis non timebat, quia non ſolum acutè diſputabat, ſicut & illi, ſed etiam veraciter, quod non illi, iam caue, ne cuiquam Dialecticam pro crimine obicceris, qua vſos Apoſtolos confiteris*, & ac hoc aibi dixerat eumdem Apoſtolum vſum fuiſſe Dialectica etiam ex falſo principio deducendi ad abſurdum

dum

dum, vt ex huius negatione deinde aduerſarius adſtringeretur ad negādum illud, quod antea aſſerebat, vt ex 1. Corinth. cap. 15. adnotauit lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 31. dicens: *Non quidem vera inferebat Apoſtolus, cum diceret: Neque Chriſtus reſurexit, & iterum, eſt inanis prædicatio noſtra & inanis eſt fides veſtra, &c. ſed iſta falſa veriſſimè connectebantur illi ſententiæ, qua dicebatur ab alijs non eſſe reſurrectionem mortuorum, quæ falſa aliquando adhoc inferuntur, vt in ijs erubeſcens ille, cuius errorem conſequuntur, eundem relinquat errorem, quia ſi in eodem manere voluerit, neceſſe eſt vt etiam illa, quæ damnat, tenere cogatur.*

Tertio probat Auguſt. a priori ex Dialecticæ neceſſitate non ſolum pro veritate diſcenda, ſed etiam pro aduerſariorum refellenda fallacia, ſic eodem lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 31. diſcurrens: *Hæc diſputationis, inquit, diſciplina ad omnia genera quæſtionum, quæ etiam in litteris ſanctis ſunt penetranda, & diſſoluenda plurimum valet*, & lib. 1. de ordine cap. 13. *Ipſa diſciplina diſciplinarum docet docere, docet diſcere, ſicut ſcire ſola ſcientes facere non ſolum vult, ſed etiam poteſt. Si vero eam aliquis neſcit*, ſubdit lib. 3. contra Accademicos cap. 13. *Non pertinet ad ſapientiam eius cognitio &c.* cuius Aug. effato conſentit & Baſilius in 5. cap. Eſaiæ ſcribens: *Vera Dialecticæ virtus eſt naturas rerum diſtinctè diuidere, & quæ ſunt affinia dignoſcere, & diſcernere contraria*, & Nazianz. ad 170. Epiſcopos dicens: *Veritas Logicis diſputationibus trita in lucem profertur*, & Hieron. in Eſechi. adiungens, *Quidquid in hoc ſæculo peruerſorum dogmatum eſt, & putatur robuſtum hac arte ſubuertitur & inſtar incendij in cineres fauillaſque diſſoluitur*, præter Dyoniſium in Epiſtola ad Titum hinc diuidentem etiam Theologiam *In ſymbolicam, & demonſtrantem*, & præter Clementem in libris Stromatum paſſim id pretractantem.

Quarto demum id probat Aug. ad hominem contra Creſconium lib. 1. cap. 13. ex eo quod etiam aduerſarij per ſæpe eadem Dialectica vti in eiuſdem etiam impugnatione coguntur, Vnde concludit his verbis: *Ita vel temerarius, vel ingratus es, vt aut imperitiam, qua vinceris, non reffrenes, aut doctrinam, qua iuuaris, accuſes.* Et illi ijdem Epicuri Sequaces, inter quos Gaſſendus pro Epicuro integram edidit nuper apologiam. *Illi ijdem* ſubdit Aug. *Epicurei, quos imperitia liberalium diſciplinarum non ſolum non pudebat, verum etiam delectabat, quaſdam attamen diſputandi regulas, quibus quiſque vſus minimè falleretur, ſe potius & docere iactabant.*

Ad primum igitur ex Seneca reſpondemus non reprahendi niſi id, quod Auguſt. Dialecticis vtique cauendum eſſe monebat lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 31. poſt verba iam adducta ſubiungens, *Plurimum valet, ſed tantum ibi cauenda eſt libido rixandi, & puerilis quædam oſtentatio decipiendi aduerſarium*, qualem Iuliano idem Aug. exprobabat lib. 3. contra Iulianum cap. 7. his verbis, *vides nempe quam Dialecticæ nihil dixeris; videris enim illius artis verbis adhoc vti, vt eis inflatus attonitos facias imperitos volendo uideri, quod non es*, & lib. 1. cap. 4. *Quibus ut in nos, uelut artifex diſputator in alios uideri appetis elimatus.*

Ad ſecundum eodem modo reſpondendum eſt, cum alias & Plato eodem lib. 7. de Republica ſcribat. *Legem ſane fore ipſis hanc maximè diſciplinam amplecti, vt interrogare atque reſpondere ſcientiſſimè poſſint*; & Cicero lib. 3. de finibus de eadem Dialectica inquit; *hæc habet hanc rationem & virtutem, ne cui falſo aſſentiamur, ne vè vmquam captioſa locutione fallamur.* & alia plurima ibi ampliſſimè oratorio more ſubiungit. Vnde ſi ad nihil aliud Dialectica forma Chriſtianæ doctrinæ ſeruiret, ad minus cum ſophiſmata logica hæreticorum comperta ſint, quos inquiebat Hieron. epiſ. ad Cteſiphontem *per ſyllogiſmorum ſpineta diſputando decurrere*, & Iuliano obijcit Auguſtinus lib. 2. operis imperfecti fol. 143. *Adhuc circuis*, inquit, *quærendo Dialecticos, & vitando Eccleſiaſticos iudices* nempe, vt retulerat antea eodem lib. 2. pag. 212. opponebat Iulianus Eccleſiaſticis *Quod quia eſt ſtolidorum maxima multitudo eripiuntur Eccleſiæ gubernacula rationis, vt erecto cornu vellifficet dogma populare*, & ad idem tendunt auctoritates Sanctorum Patrum in argumento congeſtę. Hinc contra iſtos *ſaltem Dialectica*, inquit Clemens Alexandrinus lib. 1. ſtromatum, *Sophiſticos amolitur inſultus, & inſidias omnes euertens ſepes eſt Logica dominicæ vineæ*, & præter Aug. adductum admouit cordatè Griſoſtomus homil. 16. in Ioan. his verbis: *Qua nos venia dignamur niſi huiuſmodi contrarios inſultus propulſare caueamus? Hoc nobis Petrus præcipit dum inquit, Parati ſemper ad ſatisfactionem. &c.*

Ad tertium tandem de Aug. quid ſentiat exponit Auguſt. ibidem, nempe eo minus ab hominibus eſſe Dialecticam repræhendendam, vt dubiam, quo magis vt certa primordialitate à natura nobis indita reputatur, Vnde inquit cap. 32. *Ipſa tamen veritas connexionum non inſtituta ſed animaduerſa eſt ab hominibus & notata, vt eam poſſent vel diſcere vel docere, nam in rerum ratione perpetua, & diuinitus inſtituta eſt*. Poterat ne igitur ibidem accuratius Aug. certitudini Dialecticæ ſuffragari abſque eo quod neceſcitati eiuſdem vel minimum derogaret? Claudat ergo pro nobis in oſores vtentium Dialectica forma Magiſter Cano lib. 8. c. 2. grauiſſimis hiſce verbis: *Agnoſcunt lupi canes eoſque odio proſequuntur, & ſcholæ nomen iſtis inuiſum eſt, quæ lupos arcet à gregibus inſidiaſque cauet eorum.*

ARTICVLVS II.

An conuenienter cum Dominicano quam plures Ordines ſanctum Thomam elegerint inter cæteros Ariſtotelis expoſitores.

Videtur aliquibus ſaltem in Philoſophia quod non. Primo quia ea ratione, qua probat Aug. lib. 2. de doctrina cap. 10. expoſitori ſcripturæ quam maximè conuenire grecæ linguæ peritiam, eadem ratione expoſitori Ariſtotelis expedire notiſſimum eſt, ſed deficit S. Thomæ græcæ linguæ peritia, vt plerique Thomiſtarum admittunt, ergo S. Thomæ expoſitio præ cæteris eligenda non eſt.

Secundo quia quidquid ſit de S. Thomæ doctrina in Theologicis, præ-

cto

ℓo, inquiunt, in philoſophicis ſuſtineri non poteſt quod dixit aut in 2. diſt. 2 qu. 2. ar. 2. ad 5. *Eſſe corpus diuiſibile & ſpatium inter Cœlos adinuicem, neque alios alijs eſſe contiguos*. aut eodem lib. 2. diſt. 14. ar. 4. *Decem dumtaxat Cœlos eſſe*, aut in p. p. q. 102. ar. 2. ad 4. *Zonam æquinoctialem in habitabilem eſſe*. Quorum ſigulorum oppoſſitum nunc communiter notum eſt, vt congerit auctor elucidarij lib. 4. tractat. 5. ergo electus adhuc in Theologicis etiam à ſocietate S. Thomas, non tamen in philoſophicis ſaltem eligendus eſſe videtur.

Tertio quia vt refert iterum noſter Baronius lib. 5. apologetico ſec. 1. pag. 53. *Diſplicet plurimis, quod diſtinctionibus rerum nimis S. Thomas indulgeat, earumque prodigus velit eſſentiam ab exiſtentia & a ſuis potentijs, quantitatem à materia, aliaque accidentia à ſubſtantia, relationem à ſubiecto, quod afficit, verbum ab intellectione diſtingui realiter & huiuſmodi*, ſed vt aiebat Seneca epiſ. 89. *Id vitij habet nimia, quod nulla diuiſio*. ergo ex hac ratione etiã S. Thomæ doctrina in philoſophicis amplectenda non eſt.

Quarto quia vt ex alijs etiam opponit Iulius Clemens Scotus in ſua Pędia peripatetica diſer. 3. pag. 79. *Cauendum eſt, ne in vllius interpratis verba iures, aliter te factionis, vt ſcripſit ille de otio ſapientis, non veritatis ſtudioſum oſtendes, & vnius ſemper ſententiam ſequens iniuriam inferes alijs*. ſed huiuſmodi ij ſunt, qui præ cæteris eligunt S. Thomam in expoſitionem Ariſtotelis, ergo eorum conſilium cauendum eſt.

In oppoſitum tamen eſt, quod Peripateticis expedit, vt patet, eligere illum Ariſtotelis expoſitorem, qui maximè omnium extulit Ariſtotelis Philoſophiam, abſque eo quod vltra limites fidei extenderetur, ſed huiuſmodi præ cæteris eſt S. Thomas, vt ijdem oſores fidei & Ariſtotelis confeſſi ſunt, nempe Lutherus in li. contra Latomum de S. Thoma ſic dicens, *Auctor eſt regnantis Ariſtotelis*, vt poſtea repetit etiam Pozza ferè eadem verba Lutheri li. 2. elucidarij tract. 5. cap. 6. cui titulus, *Quanta ſit auctoritas Ariſtotelis regnantis nunc in ſcholis*, ergo præcæteris expoſitoribus Ariſtotelis peripateticis expedit eligere S. Thomam.

Reſpondeo D. Thomam præ cæteris expoſitoribus Ariſtotelis conuenientiſſimè eligendum eſſe. Quia vt qu. 1. & 2. huiuſce libri demonſtratum eſt, expedit Chriſtiano Philoſopho præ alijs Etnicis Ariſtotelis Philoſophiã eligere vtique ſed tamen vt expurgatam ab erroribus, vt in Later. Concil. difinitum eſt; ſed S. Thomas appoſite ille eſt, de quo canit Eccleſia: *Pluſquam Doctores cæteris purgans dogma Gentilium*, ergo pluſquam Doctores cæteri etiam S. Thomas vt exponens Ariſtotelis Philoſophiam amplexandus venit.

Secundo quia vt ſupra iterum ex Clemente Alexandrino adductum eſt, adhoc Ariſtotelis etiam Philoſophia à Prouidentia Diuina ordinata eſt, vt per ipſam adueniente gratia ad ſuperiora fidei ac Theologiæ miſteria diſponeremur, vt atteſtatur iterum Claudianus Mamertus lib. 1. de ſtatu Animæ cap. 8. *Philoſophorum animas idcirco lumine veritatis afflatas fuiſſe, vt in ſalutem humani generis toti mundo quandoque dogma ederetur*, ſed nemo

inter

inter cæteros Ariſtotelis expoſitores melius, quam S.Thomas id cordi habuit, vt ſcitè percurrit doctiſſimus noſter, neque vnquam ſatis commendatus Magiſter Baronius eodem lib. 1. apolog. ſec. 1. art. 2. §. 1. & §. 3. concludens *Se decurriſſe breuiſſime omnes doctrinæ Angelicæ partes, earumque nexu & vſu demonſtraſſe duplici quaſi vinculo, aut fœdere in S. Thomæ doctrina fidem rationi, ſuperiora inferioribus iungi obſequio, nempe Theologiam in ſcientiam Beatorum, cui ſubditur, & imperij in ſcientias inferiores, quas ad arcem vocat, & illarum opera fidem tutatur*, ergo præcæteris etiam in Philoſophicis Angelici Præceptoris doctrina ſaltem à Chriſtiano Philoſopho eligenda eſt.

Tertio quia ad hunc finem etiã de genere philoſophicæ diſciplinæ collineabat pro S. Thomæ doctrina bulla Clemẽtis VIII. dũ ex cathedra loquebatur his verbis. *Ingentem librorum numerum breuiſſimo tempore in omni ferè diſciplinarum genere* nota candide Lector *in omni ferè diſciplinarum genere, ſingulari ordine, ac mira perſpicuitate ſine vllo prorſus errore conſcripſit*, ſed hoc nil aliud eſt, vt rectiſſime ſubdit Baronius ibidem pag. 47. quam inter cæteros etiam expoſitores S.Thomam iterum philoſophicam veritatem theologicæ iure merito ſubordinaſſe, *Vt nihil dixerit S. Doctor, quod à fidei principijs neceſſaria aut probabili conſecutione non eſſet deductum, atque eo etiã referreretur, & conduceret ad fidei miſteria pios docenda, & propugnanda aduerſus impios*, ergo iterum hac de cauſa S. Thomas in Philoſophicis etiam à Chriſtiano Philoſopho expedit deligendus.

Quarto nam, vti grauiſſimè præcipit etiam prudentiſſima ſemper non minus atque doctiſſima Societatis Religio in decreto 47. Congreg. 3. & decr. 55. Congreg. 5. apud Clementem Scotum diſert. 8. pag. 593. *Ariſtotelis interpretes malè de Chriſtiana Religione meritos non ſine magno delectu profeſſor legat, aut in ſcholam proferat, caueatque ne erga illos afficiantur diſcipuli*, ſed plerique alij Ariſtotelis interpretes (quos ſaltem ij, cum quibus nos diſputamus, magnifacere ſolent) ſunt aut Auerroes, aut Philoponus, aut Themiſtius, aut Simplicius & huiuſmodi, quorum primus Maumetiſectator quam impie Chriſtianos irrideat, conſtat legenti ipſum in 3. Phyſic. in 8. 11. & 12. Metaphyſ. vbi nos *Veluti garullatores, & ſine ratione* traducit; de ſecundo ſimul ac tertio Nicephorus lib. 18. cap. 5. hæc poſteriorum memoriæ commendauit: *Ioannes*, inquit, *ipſe Philoponus Alexandrinus Tritheitarum hæreticorum Præfectus fuit perinde atque olim Themiſtius Philoſophus ſub Valente Agnouetarum ſectæ præiuit*, & congruit atteſtatio Suidæ dicentis, *Themiſtius Philoſophus fuit temporibus Iuliani Apoſtatæ, à quo etiam Conſul Præfectus Conſtantinopoli*, cui tandem veluti eiuſdem furfuris idem Suidas adiungit relatum vltimo loco Simplicium, de ipſo in Damaſio ſic ſcibens, *Hi fuerunt illi Philoſophi, qui cum Areobindo in Perſidem legati profecti ſunt, Damaſius ſcil. Syrus, & Simplicius Cilix &c.* ergo ab oppoſito de S.Thoma, cum vniuerſim oret Eccleſia, vt ſibi præſtetur à Deo, *Ea quæ docuit intellectu conſpicere, & quæ egit immitatione complere*, huiuſce potius præ cæteris ſine vllo dubio doctrinam etiam in Philoſophicis eligere, ſeu approbare neceſſe eſt.

Quin-

Quinto nam ſi inter cæteros alter Ariſtotelis expoſitor eligendus eſſet, maximè iſte eſſet præ cæteris Alexander cognomento Aphrodiſeus, cum tanti olim hic fieret, vt referrente Auerroe 3. de Anima commento 14. *Nullus niſi Alexandreus eſſet Peripateticus diceretur*, ſed vix de iſto vel vnum reperitur commentariorum, quod vere ipſius dicendum ſit, & non potius alterius Alexandri Aegei, qui Neronis Præceptor extitit, vt ex profeſſo Patricius oſtendit tom. 1. lib. 3. tum quia verba ab Euſebio citata lib. 6. ca. 7. ex Aphrodiſeo in lib. de fato non leguntur in iſto quem nos habemus, tum quia Olimpiodorus in libros Meteororum prax. 3. lib. 1. de monte Cilene recenſet ex Aphrodiſei commentario quædam non reperta in eodem, quod nos habemus, vti & prax. eiuſdem libri & lib. 3. commento 34. & commento 1. idem aduerti poteſt; tum quia à Ioan. Philopono & alijs paſſim lib. 3. qu. cap. 10. & 14. & alibi quam plurima ſimiliter non conuenientia citantur, tum quia tandem, vt Scainus adiungit in præfatione ad Metaphyſ. nec commentaria attributa Alexandro in eoſdem Metaphyſ. libros poſſunt eſſe eiuſdem Alexandri, vt ibi duplici Scainus argumento demonſtrat, ergo ex hac etiam commentariorum incertitudine prætermiſſo præcipuo aduerſariorum interpræte remanet, vt expoſitorem Angelicum ſeligamus.

Sexto tandem, nam ita concludunt non dicam noſtri vt Vnielmus noſter in lib. 2. de doctrina S. Thomæ cæterique paſſim, ſed etiam præſertim illi, qui è ſocietate aut extra D. Thomæ ſcholam prodiere ſcriptores, vt cum Fonſeca Toleto, Suarez, & alijs id ſatis percurrit etiam Poſſeuinus lib. 13. ſuæ Bibliotecæ ca. 25. adducens ad hoc Sueſſani ſuffragium ſoli D. Thomæ tribuentis antonomaſticè nomen *Expoſitoris*, Pomponatij, Antonij Flaminij, & aliorum, quibus Antonium Zimaram alioſque plures Iulius Clemens Scotus adiungit diſert. 2. Pædiæ pag. 80. & hic omiſſis ſingulorum ferè Religionum decretis, quæ in Complutenſium præfatione leguntur, nobis in præſenti ſufficiet & contra Auerroem, ſeù pro D. Thomæ doctrina, Ludouicum Viues lib. 5. de corruptis artibus ſic audire loquentem. *Auerroes*, inquit, *hic ille eſt, qui pro Polo Ptolomeum ponit, pro Protagora Pitagoram, pro Cratillo Democritum*. Et poſtmodum adducta & triſa ex primo methaph. commento 5. toto Cælo aberrante à textu eiuſdem Auerrois tranſlatione concludit. *Hic eſt Auerroes, quem aliquorum dementia Ariſtoteli parem facit, & ſuperiorem D. Thoma, ſi placet;*

Ad primum igitur S. Thomas in hoc vſus vulgata Argiropoli aliorumque verſione reſponderet, quod olim in ſimili de ſeipſo, quo ad græcæ linguæ imperitiam, Aug. lib. 3. de Trin. cap. 1. reſpondit. *Quod ſi ea*, inquit, *quæ legimus de his rebus ſufficienter edita in latino ſermone aut non ſunt, aut non inueniuntur, grecæ autem linguæ non eſt nobis tantus habitus, vt talium rerum libris legendis & intelligendis vllo modo reperiamur idonei, eo genere litterarum ex ijs, quæ nobis pauca interpratata ſunt, non dubito cuncta quæ vtiliter poſſumus quærere contineri*. Scio non nullos, repetam ego hic verba prælaudati Bacon j noſtri lib. 1. ſec. 2. ar. 4. §. 4. *Scio non nullos è noſtris ægre ferre obie-*

ctam

Etiam D. Thomæ grecæ linguę imperitiam & contra hanc accuſationem audio longam & eruditam apologiam paraſſe, à qua abſtinui ratus me tantæ rei imparem eſſe. Duo tantummodo dicam Sixtum Senenſem à D. Thoma hanc inſcitiam non deprecari, eamque D. Aug. de ſe vltro fateri, quæ ſanè ſi vituperanda ſit tanti viri conſortio excuſabitur, maximè cum ab Aug. hoc Thomas differat, quod illius ſæculo omnes ferè, D. Thomæ vero ætate vix vlli grece ſcirent, aut intelligerent. Demum adiungo id omnino retorqueri in Auerroem, quem Neoterici velut vnum antonomaſtice Commemoratorem extollunt, quem pariter grecum ignoraſſe teſtatur Viues vbi ſupra cum alijs, & ipſe Auerroes in fine commenti lib. 5. de generatione animalium de ſe ipſo ingenue confiteri videtur his verbis, *Qui hunc librum viderit excuſet me, quoniam ipſum edidi anguſto tempore: ſunt quoque magni errores in libro, ex quo legi, nullumque expoſitorem vidimus hunc librum expoſuiſſe.*

Ad ſecundum de ſpatio inter Cælorum corpora legat attentius aut fidelius calumniator eundem locum, & experietur eam vt aliorum ſolutionem adduci, & ſolum vt dubiam pertranſiri his verbis: *Quid autem de his verum ſit, incertum eſt, quia nec fide determinatur, nec ratione probatur*, vbi cum voluit S. Thomas ex ſententia propria id difinire, oppoſitum omnino proſequtus eſt, vt cum legenti patebit in ſecundo de Cælo lect. 5. in fine, & 12. Metaph. lec. 10. De denario Cælorum numero eo loci dumtaxat numerum à Rabbano præſuppoſitum exponebat, vt conſtat ex titulo eiuſdem articuli ſic inſcripto; *Vtrum numerus Cęlorum conuenienter à Rabbano aſſignetur*, ideſt an illi Cæli darentur aſſignati à Rabbano, quidquid ſit, an præter illos & alij, vbi poſtea in 12. Meth. lec. 9. occaſione deſumpta ex textu 44. Philoſophi, vt ſui moris eſt, quantum potuit ne dum Rabbanum ſed Ariſtotelem excuſauit, *motus enim aliqui Cęlorum*, inquit, *non poſſunt viſu percipi, ſed inſtrumentis aſtrologicis & conſiderationibus, & quidam longiſſimis temporibus, alij paruis &c.* De Zona tandem inhabitabili, cum non dum nauigationes oppoſitum demonſtraſſent & illa opinio tunc ſupponeretur vt certa, vt patet ex Cicerone in ſomnio Scipionis, ex Pomponio Mela, & alijs, quos refert Lipſius lib. 2. Phyſiologiæ diſſer. 9. adhuc eundem locum repetenti conſtabit, vtramque vtique ibi opinionem afferri, & pro quanto illa Ariſtotelis erat, ad eiuſdem mentem probabilem pertranſiri, non vero ex propria ſententia decerni, immo ab eadem præſcindendo concludi, *quidquid de hoc ſit, credendum eſt Paradiſum eſſe in loco temperatiſſimo ſub equinotiali, vel alibi*, vt in hoc ſenſu & Caietanus aduertit 2. 2. qu. 164. art. 1. Vnde poſſumus in huiuſmodi Blaterones ac Sycophantas pro S. Thoma repetere quod de traducta Auguſt. doctrina olim D. Proſper in præfatione ad capitula Gallorum aiebat: *Eius doctrinam quibuſdam viſum eſt aut non intelligendo, aut intelligi eam nolendo, reprehendere &c. vt tali commento deteſtationem eius, quem impeterent, obtinerent, & ab his, quos infamaſſent, curam exterriti Lectoris auerterent.*

Ad tertium placet iterum Magiſtri Batenij verba tranſcribere eadem ſec. 1. art. 2. §. 3. immo dicentis: *Ea ſingula, quæ extranei aut æmuli apud*

S. Tho-

S. Thom. improbant, non fuiſſe à D. Thoma abſque ſummo delectu ex Philoſophia aſſumpta ad res fidei illuſtrandas & confirmandas. Creaturas enim vbique S. Doctor opponit Deo, vt propemodum nihil entium ſupremo æquetur, atque ex iſtarum compoſitione ad Dei ſimplicitatem aſſurgit omnis omnino diſtinctionis expertem. Denique vbique adſtruit, quæ ſint conuenientiora Deo, & fidei, & rationis lumine noto; ideoque non ſolum exiſtentia à ſe aut naturæ viuentis principio ad intelligendum proximo, ſed ipſamet intellectione diuinitatem conſtituit, vt ineffabilem Verbi generationem enarret, & à Spiritus Sancti proceſſione diſtinguat. Qua porro ratione concipias aut defendas conſtitui relationibus diuina ſuppoſita, ſi vniuerſim pronuncies relationes nulla ratione diſtingui à ſubiecto, & nihil eſſe præter abſoluta, niſi fortè denominationes extrinſecas? Si rurſus cum nuperis Philoſophis accidentia corporibus auferas, vel quãtitatem à materia cum Nominalibus indiſtinctam velis, haud ſcio an ſtare poſſit Euchareſtię miſterium, &c. Hinc poſtea infra lib. 2. ſec. 1. ar. 1. §. 3. iure merito inferebat, *vnicus & certe præcipuus D. Thomæ ſcopus, quem ſemper præoculis habuit, & quò omnes concluſiones aduocauit, is fuit nempe, vt ſubijceret rationem & Philoſophiam fidei. Vnde quidam grauiſſimus Præſul & eloquentiſſimus Eccleſiaſtes Thomam vocabat Ariſtotelem baptizatũ, at ego verius dixerim Ariſt. Etnicum Chriſtianũ feciſſe hac regula, nempe gratiam perficere naturam non deſtruere, & vtriuſque progreſſum ferè ijſdem legibus metiendum eſſe*, vt ibi continuo de pleriſque eiſque præcipuis Theologiæ theſibus veluti pro exemplo traſcurrit. Ex quo etiam obiter deducendum reor, quam impie Lutherus loco ſupra relato improperauerit S. Tho. *Quod Chriſtum ad mundi doctrinam, non mundum ad doctrinam Chriſti deduxerit.*; cum ex hucuſque perpenſis integrè oppoſitum euidentiſſimè demonſtretur.

Ad quartum, quod prolixiorem expoſtulat diſſertationem, opportunius & ex propoſito in ſubſequenti Articulo reſpondemus.

ARTICVLVS III.

An liceat immò expediat Thomiſtis iurare vniuerſim in verba Angelici Præceptoris.

VIdetur quod nõ nõ ſolũ extraneis pluribus, ſed etiam vni è noſtris Thomæ Campanellæ diſp. in Prolo. inſtau. ſcientiarum qu. 1. art. 3. ex profeſſo. Primo quidem ex defectu veritatis requiſitæ ad iuramentum, quia doctrina etiam S. Thomæ plura continet falſa, tum quia etiam plures alij Sancti Patres falſa dixerunt, vt refertur in decretis diſtinctione 15. ca. Sancta Rom. Eccleſia, & præter Centuriatores excurrit & Cano lib. 7. cap. 3. & excuſat Aug. in pſalmum 115. & alibi. Tum quia ſicut Aug. compoſuit librum ſuarum retractationum, ita S. Thomas ſe retractauit in ſumma, vt Caietanus alijque fatentur, immò fatetur ipſemet S. Thomas opuſc. 72. ergo iuramentum Thomiſticum ſemper propugnandi S. Thomæ doctrinam nequit habere veritatem requiſitam ad iuramentum.

Digitized by Google

Secundo ex defectu iudicij ſeù prudentiæ requiſitæ ad iuramentum, quia loquens de ſeipſo Aug. epiſ. 19. *Verba Dei*, inquit, *crede, vt intelligas, verba mea intellige, vt credas*, & epiſt. 7. ad Marcellinum, *Vos*, inquit, *qui me multum diligitis, ſi talem me aſſeritis aduerſus eos, quorum malitia, vel imperitia, vel negligentia reprahendor, vt me nullibi ſcriptorum meorum erraſſe dicatis, fruſtra laboratis, non bonam cauſam ſuſcepiſtis, facile in ea, me ipſo iudice, ſuperabimini*, & idem repetit Hieron. ad Creſiphon. ergo in iudicio deficit, qui reputat aliquem Doctorem etiam Eccleſiæ v. g. S. Thomam in nullo erraſſe, ergo iurare in verba ipſius eſt in iudicio deficere.

Tertio ex defectu iuſtitiæ requiſitæ ad iuramentum, quia iurare in verba vnius tantum Doctoris iniurium eſſe videtur cæteris Patribus immo ſcholaſticis contradicentibus illi v. g. D. Bonauenturæ, & huiuſmodi, ergo hoc iuramentum videtur in iuſtitia deficere.

Quarto quia maior debet eſſe affectus in veritatem, quam in magiſtrum, immo affectio in iſtum aufert vel minuit ſinceram affectionem in illam, ex quo tritum eſt illud Philoſophi, *Amicus Socrates, ſed magis amica veritas*, de quo & Plato in Phedone & lib. 10. de Republica loquitur, ſed ſi quis iuret in verba Magiſtri iam videtur habere magis affectum in Magiſtrum, quã in veritatem, ergo non expedit iurare in verba Magiſtri vt etiam Horatius concludebat lib. 1. epiſt. 1.

Nullius addictus iurare in verba Magiſtri.

Quinto quia præcipuum Thomiſtarum ſuppoſitum falſum eſt & commentitium, nimirum illud elogium ex Innocentio relatum in quodam ſermone, qui incipit: *Ecce pluſquam Salomon hic*, ſcil. *huius Doctoris Doctrinam excepta Canonica habere proprietatem verborum, veritatem ſententiarum &c. vt qui eam impugnauerit ſemper fuerit de veritate ſuſpectus, & qui eam ſecutus fuerit non inueniatur à veritatis tramite deuiaſſe*, commentitium, inquam, eſt hoc; tum quia Innocentij Sexti, cui hoc ſolet attribui, nulli ſermones inueniuntur; tum quia aliter inde ſequeretur cæteros Eccleſiæ Doctores vel Theologos D. Thomæ contrarios damnatos eſſe vt in veritate ſuſpectos, quod intollerabile videretur, ergo euerſo iam hoc fundamento ruere debere videtur & ratio apparens pro iuramento Thomiſtico in S. Thomam.

In oppoſitum tamen eſt, quod permittente & approbante Eccleſia de facto non ſolum omnes Domenicani Magiſtri per omnia iurant in verba D. Thomæ, ſed etiam Vniuerſitates, Salmaticenſis, & Louanienſis, vt patet, ſed dicere iſtos omnes approbante Eccleſia adhuc aliquid agere indecens atque illicitum, videtur improbabile omnino, ergo dicendum omnino videtur quod congruat & liceat iurare etiam in verba Angelici Præceptoris.

Reſpondeo id licitum & congruum eſſe, & conſequenter expediens, vt dicebatur. Quia illud eſt obiectum licitum & congruum iuramenti, quod ſaltem in ſe bonum eſt, ad differentiam obiecti voti (quod dicitur eſſe de meliori bono) & a fortiori, ſi hoc ſit melius altero bono; ſed ſequi ac defendere verba vnius Angelici Præceptoris eſt obiectum in ſe bonum immo

melius,

melius, quam indiſcriminatim vagari per plures, ergo hoc erit obiectum licitum & congruum iuramenti, maior communis eſt apud morales Theologos verbo, votum ac iuramentum, nec non 2. 2. qu. 8. art. 2. & qu. 89. art. 7. minor vero probatur tum ab auctoritate quia ita de facto ſuis ſubditis iubent non ſolum Ordinationes Prædicatorum parte ſecunda cap. 20. Carmelitarum par. 2. cap. 4. Societatis Ieſu par. 4. cap. 14. & plerumque nouiſſimè cæterorum Ordinum, ſed etiam Clemens VIII. in bulla ad Neapolitanos hortatur eoſdem ad ſequendam præ alijs D. Thomæ doctrinam, & Vrbanus V. Toloſanis ſic ſcribit: *Volumus inſuper, & tenore præſentium vobis iniungimus, vt dicti B. Thomæ doctrinam tamquam veridicam, & catholicam ſectemini, eamque ſtudeatis totis viribus ampliare*. Vt eandem etiam magnis laudibus efferunt communiter celebriores è Societate Scriptores, vt ſingulorum verba recenſet Paulus Leonardus Ibernus par. 2. num. 56. tum ab exemplo, quia hoc pari modo ſibi vnicum ſufficere Nazianzenum ſcribit Aug. lib. 1. contra Iulianum cap. 1. ſibi in omnibus defenſandum proponunt eundem Aug. D. Proſper ad excerpta Genuenſium dub. 9. & D. Remigius lib. 11. cap. 9. & Celeſtinus primus in epiſ. decret. pariter Bernardus epiſ. 77. de Aug. loquens *Ei cum adheret ſecurum ſe exiſtimare* profitetur, vti & Vincentius Lirinenſis relatus in tom. 5. Bibl. Similiter vt videre eſt in Baronio tom. 10. pag. 9. vniuerſaliter profeſſa eſt ſe defendere Griſoſt. doctrinam ſynodus 7. act. 3. Concilium paritèr Calced. act. 1. immo & Epheſinum, vt tom. 1. cap. 7. refertur, propugnandam ſibi propoſuere Cirilli doctrinam; Tum probatur ratione, quia nouitas periculi plena eſt, nec non confuſa pluralitas doctrinarum euitanda eſt, ſed hoc facilè habetur hac methodo, ergo. Confirmatur eadem aſſertio noſtra quia illud eſt obiectum congruum iuramenti vt bonum in ſe, quod apud Deum petitur ab Eccleſia, quia vt dicitur in Epiſtola 95. apud Aug. *Oratio etiam eſt clariſſima gratiæ teſtificatio*, ſed ea, *quæ docuit S. Thomas, intellectu conſpicere* & conſequenter retinere ac defendere petitur ab Eccleſia apud Deum, ſcil. in collecta quæ canitur in Eccleſia pro feſto S. Thomæ, ergo id pariter erit obiectum congruum iuramenti. Omitto plurima alia adhoc inſtitutum videnda in controuerſia prima noſtri Magiſtri Xantes Mariales prolegeom. in primam partem prolixè per totam, in Morales & alijs.

Ad primum ergo licet poſſet negari abſolutè antecedens, vt paſſim oſtendunt in ſingulis materijs Thomiſtæ, & ex profeſſo percurrit Io. de S. Thom. diſp. 2. in p.p. de approbatione S. Thomæ doctrinæ, tamen ex ipſo diſt. antec. *plura ſunt falſa*, & tamen pro vt reſolutorie aſſerta à D. Thoma ſimul probabilia, trãſeat, & nullo modo probabilia, negatur, & diſtinguitur conſequens, ſi aliquis iuraret defendere doctrinam D. Thomæ, tanquam veram veritate ſimplicis credibilitatis, conc. ſolum veritate diſcurſus probabilis, nego. Aliud eſt enim aliquid eſſe verum in ſe abſolute, & aliud eſſe probabile, quia vt ex Ariſtotele lib. Rethor, dicitur, *multa ſunt falſa, quæ probabiliora ſunt veris*, Stat ergo nil eſſe à D. Thom. reſolutorie concluſum, quod erroneum ſeu indefenſabile ſeu non probabile ſit, vt patet ex Cle-

mente VIII. dicente, *Ingens librorum numerus, quos ille ſcil. D. Thomas breuiſſimo tempore in omni ferè diſciplinarum genere ſine vllo prorſus errore conſcripſit.* Vnde merito Stephanus Pariſienſis in epiſ. incipiente, Magiſtra experiētia, inquit, *qui denigrat Doctrinam D. Thomæ occultat veritatem, dehonorat Romanam Eccleſiam*, vt refert & approbat Enriquez ex Societ. lib. 41. cap. 15. num. 4. & idem retulerat etiam Dominicus Epiſcopus Torcellenſis & inde Brixienſis, vt citatur à Hieronymo Vielmo lib. 2. Ad primam autem probationem antecedentis admiſſo aſſumpto nego ſequelam, quia non ita ſpecialiter nec ita vniuerſaliter ſaltem approbata eſt Doctrina aliquorum Patrum, ſicut vniuerſaliter atque ſpecialiter doctrina S. Thomæ, vt ponderat cum Mariales noſter Io: de S. Thoma diſp. citata ar. 4. ad Durandum, cuius fuit argumentum à Campanella relatum. Ad ſecundam probationem conc. antecedenti negatur conſequentia; Quia hic loquimur de vltimo dictis & reſolutorie aſſertis à S. Thoma, ſicut etiam ab Aug. vnde licet ſe correxerint ipſi, arcendi tamen ſunt poſtea impudentes eorundem Correctores, ex illa notabili eiuſdem Aug. ſententia lib. de bono perſeuerantiæ cap. 24. *Qui errare me exiſtimant etiam atque etiam diligenter quæ ſunt dicta conſiderent, ne fortaſſe ipſi errent*, & lib. 3. de Trin. in proemio: *Sicut Lectorem meum nolo eſſe mihi deditum, ita correctorem nolo ſibi.*

Ad Secundum diſt. antec. loquendo de doctrina illa abſolutè ſecundum ſe, tranſeat, poſtquam ſpecialiter eſt approbata ab Eccleſia, negatur, vt patet ex facto Proſperi & aliorum, qui vniuerſaliter poſtea profeſſi ſunt ſe defendere eandem, & pariter ſic eſt in præſenti dicendum.

Ad Tertium nego antecedēs, quia in vnico ore S. Thomæ omnes Sancti Patres loquuntur, vt Caiet. effatur 2. 2. q. 148. ar. 4. & colligitur ex Vrbano V. approbante doctrinam S. Thomæ tanquam magis inſiſtentem veſtigijs Aug. & Apoſtolorum. Et ad hoc facit quod inquit Gennadius Conſtantinapolitanus. *Si quis D. Thom. doctrinam adhibuerit, hic nullis alijs indiget, opinor.* & ad hoc poteſt applicari quod dixit de Petro Griſoſtomus ſuper illud actor. 2. *Stans Petrus cum vndecim, Petrus omnium erat os.* ad hoc etiam quod dixerat Nazianzenus de Baſilio orat. de ipſo ſcil. *vnus omnium loco ſtudioſis ad eruditionem comparandam ſufficit.* ad hoc facit quod doctrina D. Thomæ apud Concil. Trid. dicitur *Spiritualis theſaurus*, & demum quod de D. Tho. iam canit Eccleſia *Nullum fuit ſcriptorum genus, in quo non fuerit diligentiſſimè verſatus.* Neque tandem hoc Scholaſticis cæteris iniurium exiſtit, tum quia per hoc non ſequitur cæterorum falſas eſſe doctrinas, ſi integra iſta defenſabilis eſt, tum quia vt refert Ioan. de Ieſu Maria lib. 5. cap. 8. cuidam Franciſcano anxio de doctrina ſuorum apparuit cum S. Thoma D. Franciſcus perſuadens eidem, *Vt crederet D. Thomæ, quia eius doctrina non deficeret.* Tum quia ipſemet D. Bonauentura refertur cartulam ſponte fregiſſe, in qua officium corporis Chriſti conſcripſerat, dum coram Pontifice audiuit officium à D. Thoma compoſitum.

Ad quartum Reſpondetur quod ſemel electa præ alijs ea præceptoris doctrina, quæ certo moraliter probabilior cæteris reputatur, affectio tunc

in Magiſtrum non obeſt, ſed prodeſt veritatis affectui; Vnde hac ſemel cautela præmiſſa optimè docuerunt antiqui aliquo modo *oportere discentem credere*, vt veritatis ſcientiam acquirat, ſicuti admonet Quintillianus lib. 2. cap. 9. Seneca epiſ. 108. Triſmegiſtus in proemio cap. 10. Ariſtoteles primo Elenc. cap. 2. Philo Iudæus lib. de præmio & pœna; Baſilius lib. de vtilitate capienda ex libris Gentilium referens etiam ad hoc Heſiodi verſum & ſocraticorum exemplum. Hinc Cicero apud Lactantium lib. 2. de origine erroris cap. 7. *Maioribus noſtris*, inquit, *etiam nulla ratione reddita rationis credere eſt.* quod ab exemplo firmabat & Seneca epiſ. 90. *Elephantum ſcil. gregem*, inquit, *excellentiſſimus ducit, inter homines pro ſummo eſt optimus ac rectior animo eligendus; natura enim hoc requirit, vt melioribus & potentioribus deteriora ſubmittantur.* Vnde de Aug. & Hieron. iuxta hanc regulam concludebat Bernardus epiſt. 77. *Ab his columnis difficile auellor, cum his vel errare vel ſapere me profiteor.*

Ad quintum demum primo dicendum eſt elogium illud non primo à Thomiſtis, ſed antiquiſſime priùs relatum eſſe à Iacobo Egidio in lib. impreſſo Mediolani anno 1475. à Pizzamano Patricio Veneto in lib. impreſſo Venetijs anno 1490. à Lamberto de Monte impreſſo Coloniæ 1494. & inde paſſim ab alijs innumeris etiam extra Dominicanorum Ordinem, vt pluſquā centeni à nobis alibi citati ſunt, & in præfatione quę habetur in miſſali antiquo edito Romæ anno 1514. idem elogium habetur, & recitatur adhuc in Dominicano Breuiario in officio eiuſdem Angelici Præceptoris. & alias etiam è ſocietate Poſſeuinus lib. 2. Biblio. fol. 101. de Innoc. VI. recenſet; *fertur aliquos ſermones ſcripſiſſe.* Quos ſi hucuſque videri non licuit, non ſingulare hoc fuit Innocentij infortunium, cum & de alio Innocentio V. qui fuit Petrus à Tarantaſia ac Cardinalis Hoſtienſis. in tom. 3. Conciliorum parte 2. ſimiles ſermones habiti in eodem Concilio etiam in laudem D. Bonauenturæ recenſeantur, qui tamen haud facilè poterunt inueniri, & ſimilis temporum infelicitas olim in Calced. Concil. deplorata eſt, & alijs omiſſis etiam è ſocietate Bonfrerius in Proloquijs ad Penteteuchon ſec. 9. ca. 6. ne dum ex plurium Theologorum ſed etiam Sanctorum Patrum teſtimonio confirmat aliquos è canonicis libris quoque perijſſe, quorum alicubi verba in alijs ſcripturæ locis memorata leguntur. Secundo aliquis adiungere poſſet à non paucis etiam pro huius elogij auctore referri Innocentium V. cuius opinionis veriſimilitudo probatur à Vuielmo lib. 2. eo quod cum iſte extiterit ſimul cum S. Thoma in Pariſienſi accademia defendit & extulit, quo magis potuit, doctrinam eiuſdem, & atteſtante D. Antonino 3. parte Cronicæ titul. 23. c. 7. eodem Petro à Tarantaſia, qui poſtea fuit Innocentius V. reſidente in eadem Pariſienſi Accademia, *Omnium concordauere ſententiæ quidquid Fr. Thomas Doctor determinaret, & definitiuè proferret hoc communis ſchola inconcuſſe teneret, experti namque fuerant in alijs de eodem, quam ipſe ſubtilius in omni genere veritatem attingeret, & eam clarius edoceret*, cuius verba decreti Pariſienſis cum præadducto omnino elogio conueniunt, & alias referente Leandro lib. 3. pag. 66. *idem Innocentius V.*

Ma-

Maximus fuit propugnator & aſſectator doctrinæ eiuſdem S. Thomæ. vt refert etiam Sixtus Senenſis lib. 4. Bibli. pag. 398. & demum adfuit Lugdunenſi Concilio publicoſque ibi ſermones habuit, vt in eodem Concil. refertur, dum S. Thomas eodem tempore Concilium petens in itinere defunctus eſt; & alias Thomiſtarum ſcholæ ſufficiet, ſiue ab Innocentio VI. ſiue à V. hoc elogium à Pontifice prodijſſe, vt in ſimili aiebat Tacitus lib. 4. hiſtoriæ *quod ſiue à Veſpaſiano, ſiue à Vitellio datum interpretari mauultis, ab Imperatore certe Romano accepiſtis*, Vnde conſtat hucuſque de prædicti elogij auctoritate, quod inde non eſſe cæteris iniurium diximus mox ante ad tertium, & prætermiſſo ſimiliter D. Proſperum non exiſtimaſſe iniuriam cæteris procreare dum in lib. contra Collator. ſimilia omnino de Auguſtini doctrina proferebat: *Quam qui impugnant*, inquit, *& vana obijcere & recta impugnare, & praua defendere, & diuinis ac humanis conſtitutionibus rebellare videntur*, in propoſito miror oppoſitores non aduertiſſe, quam temperata ac modeſta fuerit cenſura Innocentij contra non vnum aut alterum incidenter articulum impugnantes, ſed totam plerumque de more labefactantes S. Thomæ doctrinam, hos inquam non in fide ſed *veritate*, non conuictos, ſed *ſuſpectos* eſſe pronuncians. Sed ad quid vltro immoramur in iſto ex Innocentio Angelici Præceptoris elogio, cum non minora & quam plura alia pro S. Thoma Pontificum ſimilia è Cathedra difinientium elogia non deſint, vti mox ante commemoratum Clementis VIII. dicêtis: *Abſque vllo prorſus errore conſcripſit*, & referentis vlterius illud Crucifixi dicentis, *Benè ſcripſiſti de me Thoma*, & omiſſis alijs in Baronio noſtro videndis, nuperrimum illud Alexandri Septimi ad Louanienſes aientis: *Præclariſſimorum Eccleſiæ Doctorum Auguſtini & Thomæ Aquinatis inconcuſſa tutiſſimaque dogmata &c. quorum profecto ſanctiſſimorum virorum penes catholicos vniuerſos ingentia & communem laudem ſupergreſſa nomina noui præconij commendatione non egent.*

QVÆSTIO VIII.

De ipſius Philoſophiæ quidditate, & diuiſione.

A compoſitis ſeu concretis ad ſimplicia ſeu abſtracta progredientes, poſtquã de Philoſophis Peripateticis egimus, de Philoſophia eorũdẽ in communi & de Magia, ſeu mirabili Philoſophia recentium eidem aduerſa, hic in fine huius primi libri breuiſſime præmittendum eſt, vt inde ad ſingulares eorundem ſectas in ſubſequentibus libris properemus. Primo igitur de Peripateticorum Philoſophia in hac quæſtione quinque videnda ſunt, primo quid nominis, ſecundo an eſt, tertio quid eſt, quarto quotuplex eſt, quinto quas partes integrales habeat: Vti & quamplura de philoſophia in communi in anteloquijs ad Phyſicam nouiſſime à Gaſſendo tractantur contra Ariſtotelem eiuſque ſequaces.

A R-

ARTICVLVS PRIMVS.

An nomen Philoſophiæ ſignificet idem ac nomen Sophiæ, ſiue Sapientiæ.

Videtur quod ſic aliquibus antiquis, quos refert Lipſius, & inter cæteros Democrito & Sequacibus, vt refert Campanella qu. 1. Phiſiologiæ, & Recentioribus alijs ex ſola Philoſophia putantibus ſe eſſe ſapientes, vt in theologalium iuditia traſcurrant.

Primo quia eſt multo perfectior ipſa Philoſophia, quam quælibet ars mæchanica, ſed ex Ariſtotele 6. Eth. ad Nicomacum cap. 7. etiam aliqua ars mæchanica, vt Sculptoria & huiuſmodi, ſapientia vocatur Vnde Phydias ac Policletus ſapientes dicuntur, ergo à fortiori ipſa Phyſica ſapiẽtia dicetur.

Secundo quia vt refert ex alijs Senertus in epito. Phyſ. lib. 1. cap. 1. illi ijdem, qui apud Gallos ſunt Druidæ, apud Ægyptios Sacerdotes, apud Perſas Magi, apud Indos Gymnoſofiſtæ, ijdem apud Græcos dicebantur Sapientes, ſed prædicti nil aliud erant quam Philoſophi, ergo Philoſophi nil aliud ſunt quam Sapientes, ergo idem eſt Philoſophia ac ſapientia.

Tertio quia vt infra dicemus Methaphyſica eſt aliqua Philoſophia, ſiuè pars eiuſdem, ſed Methaphyſica eſt ſapientia vt dicitur primo Methaphyſ. ca. 1. ergo Philoſophia eſt etiam ſapientia, ergo idem ſignificat nomen Philoſophiæ, ac nomen ſapientiæ, ſeu Sophiæ.

In oppoſitum tamen eſt quod Pitagoras interrogatus à Leontio Rege Phliaxiorum in qua arte ſapiens exiſteret, Reſpondit, *ſe non eſſe Sophum, ſed Philoſophum*. Sed ſi idem ſignificaret nomen Philoſophiæ ac nomen Sophiæ, incongrua nimis & implicans fuiſſet iſta reſponſio, ergo dicendum eſt non idem ſignificare &c. Maior patet ex pluribus prædictam Pitagoræ reſponſionem referentibus ac laudantibus ſcil. Aug. lib. 14. de Trinitate cap. 1. Clemente Alexandrino lib. 1. Strom. Lactantio lib. 4. cap. 2. Lodouico Viues lib. 8. de Ciuit. cap. 2. Iamblico lib. 1. de Secta Pitagorica, Cicerone lib. 5. quæſtionum Tuſculanarum, Plutarcho lib. 3. de placitis Philoſophorũ cap. 3. Diogene Laertio de vitis Philoſophorum lib. 1. Quintilliano lib. 12. inſt. cap. 1. & alijs &c.

Reſpondeo quod nomen Philoſophiæ non ſignifica idem ac nomen Sophiæ, immò ſi ſtrictè ſumatur illa comparatur ad iſtam, ſicut comparatur imperfectum & via ad perfectum & terminum. Probatur quia vt dici ſolet, ſicuti nummi tanti valent in Vrbe, quanti iubent Principes Vrbis, ita verba eo modo ſumenda ſunt in Scholis, quo voluerunt Principes ſcholæ, ſed Principes ſcholæ voluerunt dicta nomina diuerſa ſignificare non idem, ergo hoc modo ſumenda ſunt & ſignificant. Minor patet ex Seneca epiſt. 89. dicẽte: *Dicam inter Philoſophiam & ſapientiam quid interſit. Sapientia perfectum bonum eſt mentis humanæ; Philoſophia ſapientiæ amor, & affectio, hac eo tendit, quo illa peruenit.* Conſentit Plato in Eutidem. dicens: *Philo-*

ſophia

ſophia eſt acquiſitio ſeu, vt legunt alij, eſt quæſitio ſapientiæ. Cicero etiam lib. 2. de officijs, & lib. 4. quæſtionum Tuſcul. *Nec quidquam aliud eſt Philoſophia præter ſtudium ſapientiæ. Sapientia autem cognitio & ſcientia rerum diuinarum, humanarum, cauſarumque, quibus hæ res continentur.* Inde optime exemplo lib. 1. Strom. Clemens Alexandrinus explicuit. *Sicut liberales artes conferunt ad Philoſophiam, quæ eſt earum Doctrina, ſic ipſa Philoſophia ad ſapientiam*, & ſtatim ſubiungit relata verba Ciceronis, & præter auctoritates in argumento ſed contra relatas probari poteſt etiam, quia ita ſaluatur excelentia Philoſophiæ Chriſtianæ ad Etnicam comparatæ, dum iſta *Amor ſapientiæ* dicitur, Illa autem *vera ſapientia* vocatur. Adde hoc totum ex Etimologia nominis Græci deduci, nam Philo Amorem Importat, & Sophia ſapientiã, Vnde hac de cauſa etiam Plato *Philoſycon* dictus eſt eo quod ficus amaret, vt refert Atthenæus lib. 7. cap. 1. & alter quidam dicebatur *Philobotrix*, quia vuis delectaretur, pariter Philippus atque Alexander *Philomeli* dicti ſunt, quia pomis auide veſcerentur; vt adnotat Rhodiginus lib. 13. cap. 25. & ſic pariter aliquis Philoſophus eſſe dicetur, quia amans ſapientiæ erit. Cum quo tamen ſtat latius vtendo nominibus vulgariter pro eodem etiam hęc nomina ſumi Philoſophum atque ſapientem, præſertim ſi de Philoſophia Chriſtiana loquamur.

Ad primum, ergo Reſpondetur ex D. Tho. 2. 2. qu. 45. ar. 1. & p. p. qu. 1. art. 6. diſt. mino. loquendo de Sapientia abſolute & ſimpliciter, nego, in aliquo determinato genere, Concedo. Prima eſt cognitio primarum cauſarum ſimpliciter, ſecunda vero eſt cognitio cauſarum primarum in aliquo determinato genere tantum, quomodo prima ad Corint. 3. appellatur *ſapiens Architectus &c.* vt diſtinxerat etiam Seneca epiſ. 62. Dum inquit: *Intereſt inter conſumatæ ſapientiæ virum, & alium procedentis*, quod proſequitur etiam epiſ. 75. & 71. & de vita beata cap. 24. & de Conſtantia cap. 18. & apertiſſimè ita diſtinguit Theatri auctor volumine 5. lib. 1. in principio, Vnde diſt. conſequens, loquendo de ſapientia primo modo, quam ſe neſcire fatebatur Pitagoras & ſoli Chriſtiani aſſequuntur, nego, loquendo de ſapientia ſecundo modo, quam ideo alij cum Pitagora appellauere *Amorem vitalem ad primam*, quæ perfecta eſt, concedo.

Ad ſecundum eodem modo diſtin. maio. loquendo abſolute & ſimpliciter per cauſas primas abſolutè, nego, loquendo de ſapientia imperfecta & ſecundum quid per cauſas primas ſolum in aliquo determinato genere conc. hæc autem vtpote imperfecta eſt via ad illam veluti perfectam, & ideo ſtrictè loquendo potius Philoſophia quam Sophia vocatur, vt explicat etiam S. Thomas ſuper Boetium de Trinitate qu. 5. art. 1. dicens: *Scientiam ſe habere ad ſapientiam, ſicuti imperfectum ad perfectum.*

Ad tertium diſtinguo maio. tanquam pars ſuprema & perfectiſſima Philoſophiæ conc. aliter nego, & admiſſa minori, diſtinguo conſequens, loquendo de parte perfectiſſima conc. aliter, nego, hæc autem perfectiſſima pars Philoſophiæ, ſi ſtricte loquamur, potius ſophia quam Philoſophia appellari deberet, quam tamen fere non habuerunt antiqui Philoſophi ex 1.

Meta-

Metaphyſ. tex. 49. & ideo potius merebantur Philoſophi appellari, quam Sophi, vt Pitagoras ipſe dicebat, & modo ſingulæ iſtæ ſcientiæ Philoſophiæ contentæ ſunt nomine, nec non Chriſtiani Philoſophi hoc pacto modeſtiæ etiam in philoſophico nomine retinere congeſtiunt.

ARTICVLVS II.

An detur vera Philoſophia decretoria diſtincta contra Scepticam & Accademicam.

VIdetur quod non ſingulis Scepticis & Accademicis, vt iterum infra lib. 2. referemus, & pro nunc referunt Cicero in Lucullo, & Plutarchus aduerſus Colorem, quos inde aliqui nouatores pro opinandi licentia ſecuti ſunt, vt præter Agrippam Picus lib. 5. de Exami. doc. gent. per totum, & inde noſter Campanella lib. 1. ſuæ Metaphyſ. & Gaſſendus nouiſſimè lib. 2. aduer. Ariſtotelicos exerc. 6. per totam, licet in tom. 1. lib. 2. Logicæ cap. 5. oppoſitę fauere videatur. Probatur autem primo quia plurimi non ſolum profani ſed ſacri negant verè nos ſcire, vt ſcire diſtinguitur contra ſentire vel opinari, ergo de facto nullum dabitur verum ſcrire, nulla Philoſophia decretoria diſtincta contra Scepticam & Accademicam: antecedens probatur quia de facto Socrates aiebat *ſe hoc tantum ſcire, quod nihil ſciret*, vt refert Plato in Menone, & ex alijs adnotat Celius Rhodiginus lib. 29. cap. 13. ex quo & Plato dicitur *Princeps Accademiæ* à Cicerone, & de Ariſtotele etiam idem Cicero inquit, *hic Princeps amplexus eſt conſuetudinem de omnibus rebus in contrarias partes diſſerendi*, & Seneca 4. de benef. cap. 33. latè de difficili rerum cognit. pertractat, vt facit etiam Baſilius epiſ. 168. Omiſſis Eraclito & Cratillo negantibus pariter ſcientiam, Democrito atque Anaxagora reponẽtibus ipſam vel in puteo vel inter vmbras, vt retulit idem Picus lib. 2. de exam. Vanit. vbi & Pyrrho, vt refert Laertius lib. 9. ad hoc adducebat illud Homeri carmen: *Tale quidem genus eſt hominum, quale eſt foliorum*, & iterum, vt refert Ariſtoteles 4. Methaphyſicorum tex. 5. *tale auſcultabis quale eſt, quid dixeris ipſe*, vti & Zenofanes apud eundem Laertium & Empiricum repetebat; *Quod ſit perſpicuum, ſcit nemo, & non erit vnquam vt ſciat*. & Protagoras apud Ciceronem 4. Accadem. *putabat id cuique verum eſſe, quod cuique videatur*, vt retulit etiam Philoſophus in 4. Meth. tex. 19. & ad hoc Plato in Phædro ſubiungit: *Gorgiam & Lyſiam ipſis veris antepoſuiſſe veriſimilia, effeciſſeque vi orationis, vt parua magna, & magna vicißim parua, vetera item noua & nouiſſima vetera viderentur*, de quibus plura legenda in Sexto Empirico, aut in Seneca epiſt. 88. aut in Platone in Tim. & alibi paſſim, præter auctoritates è ſacris, quas Campanella ſubiungit, vt illud Pauli 1. Corin. 8. *Qui putat ſe ſcire is nondum nouit quomodo oportet illum ſcire*, & alibi: *Stultus fiat, vt incipiat ſcire*, & rurſus alibi: *Qui putat ſe ſcire ipſe ſe ſeducit*, ergo ex auctoritatibus ſufficienter habetur nullam Philoſophiam decretoriam exiſtere diſtinctam contra Scepticam & Accademicam.

Digitized by Google

Secundo quia ad cognoſcendum vniuerſale deberent inductiuè cognoſci omnia ſingularia ſub ipſo, ſed iſta nequeunt cognoſci, cum ſint ferè infinita, vt Porphirius cap. de Specie ex Platone dicebat, ergo neque poterit vniuerſale cognoſci, ſed ad Philoſophiam decretoriam requiritur cognitio vniuerſalis, vt patet ex Ariſtotelè primo poſterior. ergo Philoſophia decretoria obtineri non poteſt.

Tertio quia nullam ſcientiam habemus de his naturis, quarum aliquod indiuiduum non experimur, ſed huiuſmodi naturæ innumeræ ſunt, vt Spirituales, Cæleſtes, ac plurimæ ſublunares, vti Campanella percurrit, ergo de innumeris naturis ſcientia caremus, & plura ſunt, quæ neſcimus, quam quæ ſciamus, ergo ad ſummum dabitur ſola fides humana in ordine ad Præceptoris doctrinam, qui fallitur & fallere aliquando ſtudet, non vero dabitur philoſophia decretoria vt intendimus.

Quarto quia, vt cum Pico Gaſſendus repetit, perpetuo Ariſtoteles ſuam demonſtrationem (ex qua ſcientiam generari vult) ortum ducere ſupponit & docet ab experimento ſenſuum Vnde inquit in primo de elem. *Naturalis vero ſemper apparens principaliter ſecundum ſenſum*, qui ſenſus vt inquit in primo de generatione capit. 3. *Senſus habet ſcientiæ poteſtatem*. Et ab oppoſito cap. 2. inquit, *Ex his rationibus tranſilientes ſenſum & præter videntes ipſum, veluti rationem oportet ſequi; in ſermonibus quidem hæc accidere videntur, ſed in rebus furor propemodum eſt ita opinari, vt antiquos*, ſcil. non conſulentes ſenſum, & lib. de elem. actionibus cap. 4. *Ad ſenſum omnia ſenſibilia iudicamus*, & ſecundo de gener. cap. 10. *apparent ea, quæ ſecundum ſenſum conformia noſtris ſermonibus*, & demum id obſeruauit Lactantius lib. 3. inſt. cap. 3. ſed ſenſus facillimè decipi & incertiſſimos eſſe experimur, vt obijciebant inductiuè Accademici apud Tertull. lib. de anima cap. 7. & notauit Philo Iudæus in lib. de Temulentia, & ex Empirico ad hoc ſcepticorum probationes prolixè adducit Picus lib. 2. per totum, & proſequitur Gaſſendus tom. 1 lib. 2. Logicæ cap. 3. ergo ex hac parte etiam iuxta Peripateticorum principia quælibet certitudo ſcientiarum auferendā eſt.

In oppoſitum tamen eſt quod appetitus naturalis, quo natura humana appetit naturalem aliquam in hac vita Beatitudinem, non poteſt ſaltem in omnibus indiuiduis fruſtrari, & conſequenter debet naturalis iſta aliqualis beatitudo concedi, ſicut Theologi de ſupernaturali eadem proportione diſcurrunt, ſed iſta naturalis beatitudo aliqualis in hac vita conſiſtit in actu intellectuali ipſius ſcientiæ naturaliſque Sapientiæ, vt Ariſtoteles probat li. 10. Ethic. cap. 7. & 8. ergo debet naturaliter in præſenti concedi actus intellectualis ſcientiæ naturaliſque ſapientiæ, & conſequenter verum ſcire diſtinctum contra Sentire & opinari, ſeu philoſophia decretoria diſtincta contra Scepticam & Accademicam, aliter, vt intulit Ariſtoteles 4. Metaphyſ. tex. 21. *Quærere veritatem perinde eſſet, atque ſi volantia quiſpiam perſequeretur*.

Reſpondeo modo inſipientis eſſe negare, quod detur verum ſcire philoſophicam etiam naturale diſtinctum contra Sentire & opinari & conſequenter

quenter vera decretoria Philoſophia diſtincta contra Scepticam & Accademicam. Probatur aperte ex auctoritate & diſcurſibus Sanctorum Patrum paſſim hic breuiter referrendis: ſic enim Epiphanius tom. 2. lib. 3. inquit, *Ex Græcis hæreſes hæ &c. Archelaus dixit Deum ſolum eſſe, qui poſſet veritatem agnoſcere, hominem vero non*, & alia proſequitur tom. 1. lib. 1. Iſidorus lib. 8. originum ait; *Contra Accademicos ſicut fatendum eſt multa incerta & occulta eſſe, quæ Deus voluit excedere hominis intelligentiam, ſic tamen plurima eſſe, quæ poſſint ſenſibus & rationibus comprehendi*. Tertullianus lib. de anima cap. 7. *Quid agis Accademice procaciſſime? totum vitæ ſtatum euertis, omnem naturæ ordinem turbas, ipſius Dei prouidentiam excæcas, qui cunctis operibus ſuis intelligendis incolendis diſpenſandis fruendiſque fallaces & mendaces Dominos etiam præfecerit ſenſus*. Lactantius lib. 3. de falſa ſapientia cap. 5. poſt relata hæc Accademicorum deliria ſtatim impugnat, quia inquit, *ſunt multa, quæ natura ipſa nos ſcire & vſus frequens & vitæ neceſſitas cogit*, & alia plura habet tum ibi, tum cap. 3. tum 6. qui ideo etiam Arceſilam vocat *Magiſtrum ignorantiæ*, inde D. Proſper lib. contra Collat. cap. 22. refellebat: *Quia ſi deficeret naturæ ſapientia mores dirigens, ſequeretur non vitiatam, ſed extinctam fore naturam*, qua ferè probatione vſus eſt & S. Thomas p. 2. qu. 109. art. 1. in corp. & fuit antea Damaſceni lib. 2. de fide cap. 23. *Quia aliter*, inquit, *natura humana eſſet imperfectior cæteris naturis*, in aſſequendo ſcil. fine inſtituto à natura, qui Damaſcenus etiam conſuli poteſt in ſua Dialectica cap. 3. vti & Greg. Oratione in laudem Atthanaſij, & Anſelmus in dial. de Ver. cap. 6. & alijs omnibus omniſſis vnus ſufficit Auguſt. libr. 19. de Ciuit. cap. 18. & lib. 11. à cap. 24. vſque ad 26. & lib. 3. contra Accademicos ex profeſſo, vbi plures rationes adhoc ſicut etiam in Ariſtotele 4. Metaph. à tex. 22. videri poſſunt. Quibus inde ex profanis poſt Accademicos ferè omnes conſentientes adiungi poſſunt vt Cicero libr. 1. Accad. quæſtionum, Seneca epiſ. 89. ad Lucillum, Plutarchus lib. aduer. Colorem & alij, quos ad primum referemus. Poſſumus porro eandem refutare ſententiam tanquam accedentem ad Caluiniſmum, quia partim modo Caluinus lib. 1. inſt. cap. 2. & lib. 2. cap. 2. non negauit veras ſcientias naturales in homine dari, & tamen quia abſque ſpeciali gratia acquiri poſſe negauit, ideo ipſe reputatur erraſſe, ergo à fortiori negare ſcientias naturales in homine dari error eſſe videtur; anteced. pat. ex Belarm. lib. 4. de Gratia & lib. arbit. cap. 2. vbi refert dictum errorem Caluini & attribuit etiam cuidam alteri Hepuſio hæretico & inde Aliaco, & ſtatim dogmaticè refellit tanquam errorem ex ſcripturis ac Patribus ſcil. Griloſt. Fulgentio, Theodoreto, Hieronymo & alijs, quorum verba conſulto nos prætermiſimus vt legenda in eodem vel in Theologis ad p. 2. qu. 109. ar. 1. Dum nobis interim concludere ſatis eſt ex his merito etiam antiquitus Accademiam Louanienſem ſimile aſſertum Cornelij Agrippæ proſcripſiſſe, vt proſcriptionis ſeu damnationis verba ac fundamenta recenſet contra ſeipſum (licet ſubterfugere ſtudeat) idem Cornelius Agrippa tom. 1. in Apologia.

Ad primum igitur negatur antec. ad cuius probationem quo ad Socra-

Digitized by Google

tem dico ideo illa verba tuliſſe, *hoc tantum ſcio, me nihil ſcire*, non quia acquiſitionem ſcientiæ impoſſibilem eſſe crediderit, ſed quia difficilem, vnde difficultate perterritus contemplatione naturæ dimiſſa ſe contulit ad moralem dumtaxat, vt Thodoretus lib. de materia & mundo, & Zenophanes lib. 1. de factis & dictis Socratis citant, vel dicas vt mox dicemus de ſacris. De Platone dubitandum non eſſe colligitur ex eo quod allegorice duplicem mundum agnouit, intellectualem ſcil. & ſenſibilem, & in primo veritatem collocauit & ſcientiam, ſcil. in intellectu, non ſenſu, vt referunt Celius Rhodiginus lib. 2. ca. 18. Eugubinus lib. 3. de perenni Philoſophia cap. 8. Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum, Euſebius lib. 2. præp. Euang. cap. 12. immò in Mennone & in Phędro, ad ſaluandam ſcientiam, reminiſcentiam errabundus inuenit, ſicut in hoc poſſunt de mente Platonis videri Alcinouus lib. de doctrina Platonis cap. 6. Phicinus in lib. 7. de Republica & alij, vnde cum in argumento refertur ex Cicerone quod Plato fuerit Princeps Accademiæ, ſtatim diſtinguere oportet ſcil. loquendo de Accademia veteri, concedo, loquendo de noua vel media, negamus, vt in lib. ſequenti ex profeſſo dicemus, & aliàs Seneca lib. 7. quæſtionum naturalium cap. vlt. concludebat, *Accademici & veteres & minores nullum Antiſtitem reliquerunt, quis eſt, qui tradat præcepta Pyrrhonis?* quod vnum Senecæ dictum cæterorum Scepticorum relatorum in argumento teſtimonio reſpondet. Quo ad ſacros vnico verbo comuniter Theologi p. 2. q. 109. ar. 1. ex S. Thoma ibidem in reſponſione ad tertium interpretantur adductas auctoritates, ſcil. loqui, non de ſcientia naturali abſolute, ſed comparatiuè ad ſupernaturalem ſeu perfectè moralem, cum abſolute loquendo in pſalmo dicatur; *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* vt præter alios exponit ad inſtitutum Cirillus lib. 1. in Io. cap. 9. & 1. ad Rom. habetur, *quod notum eſt Dei manifeſtū eſt in illis*, vt vrgent Patres à Belarmino citati præter adducta ſuperius queſtione prima, cum de vtilitate Philoſophiæ Ethnicorū ageretur.

Ad ſecundum diſt. maio. in prædicatis contingentibus conc. in eſſentialibus vel proprijs nego, vt etiam videri poteſt S. Thomas p. p. q. 84. ar. 6. ad 1. ſimilem ſoluens difficultatem.

Ad tertium diſt. maio. *quarum nullum experimur indiuiduum*, nec immediate in ſe, nec mediate in effectu & huiuſmodi, conc. non immediate in ſe, bene tamen mediate in alio, nego. Vnde S. Thomas q. 84. citata ar. 6. ad 3. ſimilem obiectionem diſſoluens aiebat. *Senſitiua cognitio non eſt tota cauſa intellectualis cognitionis, & ideo non eſt mirum ſi intellectualis cognitio vltra ſenſitiua ſe extendit.*

Ad quartum tandem reſpondet idem Ariſtoteles 4. Methaphyſ. tex. 22. & 24. immò ex hoc antiquos quoſdam deceptos eſſe in neganda ſcientia rerum in intellectu, eo quia huiuſmodi iudicium non diſtinguebant à ſenſu, vt ibidem etiam S. Thomas aduertit, cum tamen ſenſus circa ſenſibilia propria non fallatur, vt è ſcripturis adeo grauiter probat Tertullianus eodem lib. de anima cap. 17. vt nihil eiuſdem verbis addere neceſſe ſit, Circa ſenſibilia autem communia decipi intellectum potius quam ſenſum poſt Tertul

tullianum ibidem proſequitur Auguſtinus lib. de vera Religione cap. 33. & lib. 3. contra Accademicos cap. 11. & Anſelmus in Dialogo de Ver. c. 6. neque Ariſtoteles adeo demõſtrationem adſtrinxit ſenſui, quin 1. Metheor. cap. 7. per oppoſitum dixerit. *Nimirum cum de ijs, quæ ſenſibus ſunt obſcura, putamus ſatis demonſtratum eſſe ſecundum rationem ſi etiam ad poſſibile reducamus.* Concludat igitur à fortiori de certitudine in brutis, & in nobis certitudinem Tertullianus lib. de anima cap. 12. *Naturalium ſcientia ne in beſtijs quidem deficere poteſt, mores beſtiam relinquent, ſcientia naturalium permanebit.* & cætera plura conſulenda in eodem.

ARTICVLVS III.

An quiditas Philoſophiæ decretoriæ rectè explicetur dicendo, eſt rerum humanarum Diuinarumque cognitio.

Videtur quod non Campanellæ lib. 1. Met. cap. 8. volenti (*Sapientiam eſſe tactum intrinſecum rerum*) & ex alia parte Senerto libro primo Epitomæ Phyſices cap. 1. volenti Philoſophiam vt ſic tanquam aliquid æquiuocum diffiniri non poſſe. Iſtis inquam & recentioribus alijs Videtur quod non.

Primo quia diffinitio propria ſapientiæ ſimpliciter competere nequit Philoſophiæ vt ſic, quæ, vt docuimus, ſimpliciter ſapientia non eſt, ſed prędicta diffinitio eſt diffinitio propria ſapientiæ ſimpliciter, vt patet ex Cicerone lib. 8. Tuſculanarum quæſtionum, & Clemente Alexandrino lib. 1. Stromatum, ergo prædicta diffinitio competere nequit Philoſophiæ vt ſic.

Secundo quia plura ſunt tum infra res humanas tum inter humanas atque Diuinas, quæ eadem Philoſophia conſiderat, vt adnotat Seneca Epiſt. 90. ſed in diffinitione prædicta explicantur ſolum res humanæ atque Diuinæ, ergo in prædicta diffinitione non explicantur adæquatè omnia, quæ eadem Philoſophia conſiderat, ergo non eſt bona prædicta diffinitio.

Tertio quia Philoſophia ſolet diffiniri quod ſit, *Amor ſapientiæ*, ad differentiam Sophiæ ſeu ſapientiæ, vt patet ex Laertio lib. 1. de vitis Philoſophorum, Viues lib. 8. de Ciuit. cap. 2. & alijs ſupradictis, ergo malè Philoſophia in præſenti diffinitur quod ſit ipſa cognitio &c.

Quarto quia ab alijs plurimis Philoſophia diffinita eſt, quod ſit *meditatio mortis*, vt ex Pithagora refert ac laudat Hieronymus Apologia in Ruffinum, & ex Platone Plutarchus lib. 1. de placitis, & probat Seneca de breuitate vitæ cap. 7. & Epiſt. 26. vnde Cleombrotus legens iſtam diffinitionem apud Platonem in Phedro, vt Philoſopharetur, ſibi mortem intuliſſe refertur. ergo ſignum eſt prædictam diffinitionem ab iſta diſtinctam ſufficientem non eſſe vel bonam.

Quinto, quia aliter etiam ab alijs diffinitam fuiſſe Philoſophiam referunt Lactantius lib. 4. cap. 2. & Iuſtinus in Dialogo cum Triphone v. g. quod ſit *aſſimilatio poſſibilis hominis cum Deo*, vt ex Platone in Theeteto refert

Digitized by Google

fert Ammonius primo Phyſic. ſeu *lex vitæ*, vt ait Cicero apud Lipſium, ſeu *Princeps omnium virtutum, vt* idem Cicero dicit lib. 2. de officijs & videtur colligi etiam ex Ariſtotele 1. Met. cap. 2. ſeu *conueniens actio*, vt loquitur idem Cicero lib. 3. de finibus, ſeu *ſtudium artis conuenientis* vt ſcribunt Stoici apud Plutarchum lib. 1. de Placitis, ſeu *animi morborum & affectionum Medicina* vt ſentit Plutarchus li. de inſtitutione Puerorum, ſeu *contemplatio veritatis vt veritas eſt* (vt loquitur Speuſip. de Platonis defenſione) & demum Seneca Epiſt. 89. concludebat (*Philoſophiam fuere qui aliter atque aliter diffinirent, alij ſtudium illam virtutis eſſe dixerunt, alij ſtudium corrigendæ mentis, à quibuſdam dicta eſt appetitio rectè rationis &c.*) ergo ſignum eſt vt prius dicebatur prædictam noſtram diffinitionem ſufficientem haud eſſe vel bonam.

In oppoſitum tamen eſt quod vt dicitur 5. Met. ſcientia refertur ad ſcibile, & conſequenter natura ſcientiæ Philoſophicæ vt ſic nequit melioti modo explicari quam in ordine ad ſua obiecta, ſed ita hic diffinitur per ly *rerum Diuinarum atque humanarum*, & non putè abſolutè in ſe in illo verbo *cognitio*, ergo nequit dari alia Philoſophiæ diffinitio melior quam iſta.

Reſpondeo quod philoſophia vt ſic non poteſt meliori diffinitione explicari, quam prædicta explicetur. Probatur quia de facto ſeligunt iſtam diffinitionem etiam Stoici, vt refert Plutarchus lib. 1. de Placicis Philoſophorum, pariter Plato in Theeteto, & Phedone, Cicero. lib. 4. Tuſculanarum, lib. 1. de Oratore, & lib. 2. de officijs, Maximus Tirius Serm. 16. Philo Iudęus lib. de congreſſu quærendæ eruditionis gratia, Seneca Epiſt. 15. & 89. Macrobius lib. 2. Saturnalium cap. 5. Iſidorus lib. 2. Ethimologiarum, Beda lib. 1. de elementis Philoſophicis cap. 1. Damaſcenus lib. Phyſicæ, Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, & alij plurimi paſſim. Adde quod iſta diffinitio licet clarior coincidit tamen in re cum altera illa diffinitione. ſc. Philoſophia eſt cognitio rerum qua res ſunt, vnde dicta noſtra debet a fortiori vel ſaltim pari modo probari, ſicut acceptatur hæc altera, ſcil. ab Ariſtotele 10. Meth. cap. 3. Ammonio lib. 1. Phyſicorum & vltra philoſophos à Dionyſio Epiſt. ad Policarpum, Iuſtino aduerſus Triphonem, Damaſceno lib. 4. ſuæ Dialecticæ & alijs pluribus in reſponſionibus ad argumenta citandis.

Ad primum ergo diſtinguo min. ſummendo ly & copulatiue dumtaxat, conc. ſumendo ly & diſtributiue accommode, nego, & diſtinguo conſequens, primo modo concedo, ſecundo modo nego, Sicut enim dum Ariſtoteles dixit ſecundo Phyſicorum, (*natura eſt principium motus & quietis*) ly & explicatur communiter quod ſumi debeat diſtributiue accomodè, ſcil. in aliquibus motus tantum, ſicut in Cęlo, in aliquibus ſolum quietis, ſicut in Terra, & in aliquibus vtriuſque ſimul, ſicut in graui, ita in propoſito ly *Diuinarum & humanarum* pariter diſtribuendum eſt accomodè iuxta diuerſas Philoſophiæ partes, ita vt ſcil. cognitio Diuinarum & humanarum ſimul competat ſoli ſupremæ Philoſophiæ, ſeu Sophiæ ſcil. Metaphyſicæ, cæteris autem Philoſophiæ partibus vel ſola cognitio Diuinarum, vel ſola

cogni-

Digitized by Google

cognitio rerum humanarum modo mox explicando conueniat.

Ad ſecundũ diſtinguo maiorem ſummendo res Diuinis pro Deo, & humanas pro homine tantum, con. ſumendo res Diuinas pro rebus etiam magis proximis Deo ſc. ſubſtantijs ſeparatis, atque Cæleſtibus & res humanas pro rebus etiam magis proximis homini ſc. ſublunaribus iſtis, neg. quia hoc ſecundo modo comprælienduntur omnia omnino, & ad min. diſt. ſumendo primo modo concedo; ſecundo modo nego, debere etenim ſecundo modo intelligi explicat ad propoſitum Ammonius 1. Phyſ. Honorius Auguſtudanus lib. 2. Phyſicæ Mundi cap. 1. Beda lib. 1. de Elementis Philoſophicis cap. 1. Vnde hoc pacto intelliges Senecam Epiſt. 90. & 88.

Ad tertium diſtinguo antec. loquendo de diffinitione quid nominis, ſeu quantum ad id à quo nomen impoſitum eſt; conc. de diffinitione quid rei, ſeu quantum ad id ad quod ſignificandum eſt impoſitum, neg. ſicut ex profeſſo notauit Vgo Victorinus lib. 2. Didaſcalon cap. 1. Senertus Epitomæ Phyſices cap. 1. & alij.

Ad quartum diſtinguo antecedens loquendo de Morte naturali ſeu corporali, nego, de Morte morali ſeu intentionali, conc. Prima conſiſtit in ſeparatione reali animæ à Corpore, iſta vero in abſtractione actuum eiuſdem à corporalibus, de ſecunda igitur illa diffinitio ſcil. meditatio mortis intelligi debet, non de prima, vt diſtinguunt & explicant Cælius Rhodiginus lib. 16. cap. 18. & lib. 29. cap. 8. Auguſtinus lib. de vera Religione. Clemens Alexandrinus lib. 4 & 5. Stromatum, Philo Iudæus lib. de opificio Mundi, Plotinus lib. de deſcenſu animæ ad corpus, Iamblicus lib. de miſterijs Ægyptiorum, Macrobius in ſomnium Scipionis, Cicero lib. 1. Tuſculanarum, Apuleius lib. 1. de Philoſophia naturali, Zenophanes lib. 4. de dictis Socratis, Proculus lib. de Anima & Dæmone, Alcinouus lib. de Doctrina Platonis; & cæteri illi, qui in eodem etiam argumento citantur, ex quo poteſt conſequentia negari, quia mors iſta moralis ſeu intentionalis nil aliud eſt, quam rerum cognitio, ſiue practica ſiue ſpeculatiua poſtea ſit, vnde adhuc magis adæquatè per noſtram diffinitione n exponentem obiecta eadem philoſophia explicatur dicendo, *eſt cognitio rerum Diuinarum & humanarum*, quam pure dicendo quod *cognitio ſit*.

Ad quintum ex dictis hucuſque poſſet conſtare ſolutio, vltro tamen diſtinguo antecedens ita vt illæ diffinitiones intelligantur de philoſophia ſolum morali ſeu Ethica, conc. de Philoſopia vt ſic, nego; nos loquimur hic ſecundo modo, Stoici antem illi loquuntur primo modo, quia apud Stoicos ſola Ethica cæteris præeminebat (intellige tamen ex fine, non ex obiecto vel modo procedendi, vt Maſius notat) ſicut patet etiam ex Seneca de beneficijs lib. 7. c. 1. Epiſt. 20. & 108. & lib. de Conſtantia c. 1. ex Epitecto in Enchiridion. cap. 67. Stobeo ſerm. 81. Pacuuio Epiſt. 10. Vnde in hoc ſenſu ipſemet Cicero 4. Tuſculanarum aiebat, *licet inſectemur iſtos ſcil Stoicos metuo ne ſoli Philoſophi ſint*, & præter Platonem lib. 5. de Republica in fine Seneca etiam Epiſt. 108. è contra de alia Philoſophia hac de cauſa dicebat, *quæ Philoſophia fuit, facta eſt Phylologia*, & demum hinc, vt ſupra dixi-

diximus in primitiua Eccleſia Stoicorum ſecta magni fiebat à Patribus. Cũ quo tamen ſtat quod idem Seneca lib. de Vita Beata ca. vltimo aiebat, *quia alterum ſine altero non eſt, nec ille ſine actione contemplatur, neque hic ſine contemplatione agit &c*, vt in ſequenti patebit.

ARTICVLVS IV.

An Philoſophia rectè & primo diuidatur in Philoſophiam naturalem moralem ac Rationalem.

VIdetur quod non Mirandulan. libr. 13. de ſingulari certamine ſect. 6. & 7. & lib. 14. in principio, quem ex toto ſequitur Ouiedo puncto 3. controuerſia 1. Logicæ ponendo vnicam eſſe rerum omnium ſcientiam, & partim ſequitur Auerſa in proemio Methaphyſices & pariter videtur ex alia parte Senerto lib. 1. epitomæ Phyſices cap. 1. & Paſqualigo tom. 1. Metaph. diſp. 5. cum alijs volentibus philoſophiam diuidi in actiuam & contemplatiuam, his inquam videtur quod non.

Primo quia diuiſio bimembris Philoſophiæ in actiuam & contemplatiuam communis eſſe videtur, ſi ſemel philoſophiam diuidendam eſſe ponamus, ergo ſi ſemel hoc admittamus adhuc ſuperflua eſt noſtra diuiſio trimembris, antecedens colligitur ex Seneca de Vita Beata cap. 31. & 32. Epiſt. 95. Plutarcho lib. 1. de Placitis philoſophorum cap. 1. Laertio lib. 5. de vitis philoſophorum, & alijs præter innumeros interpretes Ariſtotelis atque Scolaſticos, quos in Paſqualigo videbis.

Secundo quia philoſophia ſolet etiam communiter diuidi in Phyſicam, Mathematicam, ac Methaphyſicam, ſed non apparet quomodo Mathematica, ac Meth. comprahendatur ſub aliquo membro noſtræ diuiſionis allatæ, ergo noſtra allata diuiſio ſufficiens vel adæquata eſſe non poteſt, maior patet non ſolum ex Ariſtotele in 6. Metaph. ſed etiam ex Alcinouo in lib. de doctrina Platonis cap. 6. Tolomeo in Almageſto lib. 1. ca. 1. Boetio libro de Trinitate cap. 2. Damaſceno in ſua Phyſica cap. 1. Et ex alijs, vt late proſequitur Paſqualigus tom. 1. Meth. diſp. 6. per totam.

Tertio quia philoſophia rationalis non eſt pars philoſophiæ comprahendenda ſub ipſa, licet ſit medium ad ipſam, ergo ſuperflua eſt noſtra diuiſio comprahendens etiam iſtam vt partem, antecedens probatur, quia Rationalis de facto ommiſſa eſt ab Epicuro apud Laertium in vita ipſius diuidente in Ethicam, Phyſicam, atque Canonicam, & idem refert Laertius de ipſo Ariſtotele, & refert loca Perrerius libr. 1. Philoſophiæ cap. 2. ſequutus in hoc opinionem Ammonij & aliorum.

Quarto ex Apuleio lib. 1. de Dogmate Platonis (*Plato diuidebat in quatuor membra non tria ſcil. in naturalem ab Eraeliticis habitam, intellectualem à Pithagoricis, rationalem atque Moralem ab ipſo Socratis fonte.*) ergo male nos in tria tantumodo membra diuidimus, cum mſſio quod vltra moralem ſeu Ethicam dantur in practicis Economica, atque Politica, vltra Mathemati-

maticam dantur in ſpeculatilibus etiam Geometria, Aritmetica, Aſtronomia, Muſica &c. Vnde Paſqualigus aliam diuiſionem Cleantis in ſex membra recenſet.

Quinto, quia Philoſophia communius adhuc diuidi ſolet in Barbaricam, Italicam, atque Græcanicam, & iſta Græcanica ſcil. ſubdiuiditur adhuc in tres, Poeticam Ionicam atque Eleaticam, & Elentica in Stoicam Platonicam & Peripateticam, vt fusè percurrit Lipſius lib. 1. manuductionis diſſert. 5. vſque ad 10. Et eruditè pertractant Conimbricenſes qu. 1. Logicæ ac 1. phyſicorum, ergo male reſtingimus nos diuiſiones huiuſmodi ad tria membra dumtaxat.

In oppoſitus tamen eſt, quod vt inquit Varro à D. Antonino relatus q. 1. hiſtoriæ tit. 4. cap. 8. ſcil. *in multis contra omnes ſapere deſipere eſt*: vnde Ariſtoteles ipſe 1. Topicorum aiebat, *quod videtur omnibus aut plurimis aut ſapientibus id probabile eſſe cenſendum eſt, communis conſenſio videtur mihi naturæ vox.* & lib. 10. Ethicorum, *qui verò hanc fidem tollit his non multo probabiliora dicturus eſt*, ſub ſummo minorem, ſed vt inquit, Seneca Epiſt. 89. *Philoſophiæ tres eſſe partes dixerunt & maximi & plurimi autores, Moralem naturalem & rationalem, prima componit animum, ſecunda rerum naturas ſcrutatur, tertia argumentationes.* ergo Philoſophiæ diuiſio in tres allatas repudianda non eſt, immò acceptanda cum iſtis.

Reſpondeo quod rectiſſimè Philoſophia in præſenti diuiditur in rationalem, Naturalem, atque Moralem, ſicut naturalis ſubdiuiditur inde in Mathematicam, Phiſiologicam, ac Methaphyſicam. Habet duas partes iſta concluſio, quarum prima ac principalis, ſcil. diuiſionem iſtam rectiſſimam eſſe, habetur ex Ariſtotele primo Topicorum cap. 12. ex Platone ſimul cum Stoicis, vt refert Euſebius lib. 11. de præparatione Euangelica, vbi aduotat etiam Platonem hanc deſumpſiſſe ab Hæbreis, & ibidem approbat ipſe. Pariter ſelegit eandem Seneca Epiſtola 89. Macrobius in ſomnium Scipionis lib. vltimo. Plutarchus lib. de Placitis Philoſophornm cap. 1. Alcinouus libro de Doctrina Platonis cap. 7. Apuleius lib. 1. de Philoſophia naturali, auctor Theatri volum. 5. li. 1. Lactantius lib. 3. cap. 13. Vgo Victorinus lib. de ſpiritu & Anima cap. 37. Eugubinus lib. 1. de perenni Philoſophia cap. 2. & 11. Iſidorus in Dialectica, Auguſtinus lib. 8. de Ciuitate cap. 4. Hieronymus homil. 1. in Cantica & alij. Probat inde hanc diuiſionem S. Thomas in lib. 1. Ethicorum in initio quia ex 1. Metahp. cap. 2. *ſapientis eſt ordinare*, vnde totuplex erit philoſophia, ſeu ſapientia, quotuplex ordo in rebus, hic autem triplex ſcil. vel quem ratio inuenit & pure conſiderat, & ad hunc datur naturalis philoſophia ſcilicet ſpeculatiua dumtaxat, vel quem ratio non inuenit ſed facit & ſibi contemplandum proponit, & ad hunc datur philoſophia rationalis ſcilicet ſpeculatiua ſimpliciter & ſecundum quid practica, vel demum quem ratio voluntati proponit, & ad hunc datur philoſophia moralis ſcil. practica tantum. Probat etiam Aug. lib. 11. de Ciuitate cap. 25. quia in quolibet artifice tria ſpectari poſſunt, natura, doctrina & vſus eiuſdem & ſic pariter in Philoſopho, vnde iuxta primum

naturalis exigitur, iuxta ſecundum rationalis, iuxta tertium moralis, cui diſcurſui congruit probatio Senecæ lib. de vita Beata cap. 31. & 32. dicentis, *natura enim ad vtrumque nos genuit & contemplationi rerum, & actioni*, ommiſſa alia probatione Aug. lib. 8. de Ciuitate cap. 4. ex ipſa Beatitudinis ratione deſumpta. Optimis autem allegorijs probabat Zeno ipſe cum Stoicis apud Laertium in vita eiuſdem ſcil. aſſimilando philoſophiam animali, in quo inſtar oſſis ac nerui rationalis eſt, vt pars carnea moralis ſe habet, & demum naturalis eſt anima; ſeu comparando philoſophiam cum Ouo, cuius exteriora & cruſtæ ſunt rationalis, proxima ideſt albumen ipſa moralis, intima ſeu vitellus eſt naturalis, ſeu aſſimilando cum agro, cui pro ſepe rationalis exiſtit, pro fructu moralis, & naturalis pro terra cum plantis, vel tandem comparando cum Vrbe, cui rationalis exhibet mœnia, ciues naturalis, moralis leges ac mores, de quibus poſt Diogenem Laertium poteris etiam, ſi placet, vdere Sextum Empiricum in lib. aduerſus Mathematicos ex Poſſidonio eodem fere modo iſta tractantem, Et Cælium Rhodiginum lib. 25. cap. 12. vbi poſtquam dixit allatam hanc diuiſionem eſſe in tria membra communem, ſtatim vnum ex iſtis membris ſcil. naturalem ſubdiuidi poſtea in Phiſiologicam, Mathematicam atque Metaphyſicam ex communi pariter conſenſu fatetur, vt nos in ſecunda parte concluſionis aſſerimus & proſequitur eruditiſſimum Conimbricenſe Colegium qu. 2. Proemiali Logicæ art. 3. his verbis in fine, *Phyſicæ ſeu naturalis appellatione comprœhenduntur tres ſcientiæ contemplatiuæ nempe Phiſiologia, Mathematicæ Diſciplinæ, ac Methaphyca*; & latius nos explicabimus in reſponſione ad ſecundum.

Ad primum ergo diſtinguo antecedens; ſub intelligĕdo inter illa duo extrema etiam medium, conc. aliter nego. Nam ſcientia pure ſpeculatiua vt naturalis, & ſcientia pure practica, vt moralis, extreme opponuntur, inter hæc autem extrema media eſt rationalis vtique ſpeculatiua ſimpliciter & ſecundum quid practica, vnde auctores illi in duobus extremis expreſſis ab ipſis implicite ſubintellexerunt & medium explicatum à nobis, quia ex 5. Phyſicorum medium comparatum vni extremo induit nomen alterius & e contra ſimiliter; ſicque omnes illi in noſtram coincidere ſententiam.

Ad ſecundum nego min. vt ex Rhodigino li. 25. cap. 12. & Conimbricenſibus dicebamus, quia referente D. Tho. 3. p. qu. 2. ar. 1. ex Ariſtotele natura quandoque ſumitur, ſtrictè pro principio motus tantumodo & quandoque ſumitur latius pro quiditatibus rerum; vnde naturalis hic Philoſophia appellatur, non quia tantum de natura primo modo pertractat, vt ſola Phiſiologica facit, ſed quia de natura ſecundo modo diſcurrit, & ita prout conſiderat ſaltem principaliter naturas ſeu quiditates ſpiritualium rerum vt ſic Methaphyſica dicitur, prout conſiderat naturam ſeu quiditatem Corporis tantum dicitur Phiſiologica, vel Mathematica, ſicuti Corpus etiam Phyſicum eſt vel Mathematicum ex Alberto in Phyſica & S. Tho. q. 7. ar. 3. En igitur ſub naturali continentur tres iſtas, nec valet ex Paſqualigo repetere, quod etiam rationalis tractat de natura ſeu quiditate. a[illegible]

dum.

Digitized by Google

dum de ente rationis diſcurrit, non valet, inquam, tum quia ens rationis propriè res non eſt, nec propriè quiditatem habet, vnde & rationalis hæc ſcientia nomine ſcientiæ realis in Methaph. lib. 5. priuatur; tum quia prima diuiſio, in qua rationalis à naturali ſeiungitur, ex fine non ex pure obiecto determinatur, vbi ſubdiuiſio ſecunda potius penes obiecta penſatur.

Ad tertium nego antecedens, ad cuius probationem quo ad Epicurum ſufficiat adnotare cum Seneca Epiſtola 89. *quod Epicurei etiam duas partes Philoſophiæ putauerunt eſſe, naturalem atque moralem. Rationalem remouerunt. Deinde cum ipſis rebus cogerentur ambigua ſecernere falſa coarguere, ipſi quoque locum, quem de iudicio & regula appellant, alio nomine rationalem induxerunt.* Quoad Ariſtotelem autem ſufficit ex Conimbricenſibus qu. 4. Proemiali Logicæ ar. 4. monere omnes relatos Peripateticos ab ipſis ponere rationalem etiam inter partes philoſophiæ, & quãdo Ariſtoteles ipſam ommittit, ſatis eſt ſi reſpondeas loqui Ariſtotilem ibi ſtrictiſſime de ſcientia reali tantummodo habente pro obiecto aliquid, quod verè res ſit, ſeu loqui de ſcientia pure, non de ea quæ eſt ſcientia ſimul & ars, vt patet ex aliquibus locis à nobis & ab eiſdem adductis & alijs alibi adducendis.

Ad quartum de mente Apulei dubitandum non eſſe iam patet, quia libro illo primo de Platonis dogmate ait, *nam quoniam tres partes Philoſophiæ congruere inter ſe prius obtinuit, nos quoque ſeparatim dicemus de ſingulis.* Et ita de facto tres libros inſcripſit, primum de Philoſophia naturali, ſecundum de morali, tertium de rationali, quando autem ſupra ex Platone idem Apuleius ſecernit intellectualem à naturali, facilis eſt explicatio, ſi repetas ex D.Tho. citato quod natura quandoque ſumitur ſolum pro natura corporum, quandoque pro quiditatibus rerum vt ſic etiam ſubintelligendo incorporea; primo modo vtique naturalis, quæ de corporibus agit, rectè ſecernitur ab intellectuali, quæ de incorporeis tractat, vt colligitur ex Macrobio in ſomnium Scipionis lib. 2. cap. 5. & hoc modo in illo loco ſuperiori Apuleius quoque aſſumebat, ſecundo vero modo poſtea hoc nomen ſcientiæ naturalis idem accepit, vt nos in præſenti iam ſumimus. De cæteris vero diſciplinis in argumẽto relatis primas illas ad Mathematicam ſpectare communis eſt modo conſenſus, ſecundas vero ſcil. Economicam atque Politicam ſub morali comprehendi Conimbricenſes etiam qu. 2. Logicæ ar. 2. eruditè notarunt. Quod ſi velles nos præter generales diuiſiones allatas ad ſpecialiora ſubdiuidendo deſcendere, iam tibi Seneca pro nobis Epiſt. 89. repeteret. *Quod diuidi Philoſopiam non concidi vtile eſt. Id vitij habet nimia, quod nulla diuiſio. Simile confuſo eſt, quidquid vſque in puluerem ſectum eſt.*

Ad quintum inde diſtinguo antecedens, loquendo de diuiſionibus per ſe ipſius Philoſophiæ ſcilicet ab obiecto vel fine intrinſeco ſumptis, nego; de alijs diuiſionibus per accidens ſumptis vel ab efficiente, vel loco, vel tempore, & huiuſmodi, conc. Vnde vt notat Ammonius in Proemio ad Cathegorias Ariſtotelis & fusè auctor Theatri volum. 5. lib. 1. poſt alios, ex loco dicebatur Barbarica Italica & Græcanica, ex efficiente Pitagorica, Socra-

tica, atque Platonica, ex Schola Stoica Peripatetica vel Accademica & huiuſmodi, vt in Theatro videbis; inter quas tamen libet id adnotare, quod ex D. Bonauentura adnotat Auctor Primę illius ſatis notæ Apologiæ contra Petrum de Vallelauſa pag. 513. ſc. diuiſionem Eleaticæ in Peripateticam, Stoicam, atque Platonicam, ſenſui triplici ſcripturæ congruere ſcil. litterali, cui præſertim Peripatetica conſonat, Allegorico, cui Stoica, & Anagogico, cui Platonica. Tamen nos in præſenti diuiſiones Philoſophiæ per ſe, non verò per accidens, inquirendas eſſe Philoſopho & ab hiſtorico potius alias tractandas eſſe putamus.

ARTICVLVS V.

An qualibet Philoſophia ex prædictis integraliter rectè ſubdiuidatur in Dogmaticam circa Dogmata, & Scolaſticam circa Thæſes.

Videtur quod non Empedocli cum ſuis neganti alia dogmata etiam vniuerſalia per ſe nota dari, vt referunt Conimbricenſes primo Poſteriorum cap. 3. ex Aulo Gelio lib. 11. noctium Aticarum cap. 5. & ex Ariſtotele citato cap. 3. refellente eoſdem, & videtur pariter quibuſdam recentioribus Philoſophiæ nouatoribus cum Carteſio nulla admittentibus particularia dogmata immò exquirentibus demonſtratiua argumenta de ſingulis; iſtis inquam videtur quod nō, primo quia dato quod admittantur aliqua indemonſtrabilia principia, adhuc iſta ſunt obiectum habitus intellectus nō ſcientiæ, ergo adhuc propter iſta Philoſophia Dogmatica circa Dogmata admittenda non eſt, antecedens probatur ex Ariſtotele 2. Poſterior. c. vlt. & 1. Poſt. c. 11. & ex Cicerone lib. 2. de natura Deorum dicente. *Primum eſt intelligentia, deinde conſequentium rerum cum primis coniunctio, & comprehenſio, idque ratione concludimus, ex quo ſcientia*, & lib. 4. Accademicarum Quæſtionum poſt ipſa principia explicata inquit, *eo cum acceſſit non argumenti concluſio, rerumque innumerabilium multitudo, tum & perceptio apparet, & eadem ratio perfecta ab his gradibus ad ſapientiam peruenit &c.*

Secundo quia ſicut dātur dogmata in noſtra ſententia, ita dātur etiā pręcepta, vt explicat Seneca Epiſt. 94. & 95. ſed propter præcepta non datur Philoſophia præceptoria, ergo neque propter dogmata admitti debet Philoſophia dogmatica.

Tertio quia Philoſophia dogmatica idem eſt quod decretoria vt patet ex Iuſto Lipſio lib. 1. manuductionis confundente ſimul hæc nomina, ſed tota Philoſophia Ariſtotelis decretoria eſt, vt ſupra vidimus, ergo pariter tota dogmatica erit, ergo malè diuiditur Philoſophia in dogmaticam circa dogmata, & Scolaſticam circa Thæſes.

In oppoſitum tamen eſt, quia vt apertiſſimè tradit Ariſtoteles primo Poſteriorum cap. 11. In ſcientijs diſtinguuntur hæc quatuor. Primo ipſa Principia communia. Secundo Principia propria & vtraque indemonſtrabilia ſimpliciter. Tertio ſuppoſitiones ſolum indemonſtrabiles ſecundum

quid.

quid. Et quarto Concluſiones demonſtrabiles quocumque modo. Sed circa prima & ſecunda datur vtique habitus intellectus; circa quarta datur completa pars ſcientiæ, quæ Philoſophia Scholaſtica dicitur, ergo pariter circa tertia, quæ dogmata ſunt, dabitur altera pars incompleta ſcientiæ, quæ Philoſophia dogmatica nominetur, ergo philoſophia decretoria ſeu Peripatetica adhuc bene diuiditur in dogmaticam circa dogmata, & Scolaſticam circa Thæſes.

Reſpondeo quod Philoſophia decretoria ſeu Peripatetica ſpecificè ſupra diuiſa adhuc integraliter rectè diuiditur in dogmaticam circa dogmata & Scolaſticam circa Thæſes. Ita ſentit cum Ariſtotele Euclide & alijs Caietanus 1. Poſt. cap. 1. diuidens ſcientiam in partem principiorum & concluſionum,& verè verbaliter ex profeſſo colligitur ex Iuſto Lipſio lib. 2. manudictionis diſſer. 12. cum Stoicis omnibus alijsq; alienæ ſectæ philoſophis, ex quorum doctrina Probatur, quia de facto præter principia indemonſtrabilia ſimpliciter admitti debet dogmata propria, ex quibus valeāt concludi Thæſes, ergo præter principia indemonſtrabilia ſimpliciter admitti debet philoſophia dogmatica inchoans ſcholaſticam ipſam, antecedens patet ex Seneca Epiſt. 94. illa appellante *decreta*, & Epiſt. 95. dicente *alij axiomata enunciata aut effata appellant, quæ nobis vel decreta licet appellare, vel ſcita, vel placita*. Pariter Cicero libr. Accademicarum vocabat *Decreta Philoſophiæ, quorum nullum ſine ſcelere prodi poteſt*, & infra *decretum tabulæ primū ratum eſſe debet, quod monere nulla ratio poſſit*, Apuleius lib. de Philoſophia appellabat *conſulta* Plutarchus lib. de communibus notionibus nominabat *notiones*. Cato apud Ciceronem lib. 3. de finibus vocabat *conſectaria*, quia ſc. ex principijs primis ſequuntur, vel quia ſunt propria ſectæ, Clemens libro 8. Stromatum cum Baſilio in pſalmum 103. dicebat, *principia propria, ſeu particularia*. Iuſtinus Martyr. inſcribebat ſuum librum *repræhenſio dogmatum, ſeu decretorum Ariſtotelis*. Et demum Ariſtoteles & D. Tho. loco citato agnoſcebant *ſuppoſitiones*. Adde quod ſicut ſe habent concluſiones philoſophicæ ad principia naturalium tanquam obiecta intellectus, ita Cōcluſiones Theologicæ ad principia ſupernaturalia tanquam obiecta fidei, ſed præter principia fidei adhuc duplex pars integralis Theologiæ conceditur ſcil. dogmatica circa dogmata & ſcholaſtica circa Thæſes, ergo proportionaliter præter principia intellectus duplex adhuc veluti pars integralis philoſophiæ admittenda eſt dogmatica ſcil. atque ſcholaſtica. Adde quod pariter in Medicina datur pars ipſa dogmatica, methodica, atque experimentalis, vt eruditiſſime Cælius tradit lib. 29. cap. 10. ergo ſimiliter in philoſophica ſcientia dabitur pars dogmatica, atque ſcholaſtica, excluſa experimentali dumtaxat, quæ non ſpectat ad ſcientiam. Et hanc partem igitur dogmaticam, vt petit natura eiuſdem, auctoritate potius quam ratione ſtabilire conamur contra nouatores recentes quoſdam hæc philoſophica dogmata euertere toto ſtudio nitentes, vbi ſcholaſticam alibi non vulgati ſeu gregali ſtudio tradidimus, atque è ſugellu trienali ſpatio Bononiæ dictatam habent in manuſcripto Diſcipuli.

Ad

Ad primum ergo diſtinguo antecedens ex Ariſtotele ſcil. loquendo de principijs ſiue communibus, ſiue proprijs, indemonſtrabilibus tamen ſimpliciter, concedo, loquendo de ſuppoſitionibus ſolum indemonſtrabilibus ſecundum quid, quas nos dogmata philoſophica dicimus, nego. De primis igitur ratio argumenti procedit, ſicut de primis intelligunt Auctores, dum vocant ipſa (igniculos) vt Cicero lib. 1. de legibus, ſeu *naturæ impetus* vt Quintilianus lib. 12. inſtitutionum cap. vlt. ſeu *fundamenta ſeminaque virtutum*, vt Seneca Epiſt. 95. Et Apuleius cum ipſo lib. de philoſophia, ſeu *notionem ac reconditum conceptum*, vt Philo Iudæus lib. quod Deus immutabilis &c. de quibus nos in præſenti cum nouatoribus iſtis diſputare nequimus, quia vt dici ſolet, qui negat prima principia indiget ſenſu. Attamen cætera ex illis dependentia tractamus, de quibus merito Stoice licet Iuſtus Lipſius loco citato concluſit, *ſicuti in Arbore radicem habes, ex ea truncum, ex his ramos, inde ramulos atque flagella: ſic in Philoſophia ſcito primum aliquod decretum ſe inter radices habere, proximum vt truncum, minora vt ramos, denique copiam illam præceptorum ſuccedere &c. verè flagella ad animos erigendos atque incitandos.*

Ad ſecundum diſtinguo maiorem, tanquam obiecta ſcientiæ, nego, tanquam obiecta Prudentiæ, conc. vt aperte docuit Seneca Epiſt. 94. & inde Epiſt. 95. dicebat, *hoc intereſt inter decreta Philoſophiæ & præcepta, quod inter elementa & membra, hæc ex illis dependent, illa & horum cauſa ſunt & omnium.* Conſtat autem quod applicare dogmata etiam practica ad particularia præcepta agendorum eſt munus Prudentiæ, Vnde Epitectus aiebat, *hæc eſt cauſa mortalibus omnium malorum non poſſe communes notiones aptare ſingularibus.*

Ad tertium primo diſt. maiorem, loquendo de dogmatica ſtrictè, nego, magis amplè, concedo. Secundo diſtinguo minorem, loquendo de decretoria veluti genericè, concedo, ſpecificè nego. Nam ſicut ex Prædicamento Qualitatis hoc nomen *diſpoſitio* quandoque ſumitur pro aliquo communi ad primam ſpeciem Qualitatis, & quandoque ſumitur pro vnico membro eiuſdem, ita pariter ly decretoria ſumi poteſt vel Generice, prout dicit Philoſophiã Peripateticam certam vtique tam circa dogmata, quam circa Thæſes, vel poteſt ſumi ſpecificè veluti pro Philoſophia Peripatetica circa dogmata tantum, & hoc ſecundo modo dumtaxat decretoria coincidit cum dogmatica, quam in præſenti tractamus.

QVÆ-

QVÆSTIO IX.

De mirabili Philoſophia ſeu naturali Magia recentium.

POſtquam de Philoſophia egimus in communi ſequitur agere de particulari quadam ſiue mirabili Philoſophia, quam priſci vocauere Magiam,& iactant ſe renouaſſe recentes, de qua pariter quinque exponenda ſunt nobis. Primo quid nominis. Secundo exiſtentia. Tertio quiditas. Quarto Generalis diuiſio. Quinto ſubdiuiſio ſpecialis eiuſdem, vt tandem appareat ad ſummum nouatores huiuſmodi Magos potius appellandos eſſe quam *ſophos*.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum hoc nomen Magia propriè ſit idem, ac mirabilis quædam Philoſophia.

VIdetur quod non Theophilo Alexandrino li. 2. Paſchalis & inde Petro Garſiæ apud Alaſſium, & alijs negantibus Magiam licitam dari, iſtis, inquam, Videtur quod non. Primo quia Philoſophia non ſolet vituperari à ſapientibus, ſed Magia è contra vituperari videtur, ergo Magia non eſt idem ac mirabilis quædam Philoſophia, minor patet ex Plinio lib. 30. cap. 1. Clemente Alexandrino in exhortatoria ad Gentes, Euſebio lib. 1. præparationis Euangelicæ cap. 5. Tertulliano de Idolatria cap. 9. & de Anima cap. 57. Lactantio lib. 2. cap. 16. Auguſt. lib. 7. de Ciuitate cap. 35. & lib. 8. cap. 19. Iuſtino Martyre dialogo cum Triphone, Origene li. 3. Periarchon cap. 3. Cipriano lib. de Idolorum vanitate præter Eccleſiæ decreta, ergo &c.

Secundo quia Epiphanius hæreſi 34. vocat *Magorum nequitiam*, Arnobius, *Magicarum artium ludos*, Lactantius lib. 4. cap. 15. *Magica præſtigia*, Hieronymus lib. 1. in Danielem cap. 2. *Dæmoniacas artes*. Et alij paſſim nomine Magiæ quid horribile concipiunt ac deteſtandum, ergo Magia non eſt idem ac mirabilis quædam Philoſophia.

Tertio quia ſi nomine Magi intelligeretur ipſe Philoſophus id de Magis adoratoribus Chriſti Maxime verificari deberet, ſed neque de iſtis verificatur, ergo ſignum eſt non intelligi Philoſophum hoc nomine Magi, minor, quia etiã Magos Adoratores Chriſti artes Demoniacas caluiſſe habere videtur ex Iuſtino Martyre Dialogo cum Triphone, Ignatio Epiſt. 14. ad Epheſios, Origene lib. 1. contra Celſum & homil. 13. in Numeros. Baſilio tract. de humana Chriſti Generatione, Auguſtino ſerm. 1. de Epiphania, Hieronymo in Eſaiam cap. 19. ar. 47. & alijs, ergo idem &c.

In oppoſitum tamen eſt, *quod idem erant Magi apud Perſas quod Philoſophi apud Græcos & huiuſmodi*, vt refert Alexander ab Alexandro lib. 4. c. 13.

Epi-

Epiphanius lib. 3. contra hæreſes, Senertus, & paſſim repetunt omnes, ergo Magia idem erit quod mirabilis quædam Philoſophia.

Reſpondeo quod Magia ſecundum primam & propriam nominis impoſitionem idem eſt ac mirabilis quædam ſiue occultior Philoſophia, licet quoad vulgarem nominis extenſionem pro arte Dæmonica nunc accipi ſoleat. Ita tradidit Picus Mirandulanus qu. 5. de Magia cum alijs, & præter adducta ab eodem etiam hoc pacto probatur. Nam ſiue dicamus cum Ioſepho Hæbreo lib. 1. cap. 7. Magos ita fuiſſe appellatos à Magog filio Iapeti, & inde Scitas etiam dictos eſſe Magogas a Græcis, ſiue cum Rhodigino lib. 9. cap. 23. cum alijs fuiſſe appellatos à Perſis, quos alij Maguſæos alia voce dicebant, ſemper apud ſingulos Magus idem ſignificabat ac ſapiens, vnde Philo Iudæus lib. de ſpecialibus legibus inquit, *Magicam artem eſſe, quæ naturæ opera viſis intuetur apertioribus, cum ſit ampla quædam & quæ ſtudioſè conquiritur ſcientia, quamq; non plebei modo, ſed etiam Reges & maximè Perſarum exercent*; Philoſtratus lib. 1. inquit, *Magicam Sapientiam, quæ Perſis eſt Gentilis exculta, à Magorum Gente in Perſis, qui Deorũ cultum norũt, & Magi dicuntur: quod Genus adeo Magnum & venerabile eſt apud Perſas*, vt repetunt poſtea etiam Strabo lib. 1. Apuleus Apologet. 1. & Cicero lib. primo de Diuinatione. Inde Dion Chriſoſtomus orat. 49. *Magi etiam Regibus à Concilijs fuerunt, quia naturæ periti erant, & Deorum cultum nouerant*, & orat. de fide inquit, *Ad Perſarum Regnum eos euectos*, Plinius lib. 30. cap. 1. *in Oriente Magia Regum Regibus imperat*, Tertullianus lib. 3. in Martionem, *Nam & Magos Reges habuit Oriens*. Epiphanius lib. 3. contra hæreſes pag. 460 *Maguſei myſteriorum Duces ac Principes apud Perſas fuere, apud Ægyptios hi, qui Prophetæ dicti ſunt*, Ammianus Mauellinus lib. 23. c. 22. *Magicarum opinionum inſignium auctor ampliſſimus Plato, Machagiſtiam eſſe verbo miſtico docet*; Iſidorus lib. 8. Etimoligiarum cap. 9. *præſertim ſtellarum interpretes Magos fuiſſe appellatos*, Sozimus lib. 2. cap. 8. *Magos vt Genus Sacerdotale per ſucceſſionem ab initio ritus Sacrorum procuraſſe oſtendit*, Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum, *Magi in id ſtudio diligenter incumbunt, vt vino abſtineant, & rebus animatis & venereis*. De quo etiam vide Porphirium lib. 5. & Herodotum lib. 1. Inde Laertius lib. 1. vocat, *vitæ cuiuſdam venerabilis & Sanctæ Sectatores*, vt refert etiam Hieronymus tom. 9. in regula Mochorum ca. de abſtinentia Philoſophorum. Hinc Reges Perſarum Magos ſemper fuiſſe ideſt excellentes Philoſophos teſtantur Alexander ab Alexandro lib. 2. cap. 25. Herodotus lib. 3. Euſebius in Cronicon. & Ammianus lib. 24. Ideoque rectè notante Renato Laurentio in Tertullianum libro aduerſus Iudeos, *qui olim Rex Perſarum Magus, modo etiam Sophus vocatur*. vt prius notauerat etiam Eugubinus lib. primo perrennis Philoſophiæ cap. 3. dicens. *Principes Caldaicæ Theologiæ fuerant, quos Patria lingua Magos, quaſi ſapientes, ſeu Philoſophos appellabant*, Et hoc pacto non mirum ſi Plinius recens Magum appellauit & Moyſen, ac Salomonem, vt fecit etiam Syrenius lib. 9. de fato cap. 6. & Delrio lib. 1. cap. 3. ſicut etiam Ioſephus vocauerat Magum Eleazarum, & Gregorius Nyſſe-

nus

bus in Gregorio Taumaturgo ſic pariter Magum hoc pacto fuiſſe concedit etiam Abraham, & plura de Magia Magni Alberti tradidere quamplures. Demum propter omnia prædicta Magiam naturalem ac ſumptam pro mirabili quadam Philoſophia agnouerunt expreſſe Origenes tract. 5. in Mattheum, Policronius in Ezechielem, Hieronymus lib. 2. aduerſus Iouinianum & in Danielem cap. 2. Griſoſtomus hom. 2. in Matth. Ammianus Marcellinus lib. 23. Seneca Epiſt. 98. Plinius lib. 10. cap. 1. Apolonius lib. 1. de mirabilibus Hiſtorijs cap. 4. Iſichius lib. 6. in Leuiticum cap. 19. Rabanus in Exodum cap. 12. & cæteri plures, quos referebam, tandem concludente Dione Griſoſtomo Orat. Boriſtenica, *Quos Perſæ Magos vocauerunt, Dei culturam ſcientes, non vt Græci nominis ignoratione ſic nominant pro veneficis habentes* Sicut Orſeus etiam libr. de Lapidibus de hoc vulgari vſu conqueritur.

Ad primum ergo dicendum quod Magia ex vulgari nominis extenſione duplex exiſtit, Altera naturalis ac licita, altera ſuperſticioſa & vetita, vt aduertit eruditiſſimus noſter Sixtus Senenſis lib. 6. adnotat 8. Victoria Syl. ueſter, Nazarius, Maluenda, & alij noſtri de Magia tractantes cum Ferrarienſi 3. contra Gentes cap. 103. & Caietano 2. 2. qu. 91. quibus conſentiunt Michael Medina, Picus, Delrio, Perrerius, Suarez & alij à Nazario relati p. p. qu. 104. ar. 4. Et hæc 2. eſt illa, quam Auguſt. diuiſit lib. 10. de Ciuitate cap. 9. in Theurgiam atque Goetiam, & diuiſere prędicti in Diuinatricem & operatricem, de quibus ſingulis ijdem ex profeſſo diſcurrunt, & pariter de iſta ſecunda intelligunt Patres in Argumento citati: nos autem loquimur de prima, vt ſemper infra loquemur, & de qua pauca vix tetigere prædicti.

Ad ſecundum pariter eadem eſt repetenda diſtinctio, vt tractat etiam Cælius Rhodiginus lib. 9. c. 23. Vbi ſecundam execrabilem eſſe pronunciat, primam autem à Philoſophis expetitam ſemper, ac modo expetendam eſſe confirmat ex Platone in Alcibiade, Tullio, Poſſidonio, Strabone cæteriſque eruditè, Vnde de ſecunda tantumodo remanent intelligendi illi Patres & alij, qui indulgentes vſui Magiæ nomen horreſcunt.

Ad tertium nego min. quinimo ex illis noſtra reſolutio probatur. Nam Magos Adoratores Chriſti licet abſolutè etiam nunc Magi vocentur, præcelentes tamen extitiſſe Philoſophos, vt Reges Perſæ ſolebant, non verò Dæmoniacæ vacauiſſe Magiæ, tradunt modo ferè communiter omnes ex eodem Hieron. c. 2. in Danielem, Aug. lib. 21. de Ciuit. c. 8. Nicephoro li. 1. c. 13. Clemente Alexandriuo li. 1. Stromatum. Griſoſt. hom. 6. in Matth. Cirillo in Iſaiam c. 49. orat. 4. li. 4. Theodoreto li. 5. Hiſtoriæ c. 39. Leone Papa ſerm. 1. de Epiphania, Anſelmo & Iſidoro lib. de Paſſione Domini c. 14. Beda in caput ſecundum Matth. Inde Sabelicus lib. 1. ca. 5. Vincentius li. 7. c. 91. Policrates lib. 2. c. 10. Cælius Rhodiginus lib. 3. c. 42. Et loco citato Renanus contra Caluinum & alios nouatores irridentes inſulsè Catholicos, quod de Magis ſiuè Maleficis adoratores Chriſti mutauiſſent in Reges.

X ART.

ARTICVLVS. II.

Vnde nam Magia licita Originem habeat.

Videtur aliquibus incepiſſe vel à Græcis, vel ad ſummum à Barbaris, vt pro vtraque ſententia hinc inde de ſcientiarum origine Patronos referunt Laertius lib. 1. de Vitis Philoſophorum, Ioſephus libr. 1. cap. 4. Clemens libr. Stromatum, & Euſebius lib. 10. præparationis Euangelicæ & alij. Et pro Græcis probari ſolet. Quia omnes artes & ſcientiæ emanaſſe videntur à ſeptem ſapientibus ſcil. Bia, Cleobolo, Chilone, Periandro, Solone, Pitaco, ac Thalete, vt tractat Laertius li. 1. Luccianus in fugitiuo, Polidorus Virgilius lib. 1. cap. 16. Et Ludouicus Viues de initijs Philoſophiæ cum alijs, ſed omnes iſti vocantur ſapientes Græciæ & Græci dicuntur, ergo à Græcis omnes ſcientiæ & artes originem habent, ergo pariter mirabilis iſta Philoſophia, quæ Magia vocatur.

Secundo pro Barbaris, præcipuè Perſis in ſpeciali, Probatur quia inter cæteros Magiæ Principes nominari maximè ſolet Apolonius Thianæus Capadox vt patet ex ingentibus tomis Philoſtrati de eiuſdem vita conſcriptis, ſed Magia iſtius Apolonij &c. videtur aliquibus fuiſſe natura lis non Dæmoniaca, ergo videtur quod Apolonius Thianæus Capadox fuerit Princeps Magiæ naturalis, ergo Magia naturalis Originem habet à Barbaris. Minor colligitur ex plurimis vocantibus ipſum vel Philoſophum Pithagoricum vel ampliſſimum Philoſophorum & huiuſmodi, vt patet ex Flauio Vopiſco in Aureliano cap. 21. Ammiano Marcellino lib. 23. cap. 19. Euſebio in Cronicon. num. 2111. Hieronymo Epiſt. 100. ad Paulinum, Apolinari Sidonio lib. 8. cap. 3. ad Leonem, Paulo Diacono lib. 8. miſcellæ cap. 9. Iuſtino Martyre qu. 24. ad Ortodoxos, Iſidoro Peluſiota lib. 1. epiſt. 398. & alijs huiuſmodi.

Tertio quia tandem ad ſummum negari nequit ſiue Perſam ſiue Bactrianum Zoroaſtrem primum fuiſſe Magiæ inuentorem, ſed Zoroaſtris Magia videtur fuiſſe naturalis, ergo Magia naturalis à Perſis ac Barbaris orta eſt. Maior traditur à Plinio lib. 30. cap. 1. Oroſio lib. 2. cap. 4. Auguſtino lib. 21. cap. 14. Epiphanio in initio Panarij, Agathia lib. 2. cap. 13. Plutarcho lib. de Iſide & Oſiride & ab alijs pro minori citandis: Minor verò colligitur ex Laertio in proemio de Vitis Philoſophorum, Iuſtino lib. 1. Hiſtoriæ, Ammiano Marcellino lib. 23. Dione Griſoſtomo orat. Boriſtenica, Platone in Alcibiade, Apuleio in Apologia prima, Vnde non ſine fundamento huic opinioni ſubſcripſit Sixtus Senenſis ex noſtris, licet ipſum abſolute falſi pronunciet Martinus Delrio lib. 1. cap. 3.

In oppoſitum tamen eſt, quod Deus ſicut produxit Adam ita perfectum in corpore vt poſteri omnem perfectionem Corporis ab ipſo reciperent, pariter produxit ita perfectum in mente, vt poſteri omnem perfectionem Animæ connaturalem & conſequenter ſcientias & artes mutuarentur ab

ipſo

ipſo, vt probat S. Thomas p. p. qu. 94. art. 3. ex SS. Patribus & colligitur ex Eccleſiaſtico cap. 17. ſed Magia naturalis connumeratur inter ſcientias & artes, vt infra dicemus, ergo pariter Magia naturalis debuit infundi Adæ ab ipſomet Deo, vt eandem poſteri mutuarentur ab Adam.

Reſpondeo quod de facto Magia naturalis eſt indita Adæ, à quo poſtea ſimul cum alijs ſcientijs & artibus originaliter per Iudæos effluxit in Poſteros. Ita ex profeſſo tradit Ioa. Caſſianus collat. 8. cap. 21. poſtea ſubiungens Magiam hanc naturalem fuiſſe deprauatam & cum Dæmoniaca mixtam ab ipſo Cam filio Noè, vt teſtatur etiam Plinius libr. 10. cap. 1. dicens fuiſſe tantũmodo ſucceſſu temporum ex illius mixtione fœdatam. Eandem noſtram reſolutionem tradit & probat Eugubinus lib. 1. de perenni philoſophia cap. 3. vbi eruditè modum exponit deriuationis in Poſteros; Probat etiam Martinus Delrio lib. 1. cap. 3. quia vt Quinquarboreus in c. 5. Trenorum ex Thalmuldicis notat, Samedritæ Iudæorum fuere naturalis Magiæ periti, proſequitur Clemens Alexandrinus in libr. Stromatum dicens poſtea ex Cam à Dæmone edocto ſuperſticioſam proceſſiſſe Magiam, Hinc Pithagoram etiam Magum fuiſſe appellatum erudite probat noſter Maluenda tom. 2. de Antichriſto l.b. 7. cap. 4. vbi pariter plures alios philoſophos ita appellatos fuiſſe confirmat; ad propoſitum inde facit quod ſcripſit Origenes li. 1. contra Celſum, *fe. fertur & Hermippus in primo de Legiſlatoribus prodidiſſe Pithagoram ſuam Philoſophiam à Iudæis traduxiſſe in Græciam*, vt repetit etiam de Pithagora atque Platone cum alijs Clemens Alexandrinus l.b. 5. Stromatum, & lib. 1. adiungit ex Pithagoricis Numam Pompilium & alios; Vnde poſt Tertullianum in Apologetico cap. 47. merito concludit Griſoſtomus hom. 65. in Ioa. *quod ſi quam perceperunt veritatem, id euenit ex quo in Ægypto cum noſtris conuerſati fuerunt.*

Ad primũ ergo licet poſſet dici ad minorem ſapiẽtes illos vtique in Grecia vixiſſe ſed ex alia gente fuiſſe, vt de ſingulorum Patria teſtatur ipſe Laertius, tamen nego abſolutè maiorem, cum iam pateat etiam ſeptem illos ſapientes inſtructos prius fuiſſe à Iudæis, vt præter allatos referunt etiã Euſebius lib. 9. & 10. de præparatione Euangelica, Chriſtianus Gramaticus in cap. 2. Matth. Ambroſius libr. de bono Mortis cap. 11. Et libr. 1. Epiſt. 6. Iſidorus Peluſiota lib. 2. Epiſt. 198. Baſilius in hom. in Euangelio Ioa. Cirillus lib. 1. contra Iulianum, Aug. lib. 2. de Doctrina Chriſtiana c. 39. Ioſephus in lib. 3. contra Apionem & repetunt alij &c.

Ad ſecundum primo nego minorem, nam oppoſita ſententia probabilior eſt atque communior ſcil. Thianeum Dæmoniacam adhibuiſſe Magiam, vt ex miris immo fabuloſis operibus patratis ab ipſo & à Philoſtrato relatis colligi poteſt, & probat Cælius Rhodiginus lib. 17. cap. 13. nec non aperte colligitur ex Eſichio Cæſarienſi lib. aduerſus Ieroclem, Dione Caſſio lib. 67. hiſtoriæ Romanæ, Porphirio lib. 3. de ſacrificijs, Nicephoro li. 3. Hiſtoriæ c. 11. Anaſtaſio Nicæno qu. 23. in ſcripturam, Lactantio li. 5. c. 2. & ex alijs huiuſmodi ideo damnantibus ipſum. Secundo addi poteſt alia reſponſio, quam de Zoroaſtre mox in ſequenti ſubiungimus.

X 2 Ad

Ad tertium quidquid ſit de minore, quia Zoroaſtrem Dæmoniacum extitiſſe teſtatur etiam Martinus Delrio lib. 1. cap. 3. cum Plinio lib. 30. cap. 1. & alijs, tamen ſi ſemel admittatur naturalem dumtaxat caluiſſe Magiam, tunc neganda eſt maior, & dicendum eſt vtique *inſignem Principem Magiæ* fuiſſe, ſicut plerique illi citati loquuntur, & alij intelligunt dum inuentorem appellant, vnde Suidas ſolum inquit *fuiſſe auctorem recepti apud illos Magorum nominis*, ſi autem (quod certius eſt) Magia Dæmoniaca attribuatur eidem, tunc dico iſtam à Dæmone ortam, dum Cam Noè filium Dæmon inſtruxit; vnde & Zoroaſtrem nullum alium fuiſſe quàm dictum Cam exiſtimant plures, ſcil. Gregorius Turonenſis lib. 1. Hiſtoriæ Francorum, Clemens Alexandrinus in lib. Stromatum, Clemens Romanus lib. 4. recognitionum, & inde ſubſcribunt Annius in Commentarijs Beroſi lib. 3. & 5. Petrus Comeſtor in ſcolaſtica Hiſtoria Geneſis cap. 39. Genebrandus libr. 1. Cronographiæ pag. 53. Franciſcus Giorgius in harmonica Mundi Cant. 1. tom. 1. cap. 8. vbi refert Didimum etiam, Pierius Valerianus lib. 46. Geroglificorum, Martinus Delrio lib. 1. cap. 3. cum alijs &c. Vnde patere poteſt non ſolum naturalis ſed Dæmoniacæ etiam origo Magiæ, vt etiam de iſta ſecunda Martinus Delrio lib. 2. qu. 2. & 3. pertractat.

ARTICVLVS III.

Vtrum Magia licita vt ſic ſit exactior quædam arcanorum naturæ cognitio.

Videtur quod non Garziæ & quibuſdam alijs ab Alaſſio citatis diſt. 4. qu. 1. ar. 1. num. 12. Primo quia in diffinitionibus rerum oportet conuenire Philoſophos, ne æquiuocatio contingat, ſed ab alijs philoſophis ſolet tradi alia diffinitio Magiæ præter iſtam, ergo ſignum eſt iſtam non rectè nos aſſignaſſe. Minor probatur Nam ſapientiſſimus Victoria noſter relectione de Magia num. 8. diffinit, *quod eſt ars & facultas ad efficiendum opera occulta & mirabilia, non ſolum extra ſolitum rerum curſum, ſed ſuper hominum opinionem & captum*, quam contra Delrio defendunt poſtea Nazarius p. p. qu. 114. ar. 4. & Alaſſius loco citato, licet Martinus Delrio lib. 1. cap. 2. repræhendat eandem, aliterque fuſiori ſed ſimili ferè modo diffiniat, fauente ſimul Rhodigino libr. 6. cap. 12. Iulio Scaligero exercit. 327. & alijs, ergo &c.

Secundo quia Magia profectò non eſt Theologia naturalis, vt infra patebit; Sed exactior arcanorum naturæ cognitio videtur ſola ipſa Theologia, ergo Magia non eſt exactior arcanorum naturæ cognitio, minor colligitur ex S. Tho. p. p. qu. 1. art. 1. & ex Cicerone de Vniuerſo, Seneca Epiſt. 78. & lib. 7. quæſtionum naturalium cap. 30. & Aug. lib. 6. de Ciuitate cap. 5. & pluribus alijs, ergo &c.

Tertio quia vt in ſequenti dicemus Magia ſumitur non ſolum pro ſcientia, ſed plerumque pro arte, vnde artem Magicam nominare ſolemus, ſed

dicta

dicta noſtra difinitio videtur conuenire magiæ ſumptæ pro ſcientia dumtaxat, ergo non videtur Magiæ in communi ſic ſumptæ bona diffinitio prædicta.

In oppoſitum tamen, quod omnes nomine Magiæ aliquam facultatem ſiue docendi ſiue efficiendi aliqua mira concipiunt, ſed hoc totum breuiter & adæquatè explicatur dicendo *Eſt exactior arcanorum naturæ cognitio*, ergo dicendo hoc pacto breuiter & adæquatè explicatur conceptus ipſe Magiæ.

Reſpondetur Magiam licitam vt ſic optime diffiniri dicendo, eſt *exactior arcanorum naturæ cognitio*. Probatur quia ita de facto diffinire nos docent Proclus lib. de Magia, Pſellus li. de Dæmonibus, Martinus Delrio lib. 1. c. 3. Conſentiunt Philo Iudæus lib. de ſpecialibus legibus vocans, *ſcientiam, per quam viſis clarioribus natura cernatur*, Suidas lib. 1. *ſapientiam ſuperiorem ad Aſtronomos*, Ammianus Marcellinus lib. 10. cap. 22. *Magiam opinionem inſignium*, Arnobius li. 2. *Clandeſtinas artes, remotas Diſciplinas, ſecretarum artium ritus*, Laurentius Renanus in Tertullianum lib. aduerſus Iudæos cap. de natiuitate ex Plinio & alijs, *humanarum ſcientiarum apicem*, Appuleius apolog. 1. *Qui prouidentiam Mundi Curioſius veſtigant & impenſius Deos celebrant, eos vulgo Magos nominant*, Celius Rhodiginus libr. 9. cap. 23. *quæ proprie Magia nuncupatur perfecta creditur & ſumma ſcientiæ poteſtas*, Maluenda lib. 7. ar. 4. appellat *totius naturalis Philoſophiæ Mathematicarum & Medicinæ apicem, ſeu faſtigium*, Vnde Picus Mirandulanus qu. 5. de Magia ex Gulielmo Pariſienſi lib. de Vniuerſo, inquit, *Magi probibiti dicuntur Magi quaſi mali, quia Mala faciunt, Magi autem naturales dicũtur Magi quaſi Magni, quia Magna faciunt*, Quod dixerat etiam Petrus Comeſtor ſcil. Magos ita fuiſſe appellatos *à magnitu line ſcientiæ*, vt refert & approbat loco cit. Renanus, & ex illo Actorum cap. 8. colligi poteſt, *Vir autem quidam nomine Simon &c. Magus ſeducens gentem Samariæ dicens ſe eſſe aliquem Magnum &c.*

Ad primum ergo diſtinguo minorem, loquendo de Magia in ſpeciali ſumpta pro arte dumtaxat, quæ ars magica nuncupatur, conc. de magia in communi, quæ compræhendit ſcientiam & artem, nego, & primo modò procedunt qui in argumento citantur, vt diſtinguit aperte Nazarius ibi paragraf. *nunc Magiæ diſtinguendæ ſunt partes*. Et nos in ſequenti dicemus.

Ad ſecundum diſt. mino. ex Doctrina Ariſtotelis primo Poſteriorum c. 22. loquendo de præſtantia ſcientiæ ex parte principiorum vel obiecti, conc. ex parte modi procedendi vel ex parte ſubiecti, nego, quia magia, vt diximus, cognitionem importat circa ſingula exactiſſimam & ideò admirabilem, vti cognitio de Cælo & Deo, etiam ſi puro lumine naturæ acquiſita minus exacta, eſt tamen ex parte obiecti nobilior, vt tradit idem Ariſtoteles primo de partibus animalium cap. vlt.

Ad tertium conceſſa maiori nego minorẽ, Nam ex Ariſtotele li. 6. & 8. Topicorum capit. 2. & libr. 2. Methaph. cap. 1. cognitio indifferens eſt ad ſpeculationem, qualis eſt ſcientia in contemplatione conſiſtens, & ad practicam, qualis eſt ars ordinata ad factionem, & ita ſy cognitio in practica

d ſti i·

diffinitione comprehendit ſimul Magicam artem, ac ſcientiam.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Magia licita iam diffinita recte diuidatur in ſcientiam & artem.

Videtur quod non Aliquibus ſcriptoribus de magia ſupracitatis art. 1. ad primum, vel ſolum agnoſcentibus Magiam pro ſcientia vel ſolum pro arte, vel ſimul in vnico habitu confundentibus vtramque rationem, vt legenti patebit, iſtis inquam videtur quod non. Et primo probatur primum, quia, vt colligitur ex ſecundo Phyſicorum cap. 1. naturale diſtinguitur contra artificiale, ſed magia licita, de qua loquimur, appellatur naturalis, ergo nequit dici artificialis, ergo non datur Magia ſumpta pro arte.

Secundo probatur ſecundum, quia ſi daretur Magia pro ſciẽtia diſtincta contra artem, profecto eſſet aliqua ſcientia naturalis ſpeculatiua, ſed nulla alia ſcientia naturalis ſpeculatiua datur præter Phyſicam, Mathematicam, atque Methaphyſicam, vt ſupra vidimus qu. 8. art. 4. ergo non datur Magia ſumpta pro ſcientia diſtincta contra artem.

Tertio probatur tertium, quia ſicut Logica habet ſpeculationem, & tamen ordinatur ad aliquod opus, ita magia vt ſic poteſt habere ſpeculationem, & tamen ordinari ad aliquod opus, Sed ex primo Logica in vnico habitu adunat rationem ſcientiæ & artis, vt Dialectici dicunt, ergo pariter ex ſecundo Magia in vnico habitu addunabit vtramque.

Quarto quia etiam Medicina in vnico habitu adunat rationem ſcientiæ ſpeculatiuæ & rationem artis ordinatæ etiam ad opus externum omninò, vt traditur à Fruſiano Monaco in artem paruam Galeni, à Montano & ab alijs, ergo pariter Magia ita ſe habebit.

In oppoſitum tamen eſt, quod magia licita proportionaliter contraponitur Magiæ Dæmoniacæ, quæ vetita eſt, ſed Dæmoniaca diuiditur tanquam in duos habitus in *Diuinatricem*, quæ in ſpeculatione conſiſtit, & *operatricem*, quæ conſiſtit in factione, vt ſcribit Nazarius loco citato controu. 2. de Magia cum alijs, ergo à pari Magia licita diuidenda videtur veluti in duos habitus in *ſcientiam*, quæ in contemplatione perſiſtat, & in *artem*, quæ pertingat ad opus.

Reſpondeo de facto magiam licitam optime diuidi in ſcientiam & artem. Probatur quia vt refert Martinus Delrio lib. 1. cap. 2. & probat Alaſius diſt. 4. qu. 1. art. 1. concl. vltima ex S. Tho. 3. contra Gentes cap. 104. Victoria relectione de magia, Raphaele della Torre 2. 2. qu. 96. Michaele Medina lib. 7. de recta in Deum fidei, Pico, Maluenda, & huiuſmodi, Magia vt ſic diuidi ſolet in *Dæmoniacam*, *Naturalem*, & *Artificialem*, ſed nomine naturalis nil aliud intelligi poteſt, quam Magia licita ſumpta pro ſcientia naturali, nomine artificialis, quam Magia licita ſumpta pro arte,

vbi

vbi nomine Dæmoniacæ Magia vetita ſumitur, ergo ſignum eſt Magia n licitam optimè diuidi in magicam ſcientiam & artem, & cum iſta ſecunda coincidit adæquatè illa, quam Martinus Delrio cap. 3. *naturalem operatricem* appellat, & ad primam reducitur altera illa, quam ibidem *naturalem diuinatricem* agnoſcit. Pro prima faciunt omnia illa, quæ art. 1. retulimus ſc. magiam veluti nomẽ Analogum primitus importare mirabilẽ Philoſophiã, pro ſecũda ſingula aptari poſſent, quæ eruditiſſimè refert Alaſſius loco cit. p. p. de miris operibus naturali magia patratis: & vtraque poteſt ex diffinitione licitæ magiæ deduci quæ ſc. *eſt exactior quadam arcanorum naturæ cognitio*, conſequenter ſicut duplex eſt cognitio in propoſito, altera merè ſpeculatiua competens ſcientiæ, altera ſimul ordinata ad factionem competens arti, ita magia licita duplex exiſtet ſcil. ars ſimul, ac ſcientia, ſicut vt probabilius pariter duplicem dari habitum Medicinæ alterum ſpeculatiuum, qui ſcientia eſt, & practicum alterum, qui ſit ars, optimè pertractat Maſius ſect. 2. proemiali Phyſices qu. 2. ad primum.

Ad primum ergo diſt. maiorem, quia naturale, vt loco cit. Phyſicæ Philoſophi tradunt & inde Theologi, diſtinguitur non ſolum contra artificiale, ſed etiam contra ſupernaturale, vnde primo modo concedo, ſecundo modo nego, & eodem modo diſt. minorem & conſequens, nam magia licita vt ſic *naturalis* dicitur pro quanto non vtitur aliqua virtute ſuperiori ſublunaribus illis (qualis eſt Dæmoniaca in præſenti) cum quo tamen ſtat quod magia licita ſumpta pro ſcientia retineat nomen generale *Magiæ naturalis*, vbi magia licita ſumpta pro arte artificialis magia vocatur.

Ad ſecundum diſt. maiorem, ſcilicet diſtincta eſſentialiter ſecundum ſpeciem, concedo, accidentaliter iuxta perfectum & imperfectum intra eandem ſpeciem, nego, & ad minorem primo modo, conc. ſecundo modo nego. Eodemque modo diſtinguitur conſequens, quia magia ſumpta pro ſcientia ſcil. naturali (rationalis enim atque moralis extra propoſitum eſſent) diuagatur atque diuiditur iuxta ſingulas ſpecies ſupra alatas qu. 8. ar. 4. addendo dumtaxat perfectionem accidentalem eiſdem, vt ar. 3. dicebam; Magia vero ſumpta pro arte alio modo diuiditur vt in ſequenti dicemus.

Ad tertium vtique Conimbricenſes qu. 2. proœmiali Phyſices art. 4. ad 4. diſcurſum totum admittunt; ſed minus bene, crediderim, quia vt habetur ex S. Thoma p. 2. qu. 57. art. 3. ad 3. licet ſcientia poſſit eſſe ſimul ars liberalis ſcil. per ordinem ad opus internum, vt Aritmethica & huiuſmodi, non tamen poteſt ſimul eſſe ars Mecanica ſcil. per ordinem ad aliquam actionem ad extra tranſeuntem in corpora, & ideo ad ſingularia ſpectantem, conſequenter Logica poteſt eſſe ars ſimul & ſcientia, licet ſit habitus vnus, tamen de magia hoc eſſe non poteſt, & conſequenter habitus Magiæ ſumptæ pro ſcientia cum Philoſophia naturali in entitate coincidit, habitus autem magiæ ſumptæ pro arte ſubalternatur veluti magiæ ſcientificæ, ſicut Chirurgia Geometriæ & huiuſmodi, vt Ariſtoteles 1. Poſteriorum cap. 13. docet.

Ad

Ad quartum nego antecedens, Nam Medicinam diuidi in ſcientiam ſpeculatiuam & artem practicam tanquam in duos habitus tradidit Auicenna lib. 1. Fen. 1. Doctrin. 1. Christophorus Vegha in præfatione operum Medicinalium, & probat optimè Maſius ſect. 2. Proæmiali qu. 2. ad 1. eiique ſententia communior, vnde hinc potius à pari doctrina data firmatur.

ARTICVLVS V.

Quomodo Magia licita ſumpta pro arte ſubdiuidatur in membra.

Videtur aliquibus ex ſupra relatis vel id ommittentibus, vel confundentibus, quod magia ſumpta pro arte non bene diuidatur in Magiam Phyſicam, ac Mathematicam, & Methematica inde quintupliciter in Geometricam, Arithmeticam, Aſtronomicam, Muſicam, ac perſpectiuam.

Primo quia magia ſumpta pro arte ſubalternatur magiæ ſcientificæ, quæ *ſcientia naturalis* vocatur, vt diximus ſupra, & ex illo Plotini colligitur magiam ſcil. *ancillam eſſe naturæ ſagacem*, referente Garzonio ſerm. 41. ergo totuplex erit ſubalternata hæc magica ars, quotuplex erit ſcientia naturalis ſubalternans ad ipſam, ſed ſcientia naturalis non ſolum eſt Phyſica, ac Mathematica, ſed etiam Methaphyſica, ergo magia etiam non erit ſolum Phyſica ac Mathematica, vt modo dicimus, ſed Methaphyſica quoque.

Secundo quia ab Auctoribus enumerantur de facto etiam plures alię magiæ licitæ ſumptæ pro arte præter enumeratas à nobis ſc. primo magia Medica, pro qua præcipue Victoria releċt. cit. magiam accipi putat, & de qua Martinus Delrio lib. 1. qu. 4. cap. 3. diſcurrit. Secunda Chriſopheia, ac Chimica, de qua fusè & ex profeſſo Senertus libr. de conſenſu Chimicorum cum Galeniſtis & alij ab ipſo relati. Tertio magia Cabaliſtica, quam partim approbat Nazarius etiam controu. 2. de magia qu. 12. ex Origene, Hilario, ac Hieronymo pro eadem à Pico relatis. Quarto tandem ars Ludrica & deceptoria circulatorum & huiuſmodi, de qua erudité Delrio lib. 1. cap. 4. ergo non eſt adæquata noſtra prædicta diuiſio.

Tertio quia magia licita ſumpta pro arte contraponitur magiæ Dæmoniacæ, quæ *eſt ars aliquid occultum diuinandi, vel mirabile efficiendi mediante inuocatione ſiue explicita ſiue implicita Dæmonis*, ſed iſta magia Dæmoniaca aliter diuiditur in ſpecies, quã à nobis diuidatur magia licita ſumpta pro arte, ergo ſignum eſt licitam Magiam ſumptam pro arte non eſſe a nobis adęquatè diuiſam, min. explicatur, atque probatur. Nam iſta Magia Dæmoniaca, ſi eſt mediante inuocatione explicita Dæmonis, aut eſt primo Diuinatoria purè, aut ſecundo Diuinatoria ſimpliciter & ſimul operatoria ſecundum quid, aut tertiò purè operatoria; prima *eſt ars aliquid occultum diuinandi mediante inuocatione explicita Dæmonis nulla alia operatione inter veniente naturæ*, & quadruplex eſt, aut enim fit mediante Dæmone apparente ſenſibiliter & vocatur *Præſtigium*, aut mediante Dæmone apparen-

te

te in ſomnijs, & vocatur *Diuinitatio ſomniorum*, aut mediante Dæmone reſpondente per Mortuos, & appellatur *Negromantia*, aut mediante Dæmone reſpondente per Areptitios, & appellatur *Diuinitatio per Pithones*: ſecunda vero Diuinatrix ſimpliciter & operatrix ſecundum quid *eſt ars diuinandi occultum mediante innocatione explicita Dæmonis interueniente ſimul aliqua operatione naturæ*, & quintuplex eſt, aut enim interuenit operatio alicuius terreſtris corporis, & vocatur *Geomantia*, aut aquæ & dicitur *Idromantia*, aut Aeris & nuncupatur *Aeromantia*, aut ignis & vocatur *Piromantia*, aut Viſcerum animalium & appellatur *Aruſpicium*: Denium tertia ſcil. purè *operatrix eſt ars mediante innocatione explicita Dæmonis aliquod mirabile efficiendi*, & licet per plura portenta vagetur principaliter tamen eſt triplex, aut enim dicitur *ars notoria*, ſcil. ordinata ad acquirendas ſubito ſcientiam & artes, aut *ars Sanitatum* ſcil. ad mirabiliter medendum, aut *ars maliſiciorum* ſcil. ad aliquod damnum afferendum ſiue animatis & mixtis, ſiue elementis, & quomodolibet ordini rerum. Si autem fit mediante inuocatione ſolum implicita Dæmonis, ſcil. ex conſideratis quibuſdam diſpoſitionibus rerum vt ſignis euentus, tunc quintuplex eſt, aut enim fit mediantibus ſignis in Cęlo, & ea dicitur *Aſtronomica*, ſiue *Genetliaca*, aut in motibus vocibuſque animalium, & dicitur *auſpicium*, aut in hominum verbis, & dicitur *Omen*, aut ex figuris in partibus corporis hominis, & dicitur poſtea *Chiromantia* ex manibus, *Phiſionomia* ex vultu, *Motopoſcopia* ex fronte & huiuſmodi, aut demum mediante fortuita diſpoſitione aliquarum rerum ut Taxillorum figurarum &c. & dicitur *Diuinatio Sortium*. Ad quas omnes ita Methodicè diſtributas reducuntur cæterę quædam enumaratæ à Delrio lib. 4. cap. 2. qu. 6. & 7. & Fuſius à Bulengerio lib. 3. de ratione Diuinationis per totum, vnde conſtat magiam Dæmoniacam ſine veritam diuidi per plures ſpecies, quam magia licita diuidatur à nobis, vt dicebatur.

In oppoſitū tamē, magia licita ſūpta pro arte *eſt exactior arcanorum naturæ cognitio ordinata aliquo modo ad factionem alicuius rei admirabilis*, ſed exactior naturæ cognitio ordinata ad factionem ſolum poteſt eſſe vel *Phyſica* ſcil. vtens virtutibus Phyſicis rerum, vel *Mathematica* ſcil. vtens quantitatibus rerum diuerſimodè diſpoſitis inuicem, non verò poteſt eſſe Methaphyſica propter nimiam abſtractionem à materia & à factione per cōſequens, ergo magia licita ſumpta pro arte ſolum poteſt eſſe *Phyſica* vel *Mathematica*, non autem Methaphyſica, *Mathematica* verò inde multiplex eſt iuxta numerum ſpecierum ſub ipſa & ſubalternatarum ad ipſam, ergo de primo ad vltimum magia licita adæquate diuiditur enumerando prædicta.

Reſpondeo magiam licitam ſumptam pro arte adæquatè ſubdiuidi in Phyſicam ac Mathematicam, & Mathematicam in Geometricam Arithmeticam, Aſtronomicam, Muſicam, ac Perſpectiuam. Ita fatetur probatque Nazarius controu. prima de magia in initio, eo quia ad Phyſicam ſpectant ſingula ea, quæ refert Martinus Delrio lib. 1. cap. 3. per quatuor quæſtiones, vbi hanc vocat magiam nomine Generali *naturalem* ideſt *Phyſicam*, vt claritatis gratia nominauimus ipſi: ad Mathematicam ea ſingula ſpectant,

quæ idem poſtea refert cap. 4. vbi hanc vocat ſpeciali nomine *Magiam artificialem*, quia ſcil. non ita Phyſicæ rerum naturæ miſcetur. In ſpeciali autem pro Geometrica faciunt, quæ refert ibidem de Cælo vitreo Archimedris ex Claudiano, de Columba lignea Architæ ex Plurarcho,& de alijs huiuſmodi ex Aulo Gelio li. 10.noctium Aticarum & alijs; pro Arithmetica & Muſica plurima refert infra qu. 2. ſicut etiam pro Arithmetica plura pertractat Beda tom. 1.& latè diſcurrit Io. Picus diſputat. de magia; Pro Aſtronomica recenſet alia idem Martinus Delrio dicto ca. 4. qu. 1. ex Caietano, Pico & alijs; pro Perſpectiua demum faciunt, quæ refert idem in illo cap. 4. de magia Ludrica ſeu deceptoria & huiuſmodi.

Ad primum igitur diſtinguo antecedens *ſcientiæ naturali*, cuius tamen obiectum poſſit ordinari ad factionem, conc. aliter nego,& negatur prima & vltima conſequentia, quia Methaphyſica licet ſub philoſophia naturali ponatur, tamen eius obiectum nimis à materia, & conſequenter à factione recedit,& ideo non datur magia ſumpta pro arte, quæ Methaphyſica ſit,licet magia ſcientifica detur Methaphyſica quoque.

Ad ſecundum nego antecedens,& dico ſingulas illas reduci ad vnam ex dictis, nam magia Medica ad Phyſicam ſpectat & pariter Chimica vt notauere Martinus Delrio, Nazarius,& alij; Cabaliſtica verò dupliciter ſumi poteſt, primo propriè iuxta primam nominis impoſitionem, ſecundo impropriè iuxta extenſionem eiuſdem, vt notat idem Nazarius qu. 12.& alij, & prima non eſt ſub magia ſumpta pro arte, ſed ſumpta pro ſcientia ſcil. *diffuſa de aure in aurem*, vt intelligunt Origenes,Hyllarius, ac Hieronymus a Pico relati. Secundo autem modo purè conſiſtens in efficacia nominum Habreorum eſt ficta à Rabinis & Dæmoniaca eſt, vt notauere prædicti,& ſi aliquid naturalis haberet,vti Picus exiſtimat, tunc propter numerum litterarum, quem conſiderat,ad Arithmeticam adhuc reduci iſta deberet. Demum magia Ludrica, ſi magia eſt, ad perſpectiuam reuocandam eſſe Nazarius bene confirmat, prout ex obiecti diſpoſitione ac manuum dexteritate occulorum fallit obtutum.

Ad tertium diſtinguo minorem, itaut omnia membra in diuiſionibus illis ſpecifice ſint in ratione formali diſtincta, nego, ita vt plura ex illis ſolum accidentaliter penes obiecta materialia inuicem diferant,conc.& nego conſequentiam, quia magiæ licitæ à nobis in præſenti diuiſæ ſicut ſubalternantur ſcientijs in ratione formali diſtinctis, ita probabilius eſt formaliter inuicem ſpecie diſtingui, licet Alaſſius loco citato putauerit vnicum habitum eſſe,eo quia vnica diffinitione explicatur, cum tamen etiam de philoſophia vt ſic vnica diffinitio tradatur, & nihilominus eadem ſubdiuidatur in plurimos habitus inuicem ſpecie ſine dubio diſtinctos. Et hæc de philoſophia tum ſingulari quorundam, tum de Peripateticorum philoſophia dogmatica hucuſque dicta ſufficiant.

Finis Libri Primi.

LIBER SECVNDVS

IN SECTAM ACADEMICAM SOLA Probabilitate contentam.

POST veræ philoſophiæ dogmaticæ approbationem, ſcilicet peripateticæ, de aduerſis eidem ſubdendum eſt, cum oppoſitorum eadem diſciplina dicatur. Et primo in hoc libro de oppoſita magis in Vniuerſum, cuiuſmodi accademica Secta eſt citra omnem certitudinem ſola probabilitate contenta, ſecundo de alijs eidem in magis particulari materia contrarijs in ſubſequentibus libris agendum erit, licet quandoque etiam ſubſequentium patroni Sectarum huic itidem accademicæ adſtipulari videantur, vt de Democrito refert ex Galleno Ioannes Franciſcus Picus lib. 1. examinis vanitatis doctrinæ gentium cap. 4. *Ambigentem fuiſſe de omnibus, præterquam de athomis & vacuo*, & Epicurum adaptaſſe ſuam Philoſophicam diſciplinam ſingulorum affectibus ex ſola probabiliſtarum regula atteſtatur Lactantius lib. 3. inſtitutionum cap. 17. vnde in hoc etiam eoſdem immitati Democriſtæ recentes vel Epicurei ſcilicet Carteſius & Gaſſendus, ille in methodo docet prius dubitare de omnibus, hic lib. 2. aduerſus Ariſtotelicos exercitatione vltima certitudinem ſcientiarum euertit.

QVÆSTIO PRIMA

De Academicis Etnicorum.

VT autem confuſum hoc caos in Ioanne Franciſco Pico congeſtum lib. 1. & 2. de examine vanitatis doctrinæ gentium, aptiori quâ poſſumus methodo ad inſtitutum hoc noſtrum ſecernamus. Primo de Academicorum ſeu probabiliſtarum Secta apud Etnicos, ſecundo de eadem apud Chriſtianos tempore ſolum poſteriore tractandum eſt; & quo ad primum de ipſis prius prædictæ Sectæ Philoſophis, ſecundo de communi eorundem intento ſeu obiecto ſcilicet de probabili dicendum eſt.

ARTICVLVS PRIMVS

Vtrum Academia Etnicorum rectè diuiſa ſit in veterem à Platone ad Arceſilam, mediam ab Arceſila ad Carneadem, & nouam à Carneade ad ſubſequentes.

Videtur quod non ob ſubſequentes difficultates; Primo contra primam Nam Shcola Platonica videtur perperam adnumerari cum Academicis, tum quia vt notat Lipſius lib. 2. manuductionis ad Stoicam phiſiologiam diſer. 3 Shcola Platonica ferè in hoc ſolum à dogmatica Ariſtotelis diſferebat, quod Plato ponebat ideas neceſſarias ad certitudinẽ ſciẽtiæ, Ariſtoteles vero vniuerſalia, ex quibus ille ſpecies infuſas ac reminiſcentiam inferebat, iſte eaſdem inficiabatur; tum quam hinc ferè dumtaxat ex falſa hominum aprehenſione diſſenſiſſe monebat Auguſtinus li. 3. contra Accademicos cap. 19. ergo immerito ponitur vetus Academia inchoans à Platone vſque ad Arceſilam.

Secundo contra ſecundam, quia quod ab vno extremo maxime diſtat extremum potius quam medium nuncupandum eſt, ſed Arceſilas in modo dicendi maximè diſcedebat ab Academia veteri Platonicorum & longe magis quam Carneades, vt contra vnicum Ficinum lib. 17. de Theologia Platonis omnes alij conueniunt cum Auguſtino lib. 3. contra Academicos cap. 10. *Euigilauit enim*, inquit, *Carneades & nemo iſtorum minus altè quam ille dormiuit & circumſpexit rerum euidentiam*, ergo Acca demia incipiens ab Arceſila magis debebat extrema vocari quam Media, non vero extrema ab oppoſito illa Carneadis Academia nominari.

Tertio cõtra tertiam quia Zeno Citicus, cum quo acriter pugnauit Arceſilas Euſebio teſtante lib. 14. cap. 2. profecto fuit ante Carneadem ſicut & Arceſilas, neque cum Carneade conueniebat, vt ſeparat eoſdem Auguſtinus lib. 3. contra academicos cap. 17. ſed iſte Zeno, vt loquitur Varo, *& ipſe nouam hæreſim nouo paxillo ſuſpendit*, vbi & Arceſilas ibidem dicitur *nouam Academiam* excitaſſe, ergo iterum non minus Zenoni quam Carneadi ſua altera noua Academia tribuenda eſt.

Quarto contra eandem, quia eiuſdem nouæ Academiæ primordia referunt aliqui ex antiquis in Zenofanem, alij in Homerum ex Laertio in Arceſila, ſicut & Origenes attribuit hæc Zanto Siracuſio apud Ioannem Franciſcum Picum lib. 1. de examine &c. cap. 4. & Laertius attribuit etiam Lacidi in vita eiuſdem in initio dicens *Lacides nouæ Academiæ Princeps*, ergo Carneadi tribuenda non eſt.

Quinto quia Seneca lib. 7. quæſtionum naturalium cap. vlt. de Academicis ſolum ita ſcribit, *Academici & veteres & minores nullum antiſtitem reliquerunt*, imo nec Cicero vnquam, inquit Picus lib. 1. cap. 4. mentionem egit niſi nouæ & veteris Academiæ vbique, neque Lactantius lib. 3. cap. 6. vbi Academicos refutabat, ergo ſignum euidens eſt minus congrue

tripli-

Digitized by Google

triplicem academiam recenſeri.

In oppoſitum tamen eſt auctoritas Auguſtini libr. 3. contra Academicos cap. 17. & 18. Platoni attribuentis *veterem academiam, Arceſilæ mediam,* & demum de Carneade concludentis, *ob hoc dicitur etiam Carneades tertiæ academiæ Princeps atque auctor fuiſſe*, ſed Aug. ibi de Academicis ex profeſſo pertractabat, ergo videtur eidem in propoſito ſtandum eſſe.

Reſpondeo affirmatiuè non ſolum ob teſtimonium Auguſtini, ſed etiam Euſebij libr. 14. de præparatione Euangelica in initio, Laertij, Galleni & aliorum plurimorum, quos refert etiam Ioannes Franciſcus Picus lib. 1. cap. 4. Lipſius & alij plerumque ſic ordinantes hanc triplicem Academiam, vt prima admiſerit ſolum ſcientiam de rebus intelligibilibus de ſenſibilibus verò opinionem, ſecunda ſolummodo probabilitatem vniuerſim agnouerit negans vlterius hoc ſciri poſſe, quod nihil ſcitur, & prohibens etiam opinatiuum aſſenſum, tertia conſenſit primo dumtaxat admittendæ probabilitatis, de reliquo liberalior in alijs, quod integrè & ſingillatim de ſingulis ex antiquorum atteſtatione comprobandum eſt. De prima quidem nimirum veteri Academia Platonis habetur ex Aug. lib. 3. contra Academicos cap. 17. in initio, & patet etiam ex eodem Platone in Thimæo & ad hoc facit Platonica illa decantata diuiſio mundi ſcil. in intelligibilem atque ſenſibilem, quam Eugubinus expendit lib. 3. de perenni philoſophia cap. 8. poſt Clementem in quinto Stromatum & Euſebium lib. 2. præparationis Euangelicæ cap. 12. & alios. De ſecunda autem academia ſeu media Arceſilę atteſtatur Cicero in primo Academicarum hoc fuiſſe Arceſilæ placitum, *nihil ſciri nec illud quidem ipſum quod ſibi Socrates reliquerat*, & Numenius in libr. de diſſenſione Academicorum inquiens *Arceſilæ orationem op[illegible], Diodori Sophiſticam, Pyrrhonis autem auxilio mutabilem euaſiſſe*; Lactantius li. 3. cap. 6. ſubiungens Arceſilam *reprehenſiones omnium in ſe collegiſſe confuſionemque ignorantiæ, & ſe aduerſus omnes armauiſſe & inſtituiſſe nouam non philoſophandi philoſophiam*, ſic de eodem Aug. referebat lib. 2. contra academicos cap. 11. *illud probabile vel veriſimile vocauiſſe, quod nos ad agendum ſine aſſenſione poteſt inuitare, vt id quod agimus neque opinemur*, & ad idem retulit etiam Sexti Empirici teſtimonium Ioannes Franciſcus Picus libr. 2. cap. 14. vbi & Numenij verba commemorauerat Euſebius lib. 14. mox ante citatus. De tertia minorem inuenio antiquorum conſenſum, an Carneades præter ſolam admiſſam probabilitatem, admiſſerit etiam ad differentiam Arceſilæ opinatiuum aſſenſum, vt nos probabilius eſſe ſupponimus, videtur enim nobis obſtare auctoritas Ciceronis in Lucullo referentis hæc verba Carneadis, *veri eſſe aliquid non negamus, percipi poſſe negamus*, & iterū Carneadi attribuit, *quod negaret quidquam eſſe quod perciperetur nihil excipiens*, & 4. Academicarum de eodem adiungit, *ſequentes tantummodo quod ita viſum ſit, dummodo ſine aſſenſu*, & ex Clitomaco lib. 1. de ſuſtinendis aſſenſionibus recitato etiam apud Tullium in Academicis Picus libr. 2. cap. 15. obſeruat, *Carneadem vt feram & immanem beluam ex animis noſtris aſenſionem ideſt opinationem & temeritatem extraxiſſe*, licet Clitomacum con-

clu-

Digitized by Google

cluſiſſe ſubiungat *numquam ſe intelligere potuiſſe quid Carneadi probaretur*, ex alia parte idem Cicero in lib. poſteriori academicarum quæſtionum attribuit retentionem aſſenſus Arceſilæ potiuſquam Carneadi, vt idem Picus aduertit lib. 1. cap. 4. & de eodem Carneade Aug. lib. 3. contra Accademicos cap. 10. innuit immo ſolum negaſſe ſcientiam circa philoſophica non circa cętera, vnde ſic loquentem inducit, *dicamus ea nos neſcire, quæ inter philoſophos requiruntur, cętera ad nos non pertinere*; dicendum igitur fortaſſe eſt aut eum negaſſe aſſenſum etiam opinatiuum, quo externè alijs ſe opinari concederet, vt idem Clitomacus diſtinguebat apud eundem Picum lib. 2. cap. 15. aut internum etiam aſſenſum negauiſſe non omnem ſed quo certum ſe eſſe opinaretur, vt ex præaducta Ciceronis auctoritate haberi poteſt, aut demum negauiſſe ad ſummum opinatiuum aſſenſum directum non reflexum, quo conſentiret aliquid probabiliter opinabile eſſe, quo modo Suidas verbo Eulogum memorat colloquētibus Ptolomeo & Academico quodam & illo cerea Malapunica afferri iubente, hoc vero decepto veluti mala vere punica eſſent illi redarguenti Academicum hunc reſpondiſſe ſe *non aſſenſum quod eſſent, ſed eſſe probabile quod mala punica eſſent*.

Ad primum igitur conſtat ex præaductis de Platone ob incertitudinem ſenſibilium academicum potius quam dogmaticum extitiſſe, vnde etiam Aug. lib. 19. de Ciuit. cap. 1. ex Varone confirmat veterem academiam à Platone in Polemonem deductam eſſe, qui Stoicorum more pleraque Sophiſmatibus inuoluebat, vt etiam in Cōmētarijs ad idem Aug. caput Ludouicus Viues & Coqueus aduerterunt. Vtique verum eſt poſt Arceſilæ & aliorum academicorum exceſſus male adeo habitum nomen academicorum, vt referente eodem Aug. lib. 8. de Ciuit. cap. 12. *recentiores philoſophi nobiliſſimi, quibus Plato ſectandus placuit, noluerint dici peripatetici; aut academici ſed Platonici*, cum tamen ſine dubio Varo apud Ciceronem in primo academicarum a dogmaticis maluerit ſeparare Platonem.

Ad ſecundum nemo eſt ex adductis, qui non aduertat duobus modis aliquam Academiam dici poſſe mediam, vel extremam, ſcilicet vel diſtantia temporis vel contrarietatis; hoc modo vtique ſecundo probat obiectio Carneadem mediam potius quam extremam inſtituiſſe Academiam, ſed primo modo loquentes antiqui huic extremam, Arceſilæ mediam iurè merito tribuere voluerunt, vt Picus, Mazzonius, Pererius, alijque aptiſſime diſtinxerunt.

Ad tertium In primis Stoicos longè à noua Academia diſſenſiſſe compertum eſt, cum immò iſta contra Stoicos introducta ſit, vt ex Cicerone Auguſtinus expendit, & inde paſſim cęteri proſequuntur; Stoici enim vt etiam Picus ex alijs adducit lib. 2. cap. 14. tria hæc conſueuere diſtinguere ſcientiam & opinionem velut extrema & comprehenſionem vt mediam diffinientes primam *eſſe certam & ſecuram & imperturbabilem à ratione conceptionem*, opinionem *falſam & debilem aſſentionem*, comprehenſionem vero *comprehenſibilis phantaſiæ conſenſum*, primam ſolis ſapientibus propriam.

ſcie

Digitized by Google

ſecundam ſtultis, tertiam vtriſque communem; ex quo poſtea ortum eſt vt prohibuerint quo ad rationem opinari ſapientem, vt ex Zenone refert Cicero lib. 4. Accad. & li. 1. ex eodem vocans, *opinionem quæ eſſet imbecillis & cum falſo incognitoque communis*, & inde Stobeus in Eglogis proſecutus eſt ex eildem dicens *duplicem eſſe opinionem, vnam rei incomprehenſæ aſſenſum, alteram infirmam de re ſuſceptionem; has alienas ſapientis affectioni, quia inclinari ante rem comprehenſam & aſſentiri in præpetem & præcipitem minus conuenit*, niſi quis velit aliter Stoicos interpretari, nimirum intellectui prohibuiſſe non omnem adhuc opinionem, ſed eam, quâ aliquis in falſis vel probabilibus crederet ſe certo ſcire, quommodo præter Laertium etiam Sextus Empiricus in li. aduerſus Mathematicos videtur Stoicos intellexiſſe dicens ex ipſis, *ſapiens inditium minime aberrans habet, & eſt in omnibus diuinus propterea quod non opinatur, hoc eſt falſo aſſentitur, eo quod non ex mala ſed ex bona hoc profert affectione*, & Lactantius lib. 3. cap. 4. *Zeno* inquit *& Stoici opinationem repudiarunt, opinari enim te ſcire quod neſcias, non eſt ſapientis, ſed temerarij*. Inter hos tamen addendum eſt enir Zenonem Citicum, de quo obiectio loquebatur, vt Mazonius animaduertit ſectione 3. de comparatione Platonis & Ariſtotelis, ita in Cinicorum dogmata deſcendiſſe *vt ea magis ad humanitatem flecteret*, ex quo nouam dictus eſt inter ipſos Academiam induxiſſe deſcriptam etiam à Iuuenali his verſibus.

Et qui nec Cinicos nec Stoica dogmata legit
A Cinicis tunica diſtantia

Ad quartum Picus lib. 2. cap. 14. reſpondet ad minus Carneadem dici nouæ Academiæ auctorem, *quia procul omni dubio eiuſdem fuit Magnus amplificator*, & de Lacide Mazonius adiungit eum magis Arceſilæ auditorem, ſectariumque fuiſſe; cuius Arceſilæ Academia vt mox dicemus etiam noua non ſemel nuncupata eſt, idque probat ex Numenio in libro de diſſenſione academicarum, Euſebio de præparatione Euangelica lib. 14. & Cicerone in Academicis, & proſequitur Coqueus in Cõmentarijs ad librum 19. de Ciuitate cap. 1. ad hoc addens etiam Galeni, Lucianique teſtimonium. Origenes autem quam longè & in alijs circa academicorum ſeriem nec non placita aberarit, expendit prolixe Picus lib. 1. cap. 4. eo quod dixerit etiam Pirhonem academicorum Principem extitiſſe; Vtique verum eſt in tam multa & inſtabili eorundem ſerie, non mirum ſi & diuerſi antiquitus(diuerſiſſima retulleruut, vt fecit & Seneca epiſt. 89. ſic dicens, *circa eadem ferè Pironij verſantur, & Megarici, & Eretrici & Academici, qui nouam introduxerunt ſcientiam nihil ſcire*.

Ad quintum attulimus iam quot prædiſtinxerint præter Auguſtinum triplicem illam academiam veterem, mediam, & nouam ſeu recentiorem, quarum duas poſtremas ideo Seneca (vt notat Picus lib. 1. c. 4. & Lipſius lib. 2. phiſiologiæ diſer. 3.) non nouam ſed *nouas Academias* ſimal vno nomine appellauit, & iterum alibi hac vna voce ſcilicet *Academicos minores* nominauit, quos inde cæteri diſtinxerunt non ſolum adducti ſed præ-

ter

Digitized by Google

ter illos & alij vti Plutarchus in Bruto de eodem dicens, *noua & media, quam vocant, Academia minus probata veterem ſectatus eſt*, & aptant aliqui huic diuiſioni illud Suidæ verbo Pyrrhonij, ſcilicet quoſdam appellatos *Aporecticos, qui facti adhuc dogmatici dubitabant, quoſdam ephecticos, qui ſuſpendebant aſſenſum, & quoſdam ſcepticos, qui in conſideratione perſiſtebant*, alij accommodant etiam illam Galeni diuiſionem in libro de Philoſophica hiſtoria ſcilicet in philoſophiam dogmaticam vti peripatetica fuit, *& in ſcepticam cōtentioſam & mixtam*, vti iſtę a Platone Academię fuerunt.

ARTICVLVS II.

An recte ab Auguſtino ſubordinentur & diſtinguantur alij Academici poſteriores vt Philo, Antiochus, Tullius, Plotinus & alij.

Videbitur fortaſſe quod non ex ſubſequentibus dubitandi motiuis, primo quia de Pirhone omnino Auguſtinus omiſit, ſed hunc non ſolum ſcepticorum Principem extitiſſe ſupponunt Simplicius in Cathegorias & Aulus Gellius libr. 10. noctium atticarum cap. 5. ſed etiam omnino eadem placita ſequtum eſſe, ac de Arceſila adducta ſunt, Laertius in Pyrrhone, Euſebius lib. 14. & Sextus Empiricus apud Lipſium lib. 2. diſert. 3. teſtantur, ergo inſuficienter ab Aug. academici numerati ſunt.

Secundo quia, vt mox antea tangebatur, Seneca quoque Epiſ. 89. ad Lucillum ſimiles longè plures adducit his verbis, *Protagoras ait de omni re in vtramque partem diſputari poſſe ex æquo, & de hac ipſa an omnis res in vtramque partem diſputabilis ſit, Nauſifanes ait ex his quæ videatur eſſe nihil magis eſſe, quam non eſſe, Parmenides ait ex his quæ videntur nihil eſſe in Vniuerſo, Zeno eleates omnia negotia de negotio deiciens ait nihil eſſe*, ergo iterum plures ab Aug. Academici omiſſi ſunt.

Tertio nam Cicero lib. 1. de officijs, qui academicus præſuponitur, ita ſcribit, *tamen noſtra leges non multum à Peripateticis diſſidentia, quoniam vtique & Socratici & Platonici eſſe volumus*, ergo ruunt noſtræ iſtæ academicæ diſtinctiones.

Quarto quia atteſtante eodem etiam Aug. lib. 8. de Ciuit. cap. 12. *recentiores iſti philoſophi nobiliſſimi, quibus Plato ſectandus placuit, noluerunt dici Peripatetici aut Academici ſed Platonici, ex quibus nobilitati Græci, Plotinus Iamblicus Porphirius &c.* ergo incōgruè idem Aug. hos eoſdem Academicis adnumerauit.

In oppoſitum tamen eſt auctoritas Aug. lib. 3. contra academicos cap. 18. ita ex propoſito ſingulos ordinantis, vt inter academicos poſteriores poſt nouam Carneadis academiam primus fuerit Philo, in quo noua Carneadis academia vlterius ad veterem temperata eſt, ſecundus Antiochus, in quo prima vice vetus Academia integrè reſtituta manſit, tertius Cicero, in quo repreſſa denuo vetere academia noua regreſſa eſt, quartus demū Plotinus, in quo ſecunda vice vetus Platonis academia reuiuixit adiunctis eidem

eidem, vt notat Picus lib. 1. cap. 4. Proclo Iamblico & huiuſmodi, ergo ſic pariter nobis cum Auguſtino ſentiendum eſt.

Reſpondeo ne dum cum Auguſt. ſed etiam cum Euſebio lib. 14. præparationis Euangelicæ & alijs pluribus adductis ſupra recte ſic Academicos ſubdiſtingui; Et de primo quidem nempe Philone, quod nouam Carneadis academiam temperarit, habetur ex eo, tum quod conſtantior fuir in permittendo opinatiuo etiam aſſenſu directo erga probabilia, vt ex Numenio Euſebius lib. 14. cit. hæc verba refert, *Philo ſapientem opinari non prohibebat*, imo quandoque etiam huic aſſenſui opinatiuo conceſſit *comprehendi quædam*, vt repetit ibidem Numenius in eodem libro de diſſenſione Academicorum & pergit Picus lib. 1. cap. 4. ex quo fortaſſe Clitomacus Pœnus ſepe à Cicerone relatus aiebat, *vehementer errare illos, qui dicunt ab Academia ſenſus eripi, à quibus numquam id dictum ſit, ſed diſputatum non ineſſe in his, quæ numquam alibi eſſet, veri & certi notam*, & hinc etiam idem Tullius in primo Academ. innuit hunc Philonem ſuam hanc aprorecticam academiam conatum eſſe vnam cum veteri Academia demonſtraſſe, *quamquam Philo*, inquit Cicero ipſe, *narrauit in libris duas Academias eſſe; errorem eorum, qui ita putarint ſcilicet duas Academias fuiſſe, coarguit*; quoad comprehenſionem vero varium fuiſſe probat Sexti Empirici teſtimonium aientis *Philonem ſcilicet quartæ Academiæ Principem cenſuiſſe captatrici phantaſia res ipſas capi non poſſe, licet in ſe ipſis captabiles ac comprehenſibiles eſſent*, addito dicto Numenij vbi ſupra de eodem, ſcilicet *temporis ſpatio veritate rerum effectum eſſe, vt comprehenſibilitatis opinio conuicta fuerit, Philonemq; ipſum ne transfuga videretur redargui ſe magnopere voluiſſe*, vti & idem Picus aduertit eodem lib. 1. cap. 4. De ſecundo ſcilicet Antiocho integre veterem academiam reſtauraſſe non ſolum ex Aug. ſed etiam ex Varone colligimus apud Ciceronem libr. 4. academicarum quæſtionum & ſuffragatur Plutarchus in Bruto de eodem Bruto ſic dicens, *ab Academia noua migrauit ad veterem permotus auctoritate Antiochi Aſcalonitæ*, probat etiam aliunde Mazonius, quia hic Antiochus librum integrum contra Philonem ſui præceptorem euulgauit, & *Soſus* ab eodem inſcriptus eſt, & Cicero 4. Academicarum ſeu in Ortenſio dicere ſolebat, *Antiochum, qui appellabatur Academicus, ſi per pauca mutauiſſet, Stoicum futurũ fore*, & Numenius hinc inquiebat, *Aliena dogmata inuexiſſe. Philoni præceptori in pleriſque aduerſa*, & vt ait Sextus Empiricus, *gloriabatur ſe ſe in Academia ſpatijs Stoica philoſophari*. De tertio ſcilicet Cicerone idem de ſe ipſo fatetur tum in ſecundo officiorum dicens, *vellem ſatis cognita eſſet noſtra ſententia, non enim ſumus hi, quorum vagetur animus errore, nec habeat umquam quid ſequatur. Nos enim, vt Cæteri alia certa alia incerta eſſe dicunt, ſic ab his diſſentientes alia probabilia, alia non probabilia dicimus eſſe. Quid eſt igitur quod me impediat ea, quæ mihi probabilia videantur, ſequi, quæ contra improbare, atque affirmandi arrogantiam vitantem fugere temeritatem?* Tum in Lucullo ſubiungens, *neque inter nos & eos, qui ſe ſcire arbitrantur, quidquam intereſt niſi quod illi non dubitant quin ea vera ſint, quæ deffendunt, nos probabilia multa habemus, quæ ſequi*

facile, affirmare vix poſſumus, tum in ſecundo definibus, tum ſecundo Tuſculanarum, & alibi ſępe, imo. & in Lucullo in ſuã conatur ſententiam trahere etiam Antiochum, ſed perperam vt notat Picus lib. 1. ca. 4. De quarto demum ſcil. Plotino abundantiſſime legi poteſt Aug. tum lib. 3. cap. 18. citato contra Academicos, tum lib. 8. de Ciuit. c. 10. & pergunt inde tum Picus lib. 1. cap. 4. in fine, tum cæteri paſſim.

Ad primum igitur, contra Mazonium diſtinguentem ſolo nomine loquendi Socratem vel Platonē, certius eſt ab Academicis in re differre Pyrrhonios quam id, in quo differant, explicare, tum quia Seneca lib. 7. quæſtionum naturalium ca. vlt. Pyrrhonem clare ſeparat ab academicis, vti fecerat etiam Epiſ. 89. *Pyrrhonios* diſtinctè nominans *Megaricos & Academicos*, & Numenius apud Ciceronem in Academicis hinc aſſerebat, *Arceſilam re fuiſſe Pyrrhonium, nomine Academicum*; Tum quia Gellius lib. 11. cap. 5. *differre*, inquit, *inter Pyrrhonios & academicos arbitrati ſunt & propter alia quædam, & propterea vel maxime, quod Academici quidem ipſum nihil poſſe comprehendi quaſi comprehendunt, Pyrrhonij autem ne id quidem nullo pacto videri verū dicunt, quod nihil eſſe verum videtur*; tum quia & fortè melius, Pyrrhonios neque admiſiſſe vnum eſſe probabilius altero, bene Academicos, diſtinguit Picus lib. 1. cap. 4. verſus finem & ante ipſum Euſebius lib. 14. ex Ariſtotelis atteſtatione probat *Apud Pyrrhonios res ex æquo indifferenter incertas inindicabiles*, Tum quia vt ex Sexto Empirico habet Lipſius lib. 2. diſert. 3. citata *Peior Academicorum Arceſilas Epochem bonum eſſe dicebat, malum aſſenſionem, idque ſecundum naturam, Pyrrhonij minime, ſed ſecundum id quod apparet*; Tum quia tandem ex eodem Euſebio ibidem & Ariſtocle Pyrrhonij iubebant *opinationis expertes manere nos debere ſine inclinatione, ſine motione de quoque ſingulari dicentes non magis eſt quam non eſt, itemque eſt non eſt, neque non eſt*, quod Protagoræ ſequacibus ex 4. Methaph. tex. 19. magis quam academicis adaptari poteſt.

Ad ſecundum dicendum eſt ob aliquam cum academicis ſimilitudinem, quam prænotauit & Sextus Empiricus apud Lipſium vbi ſupra, quandoque à Seneca congeri Pyrrhonios ipſos cum Academicis, præſertim quia & academicorum aliqui, ex Laertio in vita Pyrrhonis auxilio profecerunt, cum quo Pyrrhone coincidit Nauſifanis effatum apud Plutarchum contra Colotem *nihil magis eſſe quam non eſſe*, vti & Plurium aliorum, quorum diſcurſus refert contra dogmaticos Ioannes Franciſcus Picus lib. 2. cap. 3. vſque ad 14. & iterum cap. 16. & ſubſequentibus. Cæterum in re Protagoram inter illos (idem ferè de alijs dicendum eſt) longe ab academicis diſſenſiſſe in aliquibus conſtat, tum quia Protagoras apud Ciceronem in 4. Academicarum aſſerebat, *id cuique verum eſſe, quod cuique videretur*, & Sextus Empiricus aduerſus Mathematicos ſimilia verba commemorat, *omnes ſcilicet opiniones ac viſiones veras eſſe, quia veritas eſt ex ijs, quæ referuntur ad aliquid, cui autem apparuerit ſtatim ad illum refertur*, vt notat etiam Ariſtoteles lib. 4. citato Methaph. tex. 19. mutato ſolum (ex verſionis mendo) nomine Protagoræ in Pithagoram, vti textum conſulenti patebit. De Zenone autem

iam

Digitized by Google

iam ſupradiximis, & de Parmenide quomodo relatio Senecæ verificetur, ſcilicet apud Parmenidem *ex his quæ videntur in Vniuerſo nihil eſſe*, altero exponit modo Mazonius ſectio. 2. de comparatione Platonis cum Ariſtotele pagina 79. ex Simplicio in primo Phyſicorum, altero modo exponit Lipſius lib. 2. diſert. 4. ex illo Parmenidis in Sophiſta *nullo modo eſſe, quæ non ſunt*. Nos vero infra lib. 3. qu. 1. dicemus.

Ad tertium obſcuriſſimum vtique locum opponens fere priſcis intactum, aut permittendum eſt nomen Peripateticorum antiquius Ariſtotele cummuneque Platonis loco fuiſſe, vt probat Patritius tomo 1. lib. 10. ex Ammonio in prologomenis ad Categorias aiente. *Peripatetici talem ob cauſam dicebantur: Plato enim exercitij cauſa deambulans faciebat cum alijs conuerſationes &c.* aut addendum eſt Ciceronem ad effugiendum male habitum nomen academicorum, vt de Plotino & Proclo ex Aug. referebamus, conatum eſſe temperare ad ſpeciem ſaltem diſſimilitudinem inter Academiam & dogmaticam Ariſtotelis, vnde ad hunc finem idem Cicero in primo Academicarum fidenter aiebat, *nihil inter peripateticos & illam veterem Academiam re differebat, ſed erat duobus nominibus vna.*

Ad quartum tandem præter aductam antea ex Viues animaduerſionē in cap. 12. lib. 8. de Ciuitate Dei ſcil. poſtremos iſtos, & ſi re Academici forent, tamen maluiſſe nominari Platonicos propter minus gratum Arceſilæ nomen, inſuper adhuc ſect. 3. Mazonius pag. 95. opportune præmonuit, *priores adductas quinque Academias atticas dictas fuiſſe, eo quod earum principes Athenis profeſſi ſint, poſtremam vero peregrinam appellatam eſſe, quod eius Philoſophi extra Athenas docuerint, vt Ægyptiā ab Amonio, Romanam à Plotino, & Liceam à Proclo ſubortam*, quod meo videri deprōpſit ex Pico lib. 1. cap. 2. poſt eadem fere verba ſubdente pro nobis. *Quamquam item in hac ſucceſſione platonica referenda auctores omnino non conueniſſe ſciam, quando alio modo Laertius, alio Numenius & Euſebius, Lactantius aliò, aliò Auguſtinus & alij*, ideo & nos de Academicis fideliori, qua potuimus, ſerie iſta propoſuimus ac probauimus, ex quibus præter præmiſſam pro ſubſequentibus vtilitatem, occurrit denuo hic obſeruandum ſcil. principium illud in Carteſiana Metaphyſica primum, *Ego ſum res cogitans*, e Carneade eſcriptum eſſe legendum in Pico lib. 2. cap. 15. vti & altera ſimilis illa diſtinctio de perſpicuitate & perceptione reſponſione 4. ad quartas obiectiones, pariter reperitur in Stoicis apud eundem Picum lib. 2. capit. 17.

ARTICVLVS III.

An abſurda, quæ Etnicorum Academici proferebant, etiam ſincera mente tenerent.

VIdebitur pleriſque quod ſic. Primo quia vt inquit Lipſius centuria prima Miſcellanea epiſt. 50. *de fide veterum cur ambigimus? an fallere nos voluerunt de compacto? nec quidem in re omnium oculis ſenſibuſque expoſita potuerunt*, ſed antiquorum plerique, vt adductum eſt, prædicta abſurda vt Academicorum placita, immò mordicus defenſata, nobis poſteris prodiderunt, & inter cæteros Aug. lib. 19. de Ciuitate cap. 17. hinc differentiam expendit inter Academicos Etnicorum & Eccleſiam Chriſti, ergo ita intre illos Academicos cenſuiſſe credendum eſt.

Secundo quia, vt Laertius refert ad hunc finem, Academici vtebantur illo verſu poetæ, *mentem celauerunt mortalibus immortales*, & Democritus etiam apud Lactantium lib. 3. cap. 3. dictitabat *In profundo veritatem demerſam eſſe*, & adiungebant cæteri cum ipſo ſub Protei fabula ſvates etiam intellexiſſe inſtabilem veritatem apud Aug. lib. 3. contra Academicos cap. 6. ergo ſignum inde eſt vere negaſſe omnem certitudinem veritatis.

Tertio quia ſi hoc non eſſet maxime quia prædicta abſurda videntur inperceptibilia & dormientium ſomnio ſimilia, ſed vt ad propoſitum de Academicis Varro dicebat, *vtique nemo ægrotus quidpiam ſomniat tam infandum, quod non aliquis dicat Philoſophus*, ergo hinc non videtur adhuc nobis negandum abſurda illa academicos tenuiſſe.

In oppoſitum tamen eſt, quod vt probauit Ariſtoteles ex propoſito in 4. Metaphiſic. textu 8. & proſequitur S. Thomas in 2. diſtin. 25. qu. 2. ar. 1. & 1. contra gentes cap. 7. & alibi ſæpe, nemo poteſt mente negare hoc primum axioma. *De quolibet eſſe aut non eſſe neceſſe eſt*, etiam ſi ore negari poſſit. Sed Academici in ſuis placitis aut directe, aut conſecutione euidenti hoc negabant, vt contra ipſos exagitat appoſite Aug. lib. 3. contra Academicos cap. 13. & negaſſe teſtatur, præter allatos ſupra, Euſebius etiam lib. 14. Euangelicæ præparationis, ergo remanet non potuiſſe in mente ſaltem ea placita retinere.

Reſpondeo vtique probabilius eſſe non adeo deſipuiſſe, vt ea ne dum ore ſed mente pertinaciter retinerent. quod ſuſpicatus in primis fuit Aug. lib. 2. contra Academicos cap. 8. ex eo quia, inquiebat, *mihi illi videntur graues omnino & prudentes viri fuiſſe*, & poſtea decretorie reſoluit lib. 3. cap. 17. rationem etiam eorumdem adinuenti ſubiungens, quia Plato eorumdem omnium Anteſignanus ac ductor mundum duplicem agnoſcebat, vt vidimus, intelligibilem atque ſenſibilem permittens de primo ſcientiam ſeu reminiſcentiam per ſpecies infuſas; de ſecundo dumtaxat opinionem admittere viſus eſt, & de illo non niſi prædiſpoſitis auditoribus, de iſto & vulgaribus verba faciebat; ideo iſti juxta Platonis ingenium aut cũ vulgaribus

bus aut cum extraneis differentes in opinionum dumtaxat vel probabilium ſemita remanebant. Confirmat iterum ca. 20. idem Aug. authoritate Ciceronis academici} pariter ita teſtantis *Illis morem fuiſſe occultandi ſententiam ſuam, nec eam cuique niſi, qui ſecum ad ſenectutem vſque vixiſſet, aperire conſueuiſſe*, ideoque pergit Aug. c. 17. *Zenonem Principem Stoicorum cum iam quibuſdã alibi auditis & creditis in Scholã relictam à Platone veniſſet, quam tunc Polemo retinebat, ſuſpectum habitum nec forte talem viſum, cui Platonica illa veluti ſacroſancta decreta facile prodi committique deberent, quamobrem cum Zeno circa illa non doctus ſed ignarus poſtea malè diceret animam eſse mortalem, nec quidquam eſse præter hunc ſenſibilem mundum, prudentiſſime atque vtiliſſime mihi videtur Arceſilas maximus poſtea Academicorum, cum illud late ſerperet malum, occultaſse penitus Academiæ ſententiam circa mundum ſcilicet intelligibilem, & quaſi aurum inueniendum quandoque poſteris obruiſse, inſtituens vir acutiſſimus atque humaniſſimus dedocere potius quos experiebatur male doctos à Zenone, quam docere, quos docibiles à ſe ipſo non arbitrabatur; inde illa omnia nata ſunt, quæ nouæ Academiæ tribuuntur, quia eorum neceſſitatem veteres non habebant*, huc vſque Aug. qui tandem concludit cap. 18. hoc idem ex Metrodoro pariter academico, *qui primus dicitur eſse confeſsus non de recto placuiſse academicis nihil poſse comprehendi, ſed neceſsario contra Stoicos huiuſmodi eos arma ſumpſiſse*, cui academicorum concertationi cum Stoicis ſuffragantur & Cicero in primo Academicarum & Euſebius lib. 14. & alij paſſim ſuperius inducti, vt tangit & Picus Mirandulanus lib. 2. cap. 14.

Secundo probari poteſt aliunde, nam ſolum ore non mente poteſt aliquis hanc propoſitionem proferre vt veram & certam ſcil. *nullum verum datur nihil omnino certum eſt*, ſed iſti academici hanc proferebant, ergo ſolum ore non mente id tenuiſſè dicendum eſt. Minor probatur quia ita non ſolum de facto dixiſſe Socratem teſtatur Cicero in Lucullo dicens, *Quia Socrati nihil viſum ſit ſciri poſse, excepit vnum tantum ſcire ſe nihil ſcire*, & de Antipatro idem refert his verbis, *Conſentaneum eſse ei, qui affirmaret nihil poſse comprehendi, idem ipſum ſaltem dicere poſse comprehendi*, ſed etiam vlterius aliquos negaſſe hoc ipſum ſciri poſſe quod nihil ſcirent idem Cicero atteſtatus eſt in lib. de natura inducens Arceſilam & Metrodorum aientes, *Nego ſcire nos, ſciamus ne aliquid an nihil ſciamus, ne id ipſum quidem neſcire aut ſcire ſcire nos*, & proſequitur Lucretius lib. 4. ſic referens de eiſdem.

Denique nil ſciri ſi quis putat, is quo neſcit
An ſciri poſſit, quo ſe nil ſcire fatetur.

Maior vero noſtri ſillogiſmi probatur à Lactantio li. 3. de falſa ſapientia ſic appoſite Arceſilam redarguente, *Nam ſi omnino*, inquit, *nihil ſcias, id ipſum nihil ſciri poſse tolletur, aut vt nihil ſcire ſciendum ſit, aliquid ſciri neceſſe eſt*, ſic pariter Clemens Alexandrinus lib. vltimo Stromatum, *Si verum dicunt, concedunt etiam vel inuiti aliquid eſſe verum*, & Cicero in Lucullo, *Quid igitur hoc effatum nulla veritas eſt erit ne verum vel falſum? falſum eſſe quidem negant iſti dogmatum euerſores; verum igitur erit*, & Lucretius ipſe

licet

licet Epicureus lib. 4.

Quæro cum in rebus verum nil viderit ante
Vnde ſciat quid ſit ſcire & neſcire viciſſim:

& proſequitur Aug. lib. 3. contra academicos cap. 9. & ante omnes iſtos Ariſtoteles in 4. Metaph. à textu 29. ex profeſſo impugnat, & textu 26. irridet dicens, *Tales dubitationes ſimiles ſunt dubitationibus vtrum dormiamus nunc aut vigilemus.*

Tertio tandem authoritate ſimul Ariſtotelis & S. Thomæ hæc reſolutio probatur etenim Ariſtoteles in eodem 4. Metaph. textu 24. de academicorum vel Stoicorum mente diſcurrens circa prædicta ſub infert, *Deinde dignum eſt admiratione ſi hoc dubitetur*, vbi S. Thomas lect. 13. aptiſſime ad eundem textum hoc idem à ſigno euidenti demonſtrat ex eodem Ariſtotele dicens, *Dictum eſt quod eſt mirandum ſi dubitant, quia ex eorum actibus apparet quod non dubitant nec exiſtimant omnia prædicta iudicia æqualiter eſſe vera. Si enim aliquis exiſtens in Libia in ſomnis videat ſe eſſe Athenis à ſomno ſurgens non talia operatur qualia operaretur ſi in vigilia hoc percepiſſet, ergo patet quod non putant ſimiliter eſſe quod videtur dormienti & vigilanti*, vt illi dicebant & tamen plurima operabantur, *Similiter*, inquit, *poteſt argui de alijs quæſtionibus prædictis, licet enim oretenus de talibus quærant ſeu dubitare dicant, tamen de eis in mente non dubitant*, hæc S. Thomas Immo Ariſtoteles ibi, *Nullus ergo ſi putauerit ſe de nocte Athenis eſſe exiſtens in Libia vadit ad Liceum &c.*

Ad primum igitur dicendum eſt illos ea nobis retuliſſe, quæ illi oretenus proferebant non curantes de eorumdem mente vel ſenſu, *Quia* inquit Aug. ca. 17. iam citato *eorum neceſſitatem non habebant veteres*, aut quia ex modo ſolo dicendi male à pleriſque haberi cœperunt & ideo vt iterum ait Auguſt. lib. 2. contra eoſdem cap. 10. *Ab eis tanquam cognitionis humanæ inimicis dicta homines putant, aut iuxta eos, qui academicos inuentioni veritatis aduerſos fuiſſe crediderunt.*

Ad ſecundum eodem modo addendum eſt non defuiſſe etiam ex antiquis, qui hanc intimam ab extima varietatem in academicis obſeruarint, vti præter adductos ante etiam aſſertur a Pico lib. 1. cap. 4. illud Ariſtonis dictum ſcil. *Arceſilam anteriori parte fuiſſe Platonem, poſteriori Pyrrhonem*, & ab eodem Pico lib. 2. cap. 15. ex Cicerone notatur, *Hinc Clitomacum affirmaſſe nunquam ſe intelligere potuiſſe quid Carneadi probaretur.*

Ad tertium tandem omiſſo quo ad externam prolationem abſurda omnia defenſari poſſe à Philoſopho, de mentis intimo negandum eſt, cuius euidentiſſimum ſignum occurrit ac lepidum ex Numenio in lib. de diſſenſione eorumdem academicorum hiſtoriam hanc Lacidis inter academicos auditoris Arceſilæ referente. *Solebat*, inquit, *Lacides in ſeruorum abſentia penum claudere clauemque in loculo depoſitam obſignare, annulumque, quo diligenter ſignauerat, ſubtili filo ligatum per paruulum quoddam ianuæ foramen intro ingerere; quam rem cum aſtutia ſeruorum percepiſſet abſente Lacide aperientes clanculum vniuerſum penum prout animus eorum ferebat conſumebant;*

Lac.

Digitized by Google

Lacides autem cum ſimulacra, quæ fecerat ſcil. annulo, integra inueniret penum autem manifeſte diminutum; putauit hoc illud eſse, quod apud Arceſilã de incomprehenſibilitate rerum audiuerat diſputari. Malitia quoque ſeruorum nihil vere cerni ſcirique poſse ab ipſo ſe audiuiſse affirmabat, quare confuſus non academicam ſed Stoicam apud ſeruos diſciplinam profitebatur, illi vero academicam incomprehenſibilitatem veram eſse contendebant, ita coactus Lacides aliter, inquit, in ſcholis diſputamus aliter domi viuimus, hæc Lacides apud Neumeniũ, & hæc tandem de academicis Etnicorum ſatis erunt, vt prælibato dumtaxat de probabilis quidditate ac diuiſione continuo ad Chriſtianorum academicos tranſeamus.

QVÆSTIO II.

De Quidditate & Diuiſione probabilis, Circa quod Academici verſabantur.

QVia autem ſinguli hucuſque adducti & ſimiles alij, quorum præcipua fundamenta recenſet Ioannes Franciſcus Picus lib. 2. de examine vanitatis fermè per totum, in probabilitate opinionis vel obiecti conueniebãt, ideo de quidditate & diuiſione probabilis, circa quod verſabantur, in duobus hiſce articulis præmittendum eſt prius, antequam ad Chriſtianorum academicos deſcendamus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An probabile idem ſit quod rationabiliter enuntiabile contingens aliter ſe habere.

VIdebitur fortaſſe quod non omnibus ijs, qui aliter probabilis vel opinionis tradidere diffinitiones adductas vſque ad viginti ſex ex diuerſis à Macchagnano lib. 1. communium opinionum cap. 3. & poſt ipſum à Iulio Clemente Scoto opuſculo primo de probabilitate opinionum num. 1. & ab alijs paſſim, & poſſunt hæc contra noſtram diffinitionem argumenta proferri, primo nam iſta diffinitio ſupponit idem eſſe probabile & opinabile, ſed hoc eſſe falſum apparet tum ex S. Thoma in proemio primi poſteriorum inſinuante vtriuſque diſtinctionem his verbis. *per proceſſum rationis quandoque quidem & ſi non fiat ſcientia fit tamen fides vel opinio vel probabilitas*, tum ex Ariſtotele primo poſteriorum capite vltimo negante ſimul ſtare poſſe in eodem reſpectu eiuſdem ſcibile & opinabile, cum tamen ſcibile & probabile ſimul ſtent ex S. Thoma 3. p. qu. 9. ar. 3. ad 2. ergo deſtructo fundamento deſtruitur & noſtra hæc præadducta diffinitio probabilis.

Secundo nam iterũ iſta diffinitio ſupponit probabile vt opinionis obiectum debere eſſe contingens, ſed hoc eſſe falſum habetur tum ex S. Thoma

p. 2.

p. 2. qu. 67. ar. 3. & in 3. diſt. 31. qu. 2. ar. 1. docente nequaquàm ſcientiam ab opinione ex parte obiecti diſtingui penes neceſſitatem illius & contingentiam iſtius, tum ex communi doctorum cōnſenſu admittente etiam de rebus neceſſarijs vt Cœlo & huiuſmodi opiniones non paucas cõtrarias adinuicem, ergo iterum ex ſuppoſito falſo falſitatis conuincitur prę adducta diffinitio probabilis.

Tertio nam ſi probabile vel opinabile eſſet aliquid ſolum rationabiliter enuntiabile contingens aliter ſe habere, iam ex contingentia pro vtraque parte idem omnino reſpectu diuerſorum hominum eſſe poſſet ſcibile & opinabile ſimul, ſed hoc falſum eſſe videtur ex Ariſtotele in primo poſteriorum textu 199. vt legenti patebit, ergo pariter falſum eſt id, ex quo ſequitur, quod probabile vel opinabile ſit ſolum aliquid rationabiliter enuntiabile aliter ſe habere contingens.

Quarto quia comuniter probabile vel opinabile diſtingui ſolet in opinabile à ratione ſeu per medium intrinſecum & opinabile ab authoritate ſeu per extrinſecum, vt in authoribus paſſim inuenire eſt, ſed iuxta allatam diffinitionem explicatur tantummodo primum in illa particula, *rationabiliter enuntiabile*, non vero ſecundum, quod immò excludi videtur, ergò vniuerſim allata diffinitio non congruit.

Quinto nam præter probabile mediatum ſeu ex àliquo medio dependens datur & aliud probabile immediatum abſque vllo medio probabile vt colligitur ex Ariſtotele primo poſteriorum capite 21. dicente, *hæc eſt autem acceptio immediatę propoſitionis & non neceſſariæ*, & ab exemplo conſtat de primo dicendo *omnis mater diligit filium*, de ſecundo vt opes *magno labore conquirendæ ſunt*, ſed iuxta allatam probabilis diffinitionem non daretur niſi probabile à medio dependens ſeu mediatum, vt patet ex illa particula *rationabiliter enuntiabile*, ergo non conuenit omni probabili, & conſequenter nec bona eſt dicta diffinitio probabilis.

Sexto demum nam ex illa vltima particula, *contingens aliter ſe habere*, plerumque deduci ſolet de ratione opinionis eſſe formidinem alterius partis oppoſitæ, ſed hoc non ſemper verificatur, vt patet ex Ariſtotele primo poſteriorum cap. vltimo dicente. *Quod aliquando aliquis putat aliter ſe habere non poſſe*, & 7. Ethicorum cap. 3. *ſæpe*, inquit, *iſti tenacius & firmius adhęrent falſis rumoribus quam ſapientes ſcientijs neceſſarijs*, vt defacto inquit Caramuel epiſt. 2. num. 83. & 91. Dominicanus opinans de aliqua concluſione probabili S. Thomæ contra Scotiſtam etiam formidine carere ſolet; ergo nec ſemper vltima diffinitionis particula verificari videtur.

In oppoſitum tamen eſt, quod rerum diffinitiones penes communiores, quo magis poſſumus, nominum acceptiones tradendæ ſunt, non vero penes ſingulares aliquorum, vt plurimos Probabiliſtas egiſſe notat Iulius Clemens Scotus vbi ſupra. Sed Philoſophi communius nomine probabilis intellexerunt aliquod rationabiliter enunciabile contingens aliter ſe habere, vt patet ex omnibus Academicis ideo oretenus ſaltem refugientibus ad probabile, quia ſupponebant non poſſe nos rationabiliter aliquid enunciare

ciare

clare de rebus, quin rem aliter ſe habere contingat, vt latè percurrit ſingulorum Academicorum diſcurſus ad hoc propoſitum Picus libro ſecundo de examine vanitatis doctrinæ gentium per totum, ergo probabile diffinitur recte dicendo, quod eſt aliquid rationabiliter enunciabile aliter ſe habere contingens.

Reſpondeo ſic vtique optime diffiniri. Nam Ariſtoteles primo poſteriorum textu 195 nec quidem probabilis vel opinabilis diffinitionem propriam aliter exponere cogitauit, quam per adductam contingentiam dicendo, *relinquitur opinionem eſſe circa verum aut quidem falſum, ſed quod contingens eſt aliter ſe habere*, nec ſolum hoc dixit, ſed ex communi exiſtimatione veluti à ſigno euidenti probauit in textu quadrageſimo quarto dicens, *quia nemo, cum reputat obiectum non poſſe aliter ſe habere, exiſtimat ſe opinari ſed ſcire*, & ad idem conſuli poteſt idem Philoſophus 7. Methaphyſicorum textu 51. & 6. Ethicorum cap. 4. & alibi ſæpe, ergo ex Philoſopho iam noſtra allata diffinitio colligitur.

Secundo deinde ſe offert & Doctor Angelicus ad eumdem primum poſteriorum lectione 44. præueniens & ſoluens præcipuam in oppoſitum obiectionem his verbis, *quod opinio ſit acceptio propoſitionis non neceſſariæ poteſt intelligi duobus modis, vno modo ſic, quia propoſitio in ſe quidem ſit neceſſaria, ſed ab opinante accipiatur vt non neceſſaria, alio modo vt ſit in ſe contingens*, ex quibus infra concludit, *opinio igitur eſt de his, quæ accipiuntur vt contingentia aliter ſe habere, ſiue ſint talia, ſiue non*, & idem ſæpiſſime repetit etiam in locis mox infra ſubdendis, ergo idem ex S. Thoma comprobatur.

Tertio, nam hinc Plato etiam in ſecundo de anima textu 157. dixiſſe refertur, *opinionem nil aliud eſſe, quam copulationem ſenſus & imaginationis*, quo etiam pacto Stoici opinionem appellabant *ſenſus paſſionem*, vt refert Lactantius libr. 6. cap. 14. ex Cicerone libr. 3. de finibus & Plutarcho libro *vtra animalia*, nec aliud intellexiſſe videntur, quam opinionem intellectui aduenire ex contingentia obiecti vel ſenſus, vt exponit Auguſtinus libr. 3. contra Academicos cap. 6. & iterum cap. 17. & Phicinus in Theetetum de ſcientia & opinione, & Lipſius libro primo de Conſtantia cap. 5. & eodem modo à S. Thoma p. p. qu. 19. art. 9. ad 3. & 4. exponitur ſimile dictum Damaſceni lib. 2. de fide cap. 22.

Quarto huic noſtræ explicationi hæc etiam ratio ſuffragari videtur, nam vti tritiſſimum eſt, in qualibet recta diffinitione apponi debet tum aliquid, per quod conueniat diffinitum cum alijs, tum aliud, per quod differat ab eiſdem, ſed in propoſito per ly *rationabiliter enunciabile* conuenit probabile cum ſcibili & huiuſmodi, per ly *contingens aliter ſe habere*, ab eodem ſcibili differt, vt patet ex eodem Ariſtotele primo poſteriorum cap. 2. dicente, *quod ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere &c. & non contingit aliter ſe habere*, ergo iam recta eſt diffinitio prædicta.

Quinto à ſigno probatur, nam quod quid eſt ex Philoſopho primo phyſicorum, omnium difficultatum ſolutio eſt, & conſequenter illa dignoſcitur

eſſe propria rei diffinitio, ex qua facilius cæteræ difficultates enodari poſſunt ac ſolent, ſed ex præadducta explicatione probabilis facillimum eſt tum obiectiones oppoſitas, tum cæteras alias difficultates in ſubſequentibus enodare, ergo præadducta probabilis explicatio eiuſdem propria diffinitio erit.

Ad primum igitur libenter admittimus nos merito præſupponere idem eſſe probabile & opinabile, vt de probabili in præſenti diſcurrimus, eo quia ita ſcibile opponitur opinabili ſicut ſcientia opponitur opinioni ex Philoſopho primo poſteriorum textu 194. dicente, *ſcibile & ſcientia differunt ab opinabili & opinione*, ſed ex hoc ſecundo omnis cognitio per medium non neceſſarium, ſed probabile eſt opinio; igitur etiam ex primo omne cognoſcibile per medium non neceſſarium ſed probabile erit opinabile, & ideo Ariſtoteles in 1. Topicorum cap. 8. in diffinitione probabilis apponebat, *quod opinabile ſit*, Vtique tamen addendum eſt, aliud eſſe loqui de probabili veluti præciſiue & generice pro eo, quod quocunque modo dicimur aprobare, & aliud de probabili contrarie & ſpecifice pro eo, quod ſolum veriſimiliter non certò ſolet ac poteſt approbari ad differentiam ſcibilis. Primo modo vtique dicebat etiam Liconienſis primo poſteriorum cap. 19. *quod ſcientia dicitur quadam opinio communiter*, ſecundo vero modo ſubiungebat ibidem cum Ariſtotele, *non eſſe idem ſcibile & opinabile*, & primo modo addebat Caietanus in eodem primo poſteriorum capite vltimo, probabile præſcindere à certitudine non tamen excludere, ſecundo vero modo etiam contrarie excludere eandem, & primo modo loquuntur adducta teſtimonia in oppoſitum, ſecundo modo in præſenti nos loquimur, vti & Auguſtinus in libro tertio contra Creſconium cap. 15. diſtinxiſſe videtur his verbis, *omittam quia & probabile quando dicitur non conſequenter eſt verum, cum ea dicantur, quæ fieri poſſunt ac ſolent, & ideo probantur hoc eſt approbantur & creduntur etiam ſi aliquando facta non ſint, quod autem verum iam oſtenditur neceſſario probabile eſt & illo vtique probabilius*. Non immerito tamen a nobis & alijs probabile in propoſito magis pro ſpecifico ſumitur, eo quia S. Thoma teſtante ſecunda ſecundæ qu. 9. art. 2. *in his, in quibus aliquid eſt perfectiſſimum, nomen commune generis appropriatur his, quæ defficiunt à perfectiſſimo, ipſi autem perfectiſſimo adaptatur aliud ſpeciale nomen, vt patet in Logicis*, de nomine ſc. generis animalis, quod bruto adaptari ſolet, & ſic in præſenti nomen genericum probabilis opinabili non immerito adaptatur.

Ad ſecundum iam authoritas S. Thomæ pro nobis adducta reſpondet opinionem & ſcientiam non quidem opponi ex parte contingentiæ vel neceſſitatis obiectorum dumtaxat ſecundum ſe, vt dicta obiectio conuincit, ſed aliquando quidem ſecundum ſe aliquando autem quo ad nos, vt mox antea cum S. Thoma loquebamur, & explicat eminentiſſimus noſter Caietanus primo poſteriorum cap. 25. & aperte diſtinxit prius Aug. libr. 3. de libero arbitrio cap. 8. videndus, nec longe abeſſe videtur Bernardus lib. 5. de conſideratione ſic inde deducens, *opinio certi nihil habet, cum verum per veriſimilia quærit potius, quam apprehendit*.

Ad

Ad tertium ſufficit doctrina Ariſtotelis in eodem primo poſteriorum textu 199. dicentis, *eiuſdem autem opinio & ſcientia non penitus eſt, & ſi erit falſa & vera opinio eiuſdem quodammodo*, vbi S. Thomas lect. 44. expendens ly, *quodammodo*, *manifeſtum*, inquit, *quod id, de quo eſt opinio & ſcientia vel oppoſita opinio, & ſi ſit idem ſubiecto non tamen eſt idem ſecundum rationem*, quia nempe, vt idem pergit in primo diſt. 31. qu. 2. art. 1. & prima ſecundæ qu. 67. art. 3. & tertia parte qu. 9. art. 3. & 4. ad minus differt formaliter penes diuerſa media eidem materialiter propoſitioni coniuncta, quo ſecundo modo dumtaxat nos hic ſupponimus de eodem variari poſſe opiniones ac ſcientias, immo hoc etiam modo planiſſime ſubiungemus in ſubſequentibus poſſe de eadem propoſitione contrarias adeo opiniones admitti, vt vna ſimul phyſice probabilis, altera adhuc phyſicè probabilior eſſe dicatur & ſit, contra quoſdam recentiores opinantes in concurſu probabilioris minus probabilem ſuam amittere probabilitatem.

Ad Quartum approbamus & nos notiſſimam illam opinabilis vel probabilis diuiſionem in authenticam ab authoritate, & rationalem à ratione, ex eodem etiam Auguſtino deprompta lib. 3. de libero arbitrio cap. 8. ſic vtique non ſine miſterio loquente, *opinio aut in errore aut in veritate ratiocinationis eſt vel credentis*, & clarius adhuc lib. 3. contra Academicos cap. 20. his verbis, *nulli dubium eſt gemino pondere nos impelli ad diſcendum authoritatis atque rationis*. Verumtamen, vt acutiſſime vidit noſter Idelfonſus tomo 3. in primam ſecundæ diſputatione 208. dub. 1. num. 408. alio modo innititur auctoritati dicentium opinio, alio modo fides humana, illa enim non vt pure dicentium aliquid, ſed ſupponendo probatum ab ipſis, hæc vero dumtaxat auctoritati vt dicentium vt ſic, & ideo illa rationalis adhuc à nobis iure merito nuncupatur, vt ſecernatur ab iſta, iuxta Nemeſij monitum in libro de anima cap. 33. & Bernardi iterum lib. 5. de conſideratione cap. 2. dicentium, *intellectus rationi innititur, fides auctoritati, opinio ſola veriſimilitudine ſe tuetur*.

Ad quintum pariter illam probabilis vel opinabilis diſtinctionem admittimus, immo docemus, in mediatum ac immediatum ex S. Thoma primo poſteriorum lect. 44. diſſertiſſime hoc explicante, dum inquit, *oſtenſum eſt alibi ab Ariſtotele, quod non proceditur in infinitum in prædicationibus neque quantum ad media, neque quantum ad extrema, & hoc non ſolum analitice quo ad demonſtrationem ſed etiam Logicè quantum ad ſyllogiſmos ſcil. probabiles. Si ergo ſit aliqua propoſitio contingens mediata, oportet quod reducatur ad aliquas immediatas. Sed non reducitur ad immediatas neceſſarias, quia neceſſaria non ſunt principia contingentium, neque ex neceſſarijs poteſt concludi contingens. Relinquitur igitur quod ſit aliqua propoſitio immediata contingens; exiſtimatio ergo talium propoſitionum contingentium immediatarum eſt opinio, ſed per hoc non excluditur, quin etiam acceptio propoſitionis contingentis mediatæ ſit opinio. Sic enim ſe habet opinio circa contingentia, ſicut ſcientia & intellectus circa neceſſaria*, hæc S. Thomas, ex quibus verbis habes etiam opinionem ſimplicem, eiuſmodi eſt circa contingentia immediata, cum adhuc rationis

ſit, hinc appellari non immerito rationalem; de quo habitu poſtea principiorum directe quidem verſante circa neceſſaria & reductiue circa contingentia tractatur ab Ariſtotele & S. Thoma ſecundo poſteriorum cap. vlt. *tamquam vno ſimiliter ſe habente ad omne genus rerum*, vt ipſi loquuntur.

Ad Sextum de formidine aliqui diſtinguere ſolent, alteram ſcil. eſſe radicalem ſeu obiectiuum ex parte obiecti, alteram formalem ſeu ſubiectiuam ex parte actus & ſubiecti cognoſcentis, & primam ſolam admittunt eſſe inſeparabilem ab opinione, non vero ſecundam. Sed melius alij apud Ildefonſum diſputat. 208. dubio. 2. numero 426. de formali adhuc & ſubiectiua ſubdiſtingunt, alteram eſſe directam, qua opinans aſſentitur obiecto opinabili probabiliter, alteram reflexam, qua iudicat & attendit eiuſdem aſſenſus fallibilitatem cum probabilitate coniunctam, & cum iſta reflexio voluntaria & libera ſit, ideo ſeparari hæc ſecunda poteſt à prima ſed prima ſemper ad minus inſeparabilis eſt, & conſequenter opinio ſemper adnectit ſibi formidinem adhuc formalem directam ex graduali differentia inter cæteras intellectus operationes vel diſpoſitiones explicata pulcherrime à S. Thoma in 3. diſt. 23. qu. 2. ar. 2. his verbis, *cum cogitatio, inquit, diſcurſum rationis importet, intelligens habet aſſenſum ſine cogitatione ſcilicet circa prima principia, quæ quiſque ſtatim audita probat iuxta Boetium in libro de hebdomadibus. Sciens autem & aſſenſum & cogitationem habet, ſed non cogitationem cum aſſenſu, immò cogitationem ante aſſenſum, quia ratio ad intellectum reſoluendo perducit. Credens habet aſſenſum ſimul & cogitationem, quia intellectus ad principia per ſe nota non perducitur, vnde quantum eſt de ſe adhuc habet motum ad diuerſa, ſed extrinſece determinatur ad vnum ſcilicet ex voluntate. Opinans autem habet cogitationem ſinè aſſenſu perfecto, ſed habet aliquid aſſenſus, ſcilicet imperfectionem, in quantum adhæret vni magis, quam alij, ad differentiam dubitantis, qui nihil de aſſenſu habet*, ex quibus poſtea concludit prima parte qu. 19. ar. 9. ad 4. *opinionem ſignificare actum intellectus, qui fertur in vnam partem contradictionis cum formidine alterius*, & qu. 67. ar. 3. *de ratione opinionis eſt, quod accipiatur vnum cum formidine alterius*, vti antea dixerat & Ariſtoteles primo magnorum moralium cap. 33. *exiſtimationem ſcilicet eſſe, qua in omnibus ferimur ancipites ca ne ita an ſecus*. Sed quatenus obiectio contendit opinionem aliquando à formidine ſeparari, aut de ſola formali reflexa exceptio illa intelligenda eſt, aut cum Ariſtotele repetendum primo poſteriorum apud S. Thomam lect. 13. *ſtultos profecto eos eſſe, qui principia bene ſumere putant, ſi propoſitio probabilis ſit, atque vere vti Sophiſtæ*, tunc enim non opinio ſed potius ignorantia prauæ diſpoſitionis nominatur ab eodem Ariſtotele primo poſteriorum lectione 19. apud S. Thomam, & à Bernardo lib. 5. de conſideratione cap. 3. dicente, *multi ſuam opinionem intellectum putauerunt, & errauerunt*, vt dixerat etiam Auguſtinus libro de vtilitate credendi cap. 11. *inter genera hominum, inquit, improbanda & deteſtanda primum eſt opinantium, id eſt eorum, qui ſe arbitrantur ſcire, quod neſciunt, opinione enim*, concludit Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatum, *ſapientes qui ſe veritatem inueniſſe exiſtimant*

piant nullam habentes demonſtrationem, hi ſe ipſos decipiunt.

ARTICVLVS II.

An Probabile prædefinitum rectè diuidatur in Logicum, ſeu Methaphyſicum, in Phyſicum Morale & Rhetoricum.

Videbitur quod non aliquibus non paucis, quibus iſta diſtinctio fortaſſe inaudita eſt.

Primo circa probabile Logicum ſeu Methaphyſicum, quia in iſta diuiſione aſſociatur Logica Methaphyſicæ quo ad ſuam certitudinem Logicam oppoſitam Logicæ probabilitati, vt mox dicetur, ſed ab oppoſito Logica longe inferiori gradu videtur aſſocianda Rhetoricæ ex Philoſopho primo Rhetoricorum in initio dicente, *Rhetorica aſſecutiua eſt dialectica*, ergo iſta diuiſio Philoſopho conformari non poteſt.

Secundo circa probabile Phyſicum, quia ſicut inter certitudinem ſupremam Logicæ vel Methaphyſicæ, & infimam certitudinem Ethicam ſeu moralem mediat certitudo Phyſica, ita mediat & Mathematica ex ſexto Methaphyſicorum, ſed ex hoc ſecundo non ſolet adhuc contra diſtingui aliquod probabile Mathematicum contra probabile Logicum vel morale ſeu Ethicum, ergo neque ex primo contra diſtingui debere videtur probabile Phyſicum, vt nos in præſenti diſtinguendum eſſe ſupponimus.

Tertio circa morale ſeu Ethicum, quia ſicut in Logica præter partem Topicam dantur & propriæ demonſtrationes, ita & in Ethica ſeu morali demonſtrationes certiſſimæ audiri ſolent; Sed ex primo probabile Logicum ſubordinatum Logicæ certitudini in ſupremo probabilitatis gradu reponitur, ergo pariter ex ſecundo debet probabile Ethicum ſeu morale reponi in eodem ſupremo, non vero, vt à nobis fit, in penultimo gradu probabilitatis.

Quarto circa Rhetoricum, nam ex Philoſopho in primo Rhetoricorum vtraque ſcilicet Dialectica & Rethorica verſatur *circa contingens & perſuaſibile ex probabilibus, & vtraque accipit vtrãque partem contradictionis*, & nedum illa ſed iſta non raro determinat intellectum ad vnam partem contradictionis, ergo perperam à nobis contra diſtinguitur probabile Rhetoricum contra dialecticum.

Quinto contra omnia ſimul, nam vt aduertit etiam Iulius Clemens Scotus opuſculo primo de probabilitate opinionum numero 3. ex Democrate & alijs expoſitoribus ad primum Topicorum cap. 1. Ariſtoteles ibi diuidit probabile in plura membra ſingula explicando, dum inquit, *probabile eſt, quod videtur omnibus aut plurimis, aut ſapientibus, & his vel omnibus, vel plurimis, vel maxime notis & probatis*, ſed cum iſta diuiſione Ariſtotelis non videtur conuenire noſtra allata diuiſio, ergo allata noſtra diuiſio incongrua eſt.

Sexto circa probabile logicum & Phyſicum ſimul, nam data iſta explicatio-

catio-

particularibus circumſtantijs attentis, vt v. g. vnius teſtis ſingularis depoſitio apud Iudicem & huiuſmodi, quæ licet moralem afferant probabilitatem, neutiquam tamen certitudinem, & de hoc probabili locutus eſſe videtur & Tullius in paradoxis dicens, *nihil eſt tam incredibile quod non dicendo probabile fiat*, demum hoc idem probabile Ethicum apud Rhetoricum ſatis erit vt probatum eſſe dicatur, vnde philoſophus in 1. Topicorum cap. 2. *neque Rhetor*, inquit, *omnimode perſuadebit, neque Medicus ſanabit, ſed ſi ex ijs, quæ contingunt, nihil omiſerit ſufficienter eam diſciplinam habere dixerimus*, vt repetit etiam 1. Rhetoricorum cap. 1. & Boetius in libro de Trinitate: probabile vero dumtaxat Rhetorice dici poteſt, quod mere & negatiue probabile eſt ſeu non improbabile, non poſitiue probabile, reſpondendo ſcilicet dumtaxat probabiliter ad obiectiones, non vero probando adhuc probabiliter aſſertionem, quomodo concedimus diſcurſui Caramuelis epiſt. 2. num. 82. ex ſola probabilitate vnius partis inferri ſimul probabilitatem negatiuam alterius (licet non poſitiuam vt plane demonſtrat Aug. lib. 3. contra Creſconium cap. 73.) & ego hoc modo colligerem ex Ariſtotele primo Topicorum cap. 8. dicente, *ſimiliter autem & ea, quæ probabilibus contraria ſunt, ſecundum contradictionem protenſa probabilia videntur*, & tandem de hoc eodem negatiue probabili ſeu probabili Rhetorico intelligi poteſt, quod ex Academicorum aliquibus attulit Aug. lib. 2. contra Academicos cap. 11. *id probabile vel veriſimile vocant, quod nos ad agendum ſine aſſenſione poteſt inuitare.*

Quinto demum corollarie ſic poteſt iſta diuiſio probari, nam ex iſta diuiſione faciliſime (vt mox antea tangebatur) plurimos ex antiquis poſſumus interpretari doctores, dum aſſerebant ſatis eſſe nos ſequi probabile probabiliori relicto, dicendo ſcil. illos intellexiſſe vel de probabili Logico comparatiue ad neceſſarium, quod vtique probabilius eodem probabili eſt, cum tamen iſtud probabile Logicum in Phyſica certum ſit, aut rurſus de probabili Phyſico comparatiue ad Phyſice neceſſarium, quod probabilius eſt, ſed tamen & hoc probabile in Ethica moralem obtinet certitudinem, numquam vero de probabili Ethice in probabilioris concurſu, quod probabile non niſi Rhetorice poteſt probatum nominari, ad quod plerumque probabiliſtæ recentes recurrere ſolent, ergo ex hoc capite etiam iſta diuiſio commendanda eſt: antecedens aſſumptum ex eo oſtendi poteſt, tum quod antiquitus Aug. lib. 3. contra Creſconium cap. 73. eodem hoc modo videtur ad inuicem comparare probabile & probabilius ſumpto probabiliori pro eo, quod certum eſt, quando ſcribebat, *vt ea probabilia dicantur, quæ fieri poſſunt ac ſolent. Quod autem verũ iam oſtenditur neceſſario probabile eſt & illo vtique probabilius*, tum quia hac de cauſa S. Thomas ſecunda ſecundæ qu. 33. ar. 2. ad 3. inquit, *debet diiudicari ſuperfluum & neceſſarium ſecundum ea, quæ probabiliter & in pluribus occurunt*, vt dixerat etiam prima ſecundæ qu. 96. ar. 1. ad 3. *ſufficere notitiam, quæ verificatur vt in pluribus*, & plures ad hoc canones dominus Fagnanus adducit in Caput *ne innitaris* numero 225. tum quia iam aliqui è neotericis hanc ipſam gloſam

ſubo-

ſubodorati ſunt & prudentiſſime commendarunt, vt inter cæteros huius cathedræ Metaphyſicæ moderator in via Scoti in hac celeberrima noſtra Patauina vniuerſitate Antonius Coronius controuerſia 5. cap. 5. qu. 5. *omnes*, inquit, *Antiqui tam Theologi quam Philoſophi probabile pro eo, quod nunc probabilius dicitur, frequentius vſurpabant*, & Mercorus parte 1. baſis ar. 15. *debent*, inquit, *interpretari eos loqui de probabilitate logica, quæ ſimul ſtat cum certitudine morali*, ſic de probabili pariter Phyſico Silueſter in ſumma verbo *probabile* ſubiungebat, *ſecundum Cancellarium probabile dicitur certum moraliter*, vti & ſumma Angelica verbo *probabile* loquebatur, & inde Sanchez lib. 6. cap. 3. concludebat, *obligamur ad operandum cum morali certitudine, qualis in opinione probabili reperitur*. Sed ad quid immoror in hoc circa doctorum opiniones de probabili, ſi celebriores nunc aduerſariæ ſententiæ Patroni in noſtram iam ſententiam deuenerunt? Nempe negabit nemo inter iſtos celeberrimum Eſparzam eſſe in nouiſſimo opuſculo integro de hac materia par. 3. in fine gloriantem omnes etiam Dominicanos, tribus demptis neotericis Mercoro Gonet & Baronio, contra nos eſſe. Et tamen ipſe art. 210. ita pro nobis cæteros omnes auctores interpretatur dicens, *Magiſter Labat refert per auctores noſtræ ſententiæ ſeu probabiliſtas licere electionẽ opinionis minus tutæ ad verſus probabiliorẽ agnitam vt talem, quã tamen poſtremam particulam poſuit de ſuo nec reperitur apud eos auctores, atque impugnata à nobis fuit ſuperius ex profeſſo ab art. 152. ad art. 162.* hæc Eſparza, quæ ſi vera ſunt, nihil amplius Dominicani noſtri intendunt neque nos volumus.

Ad primum igitur opportuna eſt S. Thomæ doctrina in 4. Methaphyſicorum lect. 4. dicentis, *Dialectica poteſt conſiderari ſecundum quod eſt docens, & ſecundum quod eſt vtens; docet quidem & cætera & hoc demonſtratiue facit & ſecundum hoc eſt ſcientia: Vtens vero eſt ſecundum quod modo adiuncto vtitur ad concludendum aliquid probabiliter in ſingulis ſcientijs &c.* ſic S. Thomas, & ita nos ſecundo modo concedimus argumento Dialecticã aſſociari Rhetoricæ, primo autem modo ab oppoſito Methaphyſicæ potius aſſociandam eſſe nos docet idem Ariſtoteles in 4 Methaphycorum textu 5. ſic dicens, *nam circa idem genus*, inquit, *verſatur & Sophiſtica & Dialectica cum Philoſophia &c.*

Ad ſecundum dicendum eſt quo ad certitudinem reputari pro vno in propoſito Logicum Mathematicum & Methaphyſicum eo modo, quo Plato ex eadem conſideratione intelligebat nomine Dialecticæ etiam ſupremam ac primam Philoſophiam in libro 7. de Republica, vt ex Alcinuo alijſque Platonicis adnotarunt eruditiſſimi Conubricenſes in proemialibus ad libros phyſicorum qu. 2. art. 2. poſt aſſertionem.

Ad tertium maiori occurrimus hac diſtinctione ſcil. loquendo de Ethica pure ſecundum ſe & ex proprijs, negamus, ex communibus ſeu mutuo acceptis ab alijs, admittimus, nam primo modo, vt mox antea ex Ariſtotele & S. Thoma præmiſſum eſt, in libris Ethicorum, *oportet veritatem figuraliter ideſt veriſimiliter & probabiliter oſtendere, quia probabile eſt quod eſt ſimile vero.*

facile, affirmare vix poſſumus, tum in ſecundo definibus, tum ſecundo Tuſculanarum, & alibi ſæpe, imo, & in Lucullo in ſuā conatur ſententiam trahere etiam Antiochum, ſed perperam vt notat Picus lib. 1. ca. 4. De quarto demum ſcil. Plotino abundantiſſime legi poteſt Aug. tum lib. 3. cap. 18. citato contra Academicos, tum lib. 8. de Ciuit. c. 10. & pergunt inde tum Picus lib. 1. cap. 4. in fine, tum cæteri paſſim.

Ad primum igitur, contra Mazonium diſtinguentem ſolo nomine loquendi Socratem vel Platonē, certius eſt ab Academicis in re differre Pyrrhonios quam id, in quo differant, explicare, tum quia Seneca lib. 7. quæſtionum naturalium ca. vlt. Pyrrhonem clare ſeparat ab academicis, vti fecerat etiam Epiſ. 89. *Pyrrhonios* diſtinctè nominans *Megaricos & Academicos*, & Numenius apud Ciceronem in Academicis hinc aſſerebat, *Arceſilam re fuiſſe Pyrrhonium, nomine Academicum*; Tum quia Gellius lib. 11. cap. 5. *differre*, inquit, *inter Pyrrhonios & academicos arbitrati ſunt & propter alia quædam, & propterea vel maxime, quod Academici quidem ipſum nihil poſſe comprehendi quaſi comprehendunt, Pyrrhonij autem ne id quidem nullo pacto videri verū dicunt, quod nihil eſſe verum videtur*; tum quia & fortè melius, Pyrrhonios neque admiſiſſe vnum eſſe probabilius altero, bene Academicos, diſtinguit Picus lib. 1. cap. 4. verſus finem & ante ipſum Euſebius lib. 14. ex Ariſtotelis atteſtatione probat *Apud Pyrrhonios res ex æquo indifferenter incertas inuidicabiles*, Tum quia vt ex Sexto Empirico habet Lipſius lib. 2. diſert. 3. citata *Peior Academicorum Arceſilas Epochem bonum eſſe dicebat, malum aſſenſionem, idque ſecundum naturam, Pyrrhonij minime, ſed ſecundum id quod apparet*; Tum quia tandem ex eodem Euſebio ibidem & Ariſtocle Pyrrhonij iubebant *opinationis expertes manere nos debere ſine inclinatione, ſine motione de quoque ſingulari dicentes non magis eſt quam non eſt, itemque eſt non eſt, neque non eſt*, quod Protagoræ ſequacibus ex 4. Methaph. tex. 19. magis quam academicis adaptari poteſt.

Ad ſecundum dicendum eſt ob aliquam cum academicis ſimilitudinem, quam prænotauit & Sextus Empiricus apud Lipſium vbi ſupra, quandoque à Seneca congeri Pyrrhonios ipſos cum Academicis, præſertim quia & academicorum aliqui, ex Laertio in vita, Pyrrhonis auxilio profecerunt, cum quo Pyrrhone coincidit Nauſifanis effatum apud Plutarchum contra Colotem *nihil magis eſſe quam non eſſe*, vti & Plurium aliorum, quorum diſcurſus refert contra dogmaticos Ioannes Franciſcus Picus lib. 2. cap. 3. vſque ad 14. & iterum cap. 16. & ſubſequentibus. Cæterum in re Protagoram inter illos (idem ferè de alijs dicendum eſt) longe ab academicis diſſenſiſſe in aliquibus conſtat, tum quia Protagoras apud Ciceronem in 4. Academicarum aſſerebat, *id cuique verum eſſe, quod cuique videretur*, & Sextus Empiricus aduerſus Mathematicos ſimilia verba comemorat, *omnes ſcilicet opiniones ac viſiones veras eſſe, quia veritas eſt ex ijs, quæ referuntur ad aliquid, cui autem apparuerit ſtatim ad illum refertur*, vt notat etiam Ariſtoteles lib. 4. citato Methaph. tex. 19. mutato ſolum (ex verſionis mendo) nomine Protagoræ in Pithagoram, vti textum conſulenti patebit. De Zenone autem

iam

iam ſupradiximis, & de Parmenide quomodo relatio Senecæ verificetur, ſcilicet apud Parmenidem *ex his quæ videntur in Vniuerſo nihil eſse*, altero exponit modo Mazonius lectio. 2. de comparatione Platonis cum Ariſtotele pagina 79. ex Simplicio in primo Phyſicorum, altero modo exponit Lipſius lib. 2. diſert. 4. ex illo Parmenidis in Sophiſta *nullo modo eſse*, *quæ non ſunt*. Nos vero infra lib. 3. qu. 1. dicemus.

Ad tertium obſcuriſſimum vtique locum opponens fere priſcis intactum, aut permittendum eſt nomen Peripateticorum antiquius Ariſtotele cummuneque Platonis loco fuiſſe, vt probat Patritius tomo 1. lib. 10. ex Ammonio in prologomenis ad Categorias aiente. *Peripatetici talem ob cauſam dicebantur: Plato enim exercitij cauſa deambulans faciebat cum alijs conuerſationes &c.* aut addendum eſt Ciceronem ad effugiendum male habitum nomen academicorum, vt de Plotino & Proclo ex Aug. referebamus, conatum eſſe temperare ad ſpeciem ſaltem diſſimilitudinem inter Academiam & dogmaticam Ariſtotelis, vnde ad hunc finem idem Cicero in primo Academicarum fidenter aiebat, *nihil inter peripateticos & illam veterem Academiam re differebat, ſed erat duobus nominibus vna.*

Ad quartum tandem præter aductam antea ex Viues animaduerſionẽ in cap. 12. lib. 8. de Ciuitate Dei ſcil. poſtremos iſtos, & ſi re Academici forent, tamen maluiſſe nominari Platonicos propter minus gratum Arceſilæ nomen, inſuper adhuc ſect. 3. Mazonius pag. 95. opportune præmonuit, *priores adductas quinque Academias atticas dictas fuiſſe, eo quod earum principes Athenis profeſſi ſint, poſtremam vero peregrinam appellatam eſſe, quod eius Philoſophi extra Athenas docuerint, vt Ægyptiã ab Amonio, Romanam à Plotino, & Liceam à Proclo ſubortam*, quod meo videri deprõpſit ex Pico lib. 1. cap. 2. poſt eadem fere verba ſubdente pro nobis. *Quamquam item in hac ſucceſſione platonica referenda auctores omnino non conueniſſe ſciam, quando alio modo Laertius, alio Numenius & Euſebius, Lactantius aliò, aliò Auguſtinus & alij*, ideo & nos de Academicis fideliori, qua potuimus, ſerie iſta propoſuimus ac probauimus, ex quibus præter præmiſſam pro ſubſequentibus vtilitatem, occurrit denuo hic obſeruandum ſcil. principium illud in Carteſiana Metaphyſica primum, *Ego ſum res cogitans*, e Carneade eſcriptum eſſe legendum in Pico lib. 2. cap. 15. vti & altera ſimilis illa diſtinctio de perſpicuitate & perceptione reſponſione 4. ad quartas obiectiones, pariter reperitur in Stoicis apud eundem Picum lib. 2. capit. 17.

ARTICVLVS III.

An abſurda, quæ Etnicorum Academici proferebant, etiam ſincera mente tenerent.

VIdebitur pleriſque quod ſic. Primo quia vt inquit Lipſius centuria prima Miſcellanea epiſt. 50. *de fide veterum cur ambigimus? an fallere nos voluerunt de compacto? nec quidem in re omnium oculis ſenſibuſque expoſita potuerunt*, ſed antiquorum plerique, vt adductum eſt, prædicta abſurda vt Academicorum placita, immò mordicus defenſata, nobis poſteris prodiderunt, & inter cæteros Aug. lib. 19. de Ciuitate cap. 17. hinc differentiam expendit inter Academicos Etnicorum & Eccleſiam Chriſti, ergo ita inre illos Academicos cenſuiſſe credendum eſt.

Secundo quia, vt Laertius refert ad hunc finem, Academici vtebantur illo verſu poetæ, *mentem celauerunt mortalibus immortales*, & Democritus etiam apud Lactantium lib. 3. cap. 3. dictitabat *In profundo veritatem demerſam eſſe*, & adiungebant cæteri cum ipſo ſub Protei fabula ſvates etiam intellexiſſe inſtabilem veritatem apud Aug. lib. 3. contra Academicos cap. 6. ergo ſignum inde eſt vere negaſſe omnem certitudinem veritatis.

Tertio quia ſi hoc non eſſet maxime quia prædicta abſurda videntur inperceptibilia & dormientium ſomnio ſimilia, ſed vt ad propoſitum de Academicis Varro dicebat, *vtique nemo ægrotus quidpiam ſomniat tam infandum, quod non aliquis dicat Philoſophus*, ergo hinc non videtur adhuc nobis negandum abſurda illa academicos tenuiſſe.

In oppoſitum tamen eſt, quod vt probauit Ariſtoteles ex propoſito in 4. Metaphiſic. textu 8. & proſequitur S. Thomas in 2. diſtin. 25. qu. 2. ar. 1. & 1. contra gentes cap. 7. & alibi ſæpe, nemo poteſt mente negare hoc primum axioma. *De quolibet eſſe aut non eſſe neceſſe eſt*, etiam ſi ore negari poſſit. Sed Academici in ſuis placitis aut directe, aut conſecutione euidenti hoc negabant, vt contra ipſos exagitat apposite Aug. lib. 3. contra Academicos cap. 13. & negaſſe teſtatur, præter allatos ſupra, Euſebius etiam lib. 14. Euangelicæ præparationis, ergo remanet non potuiſſe in mente ſaltem ea placita retinere.

Reſpondeo vtique probabilius eſſe non adeo deſipuiſſe, vt ea ne dum ore ſed mente pertinaciter retinerent. quod ſuſpicatus in primis fuit Aug. lib. 2. contra Academicos cap. 8. ex eo quia, inquiebat, *mihi illi videntur graues omnino & prudentes viri fuiſſe*, & poſtea decretorie reſoluit lib. 3. cap. 17. rationem etiam eorumdem adinuenti ſubiungens, quia Plato eorumdem omnium Anteſignanus ac ductor mundum duplicem agnoſcebat, vt vidimus, intelligibilem atque ſenſibilem permittens de primo ſcientiam ſeu reminiſcentiam per ſpecies infuſas; de ſecundo dumtaxat opinionem admittere viſus eſt, & de illo non niſi prædiſpoſitis auditoribus, de iſto & vulgaribus verba faciebat: adeo iſti juxta Platonis ingenium aut cũ vulgaribus

bus aut cum extraneis diſſerentes in opinionum dumtaxat vel probabilium ſemita remanebant. Confirmat iterum ca. 20. idem Aug. authoritate Ciceronis academicij pariter ita teſtantis *Illis morem fuiſſe occultandi ſententiam ſuam, nec eam cuique niſi, qui ſecum ad ſenectutem vſque vixiſſet, aperire conſueuiſſe*, ideoque pergit Aug. c. 17. *Zenonem Principem Stoicorum cum iam quibuſdã alibi auditis & creditis in Scholã relictam à Platone veniſſet, quam tunc Polemo retinebat, ſuſpectum habitum nec forte talem viſum, cui Platonica illa veluti ſacroſancta decreta facile prodi committique deberent, quamobrem cum Zeno circa illa non doctus ſed ignarus poſtea male diceret animam eſſe mortalem, nec quidquam eſſe præter hunc ſenſibilem mundum, prudentiſſime atque vtiliſſime mihi videtur Arceſilas maximus poſtea Academicorum, cum illud late ſerperet malum, occultaſſe penitus Academiæ ſententiam circa mundum ſcilicet intelligibilem, & quaſi aurum inueniendum quandoque poſteris obruiſſe, inſtituens vir acutiſſimus atque humaniſſimus dedocere potius quos experiebatur male doctos à Zenone, quam docere, quos docibiles à ſe ipſo non arbitrabatur; inde illa omnia nata ſunt, quæ nouæ Academiæ tribuuntur, quia eorum neceſſitatem veteres non habebant*, huc vſque Aug. qui tandem concludit cap. 18. hoc idem ex Metrodoro pariter academico, *qui primus dicitur eſſe confeſſus non de recto placuiſſe academicis nihil poſſe comprehendi, ſed neceſſario contra Stoicos huiuſmodi eos arma ſumpſiſſe*, cui academicorum concertationi cum Stoicis ſuffragantur & Cicero in primo Academicarum & Euſebius lib. 14. & alij paſſim ſuperius inducti, vt tangit & Picus Mirandulanus lib. 2. cap. 14.

Secundo probari poteſt aliunde, nam ſolum ore non mente poteſt aliquis hanc propoſitionem proferre vt veram & certam ſcil. *nullum verum datur nihil omnino certum eſt*, ſed iſti academici hanc proferebant, ergo ſolum ore non mente id tenuiſſe dicendum eſt. Minor probatur quia ita non ſolum defacto dixiſſe Socratem teſtatur Cicero in Lucullo dicens, *Quia Socrati nihil viſum ſit ſciri poſſe, excepit vnum tantum ſcire ſe nihil ſcire*, & de Antipatro idem refert his verbis, *Conſentaneum eſſe ei, qui affirmaret nihil poſſe comprehendi, idem ipſum ſaltem dicere poſſe comprehendi*, ſed etiam vlterius aliquos negaſſe hoc ipſum ſciri poſſe quod nihil ſcirent idem Cicero atteſtatus eſt in lib. de natura inducens Arceſilam & Metrodorum aientes, *Nego ſcire nos, ſciamus ne aliquid an nihil ſciamus, ne id ipſum quidem neſcire aut ſcire ſcire nos*, & proſequitur Lucretius lib. 4. ſic referens de eiſdem.

Denique nil ſciri ſi quis putat, is quo neſcit
An ſciri poſſit, quo ſe nil ſcire fatetur.

Maior vero noſtri ſillogiſmi probatur à Lactantio li. 3. de falſa ſapientia ſic apposite Arceſilam redarguente, *Nam ſi omnino*, inquit, *nihil ſcias, id ipſum nihil ſciri poſſe tolletur, aut vt nihil ſcire ſciendum ſit, aliquid ſciri neceſſe eſt*, ſic pariter Clemens Alexandrinus lib. vltimo Stromatum, *Si verum dicunt, concedunt etiam vel inuiti aliquid eſſe verum*, & Cicero in Lucullo, *Quid igitur hoc effatum nulla veritas eſt erit ne verum vel falſum? falſum eſſe quidem negant iſti dogmatum euerſores; verum igitur erit*, & Lucretius ipſe

licet

licet Epicureus lib. 4.

Quero cum in rebus verum nil viderit ante
Vnde ſciat quid ſit ſcire & neſcire viciſſim:

& proſequitur Aug. lib. 3. contra academicos cap. 9. & ante omnes iſtos Ariſtoteles in 4. Metaph. à textu 29. ex profeſſo impugnat, & textu 26. irridet dicens, *Tales dubitationes ſimiles ſunt dubitationibus vtrum dormiamus nunc aut vigilemus*.

Tertio tandem authoritate ſimul Ariſtotelis & S. Thomæ hæc reſolutio probatur etenim Ariſtoteles in eodem 4. Metaph. textu 24. de academicorum vel Stoicorum mente diſcurrens circa prædicta ſub infert, *Deinde dignum eſt admiratione ſi hoc dubitetur*, vbi S. Thomas lect. 13. aptiſſime ad eundem textum hoc idem à ſigno euidenti demonſtrat ex eodem Ariſtotele dicens, *Dictum eſt quod eſt mirandum ſi dubitant, quia ex eorum actibus apparet quod non dubitant nec exiſtimant omnia prædicta iudicia æqualiter eſſe vera. Si enim aliquis exiſtens in Libia in ſomnis videat ſe eſſe Athenis à ſomno ſurgens non talia operatur qualia operaretur ſi in vigilia hoc percepiſſet, ergo patet quod non putant ſimiliter eſſe quod videtur dormienti & vigilanti*, vt illi dicebant & tamen plurima operabantur, *Similiter*, inquit *poteſt argui de alijs quæſtionibus prædictis, licet enim oretenus de talibus quærant ſeu dubitare dicant, tamen de eis in mente non dubitant*, hæc S. Thomas Immo Ariſtoteles ibi, *Nullus ergo ſi putauerit ſe de nocte Athenis eſſe exiſtens in Libia vadit ad Liceum &c.*

Ad primum igitur dicendum eſt illos ea nobis retuliſſe, quæ illi oretenus proferebant non curantes de eorumdem mente vel ſenſu, *Quia* inquit Aug. ca. 17. iam citato *eorum neceſſitatem non habebant veteres*, aut quia ex modo ſolo dicendi male à pleriſque haberi cœperunt & ideo vt iterum ait Auguſt. lib. 2. contra eoſdem cap. 10. *Ab eis tanquam cognitionis humanæ inimicis dicta homines putant, aut iuxta eos, qui academicos inuentioni veritatis aduerſos fuiſſe crediderunt*.

Ad ſecundum eodem modo addendum eſt non defuiſſe etiam ex antiquis, qui hanc intimam ab extima varietatem in academicis obſeruarint, vti præter adductos ante etiam aſſertur à Pico lib. 1. cap. 4. illud Ariſtonis dictum ſcil. *Arceſilam anteriori parte fuiſſe Platonem, poſteriori Pyrrhonem*, & ab eodem Pico lib. 2. cap. 15. ex Cicerone notatur, *Hinc Clitomacum affirmaſſe nunquam ſe intelligere potuiſſe quid Carneadi probaretur*.

Ad tertium tandem omiſſo quo ad externam prolationem abſurda omnia defenſari poſſe à Philoſopho, de mentis intimo negandum eſt, cuius euidentiſſimum ſignum occurrit ac lepidum ex Numenio in lib. de diſſenſione eorumdem academicorum hiſtoriam hanc Lacidis inter academicos auditoris Arceſilæ referente. *Solebat*, inquit, *Lacides in ſeruorum abſentia penum claudere clauemque in loculo depoſitam obſignare, annulumque, quo diligenter ſignauerat, ſubtili filo ligatum per paruulum quoddam ianuæ foramen intro inijcere; quam rem cum aſtutia ſeruorum percepiſſet abſente Lacide aperientes clanculum vniuerſum penum prout animus eorum ferebat conſumebant;*

Lac.

Lacides autem cum ſimulacra, quæ fecerat ſcil. annulo, integra inueniret penum autem manifeſte diminutum; putauit hoc illud eſſe, quod apud Arceſilā de incomprehenſibilitate verum audierat diſputari. Malitia quoque ſeruorum nihil vere cerni ſcirique poſſe ab ipſo ſe audiuiſſe affirmabat, quare confuſus non academicam ſed Stoicam apud ſeruos diſciplinam profitebatur, illi vero academicam incomprehenſibilitatem veram eſſe contendebant, ita coactus Lacides aliter, inquit, in ſcholis diſputamus aliter domi viuimus, hæc Lacides apud Neumeniū, & hæc tandem de academicis Ethicorum ſatis erunt, vt prælibato dumtaxat de probabilis quidditate ac diuiſione continuo ad Chriſtianorum academicos tranſeamus.

QVÆSTIO II.

De Quidditate & Diuiſione probabilis, Circa quod Academici verſabantur.

QVia autem ſinguli hucuſque adducti & ſimiles alij, quorum præcipua fundamenta recenſet Ioannes Franciſcus Picus lib. 2. de examine vanitatis fermè per totum, in probabilitate opinionis vel obiecti conueniebāt, ideo de quidditate & diuiſione probabilis, circa quod verſabantur, in duobus hiſce articulis præmittendum eſt prius, antequam ad Chriſtianorum academicos deſcendamus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An probabile idem ſit quod rationabiliter enuntiabile contingens aliter ſe habere.

VIdebitur fortaſſe quod non omnibus ijs, qui aliter probabilis vel opinionis tradidere diffinitiones adductas vſque ad viginti ſex ex diuerſis à Macchagnano lib. 1. communium opinionum cap. 3. & poſt ipſum à Iulio Clemente Scoto opuſculo primo de probabilitate opinionum num. 1. & ab alijs paſſim, & poſſunt hæc contra noſtram diffinitionem argumenta proferri, primo nam iſta diffinitio ſupponit idem eſſe probabile & opinabile, ſed hoc eſſe falſum apparet tum ex S. Thoma in proemio primi poſteriorum inſinuante vtriuſque diſtinctionem his verbis. *per proceſſum rationis quandoque quidem & ſi non fiat ſcientia ſit tamen fides vel opinio vel probabilitas*, tum ex Ariſtotele primo poſteriorum capite vltimo negante ſimul ſtare poſſe in eodem reſpectu eiuſdem ſcibile & opinabile, cum tamen ſcibile & probabile ſimul ſtent ex S. Thoma 3. p. qu. 9. ar. 3. ad 2. ergo deſtructo fundamento deſtruitur & noſtra hæc præadducta diffinitio probabilis.

Secundo nam iterū iſta diffinitio ſupponit probabile vt opinionis obiectum debere eſſe contingens, ſed hoc eſſe falſum habetur tum ex S. Thoma

p. 2.

Digitized by Google

p. 2. qu. 67. ar. 3. & in 3. diſt. 31. qu. 2. ar. 1. docente nequaquam ſcientiam ab opinione ex parte obiecti diſtingui penes neceſſitatem illius & contingentiam iſtius, tum ex communi doctorum cōnſenſu admittente, etiam de rebus neceſſarijs vt Cœlo & huiuſmodi opiniones non paucas cōtrarias adinuicem, ergo iterum ex ſuppoſito falſo falſitatis conuincitur prę adducta diffinitio probabilis.

Tertio nam ſi probabile vel opinabile eſſet aliquid ſolum rationabiliter enuntiabile contingens aliter ſe habere, iam ex contingentia pro vtraque parte idem omnino reſpectu diuerſorum hominum eſſe poſſet ſcibile & opinabile ſimul, ſed hoc falſum eſſe videtur ex Ariſtotele in primo poſteriorum textu 199. vt legenti patebit, ergo pariter falſum eſt id, ex quo ſequitur, quod probabile vel opinabile ſit ſolum aliquid rationabiliter enuntiabile aliter ſe habere contingens.

Quarto quia comuniter probabile vel opinabile diſtingui ſolet in opinabile à ratione ſeu per medium intrinſecum & opinabile ab authoritate ſeu per extrinſecum, vt in authoribus paſſim inuenire eſt, ſed iuxta allatam diffinitionem explicatur tantummodo primum in illa particula, *rationabiliter enuntiabile*, non vero ſecundum, quod immò excludi videtur, ergò vniuerſim allata diffinitio non congruit.

Quinto nam præter probabile mediatum ſeu ex aliquo medio dependens datur & aliud probabile immediatum abſque vllo medio probabile, vt colligitur ex Ariſtotele primo poſteriorum capite 21. dicente, *hæc eſt autem acceptio immediatę propoſitionis & non neceſſariæ*, & ab exemplo conſtat de primo dicendo *omnis mater diligit filium*, de ſecundo vt opes *magno labore conquirendæ ſunt*, ſed iuxta allatam probabilis diffinitionem non daretur niſi probabile à medio dependens ſeu mediatum, vt patet ex illa particula *rationabiliter enuntiabile*, ergo non conuenit omni probabili, & conſequenter nec bona eſt dicta diffinitio probabilis.

Sexto demum nam ex illa vltima particula, *contingens aliter ſe habere*, plerumque deduci ſolet de ratione opinionis eſſe formidinem alterius partis oppoſitæ, ſed hoc non ſemper verificatur, vt patet ex Ariſtotele primo poſteriorum cap. vltimo dicente. *Quod aliquando aliquis putat aliter ſe habere non poſſe*, & 7. Ethicorum, cap. 3. *ſæpe*, inquit, *iſti tenacius & firmius adhęrent falſis rumoribus quam ſapientes ſcientijs neceſſarijs*, vt defacto inquit Caramuel epiſt. 2. num. 83. & 91. Dominicanus opinans de aliqua concluſione probabili S. Thomæ contra Scotiſtam etiam formidine carere ſolet; ergo nec ſemper vltima diffinitionis particula verificari videtur.

In oppoſitum tamen eſt, quod rerum diffinitiones penes communiores, quo magis poſſumus, nominum acceptiones tradendæ ſunt, non vero penes ſingulares aliquorum, vt plurimos Probabiliſtas egiſſe notat Iulius Clemens Scotus vbi ſupra. Sed Philoſophi communius nomine probabilis intellexerunt aliquod rationabiliter enunciabile contingens aliter ſe habere, vt patet ex omnibus Academicis ideo oretenus ſaltem refugientibus ad probabile, quia ſupponebant non poſſe nos rationabiliter aliquid enunciare

clare de rebus, quin rem aliter ſe habere contingat, vt latè percurrit ſingulorum Academicorum diſcurſus ad hoc propoſitum Picus libro ſecundo de examine vanitatis doctrinæ gentium per totum, ergo probabile diffinitur recte dicendo, quod eſt aliquid rationabiliter enuntiabile aliter ſe habere contingens.

Reſpondeo ſic vtique optime diffiniri. Nam Ariſtoteles primo poſteriorum textu 195 nec quidem probabilis vel opinabilis diffinitionem propriam aliter exponere cogitauit, quam per adductam contingentiam dicendo, *relinquitur opinionem eſſe circa verum aut quidem falſum, ſed quod contingens eſt aliter ſe habere*, nec ſolum hoc dixit, ſed ex communi exiſtimatione veluti à ſigno euidenti probauit in textu quadrageſimo quarto dicens, *quia nemo, cum reputat obiectum non poſſe aliter ſe habere, exiſtimat ſe opinari ſed ſcire*, & ad idem conſuli poteſt idem Philoſophus 7. Methaphyſicorum textu 51. & 6. Ethicorum cap. 4. & alibi ſæpe, ergo ex Philoſopho iam noſtra allata diffinitio colligitur.

Secundo deinde ſe offert & Doctor Angelicus ad eumdem primum poſteriorum lectione 44. præueniens & ſoluens præcipuam in oppoſitum obiectionem his verbis, *quod opinio ſit acceptio propoſitionis non neceſſariæ poteſt intelligi duobus modis, vno modo ſic, quia propoſitio in ſe quidem ſit neceſſaria, ſed ab opinante accipiatur vt non neceſſaria, alio modo vt ſit in ſe contingens*, ex quibus infra concludit, *opinio igitur eſt de his, quæ accipiuntur vt contingentia aliter ſe habere, ſiue ſint talia, ſiue non*, & idem ſæpiſſime repetit etiam in locis mox infra ſubdendis, ergo idem ex S. Thoma comprobatur.

Tertio, nam hinc Plato etiam in ſecundo de anima textu 157. dixiſſe refertur, *opinionem nil aliud eſſe, quam copulationem ſenſus & imaginationis*, quo etiam pacto Stoici opinionem apellabant *ſenſus paſſionem*, vt refert Lactantius libr. 6. cap. 14. ex Cicerone libr. 3. de finibus & Plutarcho libro *vtra animalia*, nec aliud intellexiſſe videntur, quam opinionem intellectui aduenire ex contingentia obiecti vel ſenſus, vt exponit Auguſtinus libr. 3. contra Academicos cap. 6. & iterum cap. 17. & Phicinus in Theetetum de ſcientia & opinione, & Lipſius libro primo de Conſtantia cap. 5. & eodem modo à S. Thoma p. p. qu. 19. art. 9. ad 3. & 4. exponitur ſimile dictum Damaſceni lib. 2. de fide cap. 22.

Quarto huic noſtræ explicationi hæc etiam ratio ſuffragari videtur, nam vti tritiſſimum eſt, in qualibet recta diffinitione apponi debet tum aliquid, per quod conueniat diffinitum cum alijs, tum aliud, per quod differat ab eiſdem, ſed in propoſito per ly *rationabiliter enunciabile* conuenit probabile cum ſcibili & huiuſmodi, per ly *contingens aliter ſe habere*, ab eodem ſcibili differt, vt patet ex eodem Ariſtotele primo poſteriorum cap. 2. dicente, *quod ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere &c. & non contingit aliter ſe habere*, ergo iam recta eſt diffinitio prædicta.

Quinto à ſigno probatur, nam quod quid eſt ex Philoſopho primo phyſicorum, omnium difficultatum ſolutio eſt, & conſequenter illa dignoſcitur

eſſe propria rei diffinitio, ex qua facilius cæteræ difficultates enodari poſſunt ac ſolent, ſed ex præadducta explicatione probabilis facillimum eſt tum obiectiones oppoſitas, tum cæteras alias difficultates in ſubſequentibus enodare, ergo præadducta probabilis explicatio eiuſdem propria diffinitio erit.

Ad primum igitur libenter admittimus nos merito præſupponere idem eſſe probabile & opinabile, vt de probabili in præſenti diſcurrimus, eo quia ita ſcibile opponitur opinabili ſicut ſcientia opponitur opinioni ex Philoſopho primo poſteriorum textu 194. dicente, *ſcibile & ſcientia differunt ab opinabili & opinione*, ſed ex hoc ſecundo omnis cognitio per medium non neceſſarium ſed probabile eſt opinio; igitur etiam ex primo omne cognoſcibile per medium non neceſſarium ſed probabile erit opinabile, & ideo Ariſtoteles in 1. Topicorum cap. 8. in diffinitione probabilis apponebat, *quod opinabile ſit*, Vtique tamen addendum eſt, aliud eſſe loqui de probabili veluti præciſiue & generice pro eo, quod quocunque modo dicimur aprobare, & aliud de probabili contrarie & ſpecifice pro eo, quod ſolum veriſimiliter non certò ſolet ac poteſt approbari ad differentiam ſcibilis. Primo modo vtique dicebat etiam Liconienſis primo poſteriorum cap. 19. *quod ſcientia dicitur quædam opinio communiter*, ſecundo vero modo ſubiungebat ibidem cum Ariſtotele, *non eſſe idem ſcibile & opinabile*, & primo modo addebat Caietanus in eodem primo poſteriorum capite vltimo, probabile præſcindere à certitudine non tamen excludere, ſecundo vero modo etiam contrarie excludere eamdem, & primo modo loquuntur adducta teſtimonia in oppoſitum, ſecundo modo in præſenti nos loquimur, vti & Auguſtinus in libro tertio contra Creſconium cap. 15. diſtinxiſſe videtur his verbis, *omittam quia & probabile quando dicitur non conſequenter eſt verum, cum ea dicantur, quæ fieri poſſunt ac ſolent, & ideo probantur hoc eſt approbantur & creduntur etiam ſi aliquando facta non ſint, quod autem verum iam oſtenditur neceſſario probabile eſt & illo vtique probabilius*. Non immerito tamen a nobis & alijs probabile in propoſito magis pro ſpecifico ſumitur, eo quia S. Thoma teſtante ſecunda ſecundæ qu. 9. art. 2. *in his, in quibus aliquid eſt perfectiſſimum, nomen commune generis appropriatur his, quæ defficiunt à perfectiſſimo, ipſi autem perfectiſſimo adaptatur aliud ſpeciale nomen, vt patet in Logicis*, de nomine ſc. generis animalis, quod bruto adaptari ſolet, & ſic in præſenti nomen genericum probabilis opinabili non immerito adaptatur.

Ad ſecundum iam authoritas S. Thomæ pro nobis adducta reſpondet opinionem & ſcientiam non quidem opponi ex parte contingentiæ vel neceſſitatis obiectorum dumtaxat ſecundum ſe, vt dicta obiectio conuincit, ſed aliquando quidem ſecundum ſe aliquando autem quo ad nos, vt mox antea cum S. Thoma loquebamur, & explicat eminentiſſimus noſter Caietanus primo poſteriorum cap. 25. & aperte diſtinxit prius Aug. libr. 3. de libero arbitrio cap. 8. videndus, nec longe abeſſe videtur Bernardus lib. 5. de conſideratione ſic inde deducens, *opinio certi nihil habet, cum verum per veriſimilia quærit potius, quam apprehendit*.

Ad

Ad tertium ſufficit doctrina Ariſtotelis in eodem primo poſteriorum textu 199. dicentis, *eiuſdem autem opinio & ſcientia non penitus eſt, & ſi erit falſa & vera opinio eiuſdem quodammodo*, vbi S. Thomas lect. 44. expendens ly, *quodammodo*, *manifeſtum*, inquit, *quod id, de quo eſt opinio & ſcientia vel oppoſita opinio, & ſi ſit idem ſubiecto non tamen eſt idem ſecundum rationem*, quia nempe, vt idem pergit in primo diſt. 31. qu. 2. art. 1. & prima ſecundæ qu. 67. art. 3. & tertia parte qu. 9. art. 3. & 4. ad minus differt formaliter penes diuerſa media eidem materialiter propoſitioni coniuncta, quo ſecundo modo dumtaxat nos hic ſupponimus de eodem variari poſſe opiniones ac ſcientias, immo hoc etiam modo planiſſime ſubiungemus in ſubſequentibus poſſe de eadem propoſitione contrarias adeo opiniones admitti, vt vna ſimul phyſice probabilis, altera adhuc phyſicè probabilior eſſe dicatur & ſit, contra quoſdam recentiores opinantes in concurſu probabilioris minus probabilem ſuam amittere probabilitatem.

Ad Quartum approbamus & nos notiſſimam illam opinabilis vel probabilis diuiſionem in authenticam ab authoritate, & rationalem à ratione, ex eodem etiam Auguſtino depromptam lib. 3. de libero arbitrio cap. 8. ſic vtique non ſine miſterio loquente, *opinio aut in errore aut in veritate ratiocinationis eſt vel credentis*, & clarius adhuc lib. 3. contra Academicos cap. 20. his verbis, *nulli dubium eſt gemino pondere nos impelli ad diſcendum authoritatis atque rationis*. Verumtamen, vt acutiſſime vidit noſter Idelfonſus tomo 3. in primam ſecundæ diſputatione 208. dub. 1. num. 408. alio modo innititur auctoritati dicentium opinio, alio modo fides humana, illa enim non vt pure dicentium aliquid, ſed ſupponendo probatum ab ipſis, hæc vero dumtaxat auctoritati vt dicentium vt ſic, & ideo illa rationalis adhuc à nobis iure merito nuncupatur, vt ſecernatur ab iſta, iuxta Nemeſij monitum in libro de anima cap. 33. & Bernardi iterum lib. 5. de conſideratione cap. 2. dicentium, *intellectus rationi innititur, fides auctoritati, opinio ſola veriſimilitudine ſe tuetur*.

Ad quintum pariter illam probabilis vel opinabilis diſtinctionem admittimus, immo docemus, in mediatum ac immediatum ex S. Thoma primo poſteriorum lect. 44. diſſertiſſime hoc explicante, dum inquit, *oſtenſum eſt alibi ab Ariſtotele, quod non proceditur in infinitum in prædicationibus neque quantum ad media, neque quantum ad extrema, & hoc non ſolum analitice quo ad demonſtrationem ſed etiam Logicè quantum ad ſyllogiſmos ſcil. probabiles. Si ergo ſit aliqua propoſitio contingens mediata, oportet quod reducatur ad aliquas immediatas. Sed non reducitur ad immediatas neceſſarias, quia neceſſaria non ſunt principia contingentium, neque ex neceſſarijs poteſt concludi contingens. Relinquitur igitur quod ſit aliqua propoſitio immediata contingens; exiſtimatio ergo talium propoſitionum contingentium immediatarum eſt opinio, ſed per hoc non excluditur, quin etiam acceptio propoſitionis contingentis mediatæ ſit opinio. Sic enim ſe habet opinio circa contingentia, ſicut ſcientia & intellectus circa neceſſaria*, hæc S. Thomas, ex quibus verbis habes etiam opinionem ſimplicem, eiuſmodi eſt circa contingentia immediata, cum adhuc rationis

ſt, hinc appellari non immerito rationalem; de quo habitu poſtea principiorum directe quidem verſante circa neceſſaria & reductiue circa contingentia tractatur ab Ariſtotele & S. Thoma ſecundo poſteriorum cap. vlt. *tamquam vno ſimiliter ſe habente ad omne genus rerum*, vt ipſi loquuntur.

Ad Sextum de formidine aliqui diſtinguere ſolent, alteram ſcil. eſſe radicalem ſeu obiectiuum ex parte obiecti, alteram formalem ſeu ſubiectiuam ex parte actus & ſubiecti cognoſcentis, & primam ſolam admittunt eſſe inſeparabilem ab opinione, non vero ſecundam. Sed melius alij apud Ildefonſum diſputat. 208. dubio. 2. numero 426. de formali adhuc & ſubiectiua ſubdiſtingunt, alteram eſſe directam, qua opinans aſſentitur obiecto opinabili probabiliter, alteram reflexam, qua iudicat & attendit eiuſdem aſſenſus fallibilitatem cum probabilitate coniunctam, & cum iſta reflexio voluntaria & libera ſit, ideo ſeparari hæc ſecunda poteſt à prima; ſed prima ſemper ad minus inſeparabilis eſt, & conſequenter opinio ſemper adnectit ſibi formidinem adhuc formalem directam ex graduali differentia inter cæteras intellectus operationes vel diſpoſitiones explicata pulcherrime à S. Thoma in 3. diſt. 23. qu. 2. ar. 2. his verbis, *cum cogitatio, inquit, diſcurſum rationis importet, intelligens habet aſſenſum ſine cogitatione ſcilicet circa prima principia, quæ quiſque ſtatim audita probat iuxta Boetium in libro de hebdomadibus. Sciens autem & aſſenſum & cogitationem habet, ſed non cogitationem cum aſſenſu, immò cogitationem ante aſſenſum, quia ratio ad intellectum reſoluendo perducit. Credens habet aſſenſum ſimul & cogitationem, quia intellectus ad principia per ſe nota non perducitur, vnde quantum eſt de ſe adhuc habet motum ad diuerſa, ſed extrinſece determinatur ad vnum ſcilicet ex voluntate. Opinans autem habet cogitationem ſinè aſſenſu perfecto, ſed habet aliquid aſſenſus, ſcilicet imperfectionem, in quantum adhæret vni magis, quam alij, ad differentiam dubitantis, qui nihil de aſſenſu habet*, ex quibus poſtea concludit prima parte qu. 19. ar. 9. ad 4. *opinionem ſignificare actum intellectus, qui fertur in vnam partem contradictionis cum formidine alterius*, & qu. 67. ar. 3. *de ratione opinionis eſt, quod accipiatur vnum cum formidine alterius*, vti antea dixerat & Ariſtoteles primo magnorum moralium cap. 33. *exiſtimationem ſcilicet eſſe, qua in omnibus ferimur ancipites ea ne ita an ſecus*. Sed quatenus obiectio contendit opinionem aliquando à formidine ſeparari, aut de ſola formali reflexa exceptio illa intelligenda eſt, aut cum Ariſtotele repetendum primo poſteriorum apud S. Thomam lect. 13. *ſtultos profectò eos eſſe, qui principia bene ſumere putant, ſi propoſitio probabilis ſit, atque vere vti Sophiſtæ*, tunc enim non opinio ſed potius ignorantia prauæ diſpoſitionis nominatur ab eodem Ariſtotele primo poſteriorum lectione 19. apud S. Thomam, & à Bernardo lib. 5. de conſideratione cap. 3. dicente, *multi ſuam opinionem intellectum putauerunt, & errauerunt*, vt dixerat etiam Auguſtinus libro de vtilitate credendi cap. 11. *inter genera hominum, inquit, improbanda & deteſtanda primum eſt opinantium, id eſt eorum, qui ſe arbitrantur ſcire, quod neſciunt, opinione enim*, concludit Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatum, *ſapientes qui ſe veritatem inueniſſe exiſtimant*

piant nullam habentes demonſtrationem, hi ſe ipſos decipiunt.

ARTICVLVS II.

An Probabile prædefinitum rectè diuidatur in Logicum, ſeu Methaphyſicum, in Phyſicum Morale & Rhetoricum.

Videbitur quod non aliquibus non paucis, quibus iſta diſtinctio fortaſſe inaudita eſt.

Primo circa probabile Logicum ſeu Methaphyſicum, quia in iſta diuiſione aſſociatur Logica Methaphyſicæ quo ad ſuam certitudinem Logicam oppoſitam Logicæ probabilitati, vt mox dicetur, ſed ab oppoſito Logica longe inferiori gradu videtur aſſocianda Rhetoricæ ex Philoſopho primo Rhetoricorum in initio dicente, *Rhetorica aſſecutiua eſt dialectica*, ergo iſta diuiſio Philoſopho conformari non poteſt.

Secundo circa probabile Phyſicum, quia ſicut inter certitudinem ſupremam Logicæ vel Methaphyſicæ, & infimam certitudinem Ethicam ſeu moralem mediat certitudo Phyſica, ita mediat & Mathematica ex ſexto Methaphyſicorum, ſed ex hoc ſecundo non ſolet adhuc contra diſtingui aliquod probabile Mathematicum contra probabile Logicum vel morale ſeu Ethicum, ergo neque ex primo contra diſtingui debere videtur probabile Phyſicum, vt nos in præſenti diſtinguendum eſſe ſupponimus.

Tertio circa morale ſeu Ethicum, quia ſicut in Logica præter partem Topicam dantur & propriæ demonſtrationes, ita & in Ethica ſeu morali demonſtrationes certiſſimæ audiri ſolent; Sed ex primo probabile Logicum ſubordinatum Logicæ certitudini in ſupremo probabilitatis gradu reponitur, ergo pariter ex ſecundo debet probabile Ethicum ſeu morale reponi in eodem ſupremo, non vero, vt à nobis fit, in penultimo gradu probabilitatis.

Quarto circa Rhetoricum, nam ex Philoſopho in primo Rhetoricorum vtraque ſcilicet Dialectica & Rethorica verſatur *circa contingens & perſuaſibile ex probabilibus, & vtraque accipit vtrãque partem contradictionis*, & nedum illa ſed iſta non raro determinat intellectum ad vnam partem contradictionis, ergo perperam à nobis contra diſtinguitur probabile Rhetoricum contra dialecticum.

Quinto contra omnia ſimul, nam vt aduertit etiam Iulius Clemens Scotus opuſculo primo de probabilitate opinionum numero 3. ex Democrate & alijs expoſitoribus ad primum Topicorum cap. 1. Ariſtoteles ibi diuidit probabile in plura membra ſingula explicando, dum inquit, *probabile eſt, quod videtur omnibus aut plurimis, aut ſapientibus, & his vel omnibus, vel plurimis, vel maxime notis & probatis*, ſed cum iſta diuiſione Ariſtotelis non videtur conuenire noſtra allata diuiſio, ergo allata noſtra diuiſio incongrua eſt.

Sexto circa probabile logicum & Phyſicum ſimul, nam data iſta explicatio-

Digitized by Google

catione probabilis logici vel Phyſici, ſcilicet illud eſſe, quod vt in pluribus euenit, cum inde nequeat vt in pluribus euenire vtraque pars contradictionis, non poterit vnquam ſimul Logicè vel Phyſicè probabilis eſſe vtraque opinio contradictoria, vt i de facto intuliſſe videtur Mercorus in ſua reſponſione 2. ad Charamuclem pag. 96. Sed hoc, meo videri, contrarium eſſe videtur communi modo loquendi ne dum ſcriptorum in hac materia ſed etiam decretis Pontificum & Conciliorum à Fagnano congeſtis in caput *ne innitaris* ſupponentium immo paſſim oppoſitum, vt inter cætera patet ex capite *cum Martha*, vbi de Phyſica mixtione ſecernitur probabilior opinio reliqua ſimul in ſua probabilitate relicta, ergo pariter falſum erit id, ex quo ſequitur, ſcilicet probabile Phyſicum vel Logicum ab alijs probabilibus ita ſecerni, vt illud eſſe dicatur, quod vt in pluribus euenire ſolet.

In oppoſitum tamen eſt quod, vt obiter tangebat & Mercorus in prima parte ſuæ baſis ar. 15. & Baronius diſputat. 2. ſect. 1. ar. 5. §. 1. præmiſſa ſemel hac diſtinctione vel diuiſione probabilis haud difficile erit plurimos contrarios ad inuicem concordare doctores in puncto præcipuo de electione probabilis opinionis iuxta diuerſam à ſingulis eiuſdem probabilis acceptionem. Sed hoc non poteſt non optimum eſſe, ergo non poteſt pariter non optima eſſe præaddućta diuiſio probabilis.

Reſpondeo vtique ſic diſtinguendum eſſe probabile. Primo nam Ariſtoteles hanc diuiſionem edocuiſſe videtur in libro 1. Topicorum cap. 12. dicens, *propoſitionum & problematum partes 3. nam aliæ ſunt morales aliæ naturales, aliæ rationales*, & ne quis obijceret omiſſionem Rhetoricæ probabilitatis, iterum ipſe in eodem libro cap. 9. præmiſſa prius trimembri eadem diuiſione ſub alijs his verbis, *problema eſt intendens vel ad electionem & fugam, vel ad veritatem & ſcientiam, aut vt adminiculans ad aliquid aliud talium*, ſtatim etiam de 4. ſubiungit ſcilicet de probabili rhetorico dicens, *ſunt autem & problemata, de quibus contrarij ſunt ſyllogiſmi, eo quod de vtraque ſunt rationes ſuaſibiles, & de quibus rationes non habemus cum ſint magnæ difficile arbitrantes aſſignare propter quid*, quod probabili vtique Rhetorico conuenire mox clare fiet. Secundo ex diſcurſu S. Thomæ probatur in 1. poſteriorum lect. 1. dicentis, *ſicut in rebus naturalibus in his, quæ vt in pluribus agunt, gradus quidam attenditur, quia quanto virtus naturæ eſt fortior, tanto rarius deficit à ſuo effectu, ita & in proceſſu rationis ex probabilibus, qui non eſt cum omnimoda certitudine, gradus aliquis inuenitur ſecundum quod magis & minus ad perfectiam acceditur certitudinem*, ergo, inferimus nos, ſicut res in aſſequendo vt in pluribus ſuum finem diuerſimode gradatim ordinantur apud Logicum Phyſicum aut Ethicum ſeu moralem, ita proportionatim & probabilitas in attingendo vt in pluribus veritatem diuerſimode apud eoſdem gradatim poterit ordinari. Tertio firmatur hoc idem diſcurrendo, vt dicitur, à priori ſic, nam ex Dioniſio de Diuinis nominibus ita ſupremum infimi attingit infimum ſupremi, vt quod in ordine ſuperiori infimum eſt in ordine inferiori ſedem occupet ſuperiorem. Sed in qualibet ſcientia certitudo eſt quid ſupremum & probabilitas quid infimum,

vnde

vnde ex S. Thoma 3. parte qu. 9. ar. 3. ad 2. probabilitas ſe habet vt diſpoſitio imperfecta ad ſcientiam, ergo quod in vna ſcientia ordinis ſuperioris erit probabile, in ſcientia ordinis inferioris poterit eſſe certum, ſed Logica vtpotè conueniens in certitudine cum Methaphyſica, ex 4. Methaphyſicorum, eſt in ordine ſuperiori abſtractionis & ſcientiæ ad Phyſicam, & hæc ad Ethicam, & demum Ethica ad Rhetoricam, ergo quod erit probabile in Logica, poterit eſſe certum in Phyſica, quod probabile in Phyſica certum in Ethica, & quod in Ethica probabile poteſt oratorie eſſe probatum apud Rhetoricum, & demum probabile ſolum apud Rhetoricum remanebit in infimo gradu probabilitatis, vt in prædicta probabilis diuiſione aſſerebatur.

Quarto probatur exponendo eoſdem ſingulos mox præadductos probabilitatis gradus hoc modo. In Logica ſicut & Methaphyſica id certum eſt, quod non poteſt aliter ſe habere attenta qualibet cauſa vt ſic (vt homo eſt animal rationale) id vero probabile eſt, quod poteſt aliter ſe habere non quidem ex particulari propria defectibilitate, ſed ex communi (vt homo eſt bipes) & ideo ita frequentius euenit vt rariſſime oppoſitum euenire contingat, & ideo iſta non ſunt neceſſaria Logicè ſed probabilia, vt patet ex 1. Poſteriorum cap. 9. & 7. vtique iſta ſunt in ſupremo probabilitatis gradu, quem diffiniebat Ariſtoteles 1. Rhetoricorum cap. 2. *probabile eſt, inquit, quod fere ſemper fieri ſolet, licet non ſimpliciter*, & ſubdebat Cicero lib. 1. de natura Deorum, *multa eſſe probabilia, quæ quamquam non perciperentur tamen quia viſum haberent quemdam inſignem & illuſtrem, his ſapientibus vita regeretur*. In Phyſica ab oppoſito iſtud ipſum probabile dicitur neceſſarium non quidem ſimpliciter, ſed vt loquitur Ariſtoteles 1. Poſteriorum cap. 23. *dicitur neceſſarium ſicut frequenter*, vt cum S. Thoma proſequitur explicare Caietanus ibidem & cap. 4. 6. & 9. Probabile vero in eadem Phyſica illud erit, quod poteſt aliter ſe habere non ſolum ex communi, ſed etiam ex particulari propria deffectibilitate, ex qua contingit oppoſitum non ſolum raro, vti in præadducto probabili Logico, ſed etiam frequenter ad differentiam eiuſdem, licet frequentius eueniat vt enunciatur v. g. dicendo (Sol oriens cum Arcturo excitat tempeſtates ſeu aeris intemperiem) & ſic de alijs aſtrologicis prædictionibus, quæ vt ibidem aiebat Mercorus nō excedunt phyſicam probabilitatem licet propriam eiuſdem phyſicæ nequeant attingere certitudinem, & de iſtis meo videri intelligitur illud Auguſtini lib. 3. contra Creſconium cap. 15. dicentis, *Et probabile quando dicitur non conſequenter eſt verum, cum ea dicantur, quæ fieri poſſunt ac ſolent, & ideo probantur hoc eſt approbantur & creduntur etiam ſi facta non ſint vel non fiant*. Porrò in Ethica hoc idem, quod apud phyſicum mere probabile erat, Ethice certum eſt, quia vt inquit Ariſtoteles 1. Ethicorum c. 1. *Ethica ſolet groſſe & figuraliter veritatem tradere & de his quæ vt frequentius & ex talibus dicentes talia & cōcludere*, ideſt *veriſimiliter*, vt exponit S. Thomas ibidem & opuſculo 3. ar. 10. & alibi ſæpe: probabile vero in Ethica erit, quod purè aliquando quidem eſt, aliquando non eſt tam communibus quā

par-

particularibus circumſtantijs attentis, vt v. g. vnius teſtis ſingularis depoſitio apud Iudicem & huiuſmodi, quæ licet moralem afferant probabilitatem, neutiquam tamen certitudinem, & de hoc probabili locutus eſſe videtur & Tullius in paradoxis dicens, *nihil eſt tam incredibile quod non dicendo probabile fiat*, demum hoc idem probabile Ethicum apud Rhetoricum ſatis erit vt probatum eſſe dicatur, vnde philoſophus in 1. Topicorum cap. 2. *neque Rhetor*, inquit, *omnimode perſuadebit, neque Medicus ſanabit, ſed ſi ex ijs, quæ contingunt, nihil omiſerit ſufficienter eam diſciplinam habere dixerimus*, vt repetit etiam 1. Rhetoricorum cap. 1. & Boetius in libro de Trinitate: probabile vero dumtaxat Rhetorice dici poteſt, quod mere & negatiue probabile eſt ſeu non improbabile, non poſitiue probabile, reſpondendo ſcilicet dumtaxat probabiliter ad obiectiones, non vero probando adhuc probabiliter aſſertionem, quomodo concedimus diſcurſui Caramuelis epiſt. 2. num. 82. ex ſola probabilitate vnius partis inferri ſimul probabilitatem negatiuam alterius (licet non poſitiuam vt plane demonſtrat Aug. lib. 3. contra Creſconium cap. 73.) & ego hoc modo colligerem ex Ariſtotele primo Topicorum cap. 8. dicente, *ſimiliter autem & ea, quæ probabilibus contraria ſunt, ſecundum contradictionem protenſa probabilia videntur*, & tandem de hoc eodem negatiue probabili ſeu probabili Rhetorico intelligi poteſt, quod ex Academicorum aliquibus attulit Aug. lib. 2. contra Academicos cap. 11. *id probabile vel veriſimile vocant, quod nos ad agendum ſine aſſenſione poteſt inuitare*.

Quinto demum corollarie ſic poteſt iſta diuiſio probari, nam ex iſta diuiſione faciliime (vt mox antea tangebatur) plurimos ex antiquis poſſumus interpretari doctores, dum aſſerebant ſatis eſſe nos ſequi probabile probabiliori relicto, dicendo ſcil. illos intellexiſſe vel de probabili Logico comparatiue ad neceſſarium, quod vtique probabilius eodem probabili eſt, cum tamen iſtud probabile Logicum in Phyſica certum ſit, aut rurſus de probabili Phyſico comparatiue ad Phyſice neceſſarium, quod probabilius eſt, ſed tamen & hoc probabile in Ethica moralem obtinet certitudinem, numquam vero de probabili Ethice in probabilioris concurſu, quod probabile non niſi Rhetorice poteſt probatum nominari, ad quod plerumque probabiliſtæ recentes recurrere ſolent, ergo ex hoc capite etiam iſta diuiſio commendanda eſt: antecedens aſſumptum ex eo oſtendi poteſt, tum quod antiquitus Aug. lib. 3. contra Creſconium cap. 73. eodem hoc modo videtur ad inuicem comparare probabile & probabilius ſumpto probabiliori pro eo, quod certum eſt, quando ſcribebat, *vt ea probabilia dicantur, quæ fieri poſſunt ac ſolent. Quod autem verũ iam oſtenditur neceſſario probabile eſt & illo vtique probabilius*, tum quia hac de cauſa S. Thomas ſecunda ſecundæ qu. 33. ar. 2. ad 3. inquit, *debet diiudicari ſuperfluum & neceſſarium ſecundum ea, quæ probabiliter & in pluribus occurunt*, vt dixerat etiam prima ſecundæ qu. 96. ar. 1. ad 3. *ſufficere notitiam, quæ verificatur vt in pluribus*, & plures ad hoc canones dominus Fagnanus adducit in Caput *ne innitaris* numero 225. tum quia iam aliqui è neotericis hanc ipſam gloſſam

ſubo-

ſubodorati ſunt & prudentiſſime commendarunt, vt inter cæteros huius cathedræ Metaphyſicæ moderator in via Scoti in hac celeberrima noſtra Patauina vniuerſitate Antonius Coronius controuerſia 5. cap. 5. qu. 5. *omnes*, inquit, *Antiqui tam Theologi quam Philoſophi probabile pro eo, quod nunc probabilius dicitur, frequentius vſurpabant*, & Mercorus parte 1. baſis ar. 15. *debent*, inquit, *interpretari eos loqui de probabilitate logica, quæ ſimul ſtat cum certitudine morali*, ſic de probabili pariter Phyſico Silueſter in ſumma verbo *probabile* ſubiungebat, *ſecundum Cancellarium probabile dicitur certum moraliter*, vti & ſumma Angelica verbo *probabile* loquebatur, & inde Sanchez lib. 6. cap. 3. concludebat, *obligamur ad operandum cum morali certitudine, qualis in opinione probabili reperitur*. Sed ad quid immoror in hoc circa doctorum opiniones de probabili, ſi celebriores nunc aduerſariæ ſententiæ Patroni in noſtram iam ſententiam deuenerunt? Nempe negabit nemo inter iſtos celeberrimum Eſparzam eſſe in nouiſſimo opuſculo integro de hac materia par. 3. in fine gloriantem omnes etiam Dominicanos, tribus demptis neotericis Mercoro Gonet & Baronio, contra nos eſſe. Et tamen ipſe art. 210. ita pro nobis cæteros omnes auctores interpretatur dicens, *Magiſter Labat refert per auctores noſtræ ſententiæ ſeu probabiliſtas licere electionẽ opinionis minus tutæ ad verſus probabiliorẽ agnitam vt talem, quã tamen poſtremam particulam poſuit de ſuo nec reperitur apud eos auctores, atque impugnata à nobis fuit ſuperius ex profeſſo ab art. 152. ad art. 162.* hæc Eſparza, quæ ſi vera ſunt, nihil amplius Dominicani noſtri intendunt neque nos volumus.

Ad primum igitur opportuna eſt S. Thomæ doctrina in 4. Methaphyſicorum lect. 4. dicentis, *Dialectica poteſt conſiderari ſecundum quod eſt docens, & ſecundum quod eſt vtens; docet quidem & cætera & hoc demonſtratiue facit & ſecundum hoc eſt ſcientia: Vtens vero eſt ſecundum quod modo adiuncto vtitur ad concludendum aliquid probabiliter in ſingulis ſcientijs &c.* ſic S. Thomas, & ita nos ſecundo modo concedimus argumento Dialecticã aſſociari Rhetoricæ, primo autem modo ab oppoſito Methaphyſicæ potius aſſociandam eſſe nos docet idem Ariſtoteles in 4 Methaphycorum textu 5. ſic dicens, *nam circa idem genus*, inquit, *verſatur & Sophiſtica & Dialectica cum Philoſophia &c.*

Ad ſecundum dicendum eſt quo ad certitudinem reputari pro vno in propoſito Logicum Mathematicum & Methaphyſicum eo modo, quo Plato ex eadem conſideratione intelligebat nomine Dialecticæ etiam ſupremam ac primam Philoſophiam in libro 7. de Republica, vt ex Alcinuo alijſque Platonicis adnotarunt eruditiſſimi Conimbricenſes in proemialibus ad libros phyſicorum qu. 2. art. 2. poſt aſſertionem.

Ad tertium maiori occurrimus hac diſtinctione ſcil. loquendo de Ethica pure ſecundum ſe & ex proprijs, negamus, ex communibus ſeu mutuo acceptis ab alijs, admittimus, nam primo modo, vt mox antea ex Ariſtotele & S. Thoma præmiſſum eſt, in libris Ethicorum, *oportet veritatem figuraliter id eſt veriſimiliter & probabiliter oſtendere, quia probabile eſt quod eſt ſimile vero.*

 Ad

Ad quartum de differentia inter probabilitatem adhuc Logicam atque Rhetoricam, præter adducta, iterum hæc alia nunc ſuppetunt ſcil. ex Ariſtotele in primo Rhetoricorum in initio & Egidio exponente ibidem, rhetoricum inclinare intellectum in vnam partem potius mediante voluntatis affectu, quam mediante ratione, vt inclinat Logica ad hunc finem vtens ſyllogiſmo probabili: ſed omnium optima doctrina ſe offert ex noſtro Angelico Præceptore ſecunda ſecundæ qu. 46. art. 1. dicente, *alius modus eſt ex probabilibus ad opinionem faciendam, quod pertinet ad Dialecticam, alius modus eſt ex quibuſdam coniecturis ad ſuſpicionem inducendam vel aliqualiter perſuadendum, quod pertinet ad Rhetoricam*, & iterum 1. Poſteriorum lect. 1. ſubiungit, *propter probabilitatem propoſitionum, ex quibus proceditur, quandoque ratio totaliter declinat in vnam partem contradictionis, licet cum formidine alterius, & ad hoc ordinatur Topica ſiue Dialectica. Quandoque non fit completè fides vel opinio, ſed ſuſpicio quædam, quia non totaliter declinatur ad vnam partem contradictionis, licet magis declinet in hanc quam in aliam, & ad hoc ordinatur Rhetorica.*

Ad quintum non dubitaret Caramuel ea verba repetere, quæ antea ſcripſit Epiſt. 2. num. 82. *Ariſtotelem male probabilitatem definiuiſſe confundendo ſcilicet probabile adhuc authenticum cum probabiliori*. Sed nobis aliter Philoſophiæ Princeps defenſandus & exponendus eſt, ſcilicet eo proportionali modo, quo propoſitio per ſe nota quo ad nos apud Caietanum primo Poſteriorum cap. 3. cum Ariſtotele & S. Thoma diuidebatur in per ſe notam quo ad nos vel omnes vel ſapientes, & mediata in probabiliorē apud plurimos etiam Idiotas vel ſapientes; ita in præadducto loco Ariſtoteles intelligendus eſt explicaſſe pariter dumtaxat diuerſos probabilitatis gradus authenticę potius quam rationalis, vt etiam Iulius Clemēs Scotus obſeruabat, de qua tamen 2. vt priori & regulante alteram principaliter noſter hic ſermo fuit; obiectio autem illa Caramuelis ſimul hic ad 6. accipit ſolutionem.

Ad ſextum tandem non paucorum labor in æquiuoco detegendus eſt, aliud nimirum eſſe, vt ſupra vidimus ex Ariſtotele 1. poſteriorum textu 199. & S. Thoma ibidem, comparare geminas propoſitiones contradictorias ad inuicem ſecundum ſe, & aliud eaſdem comparare non ſecundum ſe ſed iuxta diuerſa longe diſſita media ſingillatim ordinata ad eaſdem, vti iterum clarius diſtinguebat idem Ariſtoteles 1. Rhetoricorum cap. 2. dicens, *aliud quidem per ſe ipſum illico fit credibile & probabile, aliud quoniam probari per talia videatur*. Primo modo vtique probat obiectio non poſſe vtramque ſimul Phyſice probabilem eſſe, & ne dum alteram probabilem alteram eſſe probabiliorem, ſecundo vero modo quid vetat vtramque ſua propria non contradictoria ſed diſparata media non ſolum æqualis ſed excedentis etiam Phyſicæ probabilitatis obtinere? Vt ita ſeruetur commune prolo quium de vna opinione probabiliori præ altera. Hæc de probabilis Quidditate ac diuiſione veluti pro compendio dicta ſint ſatis, vt inde ad examen probabilitatum citatiſſime properemus.

Digitized by Google

QVÆSTIO III.

De Comparatione inter Chriſtianorum probabiliſtas & Academicos Ethnicorum.

VTi Ethnicorum Academici tres præcipuas confecere Academias, vt ſupra qu. 1. recenſitum eſt, ita & Chriſtianorum probabiliſtæ præſertim in tres inuicem claſſes ſubdiuidi poſſunt. Primi ij ſunt, qui ſolam etiam in ſpeculabilibus probabilitatem inducunt, vt cũ Cornelio Agrippa & alijs huiuſmodi denuo Gaſſendus laborauit libro 2. aduerſus Ariſtotelicos exercitatione 6. per totam; & hi ſceptici dici poſſunt. Secundi ſunt Aporectici, qui in agibilibus ſaltem licite volunt nos poſſe ſequi vagam etiam minus probabilem opinionem, vt alijs omiſſis à Fagnano referuntur Spinula, Tamburinus, Sanchez, Charamuel & huiuſmodi. Tertij tandem illi erunt, qui dum Scepticam vel Aporecticam Academiam euerterent, aliam Ephecticam conſtruxerunt, qui ſcilicet vt minus probabilem opinionem libertati fauentem in concurſu probabilioris pro præcepto refellerent, negauerunt etiam nos Phyſice poſſe aſſentiri directe probabiliori opinioni in concurſu minus probabilis, & à fortiori negarunt licitum eſſe moraliter ſequi adhuc magis probabilem libertati fauentem, vt abſolute Merendæ Vendrochio & alijs huiuſmodi attribui ſolet, & partim Fagnanus & Mercorus inclinare aliquibus viſi ſunt. De duobus igitur poſtremis iſtis (omiſſis primis, quos lib. 1. qu. 8. art. 2. præcluſimus) eſt in præſenti breuiori, qua poſſumus, Methodo pertractandum. Et primo, contra priores Academicos minus probabili patrocinantes, de ipſorum comparatione cum Academicis Etnicorum, & deinde de eorumdem aſſerto agendum eſt.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Ethnicorum Academia apud Chriſtianos applauſus tam magnos obtinuerit ab extraneo potius affectu quam veritate.

VIdebitur Academicis ſine dubio quod non, Primo, quia veritas ipſa in ſententiarum diſcrimine ex inæquali auctorum numero expendenda eſt, vt habet codex Theodoſianus titulo de reſponſis etiã à D. Fagnano relatus, *ſc. vbi diuerſæ, inquit, ſententiæ proferuntur, potius vincit numerus auctorum* ſed maior apud Chriſtianos eſt numerus auctorum applaudentium Etnicorum Academiæ ſeu probabilitati, vti ſexaginta Theologorum ſyllabum intexit Mercorus parte 2. ar. 26. & alios idem Fagnanus adiungit in caput *ne innitaris* à num. 23. & num. 254. ergo ex veritate dicendum eſt Etnicorum Academiam etiam apud Chriſtianos veros applauſus obtinere.

Secundo ad hominem, vt dicitur, contra Thomiſtas, nam ipſi Thomiſtæ non dicent ab affectu extraneo potius quam veritate Pontifices in bullis de

conceptione declaraſſe licitum ſimul eſſe ſine culpa lethali alterutram proſequi opinionem, etiam ſi vna, quærumque ſit illa, abſque dubio probabilior ſit, altera minus probabilis, vti eodem modo licere exploratum eſt vnicuique Dominicanorum ac Scotiſtarum ſui Doctoris placitum deffenſare in qualibet alia materia probabile, ergo ex veritate non vero ab extraneo affectu concedendum eſt regulam probabiliſtarum acquirere, vti videmus, in dies Chriſtianorum applauſus.

Tertio quia vere ille & ſincere promeretur applauſus in Eccleſia Dei, qui planum inuenit modum componendi conſcientias, & manutenendi concordes Scholas ad inuicem aliter maxime diſſidentes, ſed hoc facit probabiliſtarum Academia pro tuto deffendens illud omne, quod ſua probabilitate non caret, ergo iam probabiliſtarum Academia à Chriſtianis etiam vere & ſincere applauſus promeretur.

In oppoſitum tamen obſtat Auguſtinus lib. 2. contra Academicos in initio ſic dicens, *omnis profecto Academicorum vel calumnia vel pertinacia vel peruiracia ſimul cum ipſius Carneadis Ciceroniſque cineribus ſepulta foret, ſed quia ſiue vitæ huius multis varijſque iactationibus, ſiue ingeniorum quodam ſtupore vel ſocordia, vel tarditate torpentium, ſiue deſperatione inueniendi, ſiue falſa opinione inuentæ à ſe veritatis &c. euenit vt ſcientia raro pauciſque proueniat, eo fit vt Academicorum arma quando cum eis ad manus venitur, nec mediocribus viris ſed acutis & bene eruditis inuicta & quaſi vulcania eſſe videantur.* ergo Auguſtino videtur potius aliunde quam ex veritate apud Chriſtianos Academia Etnicorum aſſumere vires nec non applauſus obtinere.

Reſpondeo vtiq; multis de cauſis, eiſque à veritate ſeiunctis, Etnicorum academiam acquirere ſemper etiam apud chriſtianos applauſus.

Primam, ſcil. ex prodigis probabiliſtarum encomijs in cæteros philoſophos, confeſſus eſt etiam Cicero apud Auguſtinum eumdem lib. 3. contra Academicos cap. 7. vbi præmiſſo prius quod vbi Stoicus, exempli gratia, & Epicureus inuicem ſe condemnant & exagitant, academicus medius inter vtrumque vtrique repetit ſingillatim ſuam vtriuſque ſententiam probabilem eſſe, *hinc roga nunc*, inquit Cicero, *roga nunc Stoicum quis ſit melior, Epicurus ne, qui delirare Stoicum clamat, an academicus? nemo dubitat academicum prælatum iri. Rurſus te ad Epicurum conuerte & quære quem magis amet Zenonem Stoicum, à quo beſtia nominatur, an academicum? Non ne apertum eſt totam illam porticum inſanam, academicos autem præ illis modeſtos cautoſque homines videri Epicuro? Ita per æque prope de omnibus ſectis &c.* concludit Cicero ibidem, & ita concludimus & nos pariter potius ex liberali iſta ſimilium probabiliſtarum applauſu in aliorum placita potius, quam è veritate, ſibi à cæteris mutuos chriſtianorum applauſus obtinere.

Secundam eamque pulcherrimam tactam etiam ab Auguſtino vbi ſupra aſſignabat Ariſtoteles in lib. 4. Methaphyſicorum textu 28. vbi propoſita academicorum ſententia ſubiungit, *euenit autem quibuſdam ea opinio, ſicuti alia inopinabilium: quoniam enim ſoluere non poſſunt orationes contentioſas, annuen-*

annuentes orationi confirmant verum eſſe quod eſt ſyllogizatum. Hi quidem igitur propter talem cauſam hæc dicunt: ſic non pauci etiam chriſtianorum in materia morali vix tincti, difficile eſſe percipientes ſingulorum veritatem exquirere aut edocere, lecta vix curſim in plerifque materijs pro vtraque parte diuerſitate ſcriptorum, extemporanee etiam & expedite reſpondere pergeſtiunt, & eos inde hæc probabilium academia magnopere condelectat, vt etiam dominus Fagnanus in caput *ne innitaris* num. 321. ſimul cum Mercoro prætangebat.

Tertiam rationem afferebat Lucullus apud Ciceronem in 4. academicarum, quam & ex pluribus alijs nos ſupra referebamus, nempe academiam ideo aliquibus placuiſſe, non quia eam mente probarent, ſed vt oretenus ſaltem cæteris magis libere repugnarent, *cum enim*, inquit, *iam philoſophorum diſciplinæ grauiſſimè conſtitiſſent, tum exortus eſt, vt in optima Republica Gracbus, qui otium perturbauit, ſic. Arceſilas, qui conſtitutam philoſophiam euerteret. & in eorum auctoritate deliteſceret, qui negaſſent quidquam ſciri*, ita pariter aliqui apud chriſtianos, cum aliquorum, quibus inuidebant, dogmata aliter labefactari haud poſſe perciperent, ad probabilium academias velut latebras inſidiarum frequentiſſime recurrerunt.

Quartam de ſe ipſo fatetur Cicero in lib. pariter 4. academicarum quæſtionum, vt ſcil. ſibi aliquid primo dicenti facilius eſſet pro libito ac ſine dedecore retractare ſententiam, vnde inquit, *hoc etiam liberiores & ſolutiores ſumus, quod integra nobis eſt iudicandi poteſtas, neque vt omnia quæ præſcripta & quaſi imperata ſint deffendamus, neceſſitate vlla compellimur*, ita & probabiliſtas aliquando hominum diuerſorum affectibus ſuas in moralibus ad beneuolentiam coaptare opiniones nimium quidem in aliquibus experimur.

Quintam rationem adducit Philo Iudæus in libro Dialogi ex vulgarium ſcil. curioſitate, *adulterinæ enim res*, inquit, *pluris fiunt quam legitimæ, & veræ non tanti valent quanti veriſimiles naturam ſuam tegentes mendacio, & falſis imaginibus vulgo credulo illudentes*, hinc ſubdit, *nihil eſt, quod non ſit adulteratum, dum ſincera à vitioſis vincuntur & vera à probabilibus, quæ quamquam natura ſua mentiuntur, ſpeties tamen veriſimiles in ciuitatibus proponunt.*

Sextam quo ad eoſdem vulgares adducit Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum cap. 19. *Quod multi*, inquit, *acquieſcant ſententiæ tuæ indicium voluptatis eſt, non enim tam te loquentem probant, quam ſuis vitijs fauent*, ſcil. ex probabiliſtarum regula experiuntur plerique in ſuis paſſim cupiditatibus excuſari.

Ad primum igitur Lucullus ipſe in ſimili omnimode reſpondebat apud Cicerorem his verbis, *mihi videmini, cum veteres nominatis, facere idem quod ſeditioſi ciues ſolent, cum aliquos ex antiquis claros viros proferunt, quos dicunt fuiſſe populares, vt eorum ipſi ſimiles eſſe videantur. Similiter vos cum perturbare, vt illi Rempublicam, ſic vos philoſophiam bene iam conſtitutam velitis, Empedoclem Democritum Platonem etiam & Socratem profertis. Sed nec Arceſilæ calumnia conferenda eſt cum Democriti verecundia*, inquit ipſe, neque an-

tiquo-

tiquorum Theologorum placita, ſubiungimus nos, conferenda ſunt cum recētiorum probabiliſtarum aſſertis,illi enim,vt ex alijs etiam præmonuimus in ſuperiori, pro probabili intelligebant aut etiam phyſice aut ſaltem moraliter certum, aut tandem vt probabile Ethicum diſtinguitur contra Rhetoricum,& conſequenter pro eo,quod hiſce temporibus dicitur probabilius,iſti vero de minus probabili indiſcriminatim etiam in concurſu probabilioris intendunt.

Ad ſecundum omiſſa & altera Mercori reſponſione reſpondet Baronius noſter pag. 161. & iterum pag. 217. longe aliam rationem eſſe de eligendis in praxi quo ad morum materiam & agibilium, ac de ſpeculatiue noſcendis in materia eorum etiam, quæ nec immediate per reuelationem, nec mediate per conſequentiam euidentem, ſed ſolum mediate per probabilem conſecutionem ad materiam fidei reduci poſſunt. In iſtis enim poſtremis vtique libenter admittimus liberam etiam minus probabilis electionem, at in illis prioribus id nec laudare poſſumus, nec debemus; cuius diſcriminis rationi (vt nos etiam aliquid pro Baronio dicamus) præiuerunt tum S. Thomas in 3. diſt. 25. qu. 2. ar. 1. quæſtiuncula 2. ad 3. tum Aug. li. 2. de peccatorum meritis capite vltimo, *& ſi enim*, inquit, *quodlibet horum quemadmodum demonſtrari & explicari poſſit ignorem, illud tamen credo quod etiam huic diuinorum eloquiorum clariſſima auctoritas eſſet, ſi homo illud ſine diſpendio ſalutis ingnorare non poſſet*, ex quo vtique poſtea grauiſſimum illud eiuſdem Auguſtini monitum promanauit Epiſtola 118. cap. 2. *ſenſi*, inquit, *ſæpe dolens & gemens multas infirmorum perturbationes fieri per quorundam fratrum contemptioſam obſtinationem vel ſuperſtitioſam timiditatem, qui in rebus huiuſmodi, quæ nec Scripturæ Sanctæ authoritate, neque vniuerſalis Eccleſiæ traditione, neque vitæ corrigendæ vtilitate ad certum poſſunt terminum peruenire, tantum quia ſubeſt qualiſcunque raciocinatio cogitantis, aut quia ſic ipſi in ſua patria conſueuerunt, tam litigioſas excitant quæſtiones, vt niſi quod ipſi faciunt, nihil exiſtiment rectum eſſe.*

Ad tertium tandem occurrit Auguſtinus in eodem lib. 3. contra Academicos cap. 8. ſic irridens illam in omnium placita vertibilem promptitudinem, *inde enim ſit*, inquit, *vt cum ſe ille Academicus iactanticulus qui ſi diſcipulum ſingulis dederit &c. magnorum illorum poſtea conſenſione rideatur*, & intra, *quis iſtum velit ſeu nō poſſit imitari? Et ego interrogatus idem reſpōdebo, par erit laus. Ea agitur gloria gaudet ſapiens, in qua illi ſtultus æquatur*, ſcilicet in valendo ſingulorum velut probabiles aliorum ſententias approbare: neque inde eiſdem academicis alteram vtilitatis laudem concedendam eſſe ſubiungit, de conſeruata ſcil. quiete inter ſcholaſticos inuicem diſſidentes, nam in hoc, inquit eodem libro cap. 7. *ego nihil aduerſabor, nec eis Sillæ auferam gloriam*, qui ſcil. Silla ſic fouebat diuerſa placita ciuium, vt ad tyrannidem ipſe promoueretur, vti hoc idem alibi de Iuliano notarat idem Auguſtinus Epiſt. 166. & ante ipſum Optatus Mileuitanus li. 2. ſic dicens, *Chriſtianorum ſcil. nomen putans perire de terris ſi ſacrilegas diſſenſiones liberas eſſe permitteret*, ſeu vti ſubdebat Amianus *vt diſſenſiones augente licentia*

vnanı

vmanim antem poſtea plebem non timeret.

ARTICVLVS II.

An Academici quidam Chriſtianorum in propoſito poſſint videri peiores Academicis Ethnicorum.

VIdebitur ob ſuſequentia argumenta, quod non. Primo nam, vti nunc video obſeruatum in Eſparza in ſuo opuſculo nouiſſimo, longè amplius eſt, tollere etiam Philoſophiæ certitudinem, immò & prohibere opinatiuum aſſenſum, quam eis admiſſis ſolum intendere eſſe licitum ſequi in moralibus opinionem minus probabilem probabiliori contempta. Sed primum aſſerebant Academici Ethnicorum, ſecundum tantummodo aſſerunt probabiliſtæ Chriſtianorum, vti diſcrimen aduertebat etiam Auguſtinus lib. 19. de Ciuitate cap. 17. inter illos Academicos & Eccleſiæ certitudinem, ergo longè peiores illi iſque meliores, neque iſti illi eiſdem comparandi ſunt, vti & Eſparza argumentatur.

Secundo quia hinc Academici Ethnicorũ procul à dogmaticis de re vtiq; differebant, ſed probabiliſtæ Chriſtianorum è contra non ſemel aliqua dicunt de probabilium morali certitudine, in quibus nihil vel parum vel ſolo nomine à cæteris diſcriminari dici poſſunt, vti præuidiſſe videtur & noſter Silueſter in ſumma verbo, opinio, dicens, *videntur in hoc eſſe opiniones, & non ſunt*, & propter hoc Aug. lib. 2. contra Academicos cap. 11. præmonebat. *turpe eſſe diſputantibus in verborum quæſtione immorari, cum certamen nullum de rebus remanſerit*, ergo in propoſito longè peiores erũt Ethnicorum Academici quam Chriſtianorum.

Tertio quia vt arguit Caramuel Epiſt. 3. in reſponſione ad 4. immo probabiliſtæ neoterici Chriſtianorum meliores, vt pote rigidiores, in morali videntur etiam quam pluribus Theologorum antiquorum, etenim vt ipſe ſingillatim recentes nominat, hi vtique docent contra Cordubam nec plura beneficia validè recipi nec tuto retineri; contra Richardum Angelum & Gerſonem vnicam etiam officij diuini omiſſionem culpa lethali condemnant; vbi veteres eximebant ab eiuſdem officij penſo Clericos & ſubdiaconos, eoſdem obſtringunt ex conſuetudine recentiores, ex illis Caietanus quadrageſimale ieiunium non niſi ad conſuetudinis iura reuocabat, & Angelus cum Archidiacono & Richardo ablato contemptu ieiunium ſoluere ſimul à culpa ſolebant, ab iſtis autem recentioribus Leander impugnatus eſt eo, quod ſolum ieiunij tempore octo vntias indulſerit; antiqui quidam ſupreſſo nomine memorati à Suarez annuam miſſæ negligentiam à peccato liberabant, iſti & de accedente poſt Epiſtolam dubitant an præceptum obſeruet; illi de non laborando in die feſto laxiſſime, rigidiſſime iſti diſcurrunt; ex illis tandem cum Bernardo fuere, qui præcepta Eccleſiæ ſolum ad penam non culpam obſtringere crediderunt, ex iſtis culpæ mortali ſubijciunt, ergo Academici iſti Chriſtianorum non ſunt non ſolum

Aca-

Academicis Etnicorum peiores, ſed neque tam mali vel laxitatibus dediti vt àprobabiliſtarum oſore pinguntur.

In oppoſitum tamen eſt quod Academici Etnicorum ſolum ad probabiliſtarum Academiam confugerunt, non quidem ad relaxandos hominum mores, ſed potius ad euertẽdos ab orbe pertinaciſſimos quoſdã Ethnicorũ errores de Deo corporeo anima mortali & huiuſmodi, vti diſtincte probabat Aug. li. 3. contra Academicos c. 18. etiam ex Metrodoro dicente, *hæc non decreto placuiſſe Academicis, ſed neceſſario contra Stoicos huiuſmodi eos arma ſumpſiſſe*, ſed ab oppoſito Academici Chriſtianorum illi ſunt, de quibus Alexander 7. in præcepto impoſito generali capitulo Dominicanorum memorato poſt Mercorum à Fagnano num. 334. loquebatur, *Tædere beatitudinem ſuam tot nouarum opinionum hoc ſeculo in Theologiam moralem inductarum, quibus diſciplina Euangelica reſoluitur, ac conſcientijs cum graui animarum periculo illuditur, & ſe maxime velle à Thologis Dominicanis in Eccleſia hoc morbo occulto laborantis remedium opus parari ex ſeueriori & tuta Sanctiſſimi præceptoris doctrina, quo & morum & opinionum licentia, qua in dies graſſatur, quaſi cauterio cohibeatur*, ergo ab oppoſito Academici Chriſtianorum in propoſito poſſunt aliqnibus videri peiores Academicis Etnicorum.

Reſpondeo non immerito quoſdam ſaltem ex Academicis Chriſtianorum poſſe in propoſito videri peiores Academicis Etnicorum. Nam quantacunque fuerit Etnicorum probabiliſtarum licentia, nunquam tamen ad iſta extrema, quod viderim, deuenerunt, vt aſſeruerint vnquam probabile etiam in concurſu probabilioris pro electione ſufficere, quinimmo perpetuo perſtiterunt in ſua illa dicendi agendique methodo, ſcil. ſatis eſſe quod magis vnum ſibi præ altero probabile videretur. Quod ne nunc videar ad aliquam recentioribus procreandam inuidiam aſſeruiſſe, neceſſe eſt breuiter hic ſingulorum teſtimonia tranſcurrere. Imprimis etenim legi poteſt hoc commune illorum effatum apud Ioannem Franciſcum Picum li. 1. examinis vanitatis doctrinæ gentium c. 4. ex Varrone Sexto Empirico Cicerone alijſque aientem, *illud eſſe cenſebant bonum, quod magis probabile & perſuaſibile magis, communem ſequentes vitam vſuique communi aſſentientes, ne omnino ſine actione manerent*. Sic Ariſtoteles 4. Methaphyſicorum textu 8. etiam ſi ipſos quo ad alia refelleret, hoc tamen de eiſdem teſtatus eſt, *quare omnes*, inquit, *vt videtur & ſi non circa omnia circa tamen melius & deterius ſimpliciter ſe habere exiſtimant*, ſic apud Auguſtinum lib. 1. contra academicos cap. 3. hinc academici refellentes eos, qui minus probabili adhærentes probabiliora perquirere negligebant, inde pro ſuo hoc placito perorabant, *quiſquis ergo minus inſtanter quam oportet veritatem quærit is ad finem hominis non peruenit. Quiſquis tantum quantum homo poteſt ac debet dat operam inueniendæ veritati, etiam ſi eam non inueniat beatus eſt*, ideſt iuſtus quo ad hoc, vt nos Chriſtianè diceremus. Sic ex Academicis Cicero lib. 2. de finibus detecta fronte profitebatur, *deffendatur quidem*, inquit, *quod quiſque ſentiat, ſunt enim libera hominum indicia, nos inſtitutum tenebimus, quid ſit*

in quo

in quaque re maxime probabile perquiremus, cuius rationem reddit contra minus probabili adhærentes omnino eamdem cum S. Thomæ probatione quodlibeto 8. art. 13. iterum in lib. 1. officiorum his verbis, *bene namque præcipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites æquim ſit an iniquum. Æquitas enim lucet ipſa per ſe, dubitatio autem cogitationem ſignificat iniuriæ*. Sic ex eiſdem Plutarchus in Craſſo, *difficilis*, inquit, *in iſtis certitudo & comprehenſio ardua, benignius tamē erratur cum recepta & veteri opinione per circumſpectam timiditatem, quam contra mores & prudenter*. Sic Socrates apud Platonem in Phædro (quem ſequi etiam academici profitebantur apud Ciceronem lib. 1. de officijs) minus probabilem opinionem eligentes præ opinione probabiliori ad finem obtinendę veritatis, & illam volentes æquare iſti lepidiſſimo exemplo redarguit, *quando*, inquit, *obnixe tibi perſuadere conarer oratione in aſini laudes compoſita equum illum vocans affirmanſque illum præſtantiſſimum animal eſſe &c. Valde id abſurdum*, ſic infra concludit, *quamobrem ò Amici, quicunque veritatem ignorat & opinionibus ducitur dicendi quoque facultatem, vt videtur, inertem exhibet atque ridiculam*. Sic ex eiſdem Stoicis academicorum præcurſoribus Seneca lib. 4. de beneficijs cap. 17. *adeo gratioſa eſt*, inquit, *virtus, vt inſitum etiam malis ſit probare meliora*. Sic Epictetus primo diſſer. cap. 2. probabile ſolum in concurſu improbabilis, non vero probabilioris, bonum eſſe ſupponit dicens, *aliud alij incidit probabile aut improbabile, ſicut & bonum & malum*, ſic Archidamus apud Clementem Alexandrinum lib. 2. Stromatum virtutis ſapientiſque finem afferebat, *eligere ea, quæ ſecundum naturam ſunt maxima vel præcipua, nec poſſe ea tranſilire*. Sic Plato in Philebo, *malum*, inquit, *circumſtat neceſſario & adhæret. Ideo conandum hinc illuc fugere, fuga autem eſt Dei aſſimilatio, quatenus poteſt, & hæc aſſimilatio eſt iuſtum & ſanctum cum prudentia eſſe*, cui Iamblicus alludebat dicens, *Beatus eſt, qui Deo pro virili ſua eſt ſimilis*; conſtat autem non pro virili nec quatenus poteſt veritatem neque aſſimilationem cum Deo perquirere, qui medium opportunius ad hoc, ſcil. opinionem probabiliorem, meditate contemnit. Vnde etiam ex his Nemeſius in libro de anima cap. 33. id ex natura eiuſdem electionis inferebat dicens, *eligi dicitur, quod per conſultationem antepoſitum eſt*, nempe quod eſt probabilius à ratione præiudicatum. Immo nec Epicurei, qui tam male habiti ſunt, in hoc recentiorum extremum deuenerunt de electione minus probabilis, ſed ſolum æque probabile ad ſummum admiſerunt, nam Epicurus apud Laertium in Epiſtola ad Pytoclem ſolum ita ſcribebat, *quod ſi quis vnum quidem modum retineat, alium vero tam etſi æque apparentibus conſonum repudiet, is perſpicue ab omni vera philoſophandi ratione deflectit, dilabiturque ad fabulas*.

Ad primum igitur neq; admittendum eſt academicos Etnicorū ex mentis intimo probauiſſe, quæ extime protuliſſe referuntur, vt ſupra ex propoſito probatum eſt, neque hoc gratis admiſſo quo ad ſpeculabilia tantum, non agibilia ſeu moralia, ſubſequitur aliud niſi illud, quod fatebatur Carneades apud Auguſtinum lib. 3. contra academicos ca. 10. *dicamus*, inquit, *ea nos*

Cc *neſcire*

neſcire, quæ inter philoſophos requiruntur, cætera ad nos non pertinere, vt iterum id obſeruat etiam & probat idem Auguſtinus libro de vtilitate credendi cap. 11. vbi ab oppoſito academici Chriſtianorum ad vitam & mores *communem hanc peſtem*, vt loquebatur Auguſtinus eodem lib. 3. cap. 8. ſicuti tunc extendi poſſe ab eodem præuidebatur, ita nunc extendere de facto perniciosiſſime conati ſunt, vnde huc ſponte veniunt grauiſſima illa Auguſtini verba lib. 2. contra academicos eoſdem cap. 9. *auferantur*, inquit, *de manibus noſtris fabellæ pueriles. De vita noſtra, de moribus, de animo res agitur*, & lib. 3. cap. 16. *Hæc omittamus minus ad vitæ noſtræ diſcrimen, minus ad fortunarum periculum attinent, illud eſt capitale, illud formidoloſum illud optimo cuique metuendum, quod nefas omne, ſi hæc ratio probabilis ſit, cum probabile cuique viſum fuerit eſſe faciendum, non ſolum ſine ſceleris, ſed etiã ſine erroris vituperatione comittetur. Nulli igitur noſtrum*, infert cap. 1. *nulli dubium eſt nihil eſſe à nobis huic negotio præponendum.*

Ad ſecundum iam diu Lucullus etiam apud Ciceronem in Academicis omnino ex Academicis eundẽ modum dicendi referebat, *alij enim*, inquit, *elegantius, qui etiam querũtur, quod eos inſimulemus omnia incerta dicere, quantumque interſit inter certum & id, quod percipi non poſſit, docere conantur, eaque diſtinguere.* Sed hoc non obſtante Auguſtinus lib. 2. contra Academicos cap. 10. & nos cum ipſo poſſumus lectorem Candidum præmonere, *non eſt iſta*, inquit, *mihi crede verborum ſed rerum ipſarum magna controuerſia, non illos viros eos fuiſſe arbitror, qui de rebus neſcirent nomina imponere, ſed mihi hæc vocabula videntur elegiſſe ad occultandam tardioribus, & ad ſignificandam vigilantioribus ſententiam ſuam.* Nempe & hiſce temporibus de re grauiſſimum diſſidium eſt, an concurrente ſcilicet & attenta gemina opinione, altera probabilioti fauente præcepto altera minus probabili pro libertate, in praxi liceat contempta prima ſequi ſecundam, vt in ſequenti tota quęſtione perpendimus.

Ad tertium tandem quid Charamuel dicturus eſſet ignoro, ſi in ipſum vti ſui immemorem retorqueretur, quod toties repetit alibi præſertim epiſtola 3. num. 130. neotericos probabiliſtas comprobaſſe quod dicitur, *iugum meum ſuaue eſt?* Quid ſi quis eiuſdem argumento reponeret recentiores illos, quos inter rigidos adnumerauit, aut non eſſe ex probabiliſtis aut ſi ſint, ex ipſorum principijs inferri non minus rigidam quam laxam amplecti adhuc cuicunque licere? Quid ſi non iuſta comparatio dicatur, non quidem maiorem recentium partem cum maiori parte Priſcorum cõferens, ſed magis ſpicilegio ſubiitens rigidioris vnius neoterici, vt vni vix alteri antiquorum minus rigido conferatur? Quid ſi de rebus diuini iuris, quod maius longe eſt & ſtabilius, inter veteres & recentiores nulla iſta comparatio dicatur, vbi ab arguente duntaxat de aliquibus ad ius humanum pertinentibus longe ex tempore mutabilius ea collatio tranſcurritur? adeo vt neotericis tenacioribus aliquando in ſecundum proluſioribus erga primum noſter Baronius dixerit Euangelicum illud aptari poſſe, *colantes culicem camelum glutientes?* Quid ſi quam plura falsò ſuppoſita detegantur, vt inter cæ-

tera veteres permiſiſſe tuto recipi aut retineri plura beneficia, cùm potius antiquos referat pro negatiua S. Thomas quolibeto 9. art. 15. pro affirmatiua referantur recentes vſque ad 20. nouiſſime etiam apud Bardi de conſcientia probabili quæſt. 5. veteres circa ieiunium permittere renuerũt vix aliquid temporis ante meridiem pro ſoluendo ieiunio, permiſerunt vſque ad 4. horas neoterici apud Paſqualigũ deciſione 140. De Annuo miſſæ neglectu non antiqui Theologi, vti ſupponebatur, ſed potius hæretici illud tenuiſſe referuntur apud Antoninum 4. parte tit. 11. De non obligatione ad culpam Bernardus, non quo ad Eccleſiæ præcepta, vti imponitur & obijcitur, ſed regulæ potius loquebatur, vbi quo ad illa id potius tenuere Valdenſes hæretici apud Antoninum eumdem. Sed ad quid vltro huiuſmodi parergis immorabor? Legas quæ vix prodeunte hoc laxiorum opinionũm morbo etiam Grauinæ tempore idem Grauina in opuſculo de ſacro depoſito c. 22. §. 2. deplorabat. Legas in pontificijs edictis ab Alexandro VII. pluſquam 40. damnatus audaciores probabiliſtarum aſſertiones. Legas alias, de quibus à non paucis dubitatur apud D. Fagnanum Gonet & huiuſmodi. Legas in alio ſcriptore recenti memorato a Baronio pag. 273. *alias propoſitiones ſupra tria millia collectas*. Legas tandem ſubſequentem articulum, & ſi ſuperis placet, *quoſdam auenarum ſuperſeminatores*, vt ex Euangelio loquitur Tertullianus de anima cap. 16. *& frumentariæ ſegetis nocturnos interpolatores*, veritate coactus tandẽ & ipſe non tenues confiteri.

ARTICVLVS III.

Vtrum ex aliquorum probabiliſtarum aſſerto inferatur nulla eſſe ſcelera, quæ non liceat patrari à populis ab aduocatis deffendi à Iudicibus abſolui, immo & innocentes damnari.

VIdetur nullum ex his quatuor inconuenientibus ſequi; Et primo circa primum, quia aliud eſt licere ſequi, quod videtur probabile alicui doctori, & aliud licere ſequi, quod videtur probabile ipſi operanti, primum dicunt probabiliſtæ, ſecundum negant. Sed ſolum ex ſecundo, non ex primo, ſequitur primum inconueniens ſcil. quælibet ſcelera à populis patrari licere, ergo ex probabiliſtarum aſſerto non ſequitur primum inconueniẽs vt inferri ſupponebatur.

Secundo circa ſecundũ quia ad minus dantur aliquę actiones ita perſpicuè malę, vt nequeant in mentem cadere alicuius, quod probabiliter poſſint apparere bonæ; ergo ſaltem de iſtis non ſequitur ex probabiliſtarum aſſerto omnia ſcelera poſſe deffendi ab aduocatis vt bona, quidquid ſit de operationibus illis, quarum malitia moraliter in ambiguo latere poteſt, & ideo circa ipſas dicunt probabiliſtæ poſſe ex ignorantia inuincibili errantem eximi à peccato.

Tertio circa tertium, quia aliud eſt errare, aliud peccare, vt diſtinguit etiã Caramuel epiſ. 2. num. 104. & 105. ergo ſicut aliquando aliquis errando

non peccet, ita è contra aliquis, non errando peccabit. Sed ex Academicorum aſſerto ſolum videtur inferri (quod ſequens, quod ſibi videtur probabile, non erret, non vero quod non peccet) ergo cum Academicorum aſſerto ſtat adhuc iudices diſcernere poſſe peccantes à non peccantibus, vt puniant, licet ad ſummum nequeant diſcernere errantes à non errantibus vt reſſellant.

Quarto vti nunc lego Eſparzam in recentiſſimo opuſculo de probabilitate p. p. art. 76. ſic differentem, quia illud non poteſt eſſe alicui probabile, quod opponitur alteri veritati, quam ille prius aut pro certa habet aut habere tenetur & poteſt. Sed probabilitas omnium illorum ſcelerum adductorum ab Auguſtino mox referendo, contrariatur alteri veritati ſcilic. legi naturæ, quam Ethnici etiam pro certa habebant, aut habere tenebantur, ergo non erat vti recentiorum probabilitas eſt, *contra quam*, inquit Eſparza, *ſi Auguſtini argumenta adhibeantur euadunt tam ridicula, & indigna, quam ridiculam & abominabilem argumentis ijſdem Auguſt. effecit ac penitus demonſtrauit doctrinam moralem Academicorum.*

In oppoſitum tamen eſt euidentiſſima auctoritas Auguſtini, qui libr. 3. contra academicos cap. 16. ordinate 4. illa inconuenientia ex ſimili omnino in propoſito academicorum & probabiliſtarum aſſerto ſub infert; ergo certe inferri dicendum eſt.

Reſpondeo vtiq; etiam inferri ſingula ex dictis quatuor inconuenientibus.

Primum quidem probat ibidem ab exemplo Auguſtinus, *ſi ergo, inquit, aliquis adoleſcentum, cum hos Academicos ſeu probabiliſtas audierit dicentes. Turpe eſt errare &c. ſed tamen cum agit quiſque quod ei videtur probabile, nec errat, nec peccat &c. ſic igitur audiens adoleſcens inſidiabitur pudicicia uxoris alienæ*, & infra, *taceo de homicidijs Paricidijs ſacrilegijs omnibuſque omnino, quæ fieri aut cogitari poſſunt, flagitijs vel facinoribus, quæ paucis verbis ſic deffenduntur, nihil conſenſi, & ideo non erraui*, ſcil. non conſenſi malitiæ, quæ probabiliter abeſſe viſa eſt.

Secundum de Aduocatis probat ſiſtendo in eodem exemplo addoleſcẽtis his verbis *addulterabit igitur*, inquit, *ille Iuuenis coniugem alienam, qui deprehenſus ſi fuerit, vbi te inueniet Marce Tuli, à quo deffendatur, & perſuadebis nimirum tamquam in Cumano Gymnaſio atque adeo Neapolitano nihil eum peccaſſe, immo etiam nec erraſſe quidem: non enim faciendum eſſe adulterium pro vero ſibi perſuaſit, probabile occurrit, ſequtus eſt* (ſeu vt alij legunt) *ſecurus eſt*.

Tertium & quartum de Iudicibus in abſoluendo reos vel damnando innocentes probat ibidem his verbis, *hoc illi iudices ſi intellexerint, aut negligent academicos ſeu probabiliſtas, & tamquã crimen veriſſimum punient, aut eiſdem obtemperantes veriſimiliter hominem probabiliterque damnabunt, vt iam quod agat iſte Patronus prorſus ignoret, cui enim ſuccenſeat non habebit, cum omnes ſe nihil erraſſe dicant, quando non aſſentientes*, ſcil. vt certo, *id quod viſum eſt probabile perfecerunt*, adde à fortiori hæc omnia ſequi ex academicis Chriſtianorum, qui ne dum vnicuique ſcriptori probabilius apparens,

rēns; vt de Etnicorum academicis diximus, verū etiam minus probabile in concurſu probabilioris electioni ſufficere proffitentur & docent.

Ad primum igitur dicendum eſt, illud ſubterfugium refferri etiam ex Cicerone, & reffutari ab eodem Auguſtino ibidem hjs verbis, *quid aliud dicturus es Marce Tuli, quam non tibi eſſe probabile vt id faciat adoleſcens? At illi probabile eſt, nam ſi ex alieno probabili viuimus nec tu debuiſti adminiſtrare Rempublicam, quia Epicuro viſum eſt, non eſſe faciendum*, remanet ergo ad minus cogi probabiliſtas admitere hoc, quod quidquid ſit de peccāte idiota, doctus ſaltem probabiliter putans ſibi licere peccatum, ex minore etiam probabilitate non peccet, cum alias ad oppinionē efficiendam probabilem vnius auctoritas Doctoris ex iſtis ſufficiens ſit.

Ad ſecundum dicimus pariter eandem fugam ab Auguſtino preuiſā eſſe, & præoccupatam his verbis ibidem, *qui autem*, inquit, *non putant iſta ſcilicet manifeſta flagitia probabiliter poſſe perſuaderi, legant orationē Catilinę, qua patriæ paricidium, quo vno continentur omnia ſcelera, perſuaſit*, vnde & Quintilianus aiebat, *nullam cauſam ita euidentem defferi poſſe in forum, cui nulla ne mendacij quidem velamenta contingant*, vti in praxi Lactantius li. 5. inſtitutionum cap. 17. reffert Romæ Carneadē etiam iniuſtitiam probaſſe bonū eſſe, vt eiuſdem argumenta probabiliſtis affinia recenſet Plutarchus lib. de Doctrina Principum etiam effatum illud adiungens, *ſine iniuſtitia ne Iouem quidem poſſe principem agere*, cui ſimile Cicero reffert ex Romanis apud Aug. lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 21.

Ad tertium repetendum eſt eandem reſponſionem adduci ab Aug. in eodem cap. 16. ſic. *niſi forte dicant in totum aliud eſſe errare, aliud peccare, ſeque illis præceptis egiſſe ne erremus, peccare autem nihil magnum eſſe dixiſſe*, quod tamen refutauerat prius in initio capitis dicens, *certe enim non fortaſſe omnis qui errat peccat, omnis tamē qui peccat aut errare conuincitur aut aliquid peius*, & refutat iterum verſus finem concludens, *non erraui. quomodo autem non facerem, quod ſcilicet ſine errore probabile viſum eſt*.

Ad quartum expedite diſtinguo maiorem, iuxta nos admittentes teneri dubitantem ſemper ſequi quod ſaltem probabilius apparet, concedo, iuxta aduerſarios permitentes eum licite poſſe etiam remanere in minus probabili, nego, nam iuxta ipſos accipio Ethnicum infidelem, ſi non inuincibiliter ignorantem aliqua naturæ præcepta (quod adhuc plurimi etiam aduerſariorum admitunt) ſaltem non certo eadem agnoſcentem, ſed primitus in ancipiti dubitantem (ex quo dubio profecto inuincibilitas ignorantiæ, licet non adhuc ipſa ignorantia, deperditur) tunc iſte dubitans vtique ex inſito naturæ lumine incipit ſub odorari, probabilius eſſe quod homicidium vel adulterium illicitum eſt, & huiuſmodi: Sed tamen aliunde probabile, licet minus, vtique probabile apparere non deſinit illud idem licitum eſſe, quid tunc faciet Ethnicus adoleſcens aut inter ſiluas enutritus, aut inter parentes ac populos, quos fæditiſſimis ſcæleribus innutritos, & ipſos, inquit, Hieronymus lib. 2. aduerſus Iouinianum cap. 6. *hoc eam naturæ legem putaſſe quod didicerunt*, non ne repetens & ipſe cum Pſalmo 64. *verba*, inquiet,

iniquo-

iniquorum praualuerunt ſuper me, & facta hac morali diligentia ordinaria, ad quam de iure naturæ tenebatur, aliquos conſulendi, quos inuenit, & adhuc ſentiens ſaltem *minus probabile eſſe*, adulterium licitum eſſe, non ne ipſi non valenti pro tunc certitudinem in præadducta dubitatione reperire, neque vlterius per aduerſarios adſtricto, (vti alias nos facilime reſpondemus) ad proſequendum probabilius, ſed libero in minus probabile, non ne inquã iuxta aduerſarios licebit ſequi hoc minus probabile & ſine culpa formali ſequetur? *Quid faceret*, inquit & pro me ipſo concludit in eundem pſalmum 64. Auguſtinus, *quid faceret puer natus inter paganos, vt non coleret lapidem, cum illum cultum inſinuauerunt parentes eius, inde prima verba audiuit, illum errorem cum lacte ſuxit; & quia illi, qui loquebantur maiores erãt, & puer qui loqui diſcebat, infans erat, vnde poterat paruulus niſi maiorum auctoritatem ſequi, & id ſibi bonum ducere quod illi laudarent?* quid iſte faceret, vel quid de iſto aduerſarij reſponderent cum veritate, non video. Ego vtique ſcio quid, in noſtra ſententia, de probabiliori tunc ſequenda, ſubiungerem cum Griſoſt. homil. 33. in acta apoſtolorũ pariter Ethnico fluctuãti dicente, *Fac illa, quæ facienda ſcis*, ſcil. naturæ lumine etiam proponente ſaltem, quæ probabiliora ſunt, *& recta ratione quære à Deo, & ille omnino tibi reuellabit*.

QVÆSTIO IV.

De Vaga electione minus probabilis, ſeu de Aporectica Academia Chriſtianorum.

HOc aut vnicum aut præcipuum inter Aporecticam Chriſtianorum, & dogmaticam ſeu peripateticam eorundum litigium eſt, an præcipue in moralium praxi eligere liceat minus probabile fauens libertati attento & ſpreto probabiliori fauente præcepto, vt contendit illa prima, iſta ſecunda reſiſtit. Circa quod alijs omiſſis, quæ aut in Merenda, aut Mercoro, aut Fagnano, Gonet, Baronio, & alijs ſatis prolixa, ſed ſolida, tranſcuri poſſunt, ſat erit nobis hæc duo, vt Caramueli præſertim occuramus, excutere. Primo an dicta electio minus probabilis ab exemplo, ſecundo an à ratione aut aliunde deducatur.

ARTICVLVS PRIMVS.

An vaga Electio minus probabilis ab Antiquorum exemplo comprobetur.

VIdetur Caramueli epiſt. 3. & 4. quod ſic. Primo incipiendo à prioribus, nam, vt habetur Danielis Decimo, Angelus Perſarum & Angelus Hebreorum reluctabantur ad inuicem. Sed hoc non poterat eſſe niſi per hoc, quod à neutro cognita certo voluntate Diuina ſequeretur vterque hinc inde oppoſitam probabilem oppinionem cum periculo agendi contra eandem Dei voluntatem, ergo iam non obſtante prædicto periculo Angeli etiam

etiam pro vtraque parte probabilitati opinionum adhærerent; ad quod vltro iuuaret, quod concedit & Mercorus reſponſione 3. §. 61. pro oppugnandis oppoſitis reuellationibus præſtitis Diuæ Brigitæ ac Catherinæ Senenſi de conceptione, nimirum ſimiles quandoque priuatas reuelationes effici mediantibus Angelis diuerſimode probabilia ſequentibus; ergo idem quod prius.

Secundo Eua audito præcepto pænali, *in quacunq; hora commederitis morte moriemini*, niſi probabiliter, licet eronee, opinata fuiſſet illud præceptum ſolum fuiſſe *comminatorium*, proculdubio nunquam illud transgreſſa fuiſſet. Sed hoc non obſtante adhærens huic etiam erroneæ opinioni probabili non peccauit, aliter & contra nos primum Euæ peccatum non ſuperbiæ, ſed longe alterius ſpeciei, fuiſſet, ergo & Eua abſque Peccato opinioni probabili licet eroneæ potuit adhærere.

Tertio Adam peccauit, vt inquit Auguſtinus, *ne diſpliceret vxori*, & conſequenter prius in vxorem inordinate affectus fuit. Sed hoc non obſtante in Adam ſimilis innordinatus affectus ex genere ſuo lethalis, non fuit lethalis in ipſo, aliter iterum contra nos primum Adę peccatum neutiquā ſuperbiæ fuiſſet, ergo reſtat in iſto innordinato affectu fuiſſe excuſatum Adam à culpa lethali ob aliquam, licet eroneam, opinionem probabilem ſcilicet opinandi prædictum affectum innordinatum eſſe dumtaxat veniale peccatum, vt Caramuel ſibi videtur ex Auguſtino colligere ſuper epiſtolā Apoſtoli aientis, *Adam non eſt ſeductus* (verius crediderim) li. 14. de Ciuitate cap. 11. vbi Auguſtinus hæc ſcribit, *Quomodo erit verum Adam non eſt ſeductus? Sed in expertus diuinæ ſecuritatis in eo falli potuit, vt veniale crederet eſſe comiſſum*, Ergo.

Quarto Abimelec non peccauit, quando volebat comiſceri Saræ, ſed tunc ipſe non ſciuit certo Saram eſſe ſolutam, quis enim (Caramuelos hæc omnia verba ſunt) dubitat de hoc? Ergo probabilitas excuſauit Abimelec à peccato.

Quinto Iſac rogatus à Iacob, vt benediceret ei induto veſtibus Eſau, vt ex ſcriptura colligitur, dubitauit ne Eſau vere non eſſet, & grauiter, tum ex nimia feſtinatione, tum ex voce. Sed hoc non obſtante, inquit Caramuel, ſic grauiter dubitans relicto ſenſu tutiori ſcil. auditu, & ſequtus minus ſecurum ſcil. tactum, bene dixit eidem, & conſequenter minus probabile proſequtus eſt; Ergo iam etiam minus probabilis electio ab exemplo huius Sanctiſſimi Patriarchæ probatur.

Sexto ex 2. Machabeorum c. 15. non obſtante antiquiſſima rigidaque obſeruantia Iudęorum de abſtinēdo à pugna in Sabato etiam ad ſui deffenſionem, Iudas Machabeus, diſcurſu & opere introduxit oppoſitam opinionē minus probabilem apud hæbreos, dum Sabati die Nicanorum inuadentem repreſſit, & eiecit; Sed hoc non obſtante, vt ex ſcriptura colligitur, non reprehenſus, ſed ab hæbreis valde comendatus, vt trionfator euaſit. ergo ab exemplo iterum illius habetur licere minus probabilem amplexari.

Septimo, vt habetur ex actibus Apoſtolorum, dum Petrus poſt abroga-

tum

tum legalium vſum ex decreto Concilij Apoſtolorum quandoque iterum Iudaizare viſus eſt, inquit Caramuel, obſeruando legalia, vt quibuſdam Iudęis fratibus complaceret, licet venialiter peccaſſe dicatur, propter quod à Paulo reprehenſus eſt adnotante D. Thoma in epiſt. ad Gallatas lect. 3. cap. 2. non tamen peccaſſe lethaliter dici poteſt, cum iam in gratia confirmatus eſſet. Sed hæc eius actio non potuit eximi à lethali peccato niſi ad hoc recurendo, quod Petrus illud licitum eſſe probabiliter opinaretur. Ergo iam probabiliter opinans aliquid licitum eſſe ex Petri exemplo lethali culpæ ſubducitur.

Octauo opinio adhuc minus probabilis eſt licere Pontifici ſibi adhuc viuenti ſucceſſorem denominare, vti ego (inquit Caramuel) cum Diana conſentio in Hierarchia Eccleſiaſtica diſputatione 55. Sed hoc non obſtante idem Petrus & ſolus ſibi adhuc viuenti ſubelegit Clementem, vt probat idem Caramuel ex Damaſo Papa & Clemente contra Baronium, ergo ab exemplo iterum Petri licet minus probabili adhærere.

Nono in materia interpretandi ſcripturas, & conſequenter & fidei diuerſas inuicem oppoſitas opiniones poſt Apoſtolos Sancti Patres probabiliter ſequti ſunt antequam ea dubia ab Eccleſia diffinita eſſent, vt refert & Cano cum alijs. Sed non eſt minus grauis & vrgens materia ſcripturæ vel fidei quam materia morum, ergo pariter ex Patrum exemplo in morum materia licebit inuicem opiniones oppoſitas probabiliter amplexari.

Decimo in eadem materia morum Aug. minus probabilem opionem ſequtus eſt (quod ſcil. votum ſolemne non dirimat matrimonium) cui etiam opinioni prius adhæſiſſe videtur D. Gregorius Papa, dum hac de cauſa, inquit Caramuel, indulſit Venantio Apoſtatæ, qui vxorem duxerat, Communionem; Sed neuter hoc non obſtante peccauit, vt inquit D. Bernardus in epiſt. ad Monacos Carnotenſes, *Certus ſum enim*, inquit, *ſiue in ſuo abundauerint ſenſu ſiue in Dei Spiritu, ſicut in cæteris, ita in his ambos extitiſſe fideles: illum ſcilicet Gregorium in diſpenſando quod præ manibus erat, iſtum id eſt Auguſtinum inſcribendo quod ſenſerat*, ergo idem quod prius.

Vndecimo, omiſſis Eminentiſſimis Cardinalibus, qui contrarias etiam ad inuicem non ſemel reſolutiones ediderunt, inquit Caramuel. ſępiſſime ipſi Pontifices vſi ſunt opinione minus probabili diſpenſantes modo à voto ſolemni contra probabiliorem oppoſitam Angelici pręceptoris opinionem, modo à matrimonio rato & non conſumato cōtra oppoſitam aſſertionem, quam ex Theologorum agmine probat Caramuel eſſe probabiliorem, modo ab impedimento eiuſdem matrimonij etiam in primo gradu conſanguineitatis, modo à numero trium Epiſcoporum in alterius Epiſcopi conſecratione contra probabiliorem non ſolum ſed communiorem atque tutiorem, vt late percurit ibidem Caramuel, modo à reordinatione anteordinatorum per Sciſmaticos Epiſcopos, vt contra probabiliorem diſpenſarunt Ioannes VIII. & Ioannes IX. modo à reſidentia Epiſcoporum, modo à promouendo digniori, & huiuſmodi, ergo à Pontificum etiam exemplo hoc colligi poteſt.

In oppoſitum tamen eſt quod aut intendit Caramuel ſingulos hos doctos ac Sacros viros in exemplum adductos ſequtos eſſe illud, quod ex parte obiecti minus probabile erat, ipſis tamen probabilius eſſe videbatur, aut intendit ſequtos eſſe illud vlterius, quod in praxi ſibi tunc minus probabile apparebat. Si dicatur primum nil aſſeritur cōtra nos admitentes gratis viro docto ſufficere ſequi quod ſibi probabilius facta morali diligētia exiſtimeter. Si ſecundum nec verbum in tot hucuſque adductis habetur, ex quo illud intentum inferri poſſe videatur, ergo ex præadductis exemplis non habetur adhuc, vt intenditur hic, minus probabile ſequi operanti licere.

Reſpondeo immo ex antiquorum & ſacrorum exemplis haberi, nos ſequi debere quod probabilius facta morali diligentia reputatur, non vero minus probabile ſatis eſſe. Nam incipiendo à prioribus, in quibus opinio probabilis eſſe poteſt, ſi quod minus probabile apparet alicui poſt moralem diligentiam ſatis eſſet ad excuſandas excuſationes in peccatis, iam Adam & Eua à ſuo illo primo omnium peccato eximi potuiſſent, vt docte præuidit ex Auguſtino & Mercorus & præintorſit in aduerſarios ſecunda parte Baſis art. 18. & de Saule Pariter, & Roboam & huiuſmodi poſt eundem percurrit Baronius diſp. 2. ſect. 4. ar. 2. §. 1. inductiue probans, *non defuiſſe his omnibus probabilitates multo veriſimiliores illis, quibus moderni homines lactant ſpem ſecuritatis*. Sed hoc non obſtante à peccato excuſati non ſunt, vti ex ſcriptura de fide eſt, ergo ab iſtorum exemplis habetur non ſatis eſſe ad excuſandum &c. ſequi quod minus probabile facta morali diligentia videtur, neque hucuſque probationis intentum de poſſibili videntur euertere ea, quæ poſtquam hunc librum ſcripſeram in libro Eſparzæ nouiſſime mihi Communicato reperio 1. parte, probantia de facto contra Caramuelem non fuiſſe exprobabilitate in aliqua ſua operatione alias ex genere mala prædictos à peccato abſolutos, non vero probantia aduerſus Mercori probationem non potuiſſe in hypoteſi regulæ probabiliſtarum, vt dicebatur.

Secundo nam ideo Iacob cum Lia ex ignorantia inuincibili facti excuſatus eſt, quia quod probabilius ſaltem apparebat, pro tunc ſequtus eſt, vt de alia etiam facti ignorantia diſcurit Auguſtinus epiſt. 48. & lib. 2. contra Creſcenium cap. 26. Sed hoc eſſe non poſſet, ſi etiam minus probabile pro errantis excuſatione valeret; Ergo etiam abſtito Iacob exemplo habetur pro errantis excuſatione minus probabile non valere.

Tertio (omiſſo de Salomone, qui in vulgato iudicio Genitricis naturali maioris probabilitatis regulæ innixus eſt) etiam in aduerſariorum ſententia negante cum Nominalibus demoſtrari poſſe euidenter exiſtentiam auctoris naturæ, & à fortiori quam plura naturæ præcepta, probabile ſaltem intra minus probabilis latitudinem Gentilibus eſſe potuit nec dari Deum auctorem naturæ nec aliqua, quæ de facto erant, eſſe peccata. Sed hoc non obſtante iſti à peccato excuſati non ſunt, vti conceptis verbis nos docet Apoſtolus ad Romanos 1. Ergo idem quod prius, ad cuius ratiocinij robur accedit Aug. ſerm. 49. de tempore cap. 2. *præſumebant*, inquit, *homi nes de*

Dd viri-

viribus ſuis & faciendo quidquid ſibi licere arbitrabantur peccabant in legem Dei ocultam, vnde iſta lex manifeſte promulgata eſt eis, qui omnino ſibi rei non videbantur.

Quarto (in eorundem aduerſariorum ſententia) deficiente Iudæis ſaltem euidentia Diuinitatis Chriſti potuerunt ad minus probabile (licet non probabilius) reputare eundem non eſſe Deum, vt colligi fortaſſe poſſet ex illo Apoſtoli 1. Corintiorum 2. *ſi cognouiſſent numquam Dominum Gloriæ crucifixiſſent*. Sed hoc non obſtante non fuere abſoluti à peccato, vt patet ex illo Ioannis, *ſi non veniſſem, & loqutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent*, vt paſſim Patres expendunt, ergo idem omnino quod prius, cui diſcurſui iterum ſuffragari videtur Auguſtinus in quæſtionibus ſuper Matheum qu. 14. ſic dicens, *quod ſi ita eſt, quis non exurgat in deffenſionem Iudæorum, vt eos extra culpam fuiſſe proclamet, quod non crediderunt?*

Quinto, poſt Chriſtum tranſeundo ad Eccleſiæ Sanctiones, in Clementina vnica de ſumma Trinitate concluditur, *opinionem ſecundam tamquam probabiliorem &c. duximus eligendam*, & in alijs alibi paſſim deciſionibus talis perpetua conſuetudo ſeruatur, vt late percurit & D. Fagnanus in cap. *ne innitaris* ante nu. 271. & proſequitur de decretis populorum nu. 285. & nobis ſufficit ſeligere alterum nempe caput, *inquiſitione* de ſententia excomunicationis, vbi de concurſu duarum opinionum in materia matrimonij agebatur & vtraque ſtante pro diuerſo præcepto, altera ſcil. pro præcepto prohibente fornicationem, altera pro præcepto matrimonij & neutra directe pro libertate pugnabat, & tamen Pontifex ita decreuit, *ſi conſcientia pulſat animum ex credulitate probabili & diſcreta quamuis non euidenti & manifeſta, debitum poſtulare non debet*, ergo à fortiori vbi Secta minus probabili pro libertate, conſcientia pulſat ex probabiliori pro præcepto, non debet illud operans operari.

Sexto progrediendo ad Decretalia poſt iſta in cap. *ad audientiam* de Homicidio impoſita pœna in quendam aliter operatum à pari decernitur, *cum in dubijs ſemitam debeamus eligere tutiorem, vos conuenit iniungere preſbitero memorato, vt in ſacris ordinibus non miniſtret*, & in capite *illud* de Cleric. excommunicatione reſoluitur de rigore deponendum eſſe Epiſcopum, qui in dubio *tutiorem partem non elegit*, & alibi ſepe conſimile præceptum habetur de probabiliori & per conſequens formaliter tutiori eligenda, vt loca innumera congerit erudite Fagnanus à num. 171.

Septimo tandem inductiue probatur in ſingulis generibus hominum & operationum, in quibus ſemper non quod minus probabile ſed quod ſaltem probabilius exiſtimatur eligi ſolet, *Sic enim*, inquit Seneca libr. 4. de beneficijs cap. 33. *Sic ſerimus, ſic nauigamus, ſic militamus, ſic vxores ducimus, ſic liberos tollimus; cum omnium incertus ſit euentus, ad ea accedimus, de quibus bene ſperandum eſſe credimus. quis enim pollicetur ſerenti prouentum, nauiganti portum, millitanti victoriam, marito pudicam vxorem, patri pios liberos? ſequimur quà ratio, non qua veritas trahit, & quoniam in arduo eſt veri exploratio, ea imus, quà ducit veriſimilitudo.*

Ad primum igitur de diſſidio bonorum Angelorum ad inuicem, neque S. Thomas videtur admittere Angelum aut hominem in ſtatu innocentiæ directe de aliquo opinari potuiſſe qu. 18. de veritate ar. 6. ad 12. dicens, *eius intellectus in alteram partem inclinatus non eſſet niſi à ſufficienti motiuo*; neque adhuc hoc dato duo illi Angeli Perſarum & Iudęorum habuiſſent niſi geminas opiniones vtrinque præcepto Diuino fauentes licet non ſatis perſpicue manifeſto, non vero alterutram pro libertate opinionem, cuiuſmodi Neotericorum probabilitas eſt. Sed his longe profundior eſt adhuc eiuſdem Angelici præceptoris interpretatio 1. parte qu. 113. ar. 7. non directe eos opinatos eſſe, ſed hinc inde reflexe firmiter tamen iudicantes in re dubia alterutram partem probabilem eſſe (vt aduocati contrarij ſine aſſenſione directa coram iudice ſolent) ſingillatim vtrinque apud ſupremum iudicem pro ſua cauſa peroraſſe; & ideo inquit, S. Thomas, *in quantum de contrarijs meritis & ſibi repugnantibus diuinam conſulunt voluntatem reſiſtere ſibi inuicem dicuntur, non quia ſint eorum contrariæ voluntates.*

Ad ſecundum alijs omiſſis adduco eundem S. Thomam eadem qu. 18. de veritate ar. 6. ad 5. ita ex integro reſpondentem, *dicendum quod mulier ſperauit ſe aliquo modo poſſe conſequi quod ſerpens promiſit, & credidit hoc aliquo modo eſſe poſſibile, & in hoc ſeducta fuit ſecundum Apoſtolum prima ad Timotheum ca. 2. ſed iſtam ſeductionem præceſſit quædam mentis elatio, quæ ſuam excellentiam in ordinate appetijt, quam conceperat ſtatim ad verba ſerpentis, ſicut homines frequenter ad verba adulatoria ſupra ſe ipſos efferuntur, & hæc quidem electio præcedens fuit excellentiæ propriæ in generali, quæ eſt primum peccatum, quod conſecuta eſt ſeductio, quia credidit eſſe verum, quod ſerpens dicebat, & ſic conſecuta eſt elatio, qua determinate hanc excellentiam appetiit, quam ſerpens promitebat*, hucuſque S. Thomas, cui nil mihi ſuperaddendum occurrit niſi poſt hæc ſcripta me legere etiam Eſparzam parte prima de probabilitate art. 3. recte hanc eandem reſponſionem contra Caramuelis ſuppoſitum ſtabilientem ex Aug. lib. 11. ſuper Geneſim ad litteram c. 30. & lib. 14. de Ciuitate cap. 11. & 13. 14. euidentiſſime.

Ad tertium, quod pariter de verbo ad verbum, vti præcedens, adduxit contra ſe S. Thomas eadem quæſtione art. 6. ad 11. diſtincte pariter ita reſpondet, *dicendum quod illam falſam opinionem, qua credidit eſſe veniale quod erat mortale, in Adam præceſſit mentis elatio, ſicut & de muliere dictum eſt*, & idem repetit p. p. qu. 94. arr. 4. vnde hic duo miror, alterum de duobus noſtris has Sancti Thomæ reponſiones nec memorare, alterum de Caramuele, cui mutuanti è S. Thoma argumenta prædicta & non tangenti reſponſiones eiuſdem, repetere licet, quod in ſimili D. Margarita Ædelio pręſidi oponenti Redemptoris Crucifixionem repoſuit, *quænam*, inquit, *inuerecundia eſt, vt cum in eiſdem libris Chriſtianorum legatur & pœna Chriſti, & Gloria, alterum credatis, alterum reſpuatis.*

Ad quartum minor argumenti propoſitio neque ab arguente probatur, ſed ſupponitur, neque à nobis admittitur ſed impugnatur ex eodem ſcripturę loco, vbi narratur prius Abimelec ab ipſo Abraham & Sara audiuiſſe

tiquorum Theologorum placita, ſubiungimus nos, conferenda ſunt cum recẽtiorum probabiliſtarum aſſertis, illi enim, vt ex alijs etiam præmonuimus in ſuperiori, pro probabili intelligebant aut etiam phyſice aut ſaltem moraliter certum, aut tandem vt probabile Ethicum diſtinguitur contra Rhetoricum, & conſequenter pro eo, quod hiſce temporibus dicitur probabilius, iſti vero de minus probabili indiſcriminatim etiam in concurſu probabilioris intendunt.

Ad ſecundum omiſſa & altera Mercori reſponſione reſpondet Baronius noſter pag. 161. & iterum pag. 217. longe aliam rationem eſſe de eligendis in praxi quo ad morum materiam & agibilium, ac de ſpeculatiue noſcendis in materia eorum etiam, quæ nec immediate per reuelationem, nec mediate per conſequentiam euidentem, ſed ſolum mediate per probabilem conſecutionem ad materiam fidei reduci poſſunt. In iſtis enim poſtremis vtique libenter admittimus liberam etiam minus probabilis electionem, at in illis prioribus id nec laudare poſſumus, nec debemus; cuius diſcriminis rationi (vt nos etiam aliquid pro Baronio dicamus) præiuerunt tum S. Thomas in 3. diſt. 25. qu. 2. ar. 1. quæſtiuncula 2. ad 3. tum Aug. li. 2. de peccatorum meritis capite vltimo, *& ſi enim*, inquit, *quodlibet horum quemadmodum demonſtrari & explicari poſſit ignorem, illud tamen credo quod etiam huic diuinorum eloquiorum clariſſima auctoritas eſſet, ſi homo illud ſine diſpendio ſalutis ingnorare non poſſet*, ex quo vtique poſtea grauiſſimum illud eiuſdem Auguſtini monitum promanauit Epiſtola 118. cap. 2. *ſenſi*, inquit, *ſæpe dolens & gemens multas infirmorum perturbationes fieri per quorundam fratrum contemptioſam obſtinationem vel ſuperſtitioſam timiditatem, qui in rebus huiuſmodi, quæ nec Scripturæ Sanctæ authoritate, neque vniuerſalis Eccleſiæ traditione, neque vitæ corrigendæ vtilitate ad certum poſſunt terminum peruenire, tantum quia ſubeſt qualiſcunque ratiocinatio cogitantis, aut quia ſic ipſi in ſua patria conſueuerunt, tam litigioſas excitant quæſtiones, vt niſi quod ipſi faciunt, nihil exiſtiment rectum eſſe.*

Ad tertium tandem occurrit Auguſtinus in eodem lib. 3. contra Academicos cap. 8. ſic irridens illam in omnium placita vertibilem promptitudinem, *inde enim fit*, inquit, *vt cum ſe ille Academicus iactanticulus qu iſi diſcipulum ſingulis dederit &c. magnorum illorum poſtea conſenſione rideatur*, & intra, *quis illum velit ſeu nõ poſſit imitari? Et ego interrogatus idem reſpodebo, par erit laus. Ea agitur gloria gaudet ſapiens, in qua illi ſtultus æquatur*, ſcilicet in valendo ſingulorum velut probabiles aliorum ſententias approbare: neque inde eiſdem academicis alteram vtilitatis laudem concedendam eſſe ſubiungit, de conſeruata ſcil. quiete inter ſcholaſticos inuicem diſſidentes, nam in hoc, inquit eodem libro cap. 7. *ego nihil aduerſabor, nec eis Sillæ auferam gloriam*, qui ſcil. Silla ſic foueba diuerſa placita ciuium, vt ad tyrannidem ipſe promoueretur, vti hoc idem alibi de Iuliano notarat idem Auguſtinus Epiſt. 166. & ante ipſum Optatus Milleuitanus li. 2. ſic dicens, *Chriſtianorum ſcil. nomen putans perire de terris ſi ſacrilegas diſſenſiones liberas eſſe permitteret*, ſeu vti ſubdebat Amianus *vt diſſenſiones augente licentia*

vnani

unanimi autem poſtea plebem non timeret.

ARTICVLVS II.

An Academici quidam Chriſtianorum in propoſito poſſint videri peiores Academicis Ethnicorum.

VIdebitur ob ſuſequentia argumenta, quod non. Primo nam, vti nunc video obſeruatum in Eſparza in ſuo opuſculo nouiſſimo, longè amplius eſt, tollere etiam Philoſophiæ certitudinem, immò & prohibere opinatiuum aſſenſum, quam, eis admiſſis ſolum intendere eſſe licitum ſequi in moralibus opinionem minus probabilem probabiliori contempta. Sed primum aſſerebant Academici Ethnicorum, ſecundum tantummodo aſſerunt probabiliſtæ Chriſtianorum, vti diſcrimen aduertebat etiam Auguſtinus lib. 19. de Ciuitate cap. 17. inter illos Academicos & Eccleſiæ certitudinem, ergo longè peiores illi ijque meliores, neque iſti illi eiſdem comparandi ſunt, vti & Eſparza argumentatur.

Secundo quia hinc Academici Ethnicorũ procul à dogmaticis de re vtiq; differebant, ſed probabiliſtæ Chriſtianorum è contra non ſemel aliqua dicunt de probabilium morali certitudine, in quibus nihil vel parum vel ſolo nomine à cæteris diſcriminari dici poſſunt, vti præuidiſſe videtur & noſter Siluester in ſumma verbo, opinio, dicens, *videntur in hoc eſſe opiniones, & non ſunt*, & propter hoc Aug. lib. 2. contra Academicos cap. 11. præmonebat. *turpe eſſe diſputantibus in verborum quæſtione immorari, cum certamen nullum de rebus remanſerit*, ergo in propoſito longè peiores erũt Ethnicorum Academici quam Chriſtianorum.

Tertio quia vt arguit Caramuel Epiſt. 3. in reſponſione ad 4. immo probabiliſtæ neoterici Chriſtianorum meliores, vt pote rigidiores, in morali videntur etiam quam pluribus Theologorum antiquorum, etenim vt ipſe ſingillatim recentes nominat, hi vtique docent contra Cordubam nec plura beneficia validè recipi nec tuto retineri; contra Richardum Angelum & Gerſonem vnicam etiam officij diuini omiſſionem culpa lethali condemnant; vbi veteres eximebant ab eiuſdem officij penſo Clericos & ſubdiaconos, eoſdem obſtringunt ex conſuetudine recentiores, ex illis Caietanus quadrageſimale ieiunium non niſi ad conſuetudinis iura reuocabat, & Angelus cum Archidiacono & Richardo ablato contemptu ieiunium ſoluere ſimul à culpa ſolue bant, ab iſtis autem recentioribus Leander impugnatus eſt eo, quod ſolum ieiunij tempore octo vncias indulſerit; antiqui quidam ſupreſſo nomine memorati à Suarez annuam miſſæ negligentiam à peccato liberabant, iſti & de accedente poſt Epiſtolam dubitant an præceptum obſeruet; illi de non laborando in die feſto laxiſſime, rigidiſſime iſti diſcurrunt; ex illis tandem cum Bernardo fuere, qui præcepta Eccleſiæ ſolum ad pœnam non culpam obſtringere crediderunt, ex iſtis culpæ mortali ſubijciunt, ergo Academici iſti Chriſtianorum non ſunt non ſolum

Aca-

Academicis Etnicorum peiores, ſed neque tam mali vel laxitatibus dediti vt à probabiliſtarum oſore pinguntur.

In oppoſitum tamen eſt quod Academici Etnicorum ſolum ad probabiliſtarum Academiam confugerunt, non quidem ad relaxandos hominum mores, ſed potius ad euertẽdos ab orbe pertinaciſſimos quoſdã Ethnicorũ errores de Deo corporeo anima mortali & huiuſmodi, vti diſtinctè probabat Aug. li. 3. contra Academicos c. 18. etiam ex Metrodoro dicente, *hac non decreto placuiſſe Academicis, ſed neceſſario contra Stoicos huiuſmodi eos arma ſumpſiſſe*, ſed ab oppoſito Academici Chriſtianorum illi ſunt, de quibus Alexander 7. in præcepto impoſito generali capitulo Dominicanorum memorato poſt Mercorum à Fagnano num. 334. loquebatur, *Tædere beatitudinem ſuam tot nouarum opinionum hoc ſeculo in Theologiam moralem inductarum, quibus diſciplina Euangelica reſoluitur, ac conſcientijs cum graui animarum periculo illuditur, & ſe maxime velle à Thologis Dominicanis in Eccleſiæ hoc morbo occulto laborantis remedium opus parari ex ſeueriori & tuta Sanctiſſimi præceptoris doctrina, quo & morum & opinionum licentia, qua in dies graſſatur, quaſi cauterio cohibeatur*, ergo ab oppoſito Academici Chriſtianorum in propoſito poſſunt aliquibus videri peiores Academicis Etnicorum.

Reſpondeo non immerito quoſdam ſaltem ex Academicis Chriſtianorum poſſe in propoſito videri peiores Academicis Etnicorum. Nam quantacunque fuerit Etnicorum probabiliſtarum licentia, nunquam tamen ad iſta extrema, quod viderim, deuenerunt, vt aſſeruerint vnquam probabile etiam in concurſu probabilioris pro electione ſufficere, quinimmo perpetuo perſtiterunt in ſua illa dicendi agendique methodo, ſcil. ſatis eſſe quod magis vnum ſibi præ altero probabile videretur. Quod ne nunc videar ad aliquam recentioribus procreandam inuidiam aſſeruiſſe, neceſſe eſt breuiter hic ſingulorum teſtimonia tranſcurere. Imprimis etenim legi poteſt hoc commune illorum effatum apud Ioannem Franciſcum Picum li. 1. examinis vanitatis doctrinæ gentium c. 4. ex Varrone Sexto Empirico Cicerone alijſque aientem, *illud eſſe cenſebant bonum, quod magis probabile & perſuaſibile magis, communem ſequentes vitam vſuique communi aſſentientes, ne omnino ſine actione manerent*. Sic Ariſtoteles 4. Methaphyſicorum textu 8. etiam ſi ipſos quo ad alia refelleret, hoc tamen de eiſdem teſtatus eſt, *quare omnes*, inquit, *vt videtur & ſi non circa omnia circa tamen melius & deterius ſimpliciter ſe habere exiſtimant*, ſic apud Auguſtinum lib. 1. contra academicos cap. 3. hinc academici refellentes eos, qui minus probabili adhærentes probabiliora perquirere negligebant, inde pro ſuo hoc placito perorabant, *quiſquis ergo minus inſtanter quam oportet veritatem quærit is ad finem hominis non peruenit. Quiſquis tantum quantum homo poteſt ac debet dat operam inueniendæ veritati, etiam ſi eam non inueniat beatus eſt*, ideſt iuſtus quo ad hoc, vt nos Chriſtianè diceremus. Sic ex Academicis Cicero lib. 2. de finibus detecta fronte profitebatur, *deffendatur quidem*, inquit, *quod quiſque ſentiat, ſunt enim libera hominum indicia, nos inſtitutum tenebimus, quid ſit*

in qua

in quaque re maxime probabile perquiremus, cuius rationem reddit contra minus probabili adhærentes omnino eamdem cum S. Thomæ probatione quodlibeto 8. art. 13. iterum in lib. 1. officiorum his verbis, *bene namque præcipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites æquum ſit an iniquum. Æquitas enim lucet ipſa per ſe, dubitatio autem cogitationem ſignificat iniuriæ*. Sic ex eiſdem Plutarchus in Craſſo, *difficilis*, inquit, *in iſtis certitudo & comprehenſio ardua, benignius tamē erratur cum recepta & veteri opinione per circumſpectam timiditatem, quam contra mores & prudenter*. Sic Socrates apud Platonem in Phædro (quem ſequi etiam academici profitebantur apud Ciceronem lib. 1. de officijs) minus probabilem opinionem eligentes præ opinione probabiliori ad finem obtinendę veritatis, & illam volentes æquare iſti lepidiſſimo exemplo redarguit, *quando*, inquit, *obnixe tibi perſuadere conarer oratione in aſini laudes compoſita equum illum vocans affirmanſque illum præſtantiſſimum animal eſſe &c. Valde id abſurdum*, ſic infra concludit, *quamobrem ô Amici, quicunque veritatem ignorat & opinionibus ducitur dicendi quoque facultatem, vt videtur, inertem exhibet atque ridiculam*. Sic ex eiſdem Stoicis academicorum præcurſoribus Seneca lib. 4. de beneficijs cap. 17. *adeo gratioſa eſt*, inquit, *virtus, vt inſitum etiam malis ſit probare meliora*. Sic Epictetus primo diſſer. cap. 2. probabile ſolum in concurſu improbabilis, non vero probabilioris, bonum eſſe ſupponit dicens, *aliud alij incidit probabile aut improbabile, ſicut & bonum & malum*, ſic Archidamus apud Clementem Alexandrinum lib. 2. Stromatum virtutis ſapientiſque finem afferebat, *eligere ea, quæ ſecundum naturam ſunt maxima vel præcipua, nec poſſe ea tranſilire*. Sic Plato in Philebo, *malum*, inquit, *circumſtat neceſſario & adhæret. Ideo conandum hinc illuc fugere, fuga autem eſt Dei aſſimilatio, quatenus poteſt, & hæc aſſimilatio eſt iuſtum & ſanctum cum prudentia eſſe*, cui Iamblicus alludebat dicens, *Beatus eſt, qui Deo pro virili ſua eſt ſimilis*; conſtat autem non pro virili nec quatenus poteſt veritatem neque aſſimilationem cum Deo perquirere, qui medium opportunius ad hoc, ſcil. opinionem probabiliorem, meditate contemnit. Vnde etiam ex his Nemeſius in libro de anima cap. 33. id ex natura eiuſdem electionis inferebat dicens, *eligi dicitur, quod per conſultationem antepoſitum eſt*, nempe quod eſt probabilius à ratione præiudicatum. Immo nec Epicurei, qui tam male habiti ſunt, in hoc recentiorum extremum deuenerunt de electione minus probabilis, ſed ſolum æque probabile ad ſummum admiſerunt, nam Epicurus apud Laertium in Epiſtola ad Pytoclem ſolum ita ſcribebat, *quod ſi quis vnum quidem modum retineat, alium vero tam etſi æque apparentibus conſonum repudiet, is perſpicue ab omni vera philoſophandi ratione deflectit, dilabiturque ad fabulas*.

Ad primum igitur neq; admittendum eſt academicos Ethnicorū ex mentis intimo probauiſſe, quæ extime protuliſſe referuntur, vt ſupra ex propoſito probatum eſt, neque hoc gratis admiſſo quo ad ſpeculabilia tantum, non agibilia ſeu moralia, ſubſequitur aliud niſi illud, quod fatebatur Carneades apud Auguſtinum lib. 3. contra academicos ca. 10. *dicamus*, inquit, *ea nos*

neſcire, quæ inter philoſophos requiruntur, cætera ad nos non pertinere, vt iterum id obſeruat etiam & probat idem Auguſtinus libro de vtilitate credendi cap. 11. vbi ab oppoſito academici Chriſtianorum ad vitam & mores *communem hanc peſtem*, vt loquebatur Auguſtinus eodem lib. 3. cap. 8. ſicuti tunc extendi poſſe ab eodem præuidebatur, ita nunc extendere de facto pernicioſiſſime conati ſunt, vnde huc ſponte veniunt grauiſſima illa Auguſtini verba lib. 2. contra academicos eoſdem cap. 9. *auferantur*, inquit, *de manibus noſtris fabellæ pueriles. De vita noſtra, de moribus, de animo res agitur*, & lib. 3. cap. 16. *Hæc omittamus minus ad vitæ noſtræ diſcrimen, minus ad fortunarum periculum attinent, illud eſt capitale, illud formidoloſum illud optimo cuique metuendum, quod nefas omne, ſi hæc ratio probabilis ſit, cum probabile cuique viſum fuerit eſſe faciendum, non ſolum ſine ſceleris, ſed etiā ſine erroris vituperatione comittetur*. Nulli igitur noſtrum, infert cap. 1. *nulli dubium eſt nihil eſſe à nobis huic negotio præponendum*.

Ad ſecundum iam diu Lucullus etiam apud Ciceronem in Academicis omnino ex Academicis eundē modum dicendi referebat, *alij enim*, inquit, *elegantius, qui etiam querūtur, quod eos inſimulemus omnia incerta dicere, quantumque interſit inter certum & id, quod percipi non poſſit, docere conantur, eaque diſtinguere*. Sed hoc non obſtante Auguſtinus lib. 2. contra Academicos cap. 10. & nos cum ipſo poſſumus lectorem Candidum præmonere, *non eſt iſta*, inquit, *mihi crede verborum ſed rerum ipſarum magna controuerſia, non illos viros eos fuiſſe arbitror, qui de rebus neſcirent nomina imponere, ſed mihi hæc vocabula videntur elegiſſe ad occultandam tardioribus, & ad ſignificandam vigilantioribus ſententiam ſuam*. Nempe & hiſce temporibus de re grauiſſimum diſſidium eſt, an concurrente ſcilicet & attenta geminæ opinione, altera probabiliori fauente præcepto altera minus probabili pro libertate, in praxi liceat contempta prima ſequi ſecundam, vt in ſequenti tota quęſtione perpendimus.

Ad tertium tandem quid Charamuel dicturus eſſet ignoro, ſi in ipſum vti ſui immemorem retorqueretur, quod toties repetit alibi præſertim epiſtola 3. num. 130. neotericos probabiliſtas comprobaſſe quod dicitur, *iugum meum ſuaue eſt?* Quid ſi quis eiuſdem argumento reponeret recentiores illos, quos inter rigidos adnumerauit, aut non eſſe ex probabiliſtis aut ſi ſint, ex ipſorum principijs inferri non minus rigidam quam laxam amplecti adhuc cuicunque licere? Quid ſi non iuſta comparatio dicatur, non quidem maiorem recentium partem cum maiori parte Priſcorum conferens, ſed magis ſpicilegio ſubnitens rigidioris vnius neoterici, vt vni vix alteri antiquorum minus rigido conferatur? Quid ſi de rebus diuini iuris, quod maius longe eſt & ſtabilius, inter veteres & recentiores nulla iſta comparatio dicatur, vbi ab arguente duntaxat de aliquibus ad ius humanum pertinentibus longe ex tempore mutabilius ea collatio tranſcurritur? adeo vt neotericis tenacioribus aliquando in ſecundum procliuioribus erga primum noster Baronius dixerit Euangelicum illud aptari poſſe, *colantes culicem camelum glutientes?* Quid ſi quam plura falsò ſuppoſita detegantur, vt inter cæ-

tera,

Digitized by Google

tera veteres permiſiſſe tuto recipi aut retineri plura beneficia, cùm potius antiquos referat pro negatiua S. Thomas quollibeto 9. art. 15. pro affirmatiua referantur recentes vſque ad 20. nouiſſime etiam apud Bardi de conſcientia probabili quæſt. 5. veteres circa ieiunium permittere renuerũt vix aliquid temporis ante meridiem pro ſoluendo ieiunio, permiſerunt vſque ad 4. horas neoterici apud Paſqualigũ deciſione 140. De Annuo miſſæ neglectu non antiqui Theologi, vti ſupponebatur, ſed potius hęretici illud tenuiſſe referuntur apud Antoninum 4. parte tit. 11. De non obligatione ad culpam Bernardus, non quo ad Eccleſiæ præcepta, vti imponitur & obijcitur, ſed regulæ potius loquebatur, vbi quo ad illa id potius tenuere Valdenſes hęretici apud Antoninum eumdem. Sed ad quid vltro huiuſmodi parergis immorabor? Legas quæ vix prodeunte hoc laxiorum opinionum morbo etiam Grauinæ tempore idem Grauina in opuſculo de ſacro depoſito c. 22. §. 2. deplorabat. Legas in pontificijs edictis ab Alexandro VII. pluſquam 40. damnatus audaciores probabiliſtarum aſſertiones. Legas alias, de quibus à non paucis dubitatur apud D. Fagnanum Gonet & huiuſmodi. Legas in alio ſcriptore recenti memorato a Baronio pag. 273. *alias propoſitiones ſupra tria millia collectas*. Legas tandem ſubſequentem articulum, & ſi ſuperis placet, *quoſdam auenarum ſuperſeminatores*, vt ex Euangelio loquitur Tertullianus de anima cap. 16. *& frumentariæ ſegetis nocturnos interpolatores*, veritate coactus tandē & ipſe non tenues confiteri.

ARTICVLVS III.

Vtrum ex aliquorum probabiliſtarum aſſerto inferatur nulla eſſe ſcelera, quæ non liceat patrari à populis ab aduocatis deffendi à Iudicibus abſolui, immo & innocentes damnari.

VIdetur nullum ex his quatuor inconuenientibus ſequi; Et primo circa primum, quia aliud eſt licere ſequi, quod videtur probabile alicui doctori, & aliud licere ſequi, quod videtur probabile ipſi operanti, primum dicunt probabiliſtæ, ſecundum negant. Sed ſolum ex ſecundo, non ex primo, ſequitur primum inconueniens ſcil. quælibet ſcelera à populis patrari licere, ergo ex probabiliſtarum aſſerto non ſequitur primum inconueniēs vt inferri ſupponebatur.

Secundo circa ſecundũ, quia ad minus dantur aliquę actiones ita perſpicuè malę, vt nequeant in mentem cadere alicuius, quod probabiliter poſſint apparere bonæ; ergo ſaltem de iſtis non ſequitur ex probabiliſtarum aſſerto omnia ſcelera poſſe deffendi ab aduocatis vt bona, quidquid ſit de operationibus illis, quarum malitia moraliter in ambiguo latere poteſt, & ideo circa ipſas dicunt probabiliſtæ poſſe ex ignorantia inuincibili errantem eximi à peccato.

Tertio circa tertium, quia aliud eſt errare, aliud peccare, vt diſtinguit etiā Caramuel epiſ. 2. num. 104. & 105. ergo ſicut aliquando aliquis errando

non peccet, ita è contra aliquis,non errando peccabit. Sed ex Academi-
corum aſſerto ſolum videtur inferri (quod ſequens, quod ſibi videtur pro-
babile,non erret,non vero quod non peccet) ergo cum Academicorum aſ-
ſerto ſtat adhuc iudices diſcernere poſſe peccantes à non peccantibus, vt
puniant, licet ad ſummum nequeant diſcernere errantes à non errantibus
vt reffellant.

Quarto vti nunc lego Eſparzam in recentiſſimo opuſculo de probabili-
tate p. p. art. 76. ſic differentem, quia illud non poteſt eſſe alicui probabi-
le,quod opponitur alteri veritati, quam ille prius aut pro certa habet aut
habere tenetur & poteſt. Sed probabilitas omnium illorum ſcelerum ad-
ductorum ab Auguſtino mox referendo, contrariatur alteri veritati ſcilic.
legi naturæ, quam Ethnici etiam pro certa habebant, aut habere teneban-
tur, ergo non erat vti recentiorum probabilitas eſt,*contra quam*, inquit Eſ-
parza, *ſi Auguſtini argumenta adhibeantur euadunt tam ridicula, & indigna,
quam ridiculam & abominabilem argumentis iiſdem Auguſt. effecit ac penitus
demonſtrauit doctrinam moralem Academicorum.*

In oppoſitum tamen eſt euidentiſſima auctoritas Auguſtini, qui libr. 3.
contra academicos cap. 16. ordinate 4. illa inconuenientia ex ſimili omni-
no in propoſito academicorum & probabiliſtarum aſſerto ſub infert; ergo
certe inferri dicendum eſt.

Reſpondeo vtiq; etiam inferri ſingula ex dictis quatuor inconuenientibus.

Primum quidem probat ibidem ab exemplo Auguſtinus, *ſi ergo, inquit,
aliquis adoleſcentum, cum hos Academicos ſeu probabiliſtas audierit dicentes.
Turpe eſt errare &c. ſed tamen cum agit quiſque quod ei videtur probabile, nec
errat, nec peccat &c. ſic igitur audiens adoleſcens inſidiabitur pudicicia vxo-
ris alienæ,* & infra,*taceo de homicidijs Paricidijs ſacrilegijs omnibuſque omnino,
quæ fieri aut cogitari poſſunt, flagitijs vel facinoribus, quæ paucis verbis ſic def-
fenduntur, nihil conſenſi, & ideo non erraui*, ſcil. non conſenſi malitiæ, quæ
probabiliter abeſſe viſa eſt.

Secundum de Aduocatis probat ſiſtendo in eodem exemplo addoleſcē-
tis his verbis *addulterabit igitur*, inquit, *ille Iuuenis coniugem alienam, qui de-
prehenſus ſi fuerit, vbi te inueniet Marce Tuli, à quo deffendatur, & perſuadebis
nimirum tamquam in Cumano Gymnaſio atque adeo Neapolitano nihil eum pec-
caſſe, immo etiam nec erraſſe quidem: non enim faciendum eſſe adulterium pro
vero ſibi perſuaſit, probabile occurrit, ſequutus eſt* (ſeu vt alij legunt) ſecurus
eſt.

Tertium & quartum de Iudicibus in abſoluendo reos vel damnando in-
nocentes probat ibidem his verbis, *hoc illi iudices ſi intellexerint, aut negli-
gent academicos ſeu probabiliſtas, & tamquā crimen veriſſimum punient, aut eiſ-
dem obtemperantes veriſimiliter hominem probabiliterque damnabunt, vt iam
quod agat iſte Patronus prorſus ignoret, cui enim ſuccenſeat non habebit, cum
omnes ſe nihil erraſſe dicant, quando non aſſentientes*, ſcil. vt certo, *id quod
viſum eſt probabile perfecerunt*, adde à fortiori hæc omnia ſequi ex acade-
micis Chriſtianorum, qui nedum vnicuique ſcriptori probabilius appa-

rens,

rens; vt de Etnicorum academicis diximus, verũ etiam minus probabile in concurſu probabilioris electioni ſufficere proffitentur & docent.

Ad primum igitur dicendum eſt, illud ſubterfugium reſſerri etiam ex Cicerone, & reſſutari ab eodem Auguſtino ibidem his verbis, *quid aliud dicturus es Marce Tuli, quam non tibi eſſe probabile vt id faciat adoleſcens? At illi probabile eſt, nam ſi ex alieno probabili viuimus nec tu debuiſti adminiſtrare Rempublicam, quia Epicuro viſum eſt, non eſſe faciendam*, remanet ergo ad minus cogi probabiliſtas admitere hoc, quod quidquid ſit de peccãte idiotta, doctus ſaltem probabiliter putans ſibi licere peccatum, ex minore etiam probabilitate non peccet, cum alias ad oppinionẽ efficiendam probabilem vnius auctoritas Doctoris ex iſtis ſufficiens ſit.

Ad ſecundum dicimus pariter eandem fugam ab Auguſtino preuiſã eſſe, & præoccupatam his verbis ibidem, *qui autem*, inquit, *non putant iſta ſcilicet manifeſta flagitia probabiliter poſſe perſuaderi, legant orationẽ Catilinę, qua patriæ paricidium, quo vno continentur omnia ſcelera, perſuaſit*, vnde & Quintilianus aiebat, *nullam cauſam ita euidentem defferi poſſe in forum, cui nulla ne mendacij quidem velamenta contingant*, vti in praxi Lactantius li. 5. inſtitutionum cap. 17. reffert Romæ Carneadẽ etiam iniuſtitiam probaſſe bonũ eſſe, vt eiuſdem argumenta probabiliſtis affinia recenſet Plutarchus lib. de Doctrina Principum etiam effatum illud adiungens, *ſine iniuſtitia ne Iouem quidem poſſe principem agere*, cui ſimile Cicero reffert ex Romanis apud Aug. lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 21.

Ad tertium repetendum eſt eandem reſponſionem adduci ab Aug. in eodem cap. 16. ſic. *niſi forte dicant in totum aliud eſſe errare, aliud peccare, ſeque illis præceptis egiſſe ne erremus, peccare autem nihil magnum eſſe dixiſſe*, quod tamen refutauerat prius in initio capitis dicens, *certe enim non fortaſſe omnis qui errat peccat, omnis tamẽ qui peccat aut errare conuincitur aut aliquid peius*, & refutat iterum verſus finem concludens, *non erraui. quomodo autem non facerem, quod ſcilicet ſine errore probabile viſum eſt.*

Ad quartum expedite diſtinguo maiorem, iuxta nos admittentes teneri dubitantem ſemper ſequi quod ſaltem probabilius apparet, concedo, iuxta aduerſarios permitentes eum licite poſſe etiam remanere in minus probabili, nego, nam iuxta ipſos accipio Ethnicum infidelem, ſi non inuincibiliter ignorantem aliqua naturæ præcepta (quod adhuc plurimi etiam aduerſariorum admitunt) ſaltem non certo eadem agnoſcentem, ſed primitus in ancipiti dubitantem (ex quo dubio profecto inuincibilitas ignorantiæ, licet non adhuc ipſa ignorantia, deperditur) tunc iſte dubitans vtique ex inſito naturæ lumine incipit ſub odorari, probabilius eſſe quod homicidium vel adulterium illicitum eſt, & huiuſmodi: Sed tamen aliunde probabile, licet minus, vtique probabile apparere non deſinit illud idem licitum eſſe, quid tunc faciet Ethnicus adoleſcens aut inter ſiluas enutritus, aut inter parentes ac populos, quos fœdiſſimis ſcæleribus innutritos, & ipſos, inquit, Hieronymus lib. 2. aduerſus Iouinianum cap. 6. *hoc eam naturæ legem putaac quod didicerunt*, non ne repetens & ipſe cum Pſalmo 64. *verba*, inquiet,

iniquo-

iniquorum prævaluerunt ſuper me, & facta hac morali diligentia ordinaria ad quam de iure naturæ tenebatur, aliquos conſulendi, quos inuenit, & adhuc ſentiens ſaltem *minus probabile eſſe*, adulterium licitum eſſe, non ne ipſi non valenti pro tunc certitudinem in præadducta dubitatione reperire, neque vlterius per aduerſarios adſtricto, (vti alias nos facilime reſpondemus) ad proſequendum probabilius, ſed libero in minus probabile, non ne inquā iuxta aduerſarios licebit ſequi hoc minus probabile & ſine culpa formali ſequetur? *Quid faceret*, inquit & pro me ipſo concludit in eundem pſalmum 64. Auguſtinus, *quid faceret puer natus inter paganos, vt non coleret lapidem, cum illum cultum inſinuauerunt parentes eius, inde prima verba audiuit, illum errorem cum lacte ſuxit; & quia illi, qui loquebantur maiores erāt, & puer qui loqui diſcebat, infans erat, vnde poterat paruulus niſi maiorum auctoritatem ſequi, & id ſibi bonum ducere quod illi laudarent?* quid iſte faceret, vel quid de iſto aduerſarij reſponderent cum veritate, non video. Ego vtique ſcio quid, in noſtra ſententia, de probabiliori tunc ſequenda, ſubiungerem cum Griſoſt. homil. 33. in acta apoſtolorū pariter Ethnico fluctuāti dicente, *Fac illa, quæ facienda ſcis*, ſcil. naturæ lumine etiam proponente ſaltem, quæ probabiliora ſunt, *& recta ratione quære à Deo, & ille omnino tibi reuelabit*.

QVÆSTIO IV.

De Vaga electione minus probabilis, ſeu de Aporectica Academia Chriſtianorum.

HOc aut vnicum aut præcipuum inter Aporecticam Chriſtianorum, & dogmaticam ſeu peripateticam eorundum litigium eſt, an præcipue in moralium praxi eligere liceat minus probabile fauens libertati attento & ſpreto probabiliori fauente præcepto, vt contendit illa prima, iſta ſecunda reſiſtit. Circa quod alijs ommiſſis, quæ aut in Merenda, aut Mercoro, aut Fagnano, Gonet, Baronio, & alijs ſatis prolixa, ſed ſolida, tranſcuri poſſunt, ſat erit nobis hæc duo, vt Caramueli præſertim occuramus, excurere. Primo an dicta electio minus probabilis ab exemplo, ſecundo an à ratione aut aliunde deducatur.

ARTICVLVS PRIMVS.

An vaga Electio minus probabilis ab Antiquorum exemplo comprobetur.

VIdetur Caramueli epiſt. 3. & 4. quod ſic. Primo incipiendo à prioribus, nam, vt habetur Danielis Decimo, Angelus Perſarum & Angelus Habreorum reluctabantur ad inuicem. Sed hoc non poterat eſſe niſi per hoc, quod à neutro cognita certo voluntate Diuina ſequeretur vterque hinc inde oppoſitam probabilem oppinionem cum periculo agendi contra eandem Dei voluntatem, ergo iam non obſtante prædicto periculo Angeli

etiam

etiam pro vtraque parte probabilitati opinionum adhærerent; ad quod vltro iuuaret, quod concedit & Mercorus reſponſione 3. §. 61. pro oppugnandis oppoſitis reuellationibus præſtitis Diuæ Brigitæ ac Catherinæ Senenſi de conceptione, nimirum ſimiles quandoque priuatas reuelationes effici mediantibus Angelis diuerſimode probabilia ſequentibus; ergo idem quod prius.

Secundo Eua audito præcepto pænali, *in quacunq; hora commederitis morte moriemini*, niſi probabiliter, licet eronee, opinata fuiſſet illud præceptum ſolum fuiſſe *comminatorium*, proculdubio nunquam illud tranſgreſſa fuiſſet. Sed hoc non obſtante adhærens huic etiam erroneæ opinioni probabili non peccauit, aliter & contra nos primum Euæ peccatum non ſuperbiæ, ſed longe alterius ſpeciei, fuiſſet, ergo & Eua abſque Peccato opinioni probabili licet eroneæ potuit adhærere.

Tertio Adam peccauit, vt inquit Auguſtinus, *ne diſpliceret vxori*, & conſequenter prius in vxorem inordinate affectus fuit. Sed hoc non obſtante in Adam ſimilis innordinatus affectus ex genere ſuo lethalis, non fuit lethalis in ipſo, aliter iterum contra nos primum Adę peccatum neutiquā ſuperbiæ fuiſſet, ergo reſtat in iſto innordinato affectu fuiſſe excuſatum Adam à culpa lethali ob aliquam, licet eroneam, opinionem probabilem ſcilicet opinandi prædictum affectum innordinatum eſſe dumtaxat veniale peccatum, vt Caramuel ſibi videtur ex Auguſtino colligere ſuper epiſtolā Apoſtoli aientis, *Adam non eſt ſeductus* (verius crediderim) li. 14. de Ciuitate cap. 11. vbi Auguſtinus hæc ſcribit, *Quomodo erit verum Adam, non eſt ſeductus? Sed inexpertus diuinæ ſecuritatis in eo falli potuit, vt veniale crederet eſſe comiſſum*, Ergo.

Quarto Abimelec non peccauit, quando volebat comiſceri Saræ, ſed tunc ipſe non ſciuit certo Saram eſſe ſolutam, quis enim (Caramuelos hæc omnia verba ſunt) dubitat de hoc? Ergo probabilitas excuſauit Abimelec à peccato.

Quinto Iſac rogatus à Iacob, vt benediceret ei induto veſtibus Eſau, vt ex ſcriptura colligitur, dubitauit ne Eſau vere non eſſet, & grauiter, tum ex nimia feſtinatione, tum ex voce. Sed hoc non obſtante, inquit Caramuel, ſic grauiter dubitans relicto ſenſu tutiori ſcil. auditus, & ſequtus minus ſecurum ſcil. tactum, bene dixit eidem, & conſequenter minus probabile proſequtus eſt; Ergo iam etiam minus probabilis electio ab exemplo huius Sanctiſſimi Patriarchæ probatur.

Sexto ex 2. Machabeorum c. 15. non obſtante antiquiſſima rigidaque obſernantia Iudęorum de abſtinēdo à pugna in Sabato etiam ad ſui deffenſionem, Iudas Machabeus, diſcurſu & opere introduxit oppoſitam opinionē minus probabilem apud hæbreos, dum Sabati die Nicanorum inuadentem repreſſit, & eiecit; Sed hoc non obſtante, vt ex ſcriptura colligitur, non reprehenſus, ſed ab hæbreis valde comendatus, vt trionfator euaſit ergo ab exemplo iterum iſtius habetur licere minus probabilem amplexari.

Septimo, vt habetur ex actibus Apoſtolorum, dum Petrus poſt abroga-

tum

tum legalium vſum ex decreto Concilij Apoſtolorum quandoque iterum Iudaizare viſus eſt, inquit Caramuel, obſeruando legalia, vt quibuſdam Iudæis fratibus complaceret, licet venialiter peccaſſe dicatur, propter quod à Paulo reprehenſus eſt adnotante D. Thoma in epiſt. ad Gallatas lect. 3. cap. 2. non tamen peccaſſe lethaliter dici poteſt, cum iam in gratia confirmatus eſſet. Sed hæc eius actio non potuit eximi à lethali peccato niſi ad hoc recurendo, quod Petrus illud licitum eſſe probabiliter opinaretur. Ergo iam probabiliter opinans aliquid licitum eſſe ex Petri exemplo lethali culpæ ſubducitur.

Octauo opinio adhuc minus probabilis eſt licere Pontifici ſibi adhuc viuenti ſucceſſorem denominare, vti ego (inquit Caramuel) cum Diana conſentio in Hierarchia Eccleſiaſtica diſputatione 55. Sed hoc non obſtante idem Petrus & ſolus ſibi adhuc viuenti ſubelegit Clementem, vt probat idem Caramuel ex Damaſo Papa & Clemente contra Baronium, ergo ab exemplo iterum Petri licet minus probabili adhærere.

Nono in materia interpretandi ſcripturas, & conſequenter & fidei diuerſas inuicem oppoſitas opiniones poſt Apoſtolos Sancti Patres probabiliter ſequti ſunt antequam ea dubia ab Eccleſia diffinita eſſent, vt refert & Cano cum alijs. Sed non eſt minus grauis & vrgens materia ſcripturæ vel fidei quam materia morum, ergo pariter ex Patrum exemplo in morum materia licebit inuicem opiniones oppoſitas probabiliter amplexari.

Decimo in eadem materia morum Aug. minus probabilem opionem ſequtus eſt (quod ſcil. votum ſolemne non dirimat matrimonium) cui etiam opinioni prius adhæſiſſe videtur D. Gregorius Papa, dum hac de cauſa, inquit Caramuel, indulſit Venantio Apoſtatæ, qui vxorem duxerat, Cōmunionem; Sed neuter hoc non obſtante peccauit, vt inquit D. Bernardus in epiſt. ad Monacos Carnotenſes, *Certus ſum enim*, inquit, *ſiue in ſuo abundauerint ſenſu ſiue in Dei Spiritu, ſicut in cæteris, ita in his ambos extitiſſe fideles: illum ſcilicet Gregorium in diſpenſando quod præ manibus erat, iſtum id eſt Auguſtinum inſcribendo quod ſenſerat*, ergo idem quod prius.

Vndecimo, omiſſis Eminentiſſimis Cardinalibus, qui contrarias etiam ad inuicem non ſemel reſolutiones ediderunt, inquit Caramuel. ſępiſſime ipſi Pontifices vſi ſunt opinione minus probabili diſpenſantes modo à voto ſolemni contra probabiliorem oppoſitam Angelici pręceptoris opinionem, modo à matrimonio rato & non conſumato cōtra oppoſitam aſſertionem, quam ex Theologorum agmine probat Caramuel eſſe probabiliorem, modo ab impedimento eiuſdem matrimonij etiam in primo gradu conſanguineitatis, modo à numero trium Epiſcoporum in alterius Epiſcopi conſecratione contra probabiliorem non ſolum ſed communiorem atque tutiorem, vt late percurit ibidem Caramuel, modo à reordinatione anteordinatorum per Sciſmaticos Epiſcopos, vt contra probabiliorem diſpenſarunt Ioannes VIII. & Ioannes IX. modo à reſidentia Epiſcoporum, modo à promouendo digniori, & huiuſmodi, ergo à Pontificum etiam exemplo hoc colligi poteſt.

In

In oppoſitum tamen eſt quod aut intendit Caramuel ſingulos hos doctos ac Sacros viros in exemplum adductos ſequtos eſſe illud, quod ex parte obiecti minus probabile erat, ipſis tamen probabilius eſſe videbatur, aut intendit ſequtos eſſe illud vlterius, quod in praxi ſibi tunc minus probabile apparebat. Si dicatur primum nil aſſeritur cõtra nos admitentes gratis viro docto ſufficere ſequi quod ſibi probabilius facta morali diligẽtia exiſtimeter. Si ſecundum nec verbum in tot hucuſque adductis habetur, ex quo illud intentum inferri poſſe videatur, ergo ex præadductis exemplis non habetur adhuc, vt intenditur hic, minus probabile ſequi operanti licere.

Reſpondeo immo ex antiquorum & ſacrorum exemplis haberi, nos ſequi debere quod probabilius facta morali diligentia reputatur, non vero minus probabile ſatis eſſe. Nam incipiendo à prioribus, in quibus opinio probabilis eſſe poteſt, ſi quod minus probabile apparet alicui poſt moralem diligentiam ſatis eſſet ad excuſandas excuſationes in peccatis, iam Adam & Eua à ſuo illo primo omnium peccato eximi potuiſſent, vt docte præuidit ex Auguſtino & Mercorus & præintorſit in aduerſarios ſecunda parte Baſis art. 18. & de Saule Pariter, & Roboam & huiuſmodi poſt eundem percurrit Baronius diſp. 2. ſect. 4. ar. 2. §. 1. inductiue probans, *non defuiſſe his omnibus probabilitates multo veriſimiliores illis, quibus moderni homines lactant ſpem ſecuritatis*. Sed hoc non obſtante à peccato excuſati non ſunt, vti ex ſcriptura de fide eſt, ergo ab iſtorum exemplis habetur non ſatis eſſe ad excuſandum &c. ſequi quod minus probabile facta morali diligentia videtur, neque hucuſque probationis intentum de poſſibili videntur euertere ea, quæ poſtquam hunc librum ſcripſeram in libro Eſparzæ nouiſſime mihi Communicato reperio 1. parte, probantia de facto contra Caramuelem non fuiſſe exprobabilitate in aliqua ſua operatione alias ex genere mala prædictos à peccato abſolutos, non vero probantia aduerſus Mercori prebationem non potuiſſe in hypoteſi regulæ probabilitarum, vt dicebatur.

Secundo nam ideo Iacob cum Lia ex ignorantia inuincibili facti excuſatus eſt, quia quod probabilius ſaltem apparebat, pro tunc ſequtus eſt, vt de alia etiam facti ignorantia diſcurit Auguſtinus epiſt. 48. & lib. 2. contra Creſconium cap. 26. Sed hoc eſſe non poſſet, ſi etiam minus probabile pro errantis excuſatione valeret; Ergo etiam ab isto Iacob exemplo habetur pro errantis excuſatione minus probabile non valere.

Tertio (omiſſo de Salomone, qui in vulgato iudicio Genitricis naturalis maioris probabilitatis regulæ innixus eſt) etiam in aduerſariorum ſententia negante cum Nominalibus demoſtrari poſſe euidenter exiſtentiam auctoris naturæ, & à fortiori quam plura naturæ præcepta, probabile ſaltem intra minus probabilis latitudinem Gentilibus eſſe potuit nec dari Deum auctorem naturæ nec aliqua, quæ de facto erant, eſſe peccata. Sed hoc non obſtante iſti à peccato excuſati non ſunt, vti conceptis verbis nos docet Apoſtolus ad Romanos 1. Ergo idem quod prius, ad cuius ratiocinij robur accedit Aug. ſerm. 49. de tempore cap. 2. *præſumebant*, inquit, *homines de*

Dd viri-

Ad primum igitur de diſſidio bonorum Angelorum ad inuicem, neque S. Thomas videtur admittere Angelum aut hominem in ſtatu innocentiæ directe de aliquo opinari potuiſſe qu. 18. de veritate ar. 6. ad 12. dicens, *eius intellectus in alteram partem inclinatus non eſſet niſi à ſufficienti motiuo*; neque adhuc hoc dato duo illi Angeli Perſarum & Iudęorum habuiſſent niſi geminas opiniones vtrinque præcepto Diuino fauentes licet non ſatis perſpicue manifeſto, non vero alterutram pro libertate opinionem, cuiuſmodi Neotericorum probabilitas eſt. Sed his longe profundior eſt adhuc eiuſdem Angelici præceptoris interpretatio 1. parte qu. 113. ar. 7. non directe eos opinatos eſſe, ſed hinc inde reflexe firmiter tamen iudicantes in re dubia alterutram partem probabilem eſſe (vt aduocati contrarij ſine aſſenſione directa coram iudice ſolent) ſingillatim vtrinque apud ſupremum iudicem pro ſua cauſa peroraſſe; & ideo inquit, S. Thomas, *in quantum de contrarijs meritis & ſibi repugnantibus diuinam conſulunt voluntatem reſiſtere ſibi inuicem dicuntur, non quia ſint eorum contrariæ voluntates.*

Ad ſecundum alijs omiſſis adduco eundem S. Thomam eadem qu. 18. de veritate ar. 6. ad 5. ita ex integro reſpondentem, *dicendum quod mulier ſperauit ſe aliquo modo poſſe conſequi quod ſerpens promiſit, & credidit hoc aliquo modo eſſe poſſibile, & in hoc ſeducta fuit ſecundum Apoſtolum primæ ad Timotheum ca. 2. ſed iſtam ſeductionem præceſſit quædam mentis elatio, quæ ſuam excellentiam inordinate appetijt, quam conceperat ſtatim ad verba ſerpentis, ſicut homines frequenter ad verba adulatoria ſupra ſe ipſos efferuntur, & hæc quidem electio præcedens fuit excellentiæ propriæ in generali, quæ eſt primum peccatum, quod conſecuta eſt ſeductio, quia credidit eſſe verum, quod ſerpens dicebat, & ſic conſecuta eſt elatio, qua determinate hanc excellentiam appetijt, quam ſerpens promitebat*, hucuſque S. Thomas, cui nil mihi ſuperaddendum occurrit niſi poſt hæc ſcripta me legere etiam Eſparzam parte prima de probabilitate art. 3. recte hanc eandem reſponſionem contra Caramuelis ſuppoſitum ſtabilientem ex Aug. lib. 11. ſuper Geneſim ad litteram c. 30. & lib. 14. de Ciuitate cap. 11. & 13. 14. euidentiſſime.

Ad tertium, quod pariter de verbo ad verbum, vti præcedens, adduxit contra ſe S. Thomas eadem quæſtione art. 6. ad 11. diſtincte pariter ita reſpondet, *dicendum quod illam falſam opinionem, qua credidit eſſe veniale quod erat mortale, in Adam præceſſit mentis elatio, ſicut & de muliere dictum eſt*, & idem repetit p. p. qu. 94. art. 4. vnde hic duo miror, alterum de duobus noſtris has Sancti Thomæ reponſiones nec memorare, alterum de Caramuele, cui mutuanti è S. Thoma argumenta prædicta & non tangenti reſponſiones eiuſdem, repetere licet, quod in ſimili D. Margarita Adelio pręſidi oponenti Redemptoris Crucifixionem repoſuit, *quænam*, inquit, *inuerecundia eſt, vt cum in eiſdem libris Chriſtianorum legatur & pœna Chriſti, & Gloria, alterum credatis, alterum reſpuatis.*

Ad quattum minor argumenti propoſitio neque ab arguente probatur, ſed ſupponitur, neque à nobis admititur ſed impugnatur ex eodem ſcripturę loco, vbi narratur prius Abimelec ab ipſo Abraham & Sara audiuiſſe

Dd 2 illos

illos inuicem *fratres eſſe*, quibus aduenis ſponte de ſe ipſis in quæſtionē facti ſimilia arreſtātibus quis alter, queſo, nō crediſſet? profecto Procopius apud Fernandium in eundem locum aiebat, *credidit rex ipſam eſſe ſororem Abrahæ*, & alij ibidem Patres proſequuntur; mitto obſeruatam à noſtro Baronio, quo ad hoc exemplum, in Caramuele grauem quandam hallucinationem, quam an valuerit Caramuel probabilem reddere ex his, quæ habet Pererius in textum eundem, libentius tranſeo quam impugnem.

Ad quintum de Iſac neque probabilitas illa fuiſſet circa mores cum peccandi periculo, vt in propoſito neotericorum eſſet, neque illa vt figura duorum populorum abſque ſpeciali inſtinctu Spiritus Sancti fuiſſet, vt hac ratione etiam ibidem à mendacio Iacob abſoluitur apud Auguſtinum lib. 16. cap. 10. & 37. contra mendacium & lib. 16. de Ciuitate cap. 37. ſicuti & Sampſon à nece ſui apud S. Thomam 2.2. qu. 64. art. 5. ad 4. ex eodem Auguſtino lib. 1. de Ciuitate cap. 21. & proſequitur Innocentius III. de Diuortijs cap. *Gaudemus*; neque tandem verum eſt, quod Caramuel ſuponebat, aut Iſac ſolum minus probabili adhæſiſſe, aut tactum incertiorem eſſe, cum immo tactus certior ſit ex Ariſtotele libr. 2. de animalibus textu 94. & ad tactum & viſum vt certiores Euangelica quædam teſtimonia recuriſſe nos doceat Tertullianus lib. de anima cap. 17.

Ad ſextum de Iuda Machabeo, ex primo Regum cap. 2. habetur iam diu antea etiam deffinitum ſub Mathatia, illud idem licere, quod Iudas poſtea operatus eſt, vbi Nicanoris millites de bello ſolum offenſiuo non deffenſiuo in oppoſitum loquti ſunt, & falſo ex textu ſuponitur, Iudam, tunc ſolum fortitudinem ſuadentem militibus, pro hac ſpeciali veluti dubia cauſa peroraſſe, vt ſeriem textus ex curenti clareſcet.

Ad ſeptimum in primis illam Petri indulgentiam non ab extrinſeca probabiliſtarum regula, ſed ex natura intrinſeca actus & obiecti, non fuiſſe niſi veniale peccatum obſeruauit S. Thomas in comentarijs ſuper epiſt. ad Gallatas cap. 2. mediam veluti ingrediens viam inter Auguſtinum & Hieronymum, quorum ille grauiori culpa notaſſe, hic etiam à veniali exempſiſſe Apoſtolum referuntur; cui Sancti Doctoris reſolutioni, omiſſis alijs, adſtipulatur Tertullianus de præſcriptionibus cap. 28. fuiſſe dicens, *vtique conuerſationis vitium non prædicationis*; nihil deinde hoc iuuare poteſt arguentis intentum, nam vel à pari prædicta probabiliſtarum regula Petrum etiam à veniali abſoluiſſet (cui obſtare eiuſdem reprehenſionem à Paulo Caramuel confitetur) vel neque etiam à mortali abſoluere potuiſſet (quod ſtatui gratiæ confirmatæ idem Caramuel contrariari *præmiſit*) melius igitur in eiuſdem Petri immo vtriuſque Apoſtoli patrocinium Angelicæ noſtri S. Thomæ Doctrinæ inſiſtendum eſt.

Ad octauum de Petro iterum ſubeligente ſibi Clementem, quis dicat Petrum attendiſſe minorem probabilitatem, quam illa ſententia ex poſterorum ſcriptorum huius ſeculi Placitis habitura erat? quis credat potius Caramueli dubitanti, quam Baronio in annalibus non ſolum, ſed Epiphanio hæreſi 27. probanti ex epiſt. Clementis, eundem Clementem ideo non ſuc-

ceſſiſſet,

ceſſiſſe, non quia minus probabile reputaretur tunc Petro id agere licuiſſe, ſed quia iuri ſuo cedere maluiſſet? quis integra Caramuelis naratione permiſſa non potius Petrum deffenſurus eſſet aliquo ex illis modis, quibus mox infra diſpenſationes Pontificum propugnamus? quis tandem ad aliam noſtri Baronij reſolutionem diſp. 2. ſect. vlt. art. 1. §. 1. in propoſito potius non exiſtimet reſfugiendum?

Ad nonum iam ſupra permiſimus ad differentiam eorum, quæ ad mores ſpectant, de alijs, quæ probabiliter ſolum non euidenter ex ſcriptura deducuntur, ante exploratam Eccleſiæ diffinitionem quemlibet poſſe ſine periculo peccandi pro vt ſibi viſum fuerit (dummodo non temere vel pertinaciter) opinari, vti dicebat Auguſt. lib. 2. de peccatorum meritis cap. vltimo, *magis*, inquit; *inquiſitio cauta laudatur, quam præcipitata reprehendatur aſſertio, vbi enim de re obſcuriſſima diſputatur non adiuuantibus diuinarum ſcripturarũ certis clariſq; documentis, cobibere ſe debet humana præſumptio & cætera*, verba ſequntur, quæ ſuperiori quæſt. art. 1. ad hoc propoſitum ex eodem loco refferebamus.

Ad decimum de Bernardo circa Gregorium & Auguſtinum obſeruat appoſite noſter Baronius pag. 364. ex eodem loco Bernardi non leuia immo in neotericos iſtos probabiliſtas intorquenda argumenta deſſumi, tum quia Bernardus adducit illud prouerbiorum 18. *occaſionem quærit, qui vult recedere ab amico*, aptandum plane probabiliſtæ accipienti ſibi minus probabilis occaſionem, vt a Deo & veritate diſcedat, tum quia aſſumit & illud alterum, *quod probari non poteſt infectum eſt*, à radice proſternens ex minus probabili operationem, quæ veluti non probata vt inualida cenſenda eſt, tum tandem, quia in tantum vtrumque ſcil. Gregorium & Auguſtinum excuſat à culpa, in quantum illud, quod pro illo tempore probabilius ſibi videbatur, vterque ſequtus eſt, vnde concludit, *ad hæc nihil ad præſens certius breuiuſque reſpondendum occurrit, niſi quod ita S. Patres ſapuerunt*, prætерquamquod ſuperaddit & Mercorus neque certum eſſe Auguſtinum de voto ſolemni loqutum eſſe, cum immo de ſimplici eum Gloſa intellexerit 37. qu. 1. cap. 41. neque Gregorium a voto Venantium abſoluiſſe poſſumus reperire, licet aliunde Gregorium indulſiſſe Apoſtatæ communionem admitteremus, vti miſericorditer indulſiſſe & Pium IV. in Bulla tomo 2. bullarij legere obuium eſt.

Ad vndecimum tandem vno verbo, omiſſis alijs ſingillatim aut in Mercoro aut in Baronio videndis, poſſumus reſpondere nunquam Pontifices vſos eſſe probabiliſtarum regula eligendi minus probabilem pro libertate in concurſu probabilioris præcepto fauentis, ſed aut inter opiniones vtrimque oppoſitas diuerſo præcepto fauentes pro locorum perſonarum & temporum conditione diuerſimode ad mali minoris permiſſionem prudentiſſime recuriſſe, aut non integre receuſeri Pontificum diſpenſationes, vt circa numerum ſeu qualitatem conſecrantium Epiſcoporum in Caramuelem aduertit Mercorus reſp. 3. pag. 171. & de alijs noſter Baronius expendit a pag. 339. aut reſpondere teneri & aduerſarios ad hæc exempla tangen-

tia

tia res neceſſarias non ſolum neceſſitate præcepti, ſed medij, in quibus & ipſi aduerſarij concedunt minus probabilem non iuuare, aut aliquibus ex Pontificibus vt priuatæ perſonæ (iuxta diffuſius in ſubſequenti quæſt.art.3. tradenda) placuiſſe id, quod ſibi pro tunc magis probabile proponebatur, eligere, quia vt præter Ariſtotelē in 4. Metaphyſicorum textu 27. ad propoſitum inquit etiam Aug. lib. 3. contra academicos cap. 4. *non mirum eſt ſi quod tibi in promptu eſſe aſſeris, mihi obſcurum ſit; ſiquidem pleraque manifeſta poſſunt alijs manifeſtiora, & item obſcura quædam nonnullis obſcuriora eſſe*, aut tandem pro mutatione circunſtantiarum & temporum aliquando contraria quorundam decreta viſa fuiſſe, cum contraria vere non eſſent, quia vt inquit Seneca lib. 9. de beneficijs cap. 34. *non mutat ſapiens conſilium omnibus his manentibus, quæ erant, cum ſumeret, ideo nunquam illum pœnitentia ſubit, quia nihil melius illo tempore fieri poterat, quam quod factum eſt.*

ARTICVLVS II.

An aliunde etiam ex diſcurſu naturali vaga minus probabilium electio probari poſſit.

Videtur eidem Caramueli quod ſic. Primo quia vti moraliter impoſſibile eſt inter Virgilij verſus ſingillatim dijudicare meliores, aut inter aureos leuiſſimam eorundem inæqualitatem veluti numularia ſtaterula penſitare, ita moraliter eſſet impoſſibile ſingillatim diſcernere quænam inter geminas opiniones probabilior opinio ſit, vt vrget ipſe Caramuel epiſ. 2. num. 85. Sed iuxta D. Fagnanum & alios ad hoc ex præcepto teneremur, ergo iam ex præcepto ad impoſſibilia moraliter teneremur. Sed in hoc hæreſis Ianſeniana conſiſtit, ergo ex D. Fagnani Placito & aliorum abſurdiſſime hæreſis Ianſeniana ſubſequitur vt perpetuo Caramuel in D. Fagnanum opponit.

Secundo nam Chriſti lex iugum ſuaue eſt & Onus leue, ſed iuxta aliorum Placitum intolerabile iugum eſſet, vbi ab oppoſito iuxta recentium probabiliſtarum methodum, *multa nunc peccata non ſunt, quæ abſque dubio peccata fuiſſent*. Ergo iſtornm probabiſtatum methodus magis quam cæterorum eſt legi Diuinæ conformis

Tertio quia iuxta probabiliſtarum regulam permitiūtur in Gallijs *oſcula* & quædam laxiora in Germania & alibi circa ieiunium, vti percurit idem Caramuel epiſt. 3. Sed ſi vellemus amplecti cæterorum opiniones de probabili magis, tunc prohibitis iſtis integer orbis turbaretur, immo nec ſubditi dominis obedire tenerentur permiſſa eiſdem perquirendi licentia, an præcipiens probabiliorem ſequtus eſſet, ergo cæterorum opinio Orbis quieti conuenire non poteſt.

Quarto nam cæterorum aſſertio de obligatione ſequendi magis probabilem ſaltem euidenter certa non eſt, ſed ad ſummum probabilior & tutior exiſtimatur, ergo & oppoſita (vt deducit idem Caramuel eadem epiſt. 3. & 4.)

& 4.) oppoſita, inquam, negans ſaltem probabilis & tuta erit, cum comparatiuum videatur ſuponere poſitiuum in extremis &c. ex quo etiam epiſt. 1. num. 33. deducebat, *quod ſicut repugnat dari hominem quin animal ſit, ſic dari opinionem probabilem quin tuta ſit*.

Quinto, vt inquit epiſt. 2. num. 106. *in omni opinione probabili datur ignorantia inuincibilis*, vt præmiſerat etiam Apollogemate 3. & vt eadem Ep. 2. num. 104. proſequitur, *licet in ipſa non detur veritas formalis, datur virtualis, & excuſatur à peccato ſemper, licet non ab errore, nec habet malitiam abſolutam ſed hipotheticam.* Sed hæc omnia ſufficiunt ad excuſandum à peccato, ergo ſufficit quęlibet opinio probabilis ad excuſandum aliquē à peccato.

Sexto nam iſtud pręceptum ſequendi magis probabilem occurentem aut eſt legis naturalis ſeu diuinæ, aut legis poſitiuæ Eccleſiaſticæ, ſi primum cum non ſpectet ad ius diuinum Sacramentale, contineri deberet in iure naturali decalogi, in quo profecto non habetur, neq; ex eo euidenti conſequutione deducitur. Si ſecundum ſequitur omnes Anticriſtianos ſaltem hoc præcepto non teneri, ſicut nec Chriſtiani illi, (inquit epiſt. 2. in fine) in quorum prouincijs non omnes Eccleſiæ leges receptæ ſunt. Ergo nullo modo datur præceptum hoc ſequendi magis probabilem opinionem.

Septimo, vt nouiſſime arguit Eſparza in quæſtione denuo impreſſa de probabilitate; iam in alijs rerum generibus quam plura occurunt, quibus pręſtitis æque certo vitantur peccata, atque vſu opinionis probabilioris euitentur, & quibus omiſſis adeſt periculum incidendi in actiones contrarias legi Dei, non minus quam concepto propoſito non vtendi opinione probabiliori ac tutiori; Sed illa non præcipit Deus, ſed ſolum conſulit, vt patet de mutatione ſtatus ſecularis in ſtatū religionis exactiſſimæ obſeruantiæ & huiuſmodi; in quorum ſecundo ſtatu probabilius eſt hominem rite operaturū, quam in primo, ergo nec vſum opinionis probabilioris præcipit Deus, ſed tantum conſulit &c.

In oppoſitum tamen eſt quod vti peracute vidit meus etiam in hac Patauina Vniuerſitate Pub. Metaphyſicæ comprofeſſor P. Antonius Coronius controuerſia 5. cap. 5. qu. 2. *ſenſus communis fidelium in lege naturali plurimi faciendus eſt tamquam profectus ex principijs ſynderesis magis ſynceris, & minus temeratis*. ſed vt de populis inde dignoſcas, *etiam Confeſſarij mediocris literaturæ grauiter ferunt in tanta Doctorum perplexitate nō inueniri viam, quam determinate ſequantur, præſertim illos ſcriptores reprehendentes, qui nihil aliud quam ſuper quaque quæſtione citant contrarias opiniones, & ambas probabiles cenſent, eo quia menſuram quærentibus operationum ſuarum duplex illis menſura aridere non poteſt, cum debeat eſſe vna menſura ex philoſopho decimo Methaphyſicorum textu* 14. ergo ex communi etiam ſenſu fidelium hæc vaga minus probabilis electio refutanda eſt.

Reſpondeo vtique etiam iuxta veram rationem naturæque diſcurſum, eandem vagam minus probabilis electionem repudiandam eſſe; nam vti pro regula eligendarum opinionum à ſe, appoſite aſſumebat S. Pręceptor opuſculo 73. de vſuris in initio, *omnis homo natura non degenerans veritatem*

amat,

amat, & eam ſcire ſuper omnia deſiderat, vti exorditur & Ariſtoteles in primo Metaphyſicorum textu 1. ſed qui attenta duplici opinione minus probabili & probabiliori, eligit illā contemnit iſtam, quarum prima plerumque à veritate recedit, ſecūda plerumq; veritati apropinquat, profecto non probat *ſe amare veritatem aut eam ſuper omnia deſiderare*, ergo iſte à natura degenerat, & conſequenter deformitate malitiæ etiam iuxta lumen naturale fædatur, audi circa minorem Ariſtotelem etiam in 4. Metaphyſicor. textu 18. in fine, *in natura*, inquit, *eorum, quæ ſunt, gradus ineſt, & magis ac minus talia ipſa dicuntur, quod ſi non eque falſum duo dicunt patet alterum minus dicere falſum & ſi id quod eſt affinius erit vtique aliquod verum &c.*

Secundo probatur inductiue ab actionibus etiam naturalibus, in quibus communiter homines etiam probabiliſtæ eligere ſolent quod probabilius ſeu oportunius ad finē eſt, vti diſcurit contra ſimiles academicos euidentiſſime Ariſtoteles idem in quarto Metaphyſicorum textu 18. in initio dicens, *maximè patet*, inquit, *neminem hoc pacto diſpoſitum eſſe aut cæterorum hominum aut eorum, qui hanc ſententiam dicunt. Cur enim Athenas proficiſcitur ſed non quieſit putans ſe proficiſci oportere? aut cur in diluculo non continuo in Puteum aut in præcipitium non poficiſcitur, ſed cauere videtur, vti non ſimiliter putans non bonum ac bonum eſſe in illa ſe ſe proijcere? ergo patet alterum Melius alterum non melius eſſe exiſtimare* & infra *non etiam eque quiſpiam queritat atque exiſtimat cum melius arbitratur eſſe bibere aquam, videre hominem &c. quare omnes vt videtur & ſi non circa omnia circa tamen melius, & deterius ſimpliciter ſe ſe habere exiſtimant*, hucuſque Ariſtoteles, ſubſumamus minorem nos; Sed eadem methodus luminis naturalis currit à pari etiam in propoſito, Ergo etiam in propoſito qui aliter agit contra metodum luminis naturalis operatur. Audi ſimilem ratiotinationem à naturalibus in Griſoſtomo Humilia 44. in Matheum, *ſi veſtimentum, inquit, empturus vnum giras negotiatorem & alterum & vbi meliores veſtes inueneris & prætio viliori ab illo comparas, an non oportet populum circuire omnes doctores & inquirere vbi ſincere veritas Chriſti venundatur & vbi corupta, & veriorem eligere pluſquam veſtimentum*, quam Griſoſtomi alegoriam expendentem addo Gregorium Nazianzenum in proemial. aientem.

Hanc eſſe vitam nundinas credas velim
Negotiari ſi ſcias lucrum fore &c.

Tertia probatio colligitur ex eodem philoſopho in eodem textu ſic efformanda, etenim in aduerſariorum ſententia in ſcientijs nobis naturaliter inſitum eſt eos ſequi, qui magis veritatem docere creduntur, ſed eadem ratio procedit immo à fortiori in opinionibus de his, qui magis probabilia ſuadent; ergo & in opinionibus iſtis & non alijs, ex naturæ inſtinctu adhærere debemus. Audi philoſophum ibi ſic euidentiſſime diſſerentem, *quod ſi non ſcientes ſed opinantes multa adhibenda eſt diligentia veritati perinde atque egrotāti magis quā ſano valetudinis cura eſt adhibenda, etenim opinans ad ſcientiam non ſalubriter diſponitur ad veritatem*, pulcherrime Ariſtoteles, cuius ſimilitudo etiam præmebatur meo videri ab illis Hugonis Victorini verbis

contra

contra ſimiles in opinando laxitates, *non timent*, inquit, *animæ ſuæ legem dare, quam corpori ſuo præſcribere nollent*, nempe in egritudine nemo ſciens & prudens ſalubriorem ommitteret medicinam & peiorem eligeret, *cum tamen ſicut in arte medicinæ*, inquit Gregorius homilia 32. in Euangelium, *calida frigidis, frigida calidis curantur, ita Deus noſter contraria appoſuerit medicamenta peccatis &c.*

Quarto probatur ex eodem textu reaſſumendo illa verba philoſophi, *nec ſtatim diluculo vadit in Puteum aut torrentem ſi contingat, ſed videtur timens tanquam non ſimiliter putans nõ bonum eſſe incidere & bonum. Palam ergo quia hoc quidem melius exiſtimatur, hoc autem non melius*, ex quibus poteſt à nobis conſimilis D. Fagnani ratiocinatio nu. 290. roborari, nam ſtulte ageret contra naturale lumen, qui potens via veriſimiliori ad ſecuritatem procedere, vellet torrentem ingredi probabiliter minus ſecurum &c. Sed ita agit, qui probabiliori opinione relicta, in materia cõſcientiæ præſertim, cum tam graui periculo minus probabilem eligit, ergo & iſte in lumen naturale peccabit; quam ſimilitudinem vrget etiam apud Fagnanum eundem D. Ambroſius in pſalmum 1. & ſimiles aliæ leguntur ad hoc propoſitum etiam in Baſilio de inſtitutione Monachorum ca. 74. & Griſoſtomo humil. 9. in epiſt. ad Teſſalonicenſes, & nobis ſufficit vnus pro omnibus Aug. libr. de vtilitate credendi cap. 13. dicens; *atque hoc ſi in rebus minoribus vt in mercando vel ſerendo Agro, in ipſa denique re familiari adminiſtranda expedire nemo ambigit, multo magis in Religione &c.*

Quinta probatio colligitur ex eodem Philoſopho iterum in 4. Metaphyſicorum textu 24. dicente, *præterea medici opinio, vt inquit etiam plato, atque ignorantis hominis de futuro ſano aut non futuro non eque profecto eſt certa*, & poteſt à nobis ad inſtitutum ſic elleuari; nam inſipienter iterum ageret contra lumen naturæ infirmus, qui pro obtinenda ſanitate agi potius pateretur & regi opinione idiotæ quam medici; Sed hoc aliunde non eſſet, niſi quia opinio iſtius probabilior eſt, illius vero minus probabilis exiſtimatur; ergo pariter hic inſipienter agit contra lumen naturæ, qui in animæ medicinæ deſiderans ſanitatem eligit opinionem ſcriptoris inferioris ſubſellij, minuſque probabilem contempta doctioris opinione, quam notabiliter probabiliorem eſſe cognouit, quam ſimilitudinem habet inter medicum corporis & animæ etiam Griſoſtomus homilia 5. ad populum Antiochenum & alibi in Sanctis Patribus frequentiſſime obuia eſt.

Sexta probatio deducitur ex eodem philoſopho in eodem libr. 4. textu 26. quia contra lumen naturale eſt ducere ad hoc quod contraria ſimul vera ſint, Sed vt ibi inquit Philoſophus, *qui vim in verbo ſolo quærunt hoc impoſſibile quærunt, contraria namque dicere dignificant ſtatim contra dicentes*, id eſt vt exponit ibidem S. Thomas, *credunt quod omnia poſſunt dicere quæ improbari non poſſunt*, vt omnino neoterici ſolent; ergo iſti contra lumen naturale operantur.

Septimo idem concludit idem Ariſtoteles eodem ſemper lumine naturali ductus lib. 1. rethoricorum, *contrariæ* inquit, *oportet poſſe perſuadere*

quemadmodum etiam ſilogiſmi, non vtraque faciamus, audiant Etnicum probabiliſtæ Chriſtiani, *non enim oportet mala perſuadere, ſed vt ne lateant quomodo ſe habent &c.*

Octauo probari poſſet innumeris alijs demonſtrationibus, quas neque lectori in Fagnano vel Mercoro traſcurere difficile erit, neque nobis ſolum repetere ex ipſis congruum reputatur.

Ad primum igitur integrum primo retorquémus, tum quia ſimiliter præmitur illa difficultate Caramuel pro diſcernenda ratione graui vel leui, ex quarum prima dumtaxat intendit opinionem probabilẽ eſſe, vt ipſe præuidit & fruſtra conatus eſt ſoluere epiſt. 2. nu. 91. tum quia vt noſter Baronius intorquet pag. 124. *in re pecuniaria ſiſtendo ſi pretium ſit ſoluendum vno vel altero nummo pluries ad Lancem apẽditur, & ſi vel minima parte vnius grani leuior ſit vix admittitur niſi aliũde ſuppleatur: Cur ergo Caramuel has omnes leges à commercio ſalutis & virtutis ſubmoueri vult?* cum tamen, addo ego, prouerbiorum ſecundo dicatur, *ſi quæſieris ſapientiam tamquam pecuniam intelliges timorem Domini*, tum quia vt de Ianſeniſmo retorqueamus, imo ex probabiliſtarum neotericorum aſſerto hæreticus quidã Lutheranus nomine Bæſanomenus apud eundem Caramuelem in ſua Thologia fundamentali 46. num. 10. *& ſectam ſuam probabilem eſſe dicebat & ideo tutam etiam ſi Romana Religio probabiliſſima ſit*, cui dicto anſas dediſſe videntur ex probabiliſtis Sanchez, Diana, & alij apud Gonet de opinionum probabilitate propoſitione ij: immo addebat hæreticus ille præueniens etiam, & arripiens Caramuelis diſcurſum epiſt. 2. num. 88. *ſecuriorem ſuam ſectam eſſe, quoniam minus probabilis ſententia, ſi benignior, etiam ſecurior eſt*. Secundo directè reſpondere videtur Baſilius in pſalmum 61. ad illa verba, *mendaces filij hominum in ſtateris*, en inquit, *tibi datur libra, quæ ſufficiens diſcrimen boni & mali demonſtrat, corporea namque pondera in libræ lancibus comprobamus, quæ vero ad inſtituendam vitam eligenda veniunt, per liberum arbitrium ratione ſcil. regulatum diſcernimus, quod & ſtateram nominamus, quod momentum æquale ad vtranlibet partem capere poſſit*, vti dixerat & Tertullianus lib. 2. aduerſus Marcionem, *abſcripta eſt homini*, inquit, *quaſi libripens emancipati à Deo libertas & poteſtas arbitrij*, vnde ſemper ille, qui dubitat inter duas opiniones, aut ex ſeipſo ſi doctus aut recurendo ad doctiores probabiliorem dignoſcere poteſt, vt plane præuidit Aug. lib. 3. de libero arbitrio ca. 20. *etiam in ipſa*, inquiens, *ignorantia & difficultate liberam petendi & querendi & conandi facultatem non abſtulit*, & cap. 22. *accepit autem, vt pie & diligenter quærat ſi volet*, & hæc ea moralis diligentia ordinaria eſt, quam toties ſcriptores inculcant à radice explicata à Baronio noſtro pag. 304. contra Anonimum Ianſeniſtam, & qua præmiſſa dumtaxat ſubiungunt aliter veritatem inuincibiliter atque inculpabiliter ignorari, vt Ianſenij error de præceptorum impoſſibilitate vitetur.

Ad Secundum ex mox adductis habetur nequaquam à nobis Chriſti legẽ reddi grauiorem, ac ſit, de qua alibi nouimus haberi Math. 7. *quam arcta via*, & pſalmo 118. *tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis*, quæ teſtimonia

pro-

profectò non poſſunt cum præadductis ab arguente componi, niſi cum Auguſt. lib. de perfectione Iuſtitiæ cap. 10. reſolutorie dicamus, *non aliam ob cauſam ſcriptura commemorat non eſſe grauia diuina præcepta, niſi vt animæ, quæ illa grauia ſentit, intelligat ſe nondum accepiſſe vires, quibus talia ſint præcepta, qualia commendantur ſcil. leuia atque ſuauia; & oret gemitu voluntatis, vt impetret donū facultatis*, vbi alias & Caluiniſtæ apud Belarminum in controuerſia de legis & Euangelij differentia abutebantur eiſdem ſcripturæ locis ad eximendum à culpa in quolibet prædeſtinato cuiuſcumque præcepti contemptum, & ideo olim Hieronymus in Ioannem cap. 17. & lib. 1. contra Pellagianos ſimiliter Pellagiano Arguenti dicebat, *fruſtra blanditias ſernis Dei & dulcedines reſeruaſti, cum hoc proprium hæreticorum ſit*, & repetūt Baſilius in Eſaiam cap. 3. Ciprianus lib. de lapſis num. 59. & epiſt. 28. & Gregorius lib. 8. moralium cap. 4. & Auguſt. tum lib. 83. quæſtionum, qu. 59. tum lib. de gratia & libero arbitrio ca. 10. dicens, *magnum aliquid Pellagiani ſe ſcire putant, quando dicunt non iuberet quod ſciret non poſſe ab homine fieri; quid igitur prodeſt*, vt concludamus, *probabiliſtarum ſecuritas, ſi ex Dei lege non eſt? dat tibi ſecuritatem procurator*, proſequitur Auguſtinus homilia 11. *quid tibi prodeſt ſi pater familias non acceperit? Procurator ſum, ſeruus ſum, vis tibi dicam, viue quomodo vis, Dominus te non perdet? ſecuritatem tibi procurator dedit, nihil valet ſecuritas procuratoris &c. Domini ſecuritas valet etiam ſi nolim, mea nihil valet ſi ille nolluerit*.

Ad tertium de conſuetudine oſculorum in Gallijs vel laxitate Ieiuniorum apud Germanos, niſi ex perſonarum vel locorum circunſtantia id ex-ſtimaretur à culpa immune, quod alibi ex diuerſa conditione hominum non abſque culpa permitti valeret, tunc neque ibi rationabiliter permitteretur non obſtante nationum turbatione vel populorum, vt in ſimili reſpondebat Gregorius Nazianzenus oratione ad 150. Epiſcopos & iterum in apologetico primo concludens, *melius & optabilius eſt egregium bellum pace impia & adeo diſtrahente*, & Ciprianus epiſt ola 3. alias 55. *ſi ita eſt vt timeatur audacia, & quod mali iure atque equitate non poſſunt, temeritate aut deſperatione perficiant, actum eſt de Epiſcopatus vigore & de Eccleſiæ Gubernandæ ſublimi ac diuina poteſtate*; quod porro additur de ſubditis in ordine ad ſuperiores directe ſoluitur ab Aug. lib. 22. contra Fauſtum cap. 75. & à Mercoro etiam tertia parte Baſis ab art. 19.

Ad quartum preter quamquod ſententiam noſtram ne dum probabiliter ſed euidenter credimus demonſtratam, admiſſo gratis antecedente, Caramuelis conſecutio negatur, vt ſimilem refert & inficiatur omnino Auguſt. lib. 3. contra Creſconium cap. 72. *tamquam victor*, inquit, *exultas, quod non poſſem dicere traditionem probabilius nos vobis obijcimus, niſi vos nobis eam probabiliter obijcere conſiterer. ſi enim vos, inquis, probabilius, nos ergo probabiliter, quia gradus iſte quod antepoſitum eſt auget, non quod ante dictum eſt improbat*, hæc Creſconij obiectio, verius dixerim Caramuelis. inde cap. 73. reſpondens Auguſtinus ſubdit, *Conſidera tamen diligentius, ne forte inuenias in Latina locutionis auctoribus, quibus gramaticorum artificialia ſeruiunt, non*

ſemper iſtum gradum quod antepoſitum eſt augere, ſed aliquando contrario ſuperferri; cuius interim locutionis exemplum mihi ex Apoſtoli epiſtola occurrit ad hebreos confidimus, inquit, de vobis fratres Cariſſimi meliora &c. Atendis certe quomodo hic meliora dixerit, non quia bona erant, quæ ſupra dixerat &c. quid ſi & ego dixerim probabiliter comparatiuum propoſitiuo ponens, non quia vos probabiliter, ſed magis quia improbabiliter ſicut ille meliora non quia bona ſed magis quia mala? & cap. 74. *quamquam nec ſecundum Gramaticos in verbo me erraſſe reprehenderes, ſi ſaltem verborum ipſorum auctores vel attendere vel memoriter recolere voluiſſes; Pueriles enim habent litteræ, ſed non à puero imperito dictum.*

Dij meliora pijs, erroremque hoſtibus illum &c.

Quomodo ergo meliora pijs quaſi bene eſſent alijs ac non potius magna mala qui

Diſciſſos nudis laniabant dentibus artus?

Sic & ego potui dicere traditionem probabilius vobis obijcimus quamuis eam vos nobis non probabiliter obijceretis, hæc Auguſtinus integre Caramueli reſpondens, cuius etiam obiectioni reſponderat ex Canonibus erudite Fagnanus in caput *ne innitaris* nu. 273.

Ad quintum quidquid ſit de adductis ibidem diſtinctionibus, penes quas etiam, vt noſter Baronius obſeruat, hæretici, qui ſe ſpiritu duci confingunt veritatem formalem ab obiectiua ſeiungunt, & Sacramentarij præſentiam virtualem Corporis Chriſti in Sacramento pro formali ſupponunt; quidquid, inquam, de iſtis ſit, expeditius & certius nos denegamus in omni opinione minus probabili adeſſe inuincibilem ignorantiam, quæ in amplectente probabiliorem admititur, vbi enim ille moralem pro veritate diligentiã ommitit, ſolicite exequitur iſte, & ideo vt legitur apud Aug. lib. 1. contra academicos circa probabilia cap. 4. *quiſquis minus inſtanter quam oportet veritatem quærit, is ad finem hominis non peruenit, quiſquis autem tantum quantum homo poteſt ac debet dat operam inueniendæ veritati, etiam ſi eam non inuenerit, Beatus eſt, ſeu eximitur à peccato, totum enim facit, quod vt faciat ita natus eſt.*

Ad ſextum æque ſoluendum ab aduerſario de Ebrietatis prohibitione, & huiuſmodi, quæ expreſſe in decalogo non inuenitur, & tamen iuri etiam naturæ repugnat, S. Thomas occurrit prima 2. qu. 100. art. 3. præter expreſſa in præceptis decalogi contineri & alia præcepta, *prima quidem & comunia, inquit, in eis ſicut principia in cõcluſionibus proximis, illa vero, quæ per ſapientes cognoſcuntur, continentur in eis è conuerſo ſicut concluſiones in principijs*, & ideo in propoſito noſtro dicimus hoc de probabiliori elegẽda præceptum in priori illo implicite contineri, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, vt Gonet fuſius ad inſtitutum expendit.

Ad ſeptimum tandem reſpondemus duplicem eſſe exceſſum probabilitatis ex duplici diuerſa materia in propoſito, circa quam maior probabilitas verſari poteſt; alter exceſſus probabilitatis eſt inter hoc, quod eſt licere vel non licere, alter inter hoc, quod eſt aliquem in tali ſtatu libere fore electarum, quod licet, vel electurum oppoſitum; primus exceſſus eſt ex parte

obic-

obiectorum & naturæ operationis, ſecundus ex parte libertatis & ex diſpoſitione operantis. In primo ommitens probabiliora adhuc in aduerſariorum ſententia in malitiam ſaltem materialem incurere ſolet, in ſecundo vero ommitens ſtatum probabiliorem plenam adhuc retinet etiam à materiali & formali malitia libertatem. In primo, vt præuidit etiam Fagnanus in caput *ne innitaris* num. 393. ex ſola ipſa omniſſione adeſt peccandi periculum, in ſecundo vero non ſic, & ideo in primo non mirum adeſſe præceptum de electione probabilioris, vt hucuſque probatum eſt, in ſecundo vero nec dubitatur non adeſse niſi conſilium, vnde demum in primo fit comparatio inter malum & bonum, in ſecundo vero inter bonum & melius, vt expreſſit Apoſtolus 1. Corinthiorum 7. *qui*, inquit, *matrimonio iungit virginem ſuam bene facit, & qui non iungit melius facit*, adeo vt iam expenſis & meo videri planiſſime diſſolutis aduerſariorum obiectis timendum fortaſſe alicui videri poſſit, ne vt aiebat olim Baſilius epiſtola 61. ad Orientales, *recentiorum hominum ad inuentiones ad gubernandas Eccleſias vſurpentur, cum ex artificio iam loqui homines non Theologicè*, quos exiſtimamus doctiſſimos, *vereamur*.

QVÆSTIO V.

De retentione aſſenſus etiam in probabilioribus, ſeu de Ephectica Academia Chriſtianorum.

Contraria contrerijs curare medicorum filij iubent, inquit Griſoſtomus homilia 5. ad populum Antiochenum; Sic quidam ſpirituales animarum medici ad expurgandam hucuſque reſſutatam Aporecticam Academiam Chriſtianorum, hoc bono fine crediderim, ab extremo contrariam adinſtar medicinæ aliam Academiam Ephecticam introducere viſi ſunt, de retentione ſcilicet aſſenſus etiam erga probabiliorem opinionem libertati fauentem, in concurſu minus aliquo modo probabilis pro præcepto pugnantis, vt cum Merenda partim Fagnanus & Mercorus Conuenerunt; à quibus abſcedere eo fine licebit, quo olim à Cicerone inquit Auguſtinus libro 2. contra Academicos cap. 9. *modeſtiſſime dictum eſt, ita eum Verris eſſe acuſatorem, vt Siculorum deffenſor eſſet*, ita nos in prædictorum aliquos ſubſequentia hæc quatuor dubia cogimur examinare.

ARTICVLVS PRIMVS

An intellectus poſſit probabiliter directe aſſentiri probabiliori in concurſu ſimul exiſtimata probabilis.

VIdetur quod non ipſi Mercoro noſtro ſecunda parte baſis articulo 7. ex profeſſo.

Primo inquit, dum intellectus eſt dubius non poteſt opinari, cum ſit diuerſa diſpoſitio dubitantis & opinantis, vt ipſe ſupponit ex dictis alibi. Sed intellectus dum ei vna pars contradictionis apparet magis probabilis, altera minus, eſt dubius ex motiuo ſcilicet probabili alterius, quod motiuum ſemper ſi probabile eſt dubium graue formaleque cauſat, ergo dum manet in tali diſpoſitione intellectus de neutra poteſt opinari, ergo neque de magis probabili.

Secundo ſic inſtat, vel motiuum minus probabile, quando per nos intellectus opinatur de magis probabili, vrget adhuc pro parte oppoſita vel non vrget. Si vrget cauſat dubium & tale, quale ipſum eſt, ſcil. probabile & conſequenter graue, ergo intellectus ſic grauiter dubitans non poteſt opinari de magis probabili. Si vero non vrget, ergo non eſt probabile amplius nec conſequenter etiam minus probabile, cum ſemper comparatiuum ſupponat poſitiuum, ergo amplius in caſu non permanemus.

Tertio ſubiungit à ſigno, omnes ſcholaſtici, inquit, vt in S. Thoma videre eſt, cum ſolum opinatiue ob rei obſcuritatem aliquam ſententiam eligere volunt, aprehenſis prius vtrimque argumentis, reſolutorie deinde omnia partis oppoſitæ motiua ſaltem probabiliter diſſoluere ſolent; Ergo ſignum eſt, inquit, quod non poteſt quis vere opinari, niſi ſoluantur oppoſita motiua habentia aliquam probabilitatem, ita vt ſoluta non vrgeant, nec dubium amplius ingenerent in opinante.

Quarto ab exemplo concludit alicuius in biuio eundi ad prata vel nemus, & hinc audientis à ruſtico tenendam dexteram à muliere inde ſiniſtrã, perpenſa, inquit, ſexus diuerſitate aliquis ſaltem adeſt exceſſus probabilitatis pro prima quam pro ſecunda, ſed hoc non obſtante hic indicaretur imprudens, ſi præter deambulationis intentum nulla neceſſitate compulſus eligeret primum dictum contemnendo ſecundum, cum & ſecundum probabile ſit etiam ſi minus, nec ita contemptibile videatur, vt non practicum dubium ingeneret; Ergo à pari hic in caſu imprudens appareret intellectus, ſi cum erroris dubio ex probabilitate contraria adhuc magis probabili adhæreret.

Quinto ſe offert hic nupera Eſparzæ meditatio, quam in opuſculo de vſu licito opinionum parte 2. art. 152. inquit, *dolere ſe non inueniſſe expreſſe notatam apud auctores communiter*, nimirum ac niſi quod poſſit intellectus aſſentire alterutri parti, cum neutrius maior probabilitas certa eſt, ſaltem inquit, quando vnius probabilitatis exceſſus eſt certus, non remanet amplius

plius probabiliter adhuc altera opinabilis, vt ipſe proſequitur volens inde non paucos noſtros cum ſuis probabiliſtis conciliari, ergo ſaltem (inquiet Mercorus) in iſta doƈtrina Eſparzæ, qui alias probabiliſtis indulget, à fortiori nos dogmatiſtæ non poſſumus deffenſare ſemper intelleƈtum ad opinandum adhuc de probabiliori expeditum eſſe, vt intendimus.

In oppoſitum tamen eſt quod longe amplius eſt nos phyſice poſſe etiam aſſentiri minus probabili in concurſu etiam probabilioris, quam è contra probabiliori in concurſu minus probabilis. Sed illud primum fortaſſe etiam à Thomiſtis deffenſabile eſſet (præſcindendo à quæſtione morali, an ſit licitum vel illicitum, & de Phyſica ſolum facultate loquentes) vt contra eundem Mercorum fuſe proſequitur idem Eſparza ſecunda parte ab art. 103. vſque ad art. 123. ſoluens pro ſe adduƈtas à Mercoro tum Ariſtotelis, tum S.Thomę Authoritates, atque id ratione confirmans, præter quam ego ad hominem in Mercorum replicarem, eo quod ille velit vlterius in concurſu parum probabilioris pro libertate, & minus probabilis pro præcepto, teneri moraliter hominem iſtam vt tutiorem ampleƈti & conſequenter de minus probabili ſimul phyſice opinari, ergo à fortiori nos hic poſſumus propugnare intelleƈtum etiam in concurſu minus probabilis vere iudicatæ probabilis, probabiliori adhuc aſſentiri valere.

Reſpondeo hoc vtique apud me veriſſimum eſſe. nam primo vt in terminis etiam de *parum minus probabili* conueniamus, in terminis iſtis affero Auguſtinum lib. de principijs Rethoricę cap. 8. opinabilia diuidentem in plura genera & inter cætera ita dicentem, *tertium eſt aſyſtati genus, quod Græci Catabateromeriam appellant, idem ſecundum alteram partem, cum reo nulla deffenſio eſt, & aut color in faƈto non inuenitur, aut parum probabilis color reperitur,* & poſtmodum ſubdit, *nos ſi afferamus aliquid ad deffenſionem vel mediocriter probabile admitimus,* vbi vides, *in mediocriter magis probabili,* etiam in iudiciorum conflictu ſuam adhuc adeſſe opinabilitatem; ad hunc ſenſum adduci poteſt & praxis illa ex quarto qu. 2. & 3. cap. ſi teſtes, *ſæpe ſine publicis monumentis cuiuſque rei veritas deprehenditur, alias numerus teſtiū, alias dignitas & Auƈtoritas, alias veluti conſentiens fama confirmat rei, de qua quæritur fidem, non ergo ad vnam probationis ſpeciem cognitionem ſtatim iudex aligare debet, ſed ex ſententia animi ſui æſtimare quid aut credat, aut parum ſibi probatum opinetur,* quid vltro? cum hæc ad aliud inſtitutum etiam apud Eſparzam prætraƈta conſpiciam, afferam ego adhuc vrgentius teſtimonium ex Codice Theodoſiano tit. de reſponſis aiente, *vbi diuerſæ ſententiæ proferuntur potius vincit numerus auƈtorum, vel ſi numerus æqualis, eius partis præcedat auƈtoritas, in qua excellentis ingenij vir Papinianus emınet, qui vt ſingulos vincit ita cedit duobus;* repete nunc leƈtor Mercori verba eodem ar. 7. ſcil. pro exemplo partis *minus probabilis, ſed parum minus,* & conſequenter vere & proprie probabilis, afferentis hoc ipſum exemplum, *vt ſi decem,* inquit, *doƈtores tenerent ſculpturam non eſſe artem ſeruilem, nouem vero affirmarent &c.* & inde diſcerne, an ibi Mercorus negans in hoc caſu nos poſſe de magis aliquo modo probabili opinari contra Theodoſij decretum ipſe concludere videatur.

Se-

Secundo probatur auctoritate non ſolum ſed ratione S. Thomæ qu. 14. de veritate art. 1. deſtruente directe primum Mercori Argumentum his verbis, *intellectus noſter reſpectu partium contradictionis ſe habet diuerſimode, quandoque enim non inclinatur magis ad vnum quam ad aliud vel propter defectum mouentium vel propter apertam æqualitatem eorum,quæ mouēt ad vtrãque partem, & iſta eſt dubitantis diſpoſitio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis, quandoque vero intellectus inclinatur magis in vnum, quam ad alterum, ſed tamen illud inclinans non ſufficienter mouet intellectum ad hoc, quod determinet ipſum ad vnam partem totaliter, vnde accipit quidem vnam partem* (nota) *tamen ſemper dubitat de oppoſita, & hæc eſt diſpoſitio opinantis, qui accipit vnam partem contradictionis cū formidine alterius*: hæc S. Thomas aperte, adeo vt ſi ingenue loqui licet & expedit, non videam quid ſibi velit ea Mercori Gloſa ſcilicet, *li magis in verbis S. Thomæ explicandum eſſe non comparatiue, ſed ad verſatiue, quia repugnat intellectum in vtramque partem opinatiue inclinari*. quid enim ad me, dicam ego, quod repugnet ſimul opinatiue inclinari in vtrumque, dum ſolum intendo cum S. Thoma tunc poſſe directe opinari de vna, alterius ſimul agnoſcendo & confitendo. (vt ita dicam etiam reflexe) probabilitatem? Profecto vel me verba fugiunt vel ſenſus, aut de verbis tantummodo diſputamus. De re enim quomodo Mercoro negare licet poſitiuum opinantis aſſenſum aſſertum per illam particulam, *magis inclinat*, cum per eandem & fidei aſſenſum expreſſerit 2. 2. qu. 1. ar. 4. ſimiliter S. Thomas ſic dicens, *declinat in vnam partem magis quam in aliam, & ſi quidem hoc ſit cum dubitatione & formidine alterius partis oppoſitæ, erit opinio, ſi cum certitudine, erit fides?*

Tertio inde duplicem vrgeo ad hominem adhibitam alibi ſimilitudinem ab eodem, meo videri adæquate in præſenti veluti reuocatam, nimirum ſtateræ & voluntatis, vtramque ſimul ſub hac forma reſtrictam, quia ita proportione ſeruata,& in æqualitate quoad libertatem,ſe habet intellectus in ordine ad opinionem magis (etiam ſi parum) probabilem & minus probabilem, ſicut ſtatera vel libra ad duo corpora aliquo modo ponderis inæqualis adinuicem, & voluntas ad duo bona aliqualiter etiam ſi parum in bonitate inæqualia. Sed & ſtatera in hoc caſu declinat ad pondus, & voluntas in alterum melius inclinari ſolet, ergo & in noſtro caſu intellectus opinabitur aut opinari valebit de parte illa, in qua (licet parum) probabilitatis exceſſus apparet. Miror hic Mercorum anſas dediſſe etiam Eſparzæ, poſt Spinulam, contra ipſum par. 2. art. 131. hæc verba ſcribendi, *apparet*, inquit, *Clare quam ſit irrationabile ac indiſciplinatum atque ex ſuperficialitate vulgi, velle arguere argumentum à pari ex Billance &c.* quo argumento vtique alibi vtebatur iam Mercorus 2. par. art. 3. Miror, inquam, eundem Mercorū hic anſas adductis verbis dediſſe, dum paritatem (etiam præſcindendo à libertate) in præſenti renuit acceptare,cum tamen ad hoc propoſitum,tam contra Mercorum quàm contra Eſparzam,prædicta paritas agnoſcatur à Tertulliano li.2.aduerſus Marcionem, vt ſupra verba retulimus, & vrgeatur à Baſilio ad illa verba pſalmi 61, mendaces filij homi-

num in ſtateris, & repetatur litera *duo iudices ibi vtramque in ponderatione* § de Iudic. & ſimilem tandem adhibeat ſimilitudinem inter res naturales & liberas Ariſtoteles 2. de Cęlo text. 93. ſecundam pariter paritatem, quam hic negat Mercorus inter intellectũ & volũtatem, ad hoc propoſitum vrgeo ego ex S. Thoma qu. 6. de malo ar. 10. ad 10. ſic de prædicta paritate diſſerente ex profeſſo & aiente, *dicendum quod de intellectu & voluntate quodammodo eſt ſimile, & quodammodo diſſimile. Diſſimile quidem quo ad exercitium actus, ſed ex parte obiecti eſt vtrobique ſimilitudo,* de quo ſecundo apoſite nos verba facimus.

Quarto igitur a ratione ſic probo, quia quando aliquis de aliqua parte determinate opinatur aut in ſententia Mercori ſupponit in actu exercito ſuam cognitionem eſſe certam & euidentem, aut ſupponit adhuc ſolum eſſe probabilem & contingentem; ſi primum iam non habet opinionem, ſed ignorantiam prauæ diſpoſitionis, vt ſupra ex Ariſtotele & Sanctis Patribus q. 2. art. 1. probatum eſt. Si vero ſecundum, ergo & ſupponit adhuc oppoſitam partem probabilem eſſe, cum probabile illud ſit, quod rationabiliter enontiabile eſt nec euidenter certæ alicui veritati contrarium eſt; ergo ex aſſenſu in probabiliorem iam non deſtruitur, vt putauit Mercorus, adhuc reſpectu eiuſdem opinantis probabilitas partis aduerſæ, ex qua vna obſeruatione ſoluuntur omnia, quæ præter adducta à Mercoro à quolibet alio afferri poſſent, omiſſis ex li. Canonum alijs erudite videndis apud Dominum Fagnanum in cap. *ne innitaris* nu. 225. & concludente Seneca epiſt. 8. contra aduerſos adinuicem Academicos Aporecticos & Ephecticos, *illi,* inquit, *non præferunt lumen, per quod acies dirigatur ad verum, hi oculos mihi effodiunt.*

Ad primum igitur immo ex maiori conceſſa minor neganda eſt, vt ex eadem ratione negauit & S. Thomas qu. 14. citata de veritate art. 1. & cum alijs noſtris iam præuidit Idelfonſus in 1. 2. diſp. 208. dub. 2. nu. 446. ſcil. cum opinante hoc modo & iudicante primario de vna parte ſimul ſecundario de altera parte oppoſita dubium admitti poſſe, & debere, niſi velimus aut omnem opinatiuum aſſenum euertere aut in erroneam certitudinem transformare; vnde in tertio ſententiarum diſt. 23. qu. 2. art. 2. concludebat S. Thomas, *opinans,* inquit, *habet aliquid aſſenſus, in quantum adhæret vni magis quam alij ad differentiam dubitantis, qui nihil de aſſenſu habet,* vtique iſte aſſenſus, vt ibidem inquit, *imperfectus* eſt ſeu vt loquebatur loco citato de veritate, *non totaliter determinatus &c.* aſſenſus tamen eſt licet cum dubio coniunctus. Vnde ſicut aſſenſus alter eſt perfectus alter imperfectus, ita & dubium duplex erit, aliud æquale vtrinque de vtraque parte, alterum inæquale ſcil. minus de vna quam de altera & cum aſſenſu perfecto neutrum ex his dubijs adeſſe poteſt, cum aſſenſu autem imperfecto, licet non primum, bene ſecundum dubium admittendum eſt.

Ad ſecundum primo retorquemus in Mercorum admittentem nos poſſe de parte non parum ſed valde probabiliori opinari, non certo ſcire adhuc, & conſequenter cum medio remanente probabili alterius partis aduerſæ.

Secundo igitur reſpondendo concedimus adhuc illud vrgere, ſed ſicut vi-
gei ſolum probabiliter (immo minus quam oppoſitum) nullo modo eui-
denter & certo, ita impedii ſolum non poſitiuum aſſenſum probabilem, ſed
firmitatem eiuſdem, ex cuius firmitatis carentia dicebat optime S. Thomas
eadem qu. 14. art. 1. de quocunque opinante non ſolum in concurſu minus
probabilis, ſed abſolute & vniuerſim, quod valde animaduertendum eſt,
nec opinans, inquit, *habet aſſenſum, cum non firmetur eius acceptio circa alte-*
ram partem: ſenteutia enim, vt dicit Iſaç ex Auicenna, eſt conceptio diſtincta
vel certiſſima alterius partis contradictionis, & aſſentire à ſententia dicitur.
Ad tertium immo ex eodem ſcholaſticorum more firmatur intentum
noſtrum, tum quia in eo caſu ſcholaſtici aduerſæ partis argumenta ſoluen-
tes profiteri ſolent, ſolummodo ea ſe probabiliter ſoluere non euidenter, &
conſequenter permittere adhuc ſaltem probabilitatem oppoſitæ, tum quia
concluſo ſemel ſuam probabiliorem eſſe, non vero oppoſitam improbabi-
lem, adhuc ſi quis obijciat in ſecundam hanc partem ſuę concluſionis, & ſo-
luunt, & reprehendunt, qui cenſuram oppoſitæ introducunt, vt quo ad hoc
recte etiam vidit Eſparza art. 137.

Ad quartum occurret fortaſſe aliquis Mercorum pro ſe afferre ſimilitu-
dinem illam, quam olim ex Academicis referebat contra ſe ipſum Augu-
ſtinus lib. 3. contra academicos cap. 15. ac facundiſſime refellebat dicens,
faciamus duos viatores ad vnum locum tendentes, quorum alter inſtituerit nulli
credere alter nimis credulus ſit, en hic vterq; deſcriptus academicus ephecti-
cus, quem modo arguimus, & Aporecticus, quem ſupra refutabamus, *ven-*
tum eſt ad aliquod biuiũ, hic ille credulus paſtori, qui aderat vel cuipiam Ruſtica-
no. Salue frugi homo, dic quæſo quà bene in illum locum pergitur, reſpondet: Si
hac ibis nihil errabis & ille ad comitem. verum dicit hac eamus, ridet alter vir
acutiſſimus, ſcil. ephecticus, *& tam cito aſſenſum facetiſſime illudit, atque inte-*
rea illo diſcedente in biuio figitur, & iam incipit videri turpe ceſſare, cum ecce ex
alio viæ cornu lautus quidam & vrbanus equo inſidens eminet, & propinquare
incipit, gratulatur iſte quærit viam dicens etiam remanſionis ſuæ cauſam, quo be-
neuolentiorem reddat eum paſtori præferens. ille autem hac perge, ait, nam ego
inde venio, decipitque atque abijt, interea ille ſcil. primus, qui aſentiendo iam er-
rauit tam cito exiſtimans eſſe vera verba Paſtoris, in loco iſto quo tendebat iam
ſe reficiebat, iſte autem circuit ſiluas neſcio quas nec iam, cui locus ille notus ſit
ad quem venire propoſuerat, adinuenit, hæc Auguſtinus ſic vtique irridens non
ſolum academicos illos Aporecticos, qui vagè nimis quocumque proba-
bili contenti ſunt, ſed etiam illos Effecticos, qui propoſitis etiam probabi-
lioribus renuunt aſſentiri.

Ad quintum demum, etſi lætemur à patronis probabiliſtarum exquiri
iam vias reuocandi licentiam academicam ad dogmaticam grauitatem
non tamen poſſumus approbare eam Eſparzæ meditationem meo videri
non ita probabiliter conformem diffinitioni Inocentij tertij cap. *cum Mar-*
thæ de Celebratione Miſſarum decernentis opinionem de commixtione li-
quorum cum accidẽtibus euchariſticis eſſe probabiliorem, & tamen adden-
tis,

tis & alias oppoſitas in ſua probabilitate relinqui, vt iterum fit in capite *literas* de reſtitutione, & demum à pari in commendanda altera opinione in materia conceptionis non ſemel hoc idem obſeruatum eſt; ex quibus etiam contra Mercorum magis noſtra reſolutio firmatur.

ARTICVLVS II.

An ſequens opinionem probabiliorem tuto poſſit in conſcientia certificari hoc ſyllogiſmo reflexo. Opinio vt plurimum vera eſt certa moraliter, ſed hæc opinio probabilior inquantum probabilior eſt vt plurimum vera, ergo eſt certa moraliter.

VIdebatur quod non eidem Mercoro Mediolanenſi Inquiſitori in quodam folio mihi communicato ab eodem, dum Mediolani primariæ Theologiæ Cathedræ præſiderem, appoſite ad hoc ſcripto ab eodem contra meum mox præmiſſum ipſi expoſitum ſyllogiſmum.

Primo, inquiebat, deficiente in ſyllogiſmo certitudine vnius præmiſſæ ſtatim deficit certitudo totius concluſionis. Sed in propoſito ſyllogiſmo deficit certitudo minoris, quæ incertiſſima eſt, cum de eadem in præſenti diſputetur, & ſuponatur hic potius quā probetur, ergo in propoſito deficit & certitudo concluſionis, & explicatio deſtruitur.

Secundo quia ab oppoſito vbi aliqua propoſitio in ſyllogiſmo efformato ex certis præmiſſis concluditur, non eſt amplius opinabilis probabiliter ſed ſcientifice certoque cognita. At in propoſita controuerſia ſermo eſt de propoſitione ſeu concluſione aliqua probabiliter opinabili, non nota ſcientifice, ergo in propoſita cōtrouerſia non poteſt excurri ad ſyllogiſmum &c.

Tertio quia caſus noſter eſt de aſſentiente aſſenſu opinatiuo alicui propoſitioni, de cuius veritate certi non ſimus. ſed ſyllogiſmus adductus certos nos reddit de veritate etiam propoſitionis opinatæ, & non ſolum de certitudine morali opinionis, vt patet apponenti loco illius termini *opinio probabilior* hunc alium terminum ſc. *propoſitio probabilior* ſeu magis probabiliter opinabilis, ergo ex dato ſyllogiſmo iam caſus noſter immutatus eſt.

Quarto ad credendā aliquam propoſitionem de fide, immo vt quis obligetur ad illam, ſufficit illum eſſe moraliter certum, illam propoſitionem eſſe de fide veram, ſed iuxta præadductum ſyllogiſmum quilibet certus moraliter eſſet de aſſertione circa conceptionem & huiuſmodi, quæ modo ex communiori conſenſu probabilior eſſe reputatur; ergo iuxta præadductum ſyllogiſmum teneretur quilibet ad eandem credendā veluti de fide veram, quod ex bullis huiuſque aſſeri prohibetur.

Quinto in quæſtionibus fori exterioris non ſufficit præadductus ſyllogiſmus adhoc vt eligatur id, quod probabilius apparet in concurſu partis oppoſitæ adhuc minus probabilis, ergo neque à pari ſufficiet in foro interiori inter nos & Deum, vt intendebatur.

In oppoſitum tamen eſt quod S. Thomas quodlibeto 8. ar. 13. profecto loquitur de aliquo caſu morali, *in quo adeſt contrarietas opinionum*, ſed vbi adeſt contrarietas opinionum ibi adeſt probabilitas vel æqualis in vtraque parte vel maior in vna quam in alia, ergo loquitur S. Thomas de caſu morali, in quo adeſt probabilitas, vel æqualis ex vtraque parte, vel maior in vna quam in alia. Sed in hoc caſu reſolutorie duo dicit ibidem S. Thomas, ſcil. non poſſe licite amplecti alteram, *ſi in quandam dubitationem inducatur ex contrarietate opinionum, & manente tali dubitatione*, bene tamen licere amplecti, *ſi ex contrarijs opinionibus in nullam dubitationem inducatur*. ergo cum ſecundum dictum hoc affirmatiuum nequeat intelligi de caſu, in quo adeſt probabilitas æqualis ex vtraq; parte, vt patet ex diffinitione dubij, remanet ad minus intelligi debere quando adeſt maior probabilitas ex altera parte, quæ acceptatur, ergo cum in hoc caſu adhuc nequeat haberi certitudo vel remoueri dubitatio directe, ſtante contrarietate & conſequenter probabilitate vtriuſque, reſtat in hoc caſu recurrendum eſſe ad certitudinem & remotionem dubij reflexam per ſyllogiſmum adductum, vt recte vidit & noſter Idelfonſus 1. 2. diſput. 208. dubio 2. num. 443. circa intelligentiam eiuſdem loci, immo & D. Antoninus loco mox infra referendo cæterique veteres noſtri Thomiſtæ, & inter recentes Gonet Art. vlt. de probabilit. §. 1. cum Marino & alijs, immo & noſtræ conſtitutiones in initio cum Auguſtino & alijs Patribus conſentientes in hoc, quod in caſu probabilitatum, in quo adſunt contrariæ opiniones doctorum, *benignioribus vti debemus*, &c. conſequenter probabiliores ad minus ex præadducto ſyllogiſmo vt tutæ moraliter poterunt certificari.

Reſpondeo hanc vtrique ſententiam tanto plauſibiliorem eſſe debere quanto media eſt inter duas extremas Academias Aporecticam & Ephecticam, ſeu laxiorum nimis & rigidiorum, vt & Metcorus in Baſis prologo vtriuſque extremos exceſſus improbabat. Probatur autem conſolidando euidenter certitudinem dicti ſyllogiſmi reflexi, ex quo plerumque hæc reſolutio dependet; & in primis de conſequentia non dubitatur, cum forma pateat, de maiori nec etiam, cum ſit doctrina omnium etiam aduerſariorum in hoc puncto, & à fortiori clareſcat ex Ariſtotele 1. poſteriorum cap. 23. vbi quod vt in pluribus ſeu frequenter euenit neceſſarium etiam phyſice appellatur; minor igitur ſola remanet expendenda, quæ vt certiſſima ſic probatur, quia ſic tradit Ariſtoteles li. 1. Rhetoricorum, cap. 1. vbi poſtquam dixerat *etiam contraria veris eſſe perſuaſibilia* concludit, *ſed tamen vera & meliora natura ſyllogizabiliora, & perſuaſibiliora ſunt, vt vere eſt dicere*, immo ex iſto loco Ariſtotelis duplicem pro minori colligimus probationem à priori, hoc pacto, quia vt dicitur in 2. Phyſicorum natura ſaltem vt in pluribus attingit ſuam perfectionem, & finem, ſed natura veri cognoſcibilis etiam probabiliter habet pro fine veram cognitionem, & natura intellectus cognoſcitiui etiam probabiliter pariter habet pro fine veritatem, & veram eiuſdem cognitionem, ergo ſaltem vt in pluribus tum obiecta vera cognoſcuntur vere, licet probabiliter, tum intellectus humanus

nus verum cognoſit, licet probabiliter cognoſcat; ergo cùm hoc nequeat verificari de opinione minus probabili, vtpote deficiente & imperfecta in hoc ordine, remanet ad minus verificari de opinione probabiliori, vtpote magis perfecta &c. Audi modo & expende integrum diſcurſum iſtum in Ariſtotele, ex parte quidem ipſius obiecti cognoſcibilis licet probabiliter habes in verbis iam allatis Ariſtotelis, ex parte autem ipſius naturæ cognoſcitiuæ licet probabiliter habes apud eundem in eodem cap. 1. his verbis, expreſſe, *ſimile autem & homines ad veritatem apti nati ſufficienter, & vt in pluribus adipiſcuntur veritatem, propter quod ad probabile ac coniecturabiliter ſe habent, & ad veritatem ſimiliter ſe habentes*, & hinc cap. 15. eiuſdem lib. ſubiungit, *id enim eſt optima ſententia iudicare, quod pecunia corumpi probabilia non poſſint*. ex quibus etiam Auerroes Tertio de anima Comento 36. inferebat, *intellecta falſa impoſſibile eſt vt habeant continuationem, quia non ſunt aliquid currens curſu naturali, ſed ſunt aliquid quod intenditur vt monſtrum &c.*

Secundo ad hominem prædicta doctrina innixa ſyllogiſmo reflexo probatur, quia in ſententia omnium etiam aduerſariorum quando facta debita diligentia occurrit opinio probabilis ſolum ex vna parte ſine concurſu alterius æqualiter vel inæqualiter probabilis ex alia, tunc operans habet certitudinem moralem de operatione licita, vt tradit etiam cum Fagnano idem Mercorus reſponſione 1. ad 1. ep. Caramuelis in initio. Sed neque tunc habet certitudinem moralem niſi ex ſimili ſyllogiſmo reflexo, ergo à pari in caſu noſtro id poterit &c. negabitur fortaſſe minor aut paritas, & dicetur tunc probabilem ſine concurſu oppoſitæ ex ſe ipſa tranſire in certam moraliter. Sed contra quia opinio probabilis adhuc ſine concurſu oppoſitæ retinet eſſentialiter, vt opinio, directam formidinē & dubietatem oppoſiti, cum adhuc medium non euidens vel neceſſarium ſed mere probabile perſeueret, immo ex ſola probabilitate poſitiua iſtius partis, & negatiua probabilitas oppoſitæ ſubinfertur, vt alibi diximus, ergo ſaltem directè ex ſe nequit habere tunc veram certitudinem excludentem formidinem oppoſiti &c. ergo remanet adhuc hanc certitudinem in iſto caſu haberi non poſſe, niſi ex prædicto ſyllogiſmo reflexo rectè & proportionaliter applicato.

Tertio quia ad actū rectū proprium electiuum prudentiæ ſufficit eligere id, quod per Eubuliam in Conſilio antepoſitum eſt adueniente iudicio ſineſis vel gnome. Sed in Conſilio per Eubuliam multoties proceditur ex probabilioribus & anteponitur, in iudicio ſolū id, quod probabilius eſt licet non certum, vt explicat S. Thomas 2. 2. qu. 68. art. 1. & clarius in 3. ſententuiarum diſt. 34. qu. 1. art. 2. vt dicebat & Plato in Menone, *non requiri ſcilicet certitudinem ſcientiæ, ſed ſufficere certitudinem opinionis*, ergo pariter ad actum rectū & proprium electiuū prudētiæ ſufficiet eligere id, quod inter probabilia probabilius reputatum eſt, licet non certum. Sed tunc licet non ſit certum directe, vt patet, debet tamen ſaltem moraliter eſſe certum reflexe, propter certitudinem prudentiæ, quæ vt virtus ſemper attingit veritatem ad differentiam opinionis, quæ ideo inter virtutes ab Ariſto-

tele

tèle prætermiſſa eſt, ergo de primo ad vltimum ad actum rectum & proprium electiuum prudentiæ requiretur ſyllogiſmus reflexus certificans de veritate ſaltem vt in pluribus ex maiori probabilitate, vt dicebamus.

Quarto quia ſi ad certitudinem moralem non ſufficeret ille ſyllogiſmus reflexus, maxime quia aliquando ſaltem, licet vt in pautioribus, amplectens opinionem probabiliorem in re non attingeret veritatem, & conſequenter exponeret ſe periculo errandi. Sed hæc ratio nulla eſt, ergo ſufficit &c. probo minoré, quia veritas ipſius côſcientiæ non deſumitur ex conformitate ad rem in ſe, ſed ex ſola conformitate ad appetitum rectum, vt docet Ariſtoteles 6. Ethicorum cap. 2. & S. Thomas ibidem lect. 2. & iterum 1. 2. qu. 57. ar. 5. ad tertium, & alij Theologi proſequuntur, ſed in tali caſu eueniente etiam vt in pautioribus adhuc ſaluaretur conformitas ad appetitum rectum, licet non ad rem in ſe, cum ſuponamus præmiſiſſe moralem ordinariam diligentiam in ſuperioribus explicatam; ergo adhuc in tali caſu ſaluaretur veritas iudicij practici ipſius conſcientiæ, & conſequenter neque pro tunc ſe exponeret errãdi periculo, vnde & Stoici in hoc ſenſu apud Sextum Empiricum in lib. aduerſus Mathematicos inquiebant, *ſapiens habet verorum ſcientiam & numquam fallit ac mentitur, eo quod non ex mala, ſed ex bona hoc profert affectione*, immo ad hoc clarius recurrebat Diuus noſter Antoninus in prima parte ſummę titulo 3. cap. 10. §. 10. dicens, *agendo contra tale dubium, ſcilicet opinionis, non peccatur, dum quis adhæret opinioni alicuius doctoris, & habet rationes probabiles pro ipſa magis quam pro oppoſita opinione, etiam ſi ipſa opinio, quam tenet, non eſſet vera*, hæc Antoninus, in quibus tamen voluiſſem Eſparzam virum Doctiſſimum animaduertiſſe illa verba, *pro ipſa magis quam pro oppoſita*, & procul dubio non adeo D. Antoninum tanquam fauentem probabilitatis ſuppoſuiſſet ſua parte tertia fermè per totam.

Quinto quia à conſcientia erronea etiam fauente præcepto tenemur magis cauere, quam inclinari in eandem, cum & ipſam habitam iam deponere teneamur, vel prudentialiter ſemper vel etiam ex præcepto in aliquo caſu, vt caſum oſtendit S. Thomas qu. 17. de virtutibus art. 3. ad 4. & octauum. Sed ſequendo minus probabilem licet præcepto fauentem in concurſu probabilioris magis inclinamur profecto pro vt ſic in conſcientiam erroneam licet fauentem præcepto, quam ab ipſa caueamus, cum opinio minus probabilis vt ſic ad differentiam probabilioris vt in pluribus inclinet ac manuducat in erorem ac falſitatem; Ergo non tenemur tunc ſequi minus probabilem, immo potius probabiliorem roboratam alias, vt diximus, ſyllogiſmo præallegato reflexo, vnde Bernardus ad hoc propoſitum lib. de præcep. & diſp. ca. 14. *vt interior oculus, inquit, ſit vere ſimplex duo illi eſſe arbitror neceſſaria, charitatem in intentione & in electione veritatem, nam ſi bonum quidem diligat, ſed verum non eligat, habet quidem zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam, & neſcio quemadmodum in iudicio veritatis vera eſſe poſſit cum falſitate ſimplicitas*, & ante Bernardum Ambroſius in pſalm. 118. *non ſit ergo*, inquit, *irrationabilis timor, ſicut nec eſt ſapientia ſine timore Dei, ita timor*

ſine

ſine ſapientia eſſe non poteſt, & ante Ambroſium Lactantius lib. 4. inſtitutio num cap. 4. *non poteſt religio à ſapientia ſeparari, nec ſapientia à religione ſeiungi*, vt repetit & Griſoſtomus ſerm. 10. & innumeri præter iſtos alij Patres proſequuntur apud Cornelium à Lapide ad cap. 7. Eccleſiaſtici verſu 17. *noli eſſe iuſtus multum*.

Sexto quia neque ex præcepto neque ex prudentia adſtricti ſumus niſi ad id, quod nobis moraliter eſt poſſibile, vt neque aduerſarij poterunt diffiteri. Sed nobis poſſibile eſt moraliter attingere veritatem in materia morali ſolum iuxta viam probabiliorem, non iuxta viam certam, ergo ad hanc viam ſolummodo tenemur ſiue ex præcepto ſiue ex prudentia, licet cum hoc ſtet, immo inde inferatur, nos debere euitare minus probabilem; minor, quæ ſola indiget probatione, probatur & ſimul diſcurſus integer roboratur ex Ariſtotele 1. Ethicorum cap. 3. dicente, *honeſta autem & iuſta, de quibus Ciuilis conſiderat, tantam differentiam tantumque errorum in ſe habent, vt lege non natura eſſe videantur*, & hinc poſtea docet iterum, *quod materia moralis talis eſt, vt non ſit ei conueniens perfecta certitudo &c. ideo oportet oſtendere veritatem figuraliter, ideſt veriſimiliter &c.* in quem ſenſum etiam moralis Seneca lib. 9. de beneficijs cap. 34. inferebat, *ideo non mutat ſapiens conſilium, inquit, omnibus his manentibus quæ erant cum ſumeret, ideo nunquam illum pœnitentia ſubit, quia nihil melius illo tempore fieri poterat, quam quod factum eſt*, ſic è Stoicis Plutarchus in Craſſo, *difficilis*, inquit, *eſt in iſtis certitudo & comprehenſio ardua; benignius tamen erratur, cum recepta & veteri opinione circumſpecta timiditate quam contra mores & præfidenter*, ſic Socrates apud Platonem in Menone, *vera ergo*, inquit, *opinio ad recte operandum nihilominus quam prudentia valet, non igitur nihilominus recta opinio quam ſcientia confert*, ſic Ocellus celeberrimus & Platonicus antiquiſſimus li. de natura vniuerſi, *alia quidem*, inquit, *certis inditijs ſigniſque ab ipſa natura diſcentes, alia opinatione etiam rationis auxilio id, quod probabile eſt, intellectu ducente aſſequentes*, ſic & Cicero lib. 2. de Officijs, *quid eſt igitur*, inquit, *quod me impediat ea, quæ mihi videantur probabilia, ſequi, quę contra inprobare atque affirmãdi arrogantiam vitando fugere temeritatem?* Sic vniformiter ad illud ſapientis, *qui obſeruat vētum non ſeminat & qui conſiderat nubes nunquam metet*, iterum tandem concludit Seneca lib. 4. de beneficijs cap. 33. *nunquam expectamus certiſſimam rerum comprehenſionem, quoniam in arduo eſt veri exploratio, ſed ea imus, quo ducit veriſimilitudo. omne hac via procedit officium, ſic ſerimus ſic nauigamus*, & plura, quæ ibi proſequitur neque non repetit Auguſtinus lib. de vtilitate credendi cap. 12. & 11.

Ad primum igitur neganda eſt minor, quæ ex propoſito cum Ariſtotele in noſtra prima ratione demonſtrata eſt.

Ad Secundum equiuocatio ad eſſe videtur in maiore Argumenti de ipſa concluſione opinionis probabilioris, cuiuſmodi Verbi gratia eſt iſta, *probabilius eſt in natali adueniente in Die Veneris carnes comedi poſſe*, & de alia concluſione ſyllogiſmi reflexi cuiuſmodi eſt iſta (certus eſt moraliter de veritate ille, qui in hoc caſu ſequitur opinionem probabiliorem) iſta enim valde

de diſtare non eſt qui non videat, ſi ſemel ipſimet termini conſulantur vt iacent, & prima quidem ſpectat ad aſſenſum directum, ſecunda ad reflexum & ideo poteſt ſtare formido in aſſenſu primæ cum certitudine morali in aſſenſu ſecundæ; non ergo repugnant hi duo conceptus, ſi recte aplicentur.

Ad tertium pariter ex præmiſſa diſtinctione nego hipotheſim imutari; neque enim ſemper ex certitudine reflexa per ſyllogiſmum reflexum circa cognitionem vel aſſenſum infertur vel inferri poteſt certitudo directa circa veritatem propoſitionis, tum quia aliter ſicuti reflexe cognoſcimus obiectum fidei noſtræ eſſe euidenter credibile, ita & de obiecto fidei inferretur nobis eſſe euidenter verum ac certum, tum quia ſicuti reflexe cognoſcimus vtramque partem contradictionis ſimul eſſe probabilem, ita directe inferretur vtramque pariter partem ſimul veram eſſe poſſe, tum quia tandem certitudo reflexa ſiſtit in cognitione, nec participatur niſi diuerſimode in obiecto cognito mediante eadem cognitione directa, quæ vti probabilis eſt, obiecto proprie nequit certitudinem impertiri; ad cuius propoſitum etiam aptari poteſt quod obſeruarunt Conimbricenſes in 1. poſteriorum cap. vlt. qu. 1. ad vltimum dicentes, *quod in aſſenſu reflexo pure cognoſcitur ipſa neceſſitas vt in pluribus & ſic fit certitudo etiam ſcientifica, ſed in aſſenſu directo vtcumque obiecta contingentia cognoſcuntur non percipiendo vel expendendo dictam neceſſitatem, & ſic ſiſtitur in linea probabilitatis & opinionis &c.*

Ad quartum nolo hic de ſuppoſitione facta ab arguente diſputare, ſc. opinionem Thomiſtarum eſſe minus probabilē vel nō, licet communius eſſe videatur oppoſitam eſſe magis piam, ſicut opinio Bonauenturæ de omnimoda neceſſitate contritionis in ſacramento pœnitentiæ pariter magis pia eſt ob reuerentiam Sacramenti, & tamen modo minus probabilis reputatur; ſed his ommiſſis adhuc admiſſo ſuppoſito nego ſequelam, nam ad credendam abſolute & Cathegorice aliquam propoſitionem, vt de fide, non ſufficit certificari moraliter ex diſcurſu noſtro eius veritatem, ſed requiritur vlterius certificari infallibiliter veritatem eiuſdem ex Diuina reuelatione propoſita per Eccleſiam, quæ hucuſque propoſita non fuit, immo Eccleſia ita commendat alteram opinionem, vt ſimul vetet cenſura oppoſitam condemnari.

Ad quintum tandem, quidquid ſit de antecedente, de quo legendus noſter Angelicus 2. 2. qu. 67. ar. 2. præcipue ad ſecundum, & D. Fagnanus in caput *ne innitaris* à num. 225. vt inde appareat etiam in foro exteriori maioris probabilitatis regulam deſeruire, quidquid ſit, inquam, de iſto, conſequentiam nego ſimul & paritatem, eo quia in quæſtionibus de iure in foro noſtro interiori ſemel præmiſſa morali ordinaria diligentia eligendo probabiliorem eximimur, vt vidimus, à damno animæ, in foro autem exteriori non ita proximus à damno corporis eximeretur, præter aliam diſparitatem adductam ad propoſitum eodem capite à D. Fagnano à num. 338. & aliam num. 198. ex S. Thoma 2. 2. q. 60. ar. 4. Vnde demum hanc

noſtram

noſtram præcipuam aſſertionem mediam inter extremam vtramque Academiam Aporecticam & Ephecticam concludimus cum Baſilio in Diſticis inquiente, *caue ne vel nimis rigidam iuſtitiam vel incuruam, vel verſutam prudentiam habeas, optimus enim in omnibus rebus modus eſt*, vel cum Auguſtino in quęſtionib. veteris Teſtamenti q. 1 1. *nimia iuſtitia incurrit peccatum temperata vero iuſtitia facit perfectos*.

ARTICVLVS III.

An in concurſu duarum opinionum probabilium de poteſtate Pontificis, Verbi gratia in materia diſpenſationum & huiuſmodi, ex eo quod Pontifex alterutra in diſpenſando vtatur altera ex facto improbabilis cenſeatur.

Videtur quod ſic eidem Mercoro in 2. parte ſuæ Baſis art. 22. & iterum in reſponſione tertia ad tertiam epiſt. Caramuelis §. 18. & 30. Et probat primo, nam ſi in concurſu iſtarum duarum opinionum, an Pontifex poſſit vel non poſſit diſpenſare, ipſe Pontifex exercite diſpenſans ſimul certo non iudicaret ſe diſpenſare poſſe, iam non eſſet certus de ſua poteſtate, ergo dato caſu, quod aliquis eiuſdem diſpenſationi obſiſteret, non poſſet Pōtifex aut contumacem compellere aut iuſta pæna punire, cum nec Pontifex certus ſit ſed opinans de ſua poteſtate in hypotheſi, vti & ſubditus cōtumax in oppoſitum poterit opinari & iuſte vti oppoſita probabilitate, ſicuti & Pontifex vſus eſt, *& ſic erit bellum*, inquit Mercorus, *ex vtraque parte iuſtum & ſciſma in foro conſcientiæ inculpabile*.

Secundo quia in noſtra ſententia ſtante adhuc facto diſpenſationis Pontificis poſſet aliquis iuſte vtens oppoſita probabilitate aſſerere publice, quod Pontifex in tali materia non potuit determinare, quod mox antea determinauit. Sed qui ita aſſereret ſeu opinari præſſumeret, puniretur vt temere opinans, vt patet; ergo ſignum euidens eſt ex facto diſpenſationis Pontificis alterutra vſi opinione præ altera, hanc alteram amplius non remanere probabiliter opinabilem.

Tertio quia aut in hypotheſi, quod altera vtens opinione probabili in diſpenſando erraret, inquiro aut erraret ignorantia vincibili, & conſequenter culpabili, aut inuincibili eximente à peccato. non primum aliter nimis temere liceret cuilibet de huiuſmodi diſpenſationibus Pontificum iudicare, immo & Pontifices traducere; neque ſecundum quia tunc, inquit Mercorus reſp. 3. §. 18. datur ignorantia inuincibilis, quando adhibita diligentia aliquis nequit certificare ſe ipſum de veritate. Sed in propoſito ſi Pontifex velit diligentiam adhibere per orationes ad Deum, vt illuminet, an diſpenſare liceat, poſſet vtique certificare ſe ipſum de veritate alterutrius opinionis probabilis, cum eandem ſine dubio controuerſiam ſicut & cæteras valeat e Cathedra difinire. Ergo neutro modo errare poteſt, & conſequenter reliquum eſt ex facto oppoſitam amplius probabilem non remanere.

Quarto inquit §. 30. ſi hoc non eſſet, maxime quia ſemel in exercitio diſpenſationis electa practice à Pontifice altera opinione probabili, ſi inde altera improbabilis remaueret, huius patronis iniuria improbabilitatis ingeri videretur, Verbigratia S. Thomæ, qui olim tenuit non poſſe pontificẽ à voto ſolemni diſpenſate ex auctoritate decretalium &c. & tamen poſtea Pontifices diſpenſarunt. Sed hoc non ſequitur, inquit Mercorus, cum adhuc illorum opinio, licet practice improbabilis exiſtimetur, ſemper tamen adhuc poſſit ſpeculatiue probabilis permanere; ergo adhuc hoc non obſtante cum Mercoro ſuſtinendum eſt.

In oppoſitum tamen eſt, quod plures Pontifices contrarijs adinuicem opinionibus in eiſdem terminis in materia præſertim diſpenſationum vſos fuiſſe recenſet Anonimus quidam apud Baronium noſtrum diſp. 2. de vſu probabilitatum ſectione 5. art. 3. §. 4. Sed his profecto contrarijs opinionibus vſi prædicti Pontifices non fuiſſent, ſi verum eſſet, quod Mercorus aſſerebat, ex facto vnius diſpenſationis vtentis altera opinione, eiuſdem inde opinionis deciſam certitudinem remanſiſſe cum improbabilitate contrarię, ergo quod Mercorus aſſerebat haud verum eſſe videtur.

Reſpondeo prius me poſſe hic opportune præmittere, quod in conſimili difficultate Baronius ibidem circa Pontificum diſpenſationes aiebat, *quid nos ad iſta? in medio poſiti inter liberius vnius iudicium & rationabile minus alterius obſequium, neutri aſſentimur. Sed animo ſincero & reuerenti in ſedem apoſtolicam, qualis decet Theologum ex Dominicana Familia præ cæteris ordinibus beneficijs ingentibus & pari fide obſequio perpetuo ſummis Pontificibus adictiſſima, Duo vniuerſim ſaluo meliori iudicio probabilius dicenda eſſe putamus*, alterum eſt ſine dubio poſſe Pontificem de veritate opinionum etiam probabilium circa poteſtatem Pontificiam in materia diſpenſationum & huiuſmodi definire, ſi velit, vti & in cæteris conſueuit, quod integrè ex adductis à Mercoro & aliis etiam apud Grauinam in tomo de magiſterio Eccleſiæ legendis abſque vlla heſitatione concedimus: ſed huic vt certo alterum vt probabilius, in Mercorum, ſuperaddendum eſſe putamus, nempe non inde ſolum, quod Pontifex in exercitio diſpenſationis vtatur altera opinione probabili, ſubinferri continuo vt cenſeatur oppoſitam ex facto improbabilem iudicaſſe. nam ſi hoc eſſet ſine dubio non poſſet inde alter Pontifex in eadem diſpenſandi materia (niſi cum graui culpa Pontificis & grauiori proinde ſcandalo populorum) oppoſitæ poſtea adhærere ſententiæ. Sed hoc de facto euenıſſe non ſemel, vt video, compertum eſt; ergo hoc ita non eſſe dicendum eſt; minor, quæ ſola indiget probatione, clareſcet inſpicienti ex vna parte verba Innocentij III. in capite, *cum Monaſterium*, negantis diſpenſationem à voto ſolemni, eo quod ipſe id probabilius opinaretur ibidem pro ratione ſubiungẽs, *nec ſummos Pontifices poſſe licentiare*, & tamen hoc non obſtante oppoſitam opinionem affirmatiuam ſequutos eſſe Pontifices aliquos poſteriores veluti probabiliorem, nec non exercite diſpenſaſſe, recenſent hiſtorici, ſcriptoreſque conueniunt, vt inter cæteros Alexandrum VI. Celeſtinum Tertium & alios huiuſmodi, & iterum poſtea hoc

non obſtante Pium V. hanc eandem diſpenſationem negaſſe, eo quod negatiuam ſententiam cum S. Thoma probabiliorem arbitraretur, adiungunt alij apud Baronium noſtrum pag. 352. neque præfatas hiſtorias vel Mercorus inficiatur reſponſ. 3. ad Caramuelẽ §. 29. Sic pariter a Martino V. diſpenſatum fuiſſe pro matrimonio in primo gradu conſanguineitatis ex alijs etiam atteſtatur Silueſter in ſumma Verbo Papa, nec alij negant, & tamen Sanchez tom. 2. de Matrimonio lib. 8. diſp. 6. num. 10. inquit poſtea ſucceſſu temporum affirmatiuam illam ſententiam, quæ tunc communior fuerat, in improbabilem deueniſſe, vt diſſimulata fortaſſe difficultate etiam Mercorus §. 31. recenſebat; ommito hic alia exempla fortaſſe legenda in alijs, ne hic aliquis me ſimilia Pontificum diſcrimina (in non pertinentibus ad fidem) vt irreuerenter exagerantem criminaretur, cum interim pro me ipſo ſubſcribat ad cap. *ne imitaris* num. 146. D. Fagnanus etiam ex Canonibus his verbis, *iudicium Eccleſiæ nonnunquam opinionem ſequitur, quam fallere ſæpe contingit & falli, & extant exempla in cap. latori & in cap. conſanguinei de re iudic. & in cap. fraternitatis, de frig id. & Malefi. & in cap. ſi quis non recte 24. quæſt.* 3. & mecum eandem in propoſito ſententiam in terminis de diſpenſandi materia & huiuſmodi habent ne dum Serra 1. 2. qu. 19. art. 6. & Caramuel, quos refert & Mercorus, ſed etiam eruditiſſimus Grauina noſter tomo 4. de magiſterio Eccleſiæ controuerſia 5. art. 5. ad 6. & de ſacro depoſito cap. 14. pag. 210. Accatius tom. 2. verbo opinio reſolutione 316. Brancatius tom. 3. de Sacramentis diſp. 8. art. 12. §. 2. num. 256. Franciſcus Amicus 2. 2. diſp. 7. ſect. 2. & præter alios recitatos ab illis nuper etiam noſter Baronius loco laudato ſuperius, ſed ad quid vltro ſcriptores accumulo? cum Nicolaus aperte epiſt. 7. ad Michaelem Imperatorem, vt legitur diſt. 37. cap. 6. hoc ipſum profiteatur his verbis, *ſententiam Romanæ ſedis non negamus poſſe in melius commutari*, & Zozimus epiſt. 3. *Nec vnquam piguit in melius retorſiſſe ſententiam*, & demum Innocentius III. in capite *à nobis* de ſententia excommunicationis, *iudicium*, inquit, *Dei ſequitur veritatem, quæ non fallit, nec fallitur, iudicium autem Eccleſiæ nonnunquam ſequitur opinionem, quam & fallere ſepe contingit, & falli, propter quod contingit interdum vt qui ligatus eſt apud Deum apud Eccleſiam ſit ſolutus &c.* loquimur tamen & nos, ſicut & iſti loquuntur, de his, in quibus citra fidei præiudicium id poteſt, vt ex contentu colligitur, ne quis hic perperam diciperetur.

Ad Primum igitur ea illatio negatur, cum præmiſerimus poſſe ſi velit etiã in iſtis quoque materijs diffinitiue ſecernere, quænam ex illis opinionibus vere probabilior exiſtat, vt in Concilio Vienenſi de infuſione habituum deffinitum eſt, & in cap. *cum Marthæ* pariter alia opinio, vt *probabilior*, deffinitiue ſelecta eſt oppoſita etiam in ſua probabilitate relicta; ſed ſicut in Sacerdote Theologi diſtinguere ſolent id, quod Characteris Sacerdotalis eſt, vt conſecrare vel abſoluere poſſe cum velit, & id quod ab eiuſdem libera voluntate dependet, vt velle hoc loco & tempore, non vero cæteris, conſacrare abſoluere & huiuſmodi, ita in Pontifice regulariter ſecernendum eſt id, quod eſt *aliquem diſpenſare* &c. quod vtique ſolum vt Pontifex exercere

poteſt, & id quod eſt opinari ſe poſſe in tali vel tali materia eadem poteſtate vti, eamque exercite adhibere, quod vtique preciſe vt Pontifex non operatur, & de 2. dumtaxat in poſteriori ſecunda parte noſtræ aſſertionis locuti ſumus, vbi de primo etiam prior pars noſtræ reſolutionis intelligenda eſt.

Ad ſecundum, quod continuo contra hæc dicta reſurgit, cum veritate minoris non immerito maior neganda eſt, ſicut à pari & ſi vix adſit qui certo ſciat aut abſque periculo deceptionis valeat atteſtari hos nō alios determinate ſuos genitores eſſe, temere tamen eiſdem obſequia ſolita denegaret, vt aptiſſime in ſimili difficultate reſpōdet Baronius noſter in tertia parte dogmaticæ Manuductionis in fine pareneticæ pag. 522. & nos pro ipſo eandem hanc reſponſionem ex Aug. lib. de vtilitate credendi cap. 12. opportuniſſime roboramus, *non enim ratione*, inquit, *vllo pacto ſciri poteſt ſed interpoſita matris auctoritate de patre creditur, de ipſa vero matre plerumque nec matri ſed obſtetricibus nutricibus famulis, nam cui mutari filius aliuſque ſupponi poteſt, non nepoteſt decepta decipere? credimus tamen, & ſine vlla dubitatione credimus, quod ſcire non poſſe confitemur, nam quis vel inſanus eum culpandum putet, qui eis officia debita impenderit, quos parentes eſſe crediderit, etiam ſi non eſſent, quis contra non exterminandum iudicauerit, qui veros fortaſſe parentes minime dilexerit, dum ne falſos diligat pertimeſcit?* aptetur igitur Romano Pontifici à fortiori etiam in materia noſtra quod olim Cicero apud Lactantium libro 2. de origine erroris cap. 7. concludebat, *habes Balbe quid Cotta, quid Pontifex ſentiat; fac nunc vt ego intelligam quid tu ſentias, à te enim philoſopho rationem religionis accipere debeo, maioribus autem noſtris etiam nulla ratione reddita credere rationis eſt.*

Ad tertium iuxta præmiſſam diſtinctionem tum in noſtra aſſertione tum in reſponſione ad primum primo modo negamus ſupoſitum ſc. Pontificem errare poſſe, ſecundo modo concedimus eo modo ex ignorantia inuincibili aliquando excuſari debere in propoſito, quo excuſandum eſſe in quæſtionibus de facto dicebat etiam Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice, cum cæteris paſſim, etenim in præſenti materia pro vt Pontifex homo eſt ſuam applicās poteſtatem, & ipſe probabiliori opinione hic & nunc ad talem diſpenſationis materiam, quatenus homo, inquam, ſic applicans non tenetur niſi ad moralem diligētiam audiendi Theologos & huiuſmodi, qua præmiſſa ſi in quantum homo aliquando deciperetur inuincibiliter vtique non minus ac cęteri homines immunes adhuc à culpa cenſeretur, nec inde poteſt peiorum inconuenientium illatio confingi, quam ex Mercori ſententia aut ex præſuppoſita apud alios ignorantia facti.

Ad quartum demum prætermiſſa maiori, negamus inde minorem, cum ex præadductis appareat etiam in praxi Pontifices diuerſis inuicem in diſpenſando adhæſiſſe ſententijs, quas morali diligentia præmiſſa (vt hoc dicam in Caramuelem) & ad maiora mala vitanda, in diuerſa temporum circumſtantia ac perſonarum, vt ſupra diximus, probabiliores eſſe iuſte & rationabiliter exiſtimarunt.

A R

ARTICVLVS IV.

An in ſequente probabiliorem ignorantia inuincibilis alicuius etiam praecepti naturalis, ſi detur, in hoc ſtatu lapſo excuſet à peccato.

VIdetur quod non tum Ianſenio lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 5. tum Vuendrochio in diſert atione Theologica de probabilitate in hoc conſentientibus Luthero in geneſim ca. 12. & Hieronymo Zanchio lib. 1. cap. 12. Theſi 1, qui licet ignorantiam facti concedant excuſare, vt colligitur ex Aug. epiſt. 48. & lib. 2. contra Creſconium cap. 27. & pariter ignorantiam iuris poſitiui etiam diuini ex eodem Auguſt. lib. 3. ad Bonifacium cap. 3. & epiſt. 50. & tract. 89. in Ioannem, Contendunt tamen in hoc ſtatu lapſo ex volũtarietate in cap. ignorantiã adhuc inuincibilẽ iuris naturalis nõ excuſare. Primo vt refert Aug. lib. de Geſtis Pellagij cap. 18. ex libris Celeſtij cap. 7. hæc propoſitio in Synodo Paleſtina eſt obiecta Pellagio, *obliuionem & ignorantiam non ſubiacere peccato, quoniam non ſecundum voluntatem eueniunt ſed ſecundum neceſſitatem*, ſed in eadem ſynodo hæc propoſitio, non minus ac cæteræ numeratæ & damnatæ ibidem, damnata pariter eſt, vt colligitur ex eodem lib. Aug. de geſtis Pellagij cap. 19. & ca. 33. Ergo iam ex Synodo Paleſtina etiam ignorantia non volũtaria ſed neceſſaria adhuc ſubiacebit peccato. Si reſpondeas diſtinguendo maiorem ex 1. 2. qu. 76. art. 3. ſcilicet loquendo de ignorantia, *quæ euenit non ſecundum voluntatem ſed ſecundum neceſſitatem*, id eſt quæ non eſt directe & formaliter volita bene tamen indirecte & interpretatiuè, concedo, quæ neque eſt volita indirecte, & interpretatiue, nego. Contra, tum quia quæ ſunt volita ſaltem indirecte & interpretatiue non dicuntur euenire ſecundum neceſſitatem, ſed dicta propoſitio loquebatur expreſſe de igorantia, quæ euenit ſecundum neceſſitatem, ergo non loquitur de ignorantia volita etiam indirecte ſeu interpretatiue; tum quia ignorantiam indirecte volitam ex negligentia admittebant etiam Pellagiani ſubiacere peccato, vt Pellagius refertur apud Aug. lib. de natura & gratia cap. 17. dicens, *hominem prævigilare debere ne ignoret ideoque eſſe culpandam ignorantiam, quia id homo neſcit negligentia, quod adhibita diligentia ſcire debuiſſet*, & de Iuliano pariter refert idem Aug. libr. 6. contra Iulianum cap. 1. *ecce merito reprehendiſti eos, qui ſuperſederunt ſcienda cognoſcere*, ergo ab oppoſito prædicta propoſitio Pellagianorum negans ignorantiam ſubiacere peccato loquebatur de ignorantia, quæ neque indirecte voluntaria ex negligentia foret.

Secundo quia Hieronymus poſt dictam Synodum in Dialogis contra Pelagianos lib. 2. inducit Pellagianum ſic opponentem contra Catholicum, *dà teſtimonium ſcil. Euangelij, vbi error, & ignorantia, & impoſſibilitas mandati teneatur in crimine*, & lib. 1. iterum, *rogo quæ eſt iſta iuſtitia, vt inpeccato teneat erroris, cuius reatum non habet conſcientia? neſcio me peccaſſe, & eius*

rei,

Secundo probatur auctoritate non ſolum ſed ratione S. Thomæ qu. 14. de veritate art. 1. deſtruente directe primum Mercori Argumentum his verbis, *intellectus noſter reſpectu partium contradictionis ſe habet diuerſimode, quandoque enim non inclinatur magis ad vnum quam ad aliud vel propter defectum mouentium vel propter apertam æqualitatem eorum, quæ mouēt ad vtrãque partem, & iſta eſt dubitantis diſpoſitio, qui fluctuat inter duas partes contraditionis, quandoque vero intellectus inclinatur magis in vnum, quam ad alterum, ſed tamen illud inclinans non ſufficienter mouet intellectum ad hoc, quod determinet ipſum ad vnam partem totaliter, vnde accipit quidem vnam partem* (nota) *tamen ſemper dubitat de oppoſita, & hæc eſt diſpoſitio opinantis, qui accipit vnam partem contradictionis cũ formidine alterius*. hæc S. Thomas aperte, adeo vt ſi ingenue loqui licet & expedit, non videam quid ſibi velit ea Mercori Gloſa ſcilicet, *li magis in verbis S. Thomæ explicandum eſſe non comparatiue, ſed ad verſatiue, quia repugnat intellectum in vtramque partem opinatiue inclinari*. quid enim ad me, dicam ego, quod repugnet ſimul opinatiue inclinari in vtrumque, dum ſolum intendo cum S. Thoma tunc poſſe directe opinari de vna, alterius ſimul agnoſcendo & confitendo. (vt ita dicam etiam reflexe) probabilitatem? Profecto vel me verba fugiunt vel ſenſus, aut de verbis tantummodò diſputamus. De re enim quomodo Mercoro negare licet poſitiuum opinantis aſſenſum aſſertum per illam particulam, *magis inclinat*, cum per eandem & fidei aſſenſum expreſſerit 2. 2. qu. 1. ar. 4. ſimiliter S. Thomas ſic dicens, *declinat in vnam partem magis quam in aliam, & ſi quidem hoc ſit cum dubitatione & formidine alterius partis oppoſitæ, erit opinio, ſi cum certitudine, erit fides*?

Tertio inde duplicem vrgeo ad hominem adhibitam alibi ſimilitudinem ab eodem, meo videri adæquate in præſenti veluti reuocatam, nimirum ſtateræ & voluntatis, vtramque ſimul ſub hac forma reſtrictam, quia ita proportione ſeruata, & in æqualitate quoad libertatem, ſe habet intellectus in ordine ad opinionem magis (etiam ſi parum) probabilem & minus probabilem, ſicut ſtatera vel libra ad duo corpora aliquo modo ponderis inæqualis adinuicem, & voluntas ad duo bona aliqualiter etiam ſi parum in bonitate inæqualia. Sed & ſtatera in hoc caſu declinat ad pondus, & voluntas in alterum melius inclinari ſolet, ergo & in noſtro caſu intellectus opinabitur aut opinari valebit de parte illa, in qua (licet parum) probabilitatis exceſſus apparet. Miror hic Mercorum anſas dediſſe etiam Eſparzæ, poſt Spinulam, contra ipſum par. 2. art. 132. hæc verba ſcribendi, *apparet*, inquit, *Clare quam ſit irrationabile ac indiſciplinatum atque ex ſuperficialitate vulgi, velle arguere argumentum à pari ex Billance &c.* quo argumento vtique alibi vtebatur iam Mercorus 2. par. art. 3. Miror, inquam, eundem Mercorũ hic anſas adductis verbis dediſſe, dum paritatem (etiam præſcindendo à libertate) in præſenti renuit acceptare, cum tamen ad hoc propoſitum, tam contra Mercorum quàm contra Eſparzam, prædicta paritas agnoſcatur à Tertulliano li. 2. aduerſus Marcionem, vt ſupra verba retulimus, & vrgeatur à Baſilio ad illa verba pſalmi 61, mendaces filij hominum

num

num in ſtateris, & repetatur litera *duo iudices* ibi *vtramque in ponderatione* 5. de Iudic. & ſimilem tandem adhibeat ſimilitudinem inter res naturales & liberas Ariſtoteles 2. de Cęlo text. 93. ſecundam pariter paritatem, quam hic negat Mercorus inter intellectũ & volũtatem, ad hoc propoſitum vrgeo ego ex S. Thoma qu. 6. de malo ar. 10. ad 10. ſic de prædicta paritate diſferente ex profeſſo & aiente, *dicendum quod de intellectu & voluntate quodammodo eſt ſimile, & quodammodo diſſimile. Diſſimile quidem quo ad exercitium actus, ſed ex parte obiecti eſt vtrobique ſimilitudo*, de quo ſecundo apoſite nos verba facimus.

Quarto igitur a ratione ſic probo, quia quando aliquis de aliqua parte determinate opinatur aut in ſententia Mercori ſupponit in actu exercito ſuam cognitionem eſſe certam & euidentem, aut ſupponit adhuc ſolum eſſe probabilem & contingentem; ſi primum iam non habet opinionem, ſed ignorantiam prauæ diſpoſitionis, vt ſupra ex Ariſtotele & Sanctis Patribus q. 2. art. 1. probatum eſt. Si vero ſecundum, ergo & ſupponit adhuc oppoſitam partem probabilem eſſe, cum probabile illud ſit, quod rationabiliter enontiabile eſt nec euidenter certæ alicui veritati contrarium eſt; ergo ex aſſenſu in probabiliorem iam non deſtruitur, vt putauit Mercorus, adhuc reſpectu eiuſdem opinantis probabilitas partis aduerſæ, ex qua vna obſeruatione ſoluuntur omnia, quæ præter adducta à Mercoro à quolibet alio afferri poſſent, omiſſis ex li. Canonum alijs erudite videndis apud Dominum Fagnanum in cap. *ne innitaris* nu. 225. & concludente Seneca epiſt. 8. contra aduerſos adinuicem Academicos Aporecticos & Ephecticos, *illi*, inquit, *non præferunt lumen, per quod acies dirigatur ad verum, hi oculos mihi effodiunt*.

Ad primum igitur immo ex maiori conceſſa minor neganda eſt, vt ex eadem ratione negauit & S. Thomas qu. 14. citata de veritate art. 1. & cum alijs noſtris iam præuidit Idelfonſus in 1. 2. diſp. 208. dub. 2. nu. 446. ſcil. cum opinante hoc modo & iudicante primario de vna parte ſimul ſecundario de altera parte oppoſita dubium admitti poſſe, & debere, niſi velimus aut omnem opinatiuum aſſenum euertere aut in erroneam certitudinem transformare; vnde in tertio ſententiarum diſt. 23. qu. 2. art. 2. concludebat S. Thomas, *opinans*, inquit, *habet aliquid aſſenſus, in quantum adhæret vni magis quam alij ad differentiam dubitantis, qui nihil de aſſenſu habet*, vtique iſte aſſenſus, vt ibidem inquit, *imperfectus* eſt ſeu vt loquebatur loco citato de veritate, *non totaliter determinatus &c.* aſſenſus tamen eſt licet cum dubio coniunctus. Vnde ſicut aſſenſus alter eſt perfectus alter imperfectus, ita & dubium duplex erit, aliud æquale vtrinque de vtraque parte, alterum inæquale ſcil. minus de vna quam de altera & cum aſſenſu perfecto neutrum ex his dubijs adeſſe poteſt, cum aſſenſu autem imperfecto, licet non primum, bene ſecundum dubium admittendum eſt.

Ad ſecundum primo retorquemus in Mercorum admittentem nos poſſe de parte non parum ſed valde probabiliori opinari, non certo ſcire adhuc, & conſequenter cum medio remanente probabili alterius partis aduerſæ.

Secundo igitur reſpondendo concedimus adhuc illud vrgere, ſed ſicut vrget ſolum probabiliter (immo minus quam oppoſitum) nullo modo euidenter & certo, ita impedit ſolum non poſitiuum aſſenſum probabilem, ſed firmitatem eiuſdem, ex cuius firmitatis carentia dicebat optime S. Thomas eadem qu. 14. art. 1. de quocunque opinante non ſolum in concurſu minus probabilis, ſed abſolute & vniuerſim, quod valde animaduertendum eſt, *nec opinans*, inquit, *habet aſſenſum, cum non firmetur eius acceptio circa alteram partem: ſententia enim, vt dicit Iſaç ex Auicenna, eſt conceptio diſtincta vel certiſſima alterius partis contradictionis, & aſſentire à ſententia dicitur.*

Ad tertium immo ex eodem ſcholaſticorum more firmatur intentum noſtrum, tum quia in eo caſu ſcholaſtici aduerſæ partis argumenta ſoluentes profiteri ſolent, ſolummodo ea ſe probabiliter ſoluere non euidenter, & conſequenter permittere adhuc ſaltem probabilitatem oppoſitæ, tum quia concluſo ſemel ſuam probabiliorem eſſe, non vero oppoſitam improbabilem, adhuc ſi quis obijciat in ſecundam hanc partem ſuę concluſionis, & ſoluunt, & reprehendunt, qui cenſuram oppoſitæ introducunt, vt quo ad hoc recte etiam vidit Eſparza art. 137.

Ad quartum occurret forraſſe aliquis Mercorum pro ſe afferre ſimilitudinem illam, quam olim ex Academicis referebat contra ſe ipſum Auguſtinus lib. 3. contra academicos cap. 15. ac facundiſſime refellebat dicens, *faciamus duos viatores ad vnum locum tendentes, quorum alter inſtituerit nulli credere alter nimis credulus ſit*, en hic vterq; deſcriptus academicus ephecticus, quem modo arguimus, & Aporecticus, quem ſupra refutabamus, *ventum eſt ad aliquod biuiũ, hic ille credulus paſtori, qui aderat vel cuipiam Ruſticano. Salue frugi homo, dic quæſo quà bene in illum locum pergitur, reſpondet: Si hac ibis nihil errabis & ille ad comitem. verum dicit hac eamus, ridet alter vir acutiſſimus*, ſcil. ephecticus, *& tam cito aſſenſum facetiſſime illudit, atque interea illo diſcedente in biuio figitur, & iam incipit videri turpe ceſſare, cum ecce ex alio viæ cornu lautus quidam & vrbanus equo inſidens eminet, & propinquare incipit, gratulatur iſte quærit viam dicens etiam remanſionis ſuæ cauſam, quo beneuolentiorem reddat eum paſtori præferens. ille autem hac perge, ait, nam ego inde venio, decipitque atque abijt, interea ille ſcil. primus, qui aſentiendo iam errauit tam cito exiſtimans eſſe vera verba Paſtoris, in loco iſto quo tendebat iam ſe reficiebat, iſte autem circuit ſiluas neſcio quas nec iam, cui locus ille notus ſit ad quem venire propoſuerat, adinuenit*, hæc Auguſtinus ſic vtique irridens non ſolum academicos illos Aporecticos, qui vagè nimis quocumque probabili contenti ſunt, ſed etiam illos Efficticos, qui propoſitis etiam probabilioribus renuunt aſſentiri.

Ad quintum demum, etſi lætemur à patronis probabiliſtarum exquiri iam vias reuocandi licentiam academicam ad dogmaticam grauitatem, non tamen poſſumus approbare eam Eſparzæ meditationem meo videri non ita probabiliter conformem diffinitioni Inocentij tertij cap. *cum Marthæ* de Celebratione Miſſarum decernentis opinionem de commixtione liquorum cum accidẽtibus eucharisticis eſſe probabiliorem, & tamen ad deu-

tis,

tis & alias oppoſitas in ſua probabilitate relinqui, vt iterum fit in capite *literas* de reſtitutione, & demum à pari in commendanda altera opinione in materia conceptionis non ſemel hoc idem obſeruatum eſt; ex quibus etiam contra Mercorum magis noſtra reſolutio firmatur.

ARTICVLVS II.

An ſequens opinionem probabiliorem tuto poſſit in conſcientia certificari hoc ſyllogiſmo reflexo. Opinio vt plurimum vera eſt certa moraliter, ſed hæc opinio probabilior inquantum probabilior eſt vt plurimum vera, ergo eſt certa moraliter.

VIdebatur quod non eidem Mercoro Mediolanenſi Inquiſitori in quodam folio mihi communicato ab eodem, dum Mediolani primariæ Theologiæ Cathedræ præſiderem, appoſite ad hoc ſcripto ab eodem contra meum mox præmiſſum ipſi expoſitum ſyllogiſmum.

Primo, inquiebat, deficiente in ſyllogiſmo certitudine vnius præmiſſæ ſtatim deficit certitudo totius concluſionis. Sed in propoſito ſyllogiſmo deficit certitudo minoris, quæ incertiſſima eſt, cum de eadem in pręſenti diſputetur, & ſuponatur hic potius quā probetur, ergo in propoſito deficit & certitudo concluſionis, & explicatio deſtruitur.

Secundo quia ab oppoſito vbi aliqua propoſitio in ſyllogiſmo efformato ex certis præmiſſis concluditur, non eſt amplius opinabilis probabiliter ſed ſcientifice certoque cognita. At in propoſita controuerſia ſermo eſt de propoſitione ſeu concluſione aliqua probabiliter opinabili, non nota ſcientifice, ergo in propoſita cōtrouerſia non poteſt excurri ad ſyllogiſmum &c.

Tertio quia caſus noſter eſt de aſſentiente aſſenſu opinatiuo alicui propoſitioni, de cuius veritate certi non ſimus. ſed ſyllogiſmus adductus certos nos reddit de veritate etiam propoſitionis opinatæ, & non ſolum de certitudine morali opinionis, vt patet apponenti loco illius termini *opinio probabilior* hunc alium terminum ſc. *propoſitio probabilior* ſeu magis probabiliter opinabilis, ergo ex dato ſyllogiſmo iam caſus noſter immutatus eſt.

Quarto ad credendā aliquam propoſitionem de fide, immo vt quis obligetur ad illam, ſufficit illum eſſe moraliter certum, illam propoſitionem eſſe de fide veram, ſed iuxta præadductum ſyllogiſmum quilibet certus moraliter eſſet de aſſertione circa conceptionem & huiuſmodi, quæ modo ex communiori conſenſu probabilior eſſe reputatur; ergo iuxta præadductum ſyllogiſmum teneretur quilibet ad eandem credendā veluti de fide veram, quod ex bullis huiuſque aſſeri prohibetur.

Quinto in quæſtionibus fori exterioris non ſufficit præadductus ſyllogiſmus adhoc vt eligatur id, quod probabilius apparet in concurſu partis oppoſitæ adhuc minus probabilis, ergo neque à pari ſufficiet in foro interiori inter nos & Deum, vt intendebatur.

In oppoſitum tamen eſt quod S. Thomas quodlibeto 8. ar. 13. profecto loquitur de aliquo caſu morali, *in quo adeſt contrarietas opinionum*, ſed vbi adeſt contrarietas opinionum ibi adeſt probabilitas vel æqualis in vtraque parte vel maior in vna quam in alia, ergo loquitur S. Thomas de caſu morali, in quo adeſt probabilitas, vel æqualis ex vtraque parte, vel maior in vna quam in alia. Sed in hoc caſu reſolutorie duo dicit ibidem S. Thomas, ſcil. non poſſe licite amplecti alteram, *ſi in quandam dubitationem inducatur ex contrarietate opinionum, & manente tali dubitatione*, bene tamen licere amplecti, *ſi ex contrarijs opinionibus in nullam dubitationem inducatur*. ergo cum ſecundum dictum hoc affirmatiuum nequeat intelligi de caſu, in quo adeſt probabilitas æqualis ex vtraq; parte, vt patet ex diffinitione dubij, remanet ad minus intelligi debere quando adeſt maior probabilitas ex altera parte, quæ acceptatur, ergo cum in hoc caſu adhuc nequeat haberi certitudo vel remoueri dubitatio directe, ſtante contrarietate & conſequenter probabilitate vtriuſque, reſtat in hoc caſu recurrendum eſſe ad certitudinem & remotionem dubij reflexam per ſyllogiſmum adductum, vt recte vidit & noſter Idelfonſus 1. 2. diſput. 208. dubio 2. num. 443. circa intelligentiam eiuſdem loci, immo & D. Antoninus loco mox infra referendo cęterique veteres noſtri Thomiſtæ, & inter recentes Gonet Art. vlt. de probabilit. §. 1. cum Marino & alijs, immo & noſtræ conſtitutiones in initio cum Auguſtino & alijs Patribus conſentientes in hoc, quod in caſu probabilitatum, inquo adſunt contrariæ opiniones doctorum, *benignioribus vti debemus*, &c. conſequenter probabiliores ad minus ex præadducto ſyllogiſmo vt tutæ moraliter poterunt certificari.

Reſpondeo hanc vtique ſententiam tanto plauſibiliorem eſſe debere quanto media eſt inter duas extremas Academias Aporecticam & Ephecticam, ſeu laxiorum nimis & rigidiorum, vt & Mercorus in Baſis prologo vtriuſque extremos exceſſus improbabat. Probatur autem conſolidando euidenter certitudinem dicti ſyllogiſmi reflexi, ex quo plerumque hæc reſolutio dependet; & in primis de conſequentia non dubitatur, cum forma pateat, de maiori nec etiam, cum ſit doctrina omnium etiam aduerſariorum in hoc puncto, & à fortiori clareſcat ex Ariſtotele 1. poſteriorum cap. 23. vbi quod vt in pluribus ſeu frequenter euenit neceſſarium etiam phyſice appellatur; minor igitur ſola remanet expendenda, quæ vt certiſſima ſic probatur, quia ſic tradit Ariſtoteles li. 1. Rhetoricorum, cap. 1. vbi poſtquam dixerat *etiam contraria veris eſſe perſuaſibilia* concludit, *ſed tamen vera & meliora natura ſyllogizabiliora, & perſuaſibiliora ſunt, vt vere eſt dicere*, immo ex iſto loco Ariſtotelis duplicem pro minori colligimus probationem à priori, hoc pacto, quia vt dicitur in 2. Phyſicorum natura ſaltem vt in pluribus attingit ſuam perfectionem, & finem, ſed natura veri cognoſcibilis etiam probabiliter habet pro fine veram cognitionem, & natura intellectus cognoſcitiui etiam probabiliter pariter habet pro fine veritatem, & veram eiuſdem cognitionem, ergo ſaltem vt in pluribus tum obiecta vera cognoſcuntur vere, licet probabiliter, tum intellectus humanus

nus verum cognoſit, licet probabiliter cognoſcat; ergo cùm hoc nequeat verificari de opinione minus probabili, vtpote deficiente & imperfecta in hoc ordine, remanet ad minus verificari de opinione probabiliori, vtpote magis perfecta &c. Audi modo & expende integrum diſcurſum iſtum in Ariſtotele, ex parte quidem ipſius obiecti cognoſcibilis licet probabiliter habes in verbis iam allatis Ariſtotelis, ex parte autem ipſius naturæ cognoſcitiuæ licet probabiliter habes apud eundem in eodem cap. 1. his verbis expreſſe, *ſimile autem & homines ad veritatem apti nati ſufficienter, & vt in pluribus adipiſcuntur veritatem, propter quod ad probabile ac coniecturabiliter ſe habent, & ad veritatem ſimiliter ſe habentes*, & hinc cap. 15. eiuſdem lib. ſubiungit, *id enim eſt optima ſententia iudicare, quod pecunia corumpi probabilia non poſſint.* ex quibus etiam Aueroes Tertio de anima Comento 36. inferebat, *intellecta falſa impoſſibile eſt vt habeant continuationem, quia non ſunt aliquid currens curſu naturali, ſed ſunt aliquid quod intenditur vt monſtrum &c.*

Secundo ad hominem prædicta doctrina innixa ſyllogiſmo reflexo probatur, quia in ſententia ommium etiam aduerſariorum quando facta debita diligentia occurrit opinio probabilis ſolum ex vna parte ſine concurſu alterius æqualiter vel inæqualiter probabilis ex alia, tunc operans habet certitudinem moralem de operatione licita, vt tradit etiam cum Fagnano idem Mercorus reſponſione 1. ad 1. ep. Caramuelis in initio. Sed neque tunc habet certitudinem moralem niſi ex ſimili ſyllogiſmo reflexo, ergo à pari in caſu noſtro id poterit &c. negabitur fortaſſe minor aut paritas, & dicetur tunc probabilem ſine concurſu oppoſitæ ex ſe ipſa tranſire in certam moraliter. Sed contra quia opinio probabilis adhuc ſine concurſu oppoſitæ retinet eſſentialiter, vt opinio, directam formidinẽ & dubietatem oppoſiti, cum adhuc medium non euidens vel neceſſarium ſed mere probabile perſeueret, immo ex ſola probabilitate poſitiua iſtius partis, & negatiua probabilitas oppoſitæ ſubinfertur, vt alibi diximus, ergo ſaltem directè ex ſe nequit habere tunc veram certitudinem excludentem formidinem oppoſiti &c. ergo remanet adhuc hanc certitudinem in iſto caſu haberi non poſſe, niſi ex prædicto ſyllogiſmo reflexo rectè & proportionaliter applicato.

Tertio quia ad actũ rectũ proprium electiuum prudentiæ ſufficit eligere id, quod per Eubuliam in Conſilio antepoſitum eſt adueniente iudicio ſineſis vel gnome. Sed in Conſilio per Eubuliam multoties proceditur ex probabilioribus & anteponitur, in iudicio ſolũ id, quod probabilius eſt licet non certum, vt explicat S. Thomas 2. 2. qu. 68. art. 1. & clarius in 3. ſententiarum diſt. 34. qu. 1. art. 2. vt dicebat & Plato in Menone, *non requiri ſcilicet certitudinem ſcientiæ, ſed ſufficere certitudinem opinionis*, ergo pariter ad actum rectũ & proprium electiuũ prudẽtiæ ſufficiet eligere id, quod inter probabilia probabilius reputatum eſt, licet non certum. Sed tunc licet non ſit certum directe, vt patet, debet tamen ſaltem moraliter eſſe certum reflexe, propter certitudinem prudentiæ, quæ vt virtus ſemper attingit veritatem ad differentiam opinionis, quæ ideo inter virtutes ab Ariſto-

tele

ſine ſapientia eſſe non poteſt, & ante Ambroſium Lactantius lib. 4. inſtitutio-num cap. 4. *non poteſt religio à ſapientia ſeparari, nec ſapientia à religione ſe-iungi*, vt repetit & Griſoſtomus ſerm. 10. & innumeri præter iſtos alij Pa-tres proſequuntur apud Cornelium à Lapide ad cap. 7. Eccleſiaſtici verſu 17. *noli eſſe iuſtus multum*.

Sexto quia neque ex præcepto neque ex prudentia adſtricti ſumus niſi ad id, quod nobis moraliter eſt poſſibile, vt neque aduerſarij poterunt dif-fiteri. Sed nobis poſſibile eſt moraliter attingere veritatem in materia moralı ſolum iuxta viam probabiliorem, non iuxta viam certam, ergo ad hanc viam ſolummodo tenemur ſiue ex præcepto ſiue ex prudentia, licet cum hoc ſtet, immo inde inferatur, nos debere euitare minus probabilem; minor, quæ ſola indiget probatione, probatur & ſimul diſcurſus integer roboratur ex Ariſtotele 1. Ethicorum cap. 3. dicente, *honeſta autem & iu-ſta, de quibus Ciuilis conſiderat, tantam differentiam tantumque errorum in ſe ha-bent, vt lege non natura eſſe videantur*, & hinc poſtea docet iterum, *quod mate-ria moralis talis eſt, vt non ſit ei conueniens perfecta certitudo &c. ideo oportet oſtendere veritatem figuraliter, ideſt veriſimiliter &c.* in quem ſenſum etiam moralis Seneca lib. 9. de beneficijs cap. 34. inferebat, *ideo non mutat ſapiens conſilium, inquit, omnibus his manentibus quæ erant cum ſumeret, ideo nunquam illum pœnitentia ſubit, quia nihil melius illo tempore fieri poterat, quam quod fa-ctum eſt*, ſic è Stoicis Plutarchus in Craſſo, *difficilis*, inquit, *eſt in iſtis certitu-do & comprehenſio ardua; benignius tamen erratur, cum recepta & veteri opi-nione circumſpecta timiditate quam contra mores & præſidenter*, ſic Socra-tes apud Platonem in Menone, *vera ergo*, inquit, *opinio ad recte operandum nihilominus quam prudentia valet, non igitur nihilominus recta opinio quam ſciē-tia confert*, ſic Ocellus celeberrimus & Platonicus antiquiſſimus li. de natura vniuerſi, *alia quidem*, inquit, *certis inditijs ſignisque ab ipſa natura diſcentes, alia opinatione etiam rationis auxilio id, quod probabile eſt, intellectu ducente aſſe-quentes*, ſic & Cicero lib. 2. de Officijs, *quid eſt igitur*, inquit, *quod me impe-diat ea, quæ mihi videantur probabilia, ſequi, quę contra inprobare atque affirmā-di arrogantiam vitando fugere temeritatem?* Sic vniformiter ad illud ſapientis, *qui obſeruat vētum non ſeminat & qui conſiderat nubes nunquam metet*, iterum tandem concludit Seneca lib. 4. de beneficijs cap. 33. *nunquam expectamus certiſſimam rerum comprehenſionem, quoniam in arduo eſt veri exploratio, ſed ea imus, quo ducit veriſimilitudo. omne hac via procedit officium, ſic ſerimus ſic nauigamus*, & plura, quæ ibi proſequitur neque non reperit Auguſtinus lib. de vtilitate credendi cap. 12. & 11.

Ad primum igitur neganda eſt minor, quæ ex propoſito cum Ariſtotele in noſtra prima ratione demonſtrata eſt.

Ad Secundum equiuocatio ad eſſe videtur in maiore Argumenti de ipſa concluſione opinionis probabilioris, cuiuſmodi Verbi gratia eſt iſta, *pro-babilius eſt in natali aduenıente in Die Veneris carnes comedi poſſe*, & de alia concluſione ſyllogiſmi reflexi cuiuſmodi eſt iſta (certus eſt moraliter de ve-ritate ille, qui in hoc caſu ſequitur opinionem probabiliorem) iſta enim val-

de

de diſtare non eſt qui non videat, ſi ſemel ipſimet termini conſulantur vt iacent, & prima quidem ſpectat ad aſſenſum directum, ſecunda ad reflexum & ideo poteſt ſtare formido in aſſenſu primæ cum certitudine morali in aſſenſu ſecundæ; non ergo repugnant hi duo conceptus, ſi recte aplicentur.

Ad tertium pariter ex præmiſſa diſtinctione nego hipotheſim imutari; neque enim ſemper ex certitudine reflexa per ſyllogiſmum reflexum circa cognitionem vel aſſenſum infertur vel inferri poteſt certitudo directa circa veritatem propoſitionis, tum quia aliter ſicuti reflexe cognoſcimus obiectum fidei noſtræ eſſe euidenter credibile, ita & de obiecto fidei inferretur nobis eſſe euidenter verum ac certum, tum quia ſicuti reflexe cognoſcimus vtramque partem contradictionis ſimul eſſe probabilem, ita directe inferretur vtramque pariter partem ſimul veram eſſe poſſe, tum quia tandem certitudo reflexa ſiſtit in cognitione, nec participatur niſi diuerſimode in obiecto cognito mediante eadem cognitione directa, quæ vti probabilis eſt, obiecto proprie nequit certitudinem impertiri; ad cuius propoſitum etiam aptari poteſt quod obſeruarunt Conimbricenſes in 1. poſteriorum cap. vlt. qu. 1. ad vltimum dicentes, *quod in aſſenſu reflexo pure cognoſcitur ipſa neceſſitas vt in pluribus & ſic fit certitudo etiam ſcientifica, ſed in aſſenſu directo vtcumque obiecta contingentia cognoſcuntur non percipiendo vel expendendo dictam neceſſitatem, & ſic ſiſtitur in linea probabilitatis & opinionis &c.*

Ad quartum nolo hic de ſuppoſitione facta ab arguente diſputare, ſc. opinionem Thomiſtarum eſſe minus probabilē vel nō, licet communius eſſe videatur oppoſitam eſſe magis piam, ſicut opinio Bonauenturæ de omnimoda neceſſitate contritionis in ſacramento pænitentiæ pariter magis pia eſt ob reuerentiam Sacramenti, & tamen modo minus probabilis reputatur; ſed his ommiſſis adhuc admiſſo ſuppoſito nego ſequelam, nam ad credendam abſolute & Cathegorice aliquam propoſitionem, vt de fide, non ſufficit certificari moraliter ex diſcurſu noſtro eius veritatem, ſed requiritur vlterius certificari infallibiliter veritatem eiuſdem ex Diuina reuelatione propoſita per Eccleſiam, quæ hucuſque propoſita non fuit, immo Eccleſia ita commendat alteram opinionem, vt ſimul vetet cenſura oppoſitam condemnari.

Ad quintum tandem, quidquid ſit de antecedente, de quo legendus noſter Angelicus 2. 2. qu. 67. ar. 2. præcipue ad ſecundum, & D. Fagnanus in caput *ne innitaris* à num. 225. vt inde appareat etiam in foro exteriori maioris probabilitatis regulam deſeruire, quidquid ſit, inquam, de iſto, conſequentiam nego ſimul & paritatem, eo quia in quæſtionibus de iure in foro noſtro interiori ſemel præmiſſa morali ordinaria diligentia eligendo probabiliorem eximimur, vt vidimus, à damno animæ, in foro autem exteriori non ita proximus à damno corporis eximeretur, præter aliam diſparitatem adductam ad propoſitum eodem capite à D. Fagnano à num. 338. & aliam num. 198. ex S. Thoma 2. 2. q. 60. ar. 4. Vnde demum hanc

noſtram

noſtram præcipuam aſſertionem mediam inter extremam vtramque Academiam Aporecticam & Ephecticam concludimus cum Baſilio in Diſticis inquiente, *caue ne vel nimis rigidam iuſtitiam vel incuruam, vel verſutam prudentiam habeas, optimus enim in omnibus rebus modus eſt*, vel cum Auguſtino in quęſtionib. veteris Teſtamenti q. 11. *nimia iuſtitia incurrit peccatum temperata vero iuſtitia facit perfectos*.

ARTICVLVS III.

An in concurſu duarum opinionum probabilium de poteſtate Pontificis, Verbi gratia in materia diſpenſationum & huiuſmodi, ex eo quod Pontifex alterutra in diſpenſando vtatur altera ex facto improbabilis cenſeatur.

Videtur quod ſic eidem Mercoro in 2. parte ſuæ Baſis art. 22. & iterum in reſponſione tertia ad tertiam epiſt. Caramuelis §. 18. & 30. Et probat primo, nam ſi in concurſu iſtarum duarum opinionum, an Pontifex poſſit vel non poſſit diſpenſare, ipſe Pontifex exercite diſpenſans ſimul certo non iudicaret ſe diſpenſare poſſe, iam non eſſet certus de ſua poteſtate, ergo dato caſu, quod aliquis eiuſdem diſpenſationi obſiſteret, non poſſet Pōtifex aut contumacem compellere aut iuſta pæna punire, cum nec Pontifex certus ſit ſed opinans de ſua poteſtate in hypotheſi, vti & ſubditus cōtumax in oppoſitum poterit opinari & iuſte vti oppoſita probabilitate, ſicuti & Pontifex vſus eſt, *& ſic erit bellum*, inquit Mercorus, *ex vtraque parte iuſtum & ſciſma in foro conſcientiæ inculpabile*.

Secundo quia in noſtra ſententia ſtante adhuc facto diſpenſationis Pontificis poſſet aliquis iuſte vtens oppoſita probabilitate aſſerere publice, quod Pontifex in tali materia non potuit determinare, quod mox antea determinauit. Sed qui ita aſſereret ſeu opinari præſumeret, puniretur vt temere opinans, vt patet; ergo ſignum euidens eſt ex facto diſpenſationis Pontificis alterutra vſi opinione præ altera, hanc alteram amplius non remanere probabiliter opinabilem.

Tertio quia aut in hypotheſi, quod altera vtens opinione probabili in diſpenſando erraret, inquiro aut erraret ignorantia vincibili, & conſequenter culpabili, aut inuincibili eximente à peccato. non primum aliter nimis temere liceret cuilibet de huiuſmodi diſpenſationibus Pontificum iudicare, immo & Pontifices traducere; neque ſecundum quia tunc, inquit Mercorus reſp. 3. §. 18. datur ignorantia inuincibilis, quando adhibita diligentia aliquis nequit certificare ſe ipſum de veritate. Sed in propoſito ſi Pontifex velit diligentiam adhibere per orationes ad Deum, vt illuminet, an diſpenſare liceat, poſſet vtique certificare ſe ipſum de veritate alterutrius opinionis probabilis, cum eandem ſine dubio controuerſiam ſicut & cæteras valeat e Cathedra difinire. Ergo neutro modo errare poteſt, & conſequenter reliquum eſt ex facto oppoſitam amplius probabilem non remanere.

Quarto inquit §. 30. ſi hoc non eſſet, maxime quia ſemel in exercitio diſpenſationis electa practice à Pontifice altera opinione probabili, ſi inde altera improbabilis remaneret, huius patronis iniuria improbabilitatis ingeri videretur, Verbigratia S. Thomæ, qui olim tenuit non poſſe pontificẽ à voto ſolemni diſpenſare ex auctoritate decretalium &c. & tamen poſtea Pontifices diſpenſarunt. Sed hoc non ſequitur, inquit Mercorus, cum adhuc illorum opinio, licet practice improbabilis exiſtimetur, ſemper tamen adhuc poſſit ſpeculatiue probabilis permanere; ergo adhuc hoc non obſtante cum Mercoro ſuſtinendum eſt.

In oppoſitum tamen eſt, quod plures Pontifices contrarijs adinuicem opinionibus in eiſdem terminis in materia præſertim diſpenſationum vſos fuiſſe recenſet Anonimus quidam apud Baronium noſtrum diſp. 2. de vſu probabilitatum ſectione 5. art. 3. §. 4. Sed his profecto contrarijs opinionibus vſi prædicti Pontifices non fuiſſent, ſi verum eſſet, quod Mercorus aſſerebat, ex facto vnius diſpenſationis vtentis altera opinione, eiuſdem inde opinionis deciſam certitudinem remanſiſſe cum improbabilitate contrariæ, ergo quod Mercorus aſſerebat haud verum eſſe videtur.

Reſpondeo prius me poſſe hic opportune præmittere, quod in conſimili difficultate Baronius ibidem circa Pontificum diſpenſationes aiebat, *quid nos ad iſta? in medio poſiti inter liberius vnius iudicium & rationabile minus alterius obſequium, neutri aſſentimur. Sed animo ſincero & reuerenti in ſedem apoſtolicam, qualis decet Theologum ex Dominicana Familia præ cæteris ordinibus beneficijs ingentibus & pari fide obſequio perpetuo ſummis Pontificibus adictiſſima, Duo vniuerſim ſaluo meliori iudicio probabilius dicenda eſſe putamus*, alterum eſt ſine dubio poſſe Pontificem de veritate opinionum etiam probabilium circa poteſtatem Pontificiam in materia diſpenſationum & huiuſmodi definire, ſi velit, vti & in cæteris conſueuit, quod integrè ex adductis à Mercoro & aliis etiam apud Grauinam in tomo de magiſterio Eccleſiæ legendis abſque vlla heſitatione concedimus: ſed huic vt certo alterum vt probabilius, in Mercorum, ſuperaddendum eſſe putamus, nempe non inde ſolum, quod Pontifex in exercitio diſpenſationis vtatur altera opinione probabili, ſubinferri continuo vt cenſeatur oppoſitam ex facto improbabilem iudicaſſe. nam ſi hoc eſſet ſine dubio non poſſet inde alter Pontifex in eadem diſpenſandi materia (niſi cum graui culpa Pontificis & grauiori proinde ſcandalo populorum) oppoſitæ poſtea adhærere ſententiæ. Sed hoc de facto euenisse non ſemel, vt video, compertum eſt; ergo hoc ita non eſſe dicendum eſt; minor, quæ ſola indiget probatione, clareſcet inſpicienti ex vna parte verba Innocentij III. in capite, *cum Monaſterium*, negantis diſpenſationem à voto ſolemni, eo quod ipſe id probabilius opinaretur ibidem pro ratione ſubiungẽs, *nec ſummos Pontifices poſſe licentiare*, & tamen hoc non obſtante oppoſitam opinionem affirmatiuam ſecutos eſſe Pontifices aliquos poſteriores veluti probabiliorem, nec non exercite diſpenſaſſe, recenſent hiſtorici, ſcriptoreſque conueniunt, vt inter cæteros Alexandrum VI. Celeſtinum Tertium & alios huiuſmodi, & iterum poſtea ho-

non obſtante Pium V. hanc eandem diſpenſationem negaſſe, eo quod negatiuam ſententiam cum S. Thoma probabiliorem arbitraretur, adiungunt alij apud Baronium noſtrum pag. 352. neque præfatas hiſtorias vel Mercorus inficiatur reſponſ. 3. ad Caramuelē §. 29. Sic pariter a Mattino V. diſpenſatum fuiſſe pro matrimonio in primo gradu conſanguineitatis ex alijs etiam atteſtatur Silueſter in ſumma Verbo Papa, nec alij negant, & tamen Sanchez tom. 2. de Matrimonio lib. 8. diſp. 6. num. 10. inquit poſtea ſucceſſu temporum affirmatiuam illam ſententiam, quæ tunc communior fuerat, in improbabilem deueniſſe, vt diſſimulata fortaſſe difficultate etiam Mercorus §. 31. recenſebat; ommito hic alia exempla fortaſſe legenda in alijs, ne hic aliquis me ſimilia Pontificum diſcrimina (in non pertinentibus ad fidem) vt irreuerenter exagerantem criminaretur, cum interim pro me ipſo ſubſcribat ad cap. *ne imitaris* num. 146. D. Fagnanus etiam ex Canonibus his verbis, *iudicium Eccleſiæ nonnunquam opinionem ſequitur, quam fallere ſæpe contingit & falli, & extant exempla in cap. latori & in cap. conſanguinei de re iudic. & in cap. fraternitatis, de frig id. & Maleſi. & in cap. ſi quis non recte 24. quæſt.* 3. & mecum eandem in propoſito ſententiam in terminis de diſpenſandi materia & huiuſmodi habent ne dum Serra 1. 2. qu. 19. art. 6. & Caramuel, quos refert & Mercorus, ſed etiam eruditiſſimus Grauina noſter tomo 4. de magiſterio Eccleſiæ controuerſia 5. art. 5. ad 6. & de ſacro depoſito cap. 14. pag. 210. Accatius tom. 2. verbo opinio reſolutione 316. Brancatius tom. 3. de Sacramentis diſp. 8. art. 12. §. 2. num. 256. Franciſcus Amicus 2. 2. diſp. 7. ſect. 2. & præter alios recitatos ab illis nuper etiam noſter Baronius loco laudato ſuperius, ſed ad quid vltro ſcriptores accumulo? cum Nicolaus aperte epiſt. 7. ad Michaelem Imperatorem, vt legitur diſt. 37. cap. 6. hoc ipſum profiteatur his verbis, *ſententiam Romanæ ſedis non negamus poſſe in melius commutari*, & Zozimus epiſt. 3. *Nec vnquam piguit in melius retorſiſſe ſententiam*, & demum Innocentius III. in capite *à nobis* de ſententia excommunicationis, *iudicium*, inquit, *Dei ſequitur veritatem, quæ non fallit, nec fallitur, iudicium autem Eccleſiæ nonnunquam ſequitur opinionem, quam fallere ſæpe contingit, & falli, propter quod contingit interdum vt qui ligatus eſt apud Deum apud Eccleſiam ſit ſolutus &c.* loquimur tamen & nos, ſicut & iſti loquuntur, de his, in quibus citra fidei præiudicium id poteſt, vt ex contentu colligitur, ne quis hic perperam diciperetur.

Ad Primum igitur ea illatio negatur, cum præmiſerimus poſſe ſi velit etiā in iſtis quoque materijs diffinitiue ſecernere, quænam ex illis opinionibus vere probabilior exiſtat, vt in Concilio Vienenſi de infuſione habituum deffinitum eſt, & in cap. *cum Marthæ* pariter alia opinio, vt *probabilior*, deffinitiue ſelecta eſt oppoſita etiam in ſua probabilitate relicta; ſed ſicut in Sacerdote Theologi diſtinguere ſolent id, quod Characteris Sacerdotalis eſt, vt conſecrare vel abſoluere poſſe cum velit, & id quod ab eiuſdem libera voluntate dependet, vt velle hoc loco & tempore, non vero cæteris, conſacrare abſoluere & huiuſmodi, ita in Pontifice regulariter ſecernendum eſt id, quod eſt *aliquem diſpenſare* &c. quod vtique ſolum vt Pontifex exercere

ARTICVLVS IV.

An in ſequente probabiliorem ignorantia inuincibilis alicuius etiam præcepti naturalis, ſi detur, in hoc ſtatu lapſo excuſet à peccato.

Videtur quod non tum Ianſenio lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 5. tum Vuendrochio in diſert atione Theologica de probabilitate in hoc conſentientibus Luthero in geneſim ca. 12. & Hieronymo Zanchio lib. 1. cap. 12. Theſi 1. qui licet ignorantiam facti concedant excuſare, vt colligitur ex Aug. epiſt. 48. & lib. 2. contra Creſconium cap. 27. & pariter ignorantiam iuris poſitiui etiam diuini ex eodem Auguſt. lib. 3. ad Bonifacium cap. 3. & epiſt. 50. & tract. 89. in Ioannem, Contendunt tamen in hoc ſtatu lapſo ex volũtarietate in cap. ignorantiã adhuc inuincibilẽ iuris naturalis nõ excuſare. Primo vt refert Aug. lib. de Geſtis Pellagij cap. 18. ex libris Celeſtij cap. 7. hæc propoſitio in Synodo Paleſtina eſt obiecta Pellagio, *obliuionem & ignorantiam non ſubiacere peccato, quoniam non ſecundum voluntatem eueniunt ſed ſecundum neceſſitatem,* ſed in eadem ſynodo hæc propoſitio, non minus ac ceteræ numeratæ & damnatæ ibidem, damnata pariter eſt, vt colligitur ex eodem lib. Aug. de geſtis Pellagij cap. 19. & ca. 33. Ergo iam ex Synodo Paleſtina etiam ignorantia non volũtaria ſed neceſſaria adhuc ſubiacebit peccato. Si reſpondeas diſtinguendo maiorem ex 1. 2. qu. 76. art. 3. ſcilicet loquendo de ignorantia, *quæ euenit non ſecundum voluntatem ſed ſecundum neceſſitatem*, id eſt quæ non eſt directe & formaliter volita bene tamen indirecte & interpretatiuè, concedo, quæ neque eſt volita indirecte, & interpretatiue, nego. Contra, tum quia quæ ſunt volita ſaltem indirecte & interpretatiue non dicuntur euenire ſecundum neceſſitatem, ſed dicta propoſitio loquebatur expreſſe de igorantia, quæ euenit ſecundum neceſſitatem, ergo non loquitur de ignorantia volita etiam indirecte ſeu interpretatiue; tum quia ignorantiam indirecte volitam ex negligentia admittebant etiam Pellagiani ſubiacere peccato, vt Pellagius refertur apud Aug. lib. de natura & gratia cap. 17. dicens, *hominem præuigilare debere ne ignoret ideoque eſſe culpandam ignorantiam, quia id homo neſcit negligentia, quod adhibita diligentia ſcire debuiſſet,* & de Iuliano pariter refert idem Aug. libr. 6. contra Iulianum cap. 1. *ecce merito reprehendiſti eos, qui ſuperſederunt ſcienda cognoſcere*, ergo ab oppoſito prædicta propoſitio Pellagianorum negans ignorantiam ſubiacere peccato loquebatur de ignorantia, quæ neque indirecte voluntaria ex negligentia foret.

Secundo quia Hieronymus poſt dictam Synodum in Dialogis contra Pelagianos lib. 2. inducit Pellagianum ſic opponentem contra Catholicum, *dà teſtimonium ſcil. Euangelij, vbi error, & ignorantia, & impoſſibilitas mandati teneatur in crimine*, & lib. 1. iterum, *rogo quæ eſt iſta iuſtitia, vt in peccato teneat erroris, cuius reatum non habet conſcientia? neſcio me peccaſſe, & eius*

rei,

rei, quam neſcio, pœnas luo: & quid plus feram ſi ſponte peccauero? & Tamen Hieronymus ibidem vt reſpondeat non recurrit ad hoc quod ignorantia non excuſet à peccato apud Catholicos, ſi ſit voluntaria aliquo modo ſaltem indirecte, immo ſolum recurrit ad illud, *altiora te ne quæſieris*, & ad illud Apoſtoli, *ò altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei*, &c. Sed ſi Hieronymus ſuppoſuiſſet apud Catholicos excuſare ignorantiam, quando nec indirecte voluntaria eſt, ad hoc vtique recurriſſet potius quam ad Miſterij obſcuritatem, ergo ſignum euidens eſt Hieronymum ſcribentem poſt Synodum hoc vere non ſuppoſuiſſe, vt nos ſupponimus.

Tertio quia Auguſtinus Epiſt. 105. ad Sixtum inquit, *humana ſuperbia tamquam præſumens de viribus liberi arbitrij excuſatam ſe putat, quando ignorantiæ eſt non voluntatis quod peccat*, ergo ſupponit etiam ignorantiam, quæ non eſt voluntaria, adhuc à peccato non excuſare. Si reſpondeas reſponſione mox antea data diſtinguendo conſequens, quæ non eſt voluntaria directe bene tamen indirecte, concedo, neque indirecte ſeu interpretatiue, nego. Contra tum quia idem Auguſtinus lib. de natura & gratia cap. 17. aperte hoc præueniens & diſtinguens inquit, *alliud eſt enim non curaſſe ſcire, quæ negligentiæ peccata etiam per ſacrificia quædam legis videbantur expiari, aliud intelligere velle, nec poſſe, & facere contra legem, non intelligendo quid fieri velit*, Sed facere contra legem peccare eſt, vt patet ex difinitione peccati, ergo per Auguſtinum etiam quando volumus intelligere, & non poſſumus & conſequenter inuincibiliter ignoramus, adhuc vere peccamus; tum quia idem Auguſtinus in pſalmum 35. iterum ſic diſtinguit, *aliud eſt enim quando quiſque conatur aliquid intelligere, & per infirmitatem carnis non poteſt, aliud autem quando pernicioſius agit aduerſus ſe ipſum cor humanum, vt quod poſſet intelligere, ſi bona voluntas accederet, non intelligat*, Sed ly *pernicioſius* aſſertum de 2. modo, indicat etiam 1. modo hominem *pernicioſe* (licet minus) operari, ergo etiam, quando per probabiliorem nos conamur appropinquare veritati & non poſſumus, per Auguſtinum adhuc agimus pernicioſè, ergo niſi ſemper eligamus opinionem ſtantem pro precepto, & probabiliorem adhuc pro libertate ommittamus, ex Auguſtino peccamus.

Quarto ſi ignorantia inuincibilis excuſaret à peccato, nō deberemus orare Deum, vt nos ab ignorantia inuincibili liberaret. Sed hoc videtur abſurdum, ergo & id, ex quo ſequitur. Sic arguere omnino videtur Auguſtinus contra prædictam propoſitionem Pellagianorum lib. 2. de peccatorum meritis cap. 2. dicens, *vnde fit conſequens ſcil. ex Pellagij dogmate, vt nec orare debeamus, ne intremus intentationem, hoc eſt ne tentatione vincamur, cum fallit & præocupat neſcientes*.

Quinto quia illud, ad quod conatur nos trahere tentator, peccatum eſt; ſed ad opera etiam ex ignorantia facta conatur tentator trahere nos, ergo peccata ſunt, vt videtur arguere idem Auguſtinus lib. 1. ad Bonifacium cap. 3. *neque enim agit in eis etiam qui ſuadet & decipit, niſi vt peccatum voluntate commitāt vel ignorantia veritatis vel delectatione iniquitatis vel vtro-*

que

quæ malo ſeil. cæcitatis & infirmitatis,

Sexto quia idem Aug. lib. de gratia & libero arbitrio ca. 3. inquit, *aliud eſt neſcire, aliud neſcire voluiſſe, voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur: noluit intelligere vt bene ageret, ſed & illa ignorantia, quæ non eſt eorum, qui ſcire volunt, ſed eorum, qui tamquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat vt ſempiterno igne non ardeat, ſi propterea nō credidit, quia non audiuit omnino quid crederet, ſed fortaſſis vt mitius ardeat: non enim ſine cauſa dictum eſt, effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt*, ergo etiam neſcientia ſimplex ſeu non voluntaria à peccato non excuſat.

Septimo quia Aug. lib. 1. operis imperfecti folio 155. cum ſibi Iulianus obijceret, *peccatum non eſſe ſine libertate voluntatis* per eundem Auguſt. lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. de vera religione cap. 14. & de duabus animabus cap. 11. & inde Iulianus concluderet contra ipſum Auguſtinum de originali peccato ſic, *vide igitur quam illud, quod eſſe peccatum ratio demonſtrat, inueniri nequeat in ſeminibus, quando ſecundum definitiones tuas iam nec in moribus inueni ur*, reſpondet Auguſtinus ſtatim, *multum erras qui vel neceſſitatem nullam putas eſſe peccandi, vel eam non intelligis illius peccati eſſe pænam, quod nulla neceſſitate commiſſum eſt*, & infra hanc neceſſitatem peccandi ad ignorantiam applicans ſubdit, *qui autem neſciunt, ipſam boni appetendi malique vitandi ignorantiam patiuntur & peccandi neceſſitatem, neceſſe eſt enim vt peccet, qui neſciendo quid facere debeat, quod non debet facere facit*, ergo iam ex Auguſt. no non obſtat ignorātiæ inuincibili, vt non excuſet à peccato, hoc quod eſt inducere neceſſitatem inſuperabilem ſeu non ſubiacere libertati voluntatis, vt nos oponimus; nec valet reſpondere ibi eſſe ſermonem primo de peccato originali, quod vtique ſine noſtra propria liberrate ac voluntate contrahitur, ſecundo de actibus proprijs vtique ex obiecto prauis & ideo late peccatis, non tamen peccatis proprie ob deffectum libertatis ac voluntatis. non valet inquam quia Auguſtinus ſe loqui de peccatis ſtricte indicat infra folio 156. dicens, *de quo genere malorum Deus rogatur, vbi dicitur delicta Iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris Domine, quod genus delictorum ſi non imputaret Deus iuſtus, non ea ſibi dimitti poſceret homo fidelis. vnde dicit & Dei famulus Iob ſignaſti peccata mea in ſaculo & annotaſti ſi quid inuitus commiſi*, quem locum ad propoſitum in adnotationibus in Iob cap. 4. ſic legit & exponit, *inuitus erraui, inuitum autem errare pœna peccati eſt*, & hinc libr. 1. operis imperfecti folio 157. huiuſmodi *peccatis de ignorantiæ neceſſitate venientibus plenum eſſe genus humanum* ſubiungit.

Octauo quia eodem lib. 1. operis inperfecti folio 159. cum Iulianus iterum contra Auguſtinum veluti Triunfans in deſtructione originalis peccati ob defectum libertatis ac voluntatis concluderet, *totum ergo figmentum neceſſitatis euanuit, ac per hoc nullum eſt de conditione naturæ peccatum, ſed liberum arbitrium in natura hominis perſeuerat*, reſpondet iterum Auguſtinus explicando neceſſitatem originalis peccati ex neceſſitate peccandi, quæ ſtat etiam cum actuali peccato dicens, *neceſſe eſt vt pecet à quo ignoratur iuſtitia; nunquid ideo cum iuſtitiam cognouerit non ſunt ei remitenda peccata, quæ igno-*

rantiæ

rantia neceſſitate commiſit? non eſt igitur impunitatis ſecuritas in neceſſitate peccandi, ſed vt non abſit iſta neceſſitas donat ille, cui dicitur de neceſſitatibus meis erue me Domine, ergo iam non obſtante neceſſitate ſeu inuoluntarietate in ignorantia inuincibili adhuc opera praua facta ex ipſa vere peccata erunt.

Nono quia lib. 1. operis imperfecti folio 41. poſtquam diſtinxit tria genera peccatorum, primum, quod ſolum peccatum eſt, & non peccati alterius pœna, vt originale in Adam, ſecundum, quod pure pœna peccati eſt, & non peccatum, vt defectus etiam corporales, quos iuſti quoque modo ex originali patiuntur, tertium demum, quod ſimul eſt peccatum & pœna alterius originalis peccati, vt noſtrum originale contractum in nobis, inde concludit ſic, *ad hoc tertium genus pertinent etiam omnia, quæ per ignorantiam quando aguntur mala non putantur mala vel etiam putantur bona, cæcitas enim cordis ſi peccatum non eſſet iniuſte argueretur*, ergo idem quod prius.

Decimo quia hinc lib. 1. operis imperfecti folio 37. & lib. 1. retractationum cap. 13. Iuliano oponenti ſibi ſuam doctrinam ex libr. de duabus animabus cap. 11. *ſcil. peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi, quod iuſtitia vetat & vnde liberum eſt abſtinere*, reſpondet Auguſtinus, *hic peccatum definitum eſt, quod tantummodo peccatum eſt, non quod etiam pœna peccati eſt, de hoc quippe agendum fuit quando mali origo querebatur, quale comiſſum eſt à primo homine ante omnes homines malum*, ergo ad peccatum, quod ſimul eſt pœna peccati, non requiritur ex Auguſtino voluntas vel libertas cauendi ipſum, ergo ſine iſta etiam opera mala facta ex ignorantia inuincibili poterunt eſſe ſimul peccata & pœna peccati ſcil. originalis.

Vndecimo quia Auguſtinus in ipſo eodem lib. 3. de libero arbitrio ca. 18. poſt quam dixerat, *quis peccat in eo, quod nullo modo caueri poteſt?* quod eſt potiſſimum noſtrum fundamentum, ſtatim excipere videtur opera facta in hoc ſtatu lapſo, ad differentiam ſtatus integri, ex ignorantia inuencibili dicens, *& tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda iudicantur, ſicut in diuinis authoritatibus legimus, ait enim apoſtolus miſericordiam conſecutus ſum quia ignorans feci, ait & Propheta, delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris, ſed hæc omnia hominum ſunt ex illa mortis damnatione venientium; nam ſi non ſit iſta pœna hominis ſed natura, nulla iſta peccata ſunt, ſi autem bonus homo eſſet, aliter eſſet &c. nunc autem quia ita eſt ſcil. cum ignorantia non eſt bonus, nec habet in poteſtate vt bonus ſit ſiue non videndo qualis eſſe debeat, ſiue videndo, & non valendo eſſe, qualem eſſe debere ſe videt &c. ſed approbare falſa pro veris, vt erret inuitus non eſt natura inſtituti hominis ſed pœna damnati; cum autem de libera poteſtate recte faciendi loquimur de illa ſcilicet, in qua homo factus eſt, loquimur*, ergo iam per Auguſtinum in hoc præſens ſtatus lapſus à ſtatu integro differt, quod ibi vtique ignorantia inuincibilis etiam legis naturalis, ſi data fuiſſet, merito excuſaſet à peccato, hic vero adhuc à peccato non excuſat, cum ſit pœna alterius peccati ſcil. originalis.

Duodecimo quia Auguſtinus ſermone 4 de verbis apoſtoli cap. 5. in hoc diſtinguit hominem peccantem ante legem ſcriptam dictantem illud naturæ præ-

ræ præceptum *non concupiſces*, ab homine peccante poſt doctrinam legis, *quod capit eſſe non ſolum peccator ſed etiam præuaricator: peccator enim & antea erat, ſed antequam legem audiret peccatorem ſe eſſe neſciebat*, & ca. 6. concludit, *ſi damnandus erat peccator, quam ſpem habet præuaricator?* & lib. 1. ad Bonifacium cap. 9. explicans illa verba Apoſtoli, *ſine lege peccatum mortuum eſt*, inquit, *non intelligamus tamquam non ſit, latet non apparet, penitus ignoratur tamquam in neſcio quibus ignorantiæ tenebris ſit ſepultum*, & idem habet lib. 83. qu. 66. ſerm. 49. de tempore cap. 2. lib. de Continentia cap. 3. in Enchiridion cap. 81. & in li. expoſitionis quarumdam propoſitionum epiſt. ad Romanos nu. 38. & Fulgentius lib. de Incarn. & gratia c. 18.

Tertio decimo quia adhoc vt in Adam ignorantia inuincibilis etiam huius præcepti naturalis poſt primum peccatum à nouo peccato non excuſaret, ſatis erat eam fuiſſe ipſi voluntariam in ſuo primo peccato, ergo pariter in nobis modo ſufficit eadem voluntarietas in primo originali peccato ad hoc, vt à nouis peccatis nos non excuſet; antecedens probatur ex Aug. in Euchiridion c. 24. ideo dicente de primis parentibus poſt primum peccatum, *quod etiam nolentibus ſubintrauit ignorantia rerum agendarum & concupiſcentia noxiarum, quibus comites ſubinferuntur error & dolor*, conſequentia vero à Ianſenio probatur, *quia vt meliores Adam gigneret quam ipſe eſſet, non erat æquitatis*, ergo: vnde Auguſtinus tractatu 44. in Ioannem aiebat, *peccante primo homine vitium pro natura inoleuit, ſi vitium pro natura inoleuit ſecundum mentem omnis homo cæcus natus eſt*, ommitto plura alia argumenta Vuendrochij, quæ iam video præoccupata & ſoluta doctiſſime in noſtro magiſtro Gonet ad hoc propoſitum de probabilitate art. vlt.

In oppoſitum tamen eſt expreſſiſſima diſtinctio & doctrina eiuſdem Auguſtini epiſt. 105. ad Sixtum, vbi poſtquam dixerat, *humana ſuperbia numquam præſumens de viribus liberi arbitrij excuſatam ſe putat, quando ignorantiæ non voluntatis eſt quod peccat*, ſtatim duplicem diſtinguit ignorantiam alteram vincibilem ſeu voluntariam, alteram inuoluntariam ſeu inuincibilem, & ſubdit vtramque vtique imputari homini neque merito excuſari ſed illam vt culpam hanc vt pænam ſcilic. originalis, & inquit, *ac per hoc inexcuſabilis eſt vel ſorde originis vel additamento etiam propriæ voluntatis, ſiue qui nouit ſiue qui ignorat, quia & ipſa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt, in eis autem, qui non potuerunt, pæna peccati eſt, ergo in vtriſque non eſt iuſta excuſatio ſed iuſta damnatio.*

Reſpondeo quod ſi aliquãdo, (etiam ſi raro ac breui tempore durans), admittatur ignorantia inuincibilis alicuius præcepti etiam naturalis in eo, qui pro tunc eligit illud, quod facta morali diligentia probabilius eſſe videtur, adhuc hæc ignorantia inuincibilis, licet pæna peccati ſit, tamen ſic operantẽ eximit à peccato. ita inprimis verum probo ex Auguſtino (de cuius mente ab oppoſitis diſputatur) ſcil. lib. 6. contra Iulianum cap. 16. ſic in quolibet baptizato diſtinguente ignorãtiam ſaltem inuincibilem vt imputabilem ad pænam non ad culpam his verbis, *omni peccato caret non omni malo, quod plenius ita dicitur: omni reatu omnium malorum caret, non omnibus*

malis, nunquid caret ignorantiæ malo, per quod à neſcientibus innumerabilia perpetrantur mala? an paruum malum eſt, per quod homo non percipit quæ ſunt ſpiritus Dei? & infra, *non igitur caruerant tanto ignorantiæ malo in lauacro regenerationis, vbi tamen caruerant omnibus ſine dubitatione peccatis &c.* quomodo autem hæc mala, quæ vere peccata formaliter non ſunt, ſed pæna ſolum originalis peccati adhuc aliquando late dicantur peccata originatiue vel diſpoſitiue, explicat alibi idem Auguſtinus nempe lib. 3. de libero arbitrio cap. 10. dicens, *quod ignorans quiſque non recte facit, & quod recte volens facere non poteſt, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo ſcil. Adæ liberæ voluntatis originem ducunt: illud enim præcedens meruit iſta ſequentia,* ſicut & lingua dicitur non ſolum iſtrumentum oris, ſed etiam effectus eius lingua Latina vel Italica appellatur, vt ibidem proſequitur Auguſtinus & eandem applicat doctrinam ad ipſum fomitem remanentem in baptizatis poſt baptiſmum etiam Concilium Tridentinum ſect. 5. c. 5. dicens. *ideo concupiſcentiam etiam ab Apoſtolo peccatum nominari, quia & ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat,* loquendo autem de peccato ſtricte in eodem libro 3. de libero arbitrio cap. 19. pro nobis apertiſſime idem Auguſtinus ſic aſſerebat, *non tibi imputatur quod inuitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras etc. iſta tua propria peccata ſūt,* quæ verba refert iterum & approbat lib. de natura & gratia cap. 67. & vniformiter lib. de correptione & gratia cap. 3. *O Homo,* inquit, *in præceptione cognoſce quid debeas habere, in correptione tuo te vitio non habere,* ergo ex Auguſtino iam ſufficienter habetur intentum noſtrum repetitum etiam à Theodoreto apud S. Thomam in Catena in Lucam cap. 12. Bernardo Epiſt. 77. Griſoſtomo homilia 13. in Epiſtolam ad Romanos & alijs Patribus paſſim.

Secundo probatur ratione eiuſdem Auguſtini repetita etiam à S. Thoma qu. 7. de potentia art. 7. ad 3. quia nemo peccat in eo, quod vitare non poteſt, ſed homo eligens Probabiliorem poſt moralem diligentiam, & incurrens ignorantiam inuincibilem in tali ſtatu & hipotheſi eam vitare non poteſt, ergo in hoc caſu non peccat, maior, quæ ſola ab aduerſario negari poſſet de homine in hoc ſtatu lapſo, adhuc de hoc ſtatu loquendo eſt Anſelmi lib. *Cur Deus homo,* cap. 24. & eam explicat S. Thomas 3. contra Gentes cap. 159. & alijs omiſſis eſt verbaliter Auguſtini lib. de duabus Animabus cap. 11. adeo vt certam repetentis ipſam vt ſubdat, *non ne iſta cantant & in montibus paſtores, & in Theatris Poetæ, & indocti in circulis, & Docti in Bibliothecis, & in orbe terrarum Genus humanum?* eandemque propoſitionem iterum habet lib. de nat. & Gratia cap. 69. lib. de gratia & libero Arbitrio cap. 68. lib. 3. Hipognaſticon poſt medium, & lib. de perfectione Iuſtitiæ cap. 2. & 3. probans etiam à priori his verbis, *quod ſi neceſſitas eſt, peccatum non eſt, ſi voluntas eſt, vitari poteſt,* quod eſt dicere cum S. Thoma 1. 2. qu. 6. ar. 8. & qu. 68. ar. 1. omne peccatum debere eſſe voluntarium, quod autem vitari non poteſt, voluntarium non eſt, cum voluntarium à principio intrinſeco ſit, & conſequenter peccatum eſſe non poteſt: nec valet Iāſeniana diſtinctio ſcil. debere eſſe voluntarium ſaltem voluntate aliena inca-

Digitized by Google

in capite vt patet de originali, concedo, ſcilicet voluntate propria, nego. Contra enim replicat Auguſtinus lib. illo de duabus animabus cap. 11. quod dempto Originali omne aliud peccatum *nec peccatum nec recte factum imputari cuiquam iuſte poteſt, qui nihil fecerit propria voluntate*, & clarius hanc differentiam idem Auguſtinus expendit lib. 3. contra Iulianum cap. 5. & lib. 2. operis imperfecti folio 313. & lib. 6. iterum contra Iulianum cap. 4. & cum ipſo S. Thomas in 2. diſt. 30. qu. 1. ar. 2. ex profeſſo, ex quo etiam oppoſita propoſitio Michaelis Baij ſcil. *ad rationem, & definitionem peccati non pertinere voluntarium*, a Gregorio XIII. & Pio V. damnata eſt.

Tertio probatur ex ſimilitudine, qua vtebantur Auguſtinus li. de perfectione iuſtitiæ ca. 3. & Gregorius lib. 9. moralium cap. 33. nam ſi Rex imperaſſet militi, ne ſe ipſum in altam voraginem præcipitem daret, & tamen miles contra regis præceptum id faciens inde in fouea fractis cruribus iaceret, poſtmodum adueniens Rex & commiſeratus vulnerum plene culpam primæ tranſgreſſionis remitteret, ſed ſubinde nullo præſtito Auxilio prodeundi e fouea, præciperet ſub pæna mortis, vt è fouea egrederetur, profecto in hoc 2. præcepto Rex crudelior appareret, quam humanior in primæ tranſgreſſionis remiſſione appatuiſſet. Sed ita profecto in tua ſententia facit Deus cum homine lapſo in altiſſimam ignorantiæ foueam ex tranſgreſſione originali primi præcepti remiſſa tamen in baptiſmo, dum poſtea ſic impotenti præciperet Deus in hoc ſtatu adhuc ſub pœna mortis animæ ſemper attingere veritatem, ergo pariter in tua ſententia Deus Crudelis appareret, quod abſurdiſſimum eſt. Reſpondebis ex Vincentio Leni Regem non fore crudelem, ſi ſecundo præcepto putet ſatisfacere militem, dum ſaltem miles velit & cupiat poſſe egredi & obedire, & ſic pariter Clementiſſimus Deus eſt, dum pro ſecundo præcepto contentus eſt, ſibi ſatiſfieri ex parte noſtra, ſi noſtra voluntas clauda velit poſſe cognoſcere & obedire, ſeu poſtulare medicinam, vt videtur explicare hanc ſimilitudinem in eodem loco Aug. dicens, *vt cum ſe non poſſe perceperit medicinam requirat*, ſed contra hanc ſuperficialem reſponſionem inſto & interrogo, aut in hoc caſu iſte hoc cupit & vult per velleitatem naturalē, cui ſtatim preſto ſit gratia ſupernaturalis illuminans, aut per velleitatem naturalem, cui non preſto adſit prædicta Gratia, aut demum ſupponitur hoc velle per velleitatem ſupernaturalem ex gratia, ſi primum eſt aperta hæreſis Semipelagiana naturæ ſubnectens gratiam. Si ſecundum iam remanet in ignorantia inuincibili, & excuſatur ex morali ordinaria diligentia, vt nos in hoc propoſito ignorātiæ inuincibilis intendebamus; ſi autem tertium iam hypoteſis mutatur nō remanente ſcil. amplius inuincibilitate ignorantiæ, vt hic ſupponitur, vel imo non imputata eadem ad culpam, & alias in Ianſenij ſententia non ſupponente adhuc conanti adeſſe gratiam reſponſio iſta non ſequitur &c. & conſequenter ignorantia inuincibilis à culpa excuſans admittendā eſt.

Quarto quia pleraque Argumenta vel teſtimonia adducta à Ianſenio ad probandum ignorantiam inuincibilem iuris naturalis non excuſare, pleraq; procedunt etiam de ignorantia inuincibili iuris poſitiui. Sed de iſta non eſt

Hh 2 dicen-

dicendum non excuſare, ergo neque de illa, minor conc. a Ianſenio, maior vero probatur apertiſſime ex teſtimonio Aug. lib. de gratia & libero arbitrio cap. 3. vt adducitur in argumento 6. hic, vbi ſermo erat de ignorantia fidei ſeu legis Euangelij, & pariter lib. 3. de libero arbitrio c. 18. adducitur ignorantia Pauli extra legem Euangelicam & fidem, vt hic affertur in argumento vndecimo, & ſerm. 4. de verbis apoſtoli c. 5. Aug. loquebatur de ignorantia legis ſcriptæ, vt hic adducitur in argum. 12. & demum ſingula illa teſtimonia de ignorantia ad peccandum vt ſic, ſicut & propoſitiones Pellagianorum, vniuerſaliter loquebantur, ergo vera maior.

Quinto probatur, quia ſicut ignorantia inuincibilis iuris poſitiui V.G. fidei eſt inuolontaria, ita pariter inuolontaria eſt ignorantia inuincibilis iuris naturalis. Sed ex primo illa excuſat a noua culpa, vt fatetur Ianſenius lib. 2. citato c. 5. ex Aug. ergo pariter ex ſecundo excuſabit & iſta. Reſpondet Ianſenius c. 6. aſſignando triplicem diſparitatem; prima quia lex naturalis eſt debita naturæ hominis, at lex poſitiua non eſt ſic debita, cum ſit vel ſupernaturalis vel ſaltem pendens ex ſola libera voluntate Dei. Hinc ſuboritur ſecunda diſparitas, quod carentia cognitionis illius legis, cum nequeat competere naturæ ſecundum ſe, ſolum poteſt conuenire ex aliquo peccato conſequēter & ipſa vitioſa eſſe, ne peccata inde conſequentia vel licita ſint, vel in ipſum Deum refundantur, ſi iſta ignorantia iam ex defectu naturæ non eſſet neque ex peccato ſuperaddito naturæ conueniret; at vero carentia cognitionis iſtius ſecundæ poteſt ſine vllo peccato ex ſola voluntate Dei adeſſe & vitioſa non eſſe. Tertia demum diſparitas eſt, quod lex naturalis numquam ex peccato adeo deletur ac ignoratur quin *aliqua velut extrema lineamenta eiuſdem in anima remaneant*, vt loquebatur Auguſtinus, at vero iſta poteſt totaliter ignorari &c. & ideo illa non excuſat, bene iſta. Sed contra hoc ordine retrogredo incipiendo ab hac vltima diſparitate ſic facillime impugnatur, quia per hoc quod remaneat aliquid legis naturalis in omnibus, vel poteſt per præſentes, quas habet, vires ipſa natura ſuperare ignorantiam circa talia præcepta naturalia, vel non. ſi primum non ſiſtitur in hypotheſi de ignorantia inuincibili; ſi ſecundum nil iuuat adducta tertia diſparitas; ergo. contra ſecundam ſic vrgeo, quia hoc, quod eſt non poſſe aliquid nobis infligi niſi ex præcedenti peccato naturæ, facit ſolum illud eſſe debere pœnā, non vero ſemper requiritur eſſe nouā culpā, ſicut poſt hominem conditum immortalem mors inde inflicta de nouo infligi non poterat niſi ex præcedente peccato, & tamen mors erat pœna dumtaxat non vero culpa, ſicut & fomes &c. ergo dato etiam quod ignorantia iuris naturalis ſaltem poſt hominem conditum integrum nō poſſet infligi niſi ex ſuppoſitione peccati ſcil. originalis, hinc ſolum habetur eandem fore pœnam non culpam. Contra primā demum diſparitatem ſic replicatur, quia ſicut cognitio legis naturalis eſt debita naturæ ſecundum ſe abſolute, ita cognitio legis poſitiuæ etiam ſupernaturalis eſt debita homini ex ſuppoſitione ordinis eiuſdem in finem ſupernaturalem, & ſicut ex primo in homine modo datur inuincibilitas ignorantiæ legis naturalis ſolum ex ſuppoſitione peccati, ita pariter ex

ſola

ſola ſuppoſitione peccati modo datur inuincibilitas ignorantiæ legis poſitiuæ præcipue ſupernaturalis, cum vtrobique deſit gratia, qua dicta ignorantia, V. g. negatiua infidelitas ſuperetur, ſolum in pœnam peccati. Sed non obſtante hoc ſecundo debito &c. adhuc iſta ignorantia inuincibilis legis poſitiuæ excuſat, ergo pariter non obſtante primo debito adhuc ignorantia illa legis naturalis excuſabit.

Sexto idem Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 22. non ſolum noſtram hanc ſententiam edocuit ſed etiam exemplo pulcherrimo compobauit dicens, *Si nobis in eloquentia Beatitudo eſſet conſtituta, atque ita crimini duceretur cum peccatur in linguæ ſonis, quemadmodum peccatur in actibus vitæ*, en loquitur in hypotheſi, in qua eloquentia de iure naturæ eſſet, & ſubdit, *nullius vtique argueretur infantia, qui ab ea eſſet exorſus ad cognoſcendam eloquentiam, ſed planè damnaretur ſi quis voluntatis peruerſitate ad eam recidiſſet vel in ea permanſiſſet*, ergo ab exemplo vult dicere Auguſtinus quod mox antea præmiſerat à pari, *animæ deputari ad reatum non quod naturaliter neſcit, & naturaliter non poteſt, ſed quod ſcire non ſtuduit, & quod dignum facultati comparandæ ad rectè faciendum operam non dedit.*

Septimo non ommittet fortaſſe aliquis duplicem hic in Iāſenij principijs animaduertere incōſequentiam. Prima eſt, quia ſicuti ignorantia inuincibilis iuris naturalis ideo non excuſat etiam iuxta Vuendrochium, quia licet diligentia ordinaria nequeat ſuperari, poteſt tamen extraordinaria per gratiam illuminantem &c. ita pariter & ignorantia inuincibilis facti vel huiuſmodi extraordinaria diligentia per gratiam illuminantem ſuperari poſſet, ſed hoc non obſtante iſta excuſat per Ianſenium & Vuendrochium, ergo pariter & illa. ſecunda inconſequentia eſt, quia ſicut ignorantia adhuc facti vel iuris poſitiui eſt multoties inuolūtaria propria voluntate homini in hoc ſtatu lapſo, & ſolū volontaria voluntate in capite ſcil. Adam, ita & neceſſitas illa Ianſeniana ad peccādum in ſententia Ianſenij eſt eodem modo volūtaria. Sed hoc nō obſtāt iſta neceſſitas nō abſoluit à peccato in ſētēt. Ianſenij ex volūtarietate in capite, ergo eadē ratione nec illa adhuc ignorātia inuincibilis facti vel iuris poſitiui ab ſoluere adhuc iuxta hæc principia nō valeret.

Octauo tandem probatur, quia vbi non adeſt vrgens & inſolubile argumentum temeritate non caret abſcedere à communi conſenſu ſcholaſticorum. Sed in præſenti adeſt communis conſenſus ſcholaſticorum, vt legenti patebit, & fatetur Ianſenus aſpernatus eoſdem, neque alias adeſt inſolubile argumentum immo nec vrgens vt modo patebit, ergo &c.

Ad primum igitur multiplex hìc reſponſio ſe offert, prima eſt Pellagianos ſicuti negabant originale peccatum contrahi in nobis ita negaſſe ignorantiam inuincibilem ſubiacere peccato, adhuc vt pœnam peccati, vt aperte teſtatur Auguſtinus lib. de dono perſeuerantię ca. 11. dicens, *dicunt Pellagiani ignorantiam & difficultatem, ſiue quibus nullus homo naſcitur, primordia non ſupplicia eſſe naturæ*, nos autem cum Aug. admittimus pœnam eſſe peccati. Secunda reſponſio eſt illam propoſitionem ibi referri ex Cæleſtio, non ex Pellagio, & ideo bene poſſe intelligi de ignorantia inuoluntaria indirecte

licet

Digitized by Google

licet non directe, etiam ſi Pellagius adhuc ignorantiam voluntariam indirecte conceſſerit imputari ad culpam contra propoſitionem Celeſtij. Quod autem Pellagius non approbauerit illam propoſitionem in illo ſenſu, in quo ex Celeſtio referebatur & in quo damnata eſt, colligi poteſt ex eodem lib. Auguſtini de geſtis Pellagij cap. 19. vbi inducitur Pellagius negans ſua eſſe illa dicta ibi relata & concludens, *quæ dixi non eſſe mea ſecundum iudicium S. Eccleſiæ reprobo &c.* Tertia reſponſio eſt Pellagianos ne dum abſoluiſſe à peccato inuincibilem ignorantiam, verum etiam aſſeruiſſe illam eſſe bonam & perfectam, vt refert Auguſtinus lib. 3. contra Iulianum cap. 19. eundem Iulianum ex facto Abimelech concludentem, *ex hoc*, inquit, *intelligi debet perfectam ignorantiam iuſtitiam nominari*. Quarta reſponſio eſt Pellagianos eam vocaſſe ignorantiam inuincibilem; quæ à ſola natura ſuperari non poſſet, quidquid ſit de Auxilio gratiæ, quod illi inimici gratiæ admittere renuebant, nos autem cum Auguſtino non ſic. Quinta demum reſponſio eſt vtique illos Hereticos intellexiſſe de ignorantia inuoluntaria ſolum directe, indirecte autem voluntaria, & licet alibi aliquando conceſſerint iſtam ſubiacere peccato, hoc ſubdole dixerunt, vt ſuos obſcurarent errores ac tegerent, vt notat Auguſtinus de eodem Pellagio lib. de gratia Chriſti cap. 47. & lib. de peccato originali cap. 18. & lib. 4. contra Iulianum cap. 3. & demum ad propoſitum lib. de geſtis Pellagij cap. vlt. concludebat, *quomodolibet ea Celeſtius poſuerit, aut non poſuerit, vel Pellagius ſenſerit, aut non ſenſerit, tanta mala iam noua huius hæreſis illo Eccleſiaſtico Iuditio damnata gaudemus &c.*

Ad ſecundum iuxta primam reſponſionem mox ante datam facile eſt negare minorem, quia volens Hieronymus reſpondere Pellagianis, cur ex demerito originalis peccati aliquando in pœnam eiuſdem aliqui relinquantur mori in ignorantia inuincibili fidei & huiuſmodi, alij vero ex ſola miſericordia Dei ſaluentur, merito & optime cum Apoſtolo recurrit Hieronymus ad inſcrutabilia iudicia diuinæ voluntatis &c. Secundo dico quod adhuc loquendo de ignorantia voluntaria indirecte & culpabili, adhuc vt reſponderet Pellagianis interrogantibus, cur adhuc iſta in aliquibus ex ſpeciali gratia efficaci deleatur ne denuo delinquant, non vero in alijs, qui permittuntur in peccata ruere, cum tamen poſſent ex voluntarietate adhuc indirecta ignorantiæ non peccare, hinc optime quo ad hoc recurrit Hieronymus ad eadem iudicia inſcrutabilia Dei, vti recurrit etiam Aug. lib. 1. de ſpiritu & littera c. 34. & lib. de correptione & gratia c. 8.

Ad tertium bona eſt reſponſio data cum Magiſtro ſententiarum in 2. diſt. 22. ſic exponente idem Auguſtini teſtimonium; ad cuius impugnationem diſtinguo minorem, peccatum eſt facere cōtra legem mere obiectiue, & materialiter nego, etiam formaliter cum voluntarietate ac libertate in agente, Concedo, aliter & Bruta peccarent occidendo hominem, & huiuſmodi, ad ſecundā pariter impugnationem diſtinguo minorem, indicat etiam agentem ex ignorātia inuincibili agere *pernicioſè* taliē obiectiue & materialiter, concedo, etiam formaliter, nego, & nego conſequentiam, de qua diſtinctione

ne peccati obiectiue materialiter & peccati formaliter alibi diximus ex Auguſtino & S.Thoma 1. 2. qu. 21. ar. 2.

Ad quartum, nego ſequelam maioris, quia adhuc deberemus vitare quantum poſſumus *peccatum obiectiue malum &c.* tum quia adhuc iſta ſunt pœna peccati, quam cauere debemus, tum quia diſponunt ad peccata formaliter, non eſſe aurem iſta peccata formaliter, niſi ſimul cõcurrat noſtra voluntaria negligentia, decernit Aug. lib. 1. de peccatorum meritis c. vlt. dicens, *ſit vt per ignorantiam vel infirmitatem non exertis aduerſus concupiſcenti am totis viribus voluntatis ei ad illicita etiam nonnulla cedamus*, & per hoc patet ad quintum, in quo Auguſtinus Pellagianorum ſenſus præaddu&tos ad primum ſolummodo arguebat.

Ad ſextum diſtinguo antecedens, ita vt ignorantia fidei V. g. puniatur in inferno in radice ſua ſcil. originali peccato in Iis, in quibus hoc remiſſum non eſt per baptiſmum, concedo, ita vt ſine noua voluntarietate ipſa formaliter vt culpa puniatur, nego, de qua doctrina audi S. Thomam in Epiſt. ad Romanos cap. 11. lectione 3. dicentem, *illi qui loquentem Dominum per ſe vel per eius diſcipulos non audierunt, excuſationem habent de peccato infidelitatis, non tamen beneficium Dei conſequuntur, vt ſcil. iuſtificentur ab alijs peccatis, vel quæ naſcendo contraxerunt, vel male viuendo addiderunt, & pro his merito damnabuntur.*

Ad ſeptimum reſpondetur ibi Auguſtinum, vt deffendat ſimul ſtare originale peccatum in nobis cum neceſſitate contrahendi ipſum ſine noſtra propria voluntate, recurrere ad hoc, quod etiam aliquod peccatum actuale ſtat cum aliqua neceſſitate peccandi, ſed quo ad hoc ſecundum ibi ſermo eſt de peccatis venialibus, quæ omnia in hac vita ob effrenem concupiſcẽtiam ex originali relictam collectiue ſimul adeo vitare non poſſumus, vt in aliqua cadere neceſſe ſit, ſtante ſola libertate ad vitanda ſingula diuiſiue, non vero omnia collectiue, vt tradidit S. Thomas, 1. 2. qu. 109. art. 8. in corpore, & nos ibi cum alijs hanc difficultatem ex propoſito examinauimus quomodo hæc doctrina de neceſſitate venialium longe diſtet à Doctrina Ianſenij de neceſſitate ad aliquod mortale etiam diuiſiue.

Ad octauum ex eadem reſponſione iam patet, cum aperte ibi de venialibus ſermo ſit, & pro quanto de Actualibus etiam mortalibus loqui videtur tunc dicendum eſt aut loqui de peccatis mere obiectiue, cum quibus ſtat neceſſitas explicata, vt inde exponat peccatum originale ſtare cum neceſſitate contrahendi, & ſicut pro illis, cum ea poſtea recognoſcimus, oramus Deum, & nobis diſplicent, ita & pro iſto à fortiori indigemus gratia Dei &c. aut loquitur de ignorantia ſaltem voluntaria indirecte, in qua inuoluitur aliqua neceſſitas bene deſeruiens ad hoc, vt explicaretur pariter cum originali ſtare neceſſitatem.

Ad nonum dico tertium genus ibi vocari ſimul, *pœnam peccati & peccatum*, ad differentiam ſecundi pro quanto licet hoc tertium non ſit peccatum formaliter, eſt tamen obiectiue, & ad peccata formaliter diſponit, non ſic ſecundum genus, vt mors cæcitas corporalis cęteriq; corporis deffectus, &

huiuſ-

huiuſmodi. Secundo dico ibi ſermonem eſſe de ignorantia voluntaria indirecte, vnde poſtquam eam vocauit cęcitatem cordis ſubdit, *qui porro volens cæcus eſt corde, cum velit nemo cæcus eſſe vel corpore.*

Ad decimum reſpondetur vtique verum eſſe quod præter illam definitionē propriam ſolius peccati actualis datur & aliud peccatum, quod ita formaliter peccatum eſt, vt ſimul ſit pœna peccati, cui non competit illa definitio, nempe originale vt contractum in nobis neceſſario, quod & vere formaliter peccatum eſt, & pœna peccati Adæ, cui tamen originali noſtro non conuenit illa definitio peccati cum libertate, cum hoc neceſſario ſine libertate contrahatur, ſed ex hoc non fit eodem modo opera praua facta à nobis ex ignorantia inuincibili debere eſſe peccata actualia formaliter, ob differentiam magnam inter voluntarietatem propriā requiſitam ad actuale peccatum & voluntarietatem alienam in alio ſufficientem ad originale, ex S. Thoma in 2. diſt. 3. qu. 1. art. 2. immo ex Auguſtino lib. 3. contra Iulianum cap. 5. & lib. 2. operis imperfecti folio 316.

Ad vndecimum dico differentiam ibi traditam ab Auguſtino inter hominem integrum 1. conditum, & hominem modo lapſum ſolum intelligi quo ad hoc, quod in illo ignorantia inuincibilis neque potuiſſet eſſe peccatum formaliter, neque pœna peccati, in hoc vero licet pariter peccatum formaliter non ſit, eſt tamen vere pœna peccati, ex quo etiam late aliquando peccatum nuncupatur, vt ex Auguſtino in noſtra prima probatione adductum eſt.

Ad duodecimū dico quod ſi ibi ſermo eſt de peccato formaliter, tunc non eſt ſenſus ante legem peccatum proceſſiſſe ex ignorantia inuincibili legis naturalis, ſed ex vincibili vtique legis naturalis, quæ ignorantia poſtea vel coacte depulſa eſt, vel repræhenſa ex ſuperueniente lege ſcripta repetente etiam aliqua præcepta naturæ.

Ad tertium decimum tandem conceſſo antecedenti, negatur conſequētia quia voluntarietas originalis in Adam originans alia actualia in eodem, eſt voluntarietas ex voluntate propria, at in nobis ex voluntate aliena, & ideo in nobis ad differentiam Adæ licet hæc voluntarietas aliena ſufficiat pro contrahendo originali, non tamen pro imputatione peccati actualis, quod ideo perſonale nominatur. Ommitto ſingula hæc argumēta in aduerſarios retorqueri, eo quia loquūtur non ſolum de ignorantia iuris naturalis, vt Ianſenius intendebat, ſed etiam Iuris poſitiui, de quo concedit & ipſe ignorantiam inuincibilem excuſare. Ommitto, inquam, quia iam hæc diſputatio tum de probabilitate ſectę academicæ, tum de ignorātia inuincibili in eligente probabiliorem ſatis prolixe protracta eſt.

Finis Libri Secundi.

LIBER TERTIVS

IN SECTAM PARMENIDICAM ET MELISSEAM.

Omnia confundentem in vnum.

POST Academicam Sectam in vniuerſum dogmaticæ in modo ſciendi contrariam magis præ cęteris illa aduerſatur eidem, quæ communiora dogmata entis euertit, vti Parmenidica & Meliſſea abſque dubio ſe habet, entia nimirum omnia confundens in vnum. Ideo poſt illam de iſta tractandum eſt, & primo loco videndum circa Parmenidis placitum ac Meliſſi, an vere ſenſerint, vt Ariſtoteles referebat, ſingula entia realiter eſſe vnicum ens, & an admiſſo dumtaxat id de ſupremo vno ente ſenſiſſe, rationabiliter adhuc modum loquendi eorumdem Philoſophus impugnarit. Inde de conceptu entis & vnitatis in ente ſupremo dicendum, & poſtmodum in ſucceſſu libri ſubdenda & examinanda Parmenidica & Meliſſea Secta Chriſtianorum non minus, ac illi, vel confundens Deum cum creatura, vel creaturam cum Deo, vel accidens cum ſubſtantia & huiuſmodi, vt in progreſſu patebit.

QVÆSTIO PRIMA

De Placito Sectæ Parmenidicæ & Meliſſeæ Apud Ethnicos.

PLura autem, quæ de Meliſſo & Parmenide primo parauerąm circa vitæ cronologiam, cenſuram morum, eorumque ſectarios ac præceptores, Ommitto videnda breuius in Laertio, Pico, Pererio, & huiuſmodi, vt ad potiora, & noſtris nouatoribus propinquiora procedamus. Qua propter hic duo dumtaxat de communi vtrique Placito eorumdem præmittenda cenſui. Primo an Parmenides & Meliſſus vere ſenſerint, vt Ariſtoteles referebat. Secundo an ab hoc præſcindendo merito eos Ariſtoteles refutauerit.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Parmenides & Meliſſus verè ſenſerint, vt Ariſtoteles referebat, omnia eſſe vnum, vel Theologicè potius de vno ſupremo ente fuerint intelligendi.

VIdentur potius de vno duntaxat ſupremo ente Theologicè ſeu Methaphiſicè intelligendi, tum Beſſarioni in libro ſecundo contra Calumniatorem Platonis capite vltimo, tum Franciſco Patricio tom. 3. lib. 1. tum Pico lib. 6. examinis cap. 1. tum Eugubino lib. 3. de perenni Philoſoph. a cap. 6. tum Perrerio libr. 4. cap. 16. & alijs recentioribus iiſdem. Probat autem primo Beſſarion, quia Parmenides habuit pro præceptore Zenophanem cumque ſecutus eſt, vt probat Picus lib. 4. cap. 10. ex ſexto Empirico lib. 3. & Theodoreto lib. 2. ſed Zenophanes, vt inquit Theophraſtus, *nomine vnius & vniuerſi Deum appellauit, quod vnum ingenitum immobile, æternum dixit, quadam ratione finitum, & alia quadam ratione infinitum*, & idem omnino de eodem Zenophane referunt apud Beſſarionem Nicolaus Damaſcenus & Alexander Aphrodiſſeus præter Empiricum & Theodoretum relatos à Pico, ergo ſic pariter de Parmenide remanet intelligendum.

Secundo, idem inquit Picus, quia Simplicius in Commentarijs ad primum Phyſicorum, vbi Ariſtoteles hæc de Parmenide & Meliſſo referebat, ita ſcribit, *manifeſtat autem Plato admirans ita Parmenidem, quem redaguere videtur, & profundo natatore indigere dicens cogitationem ipſius*; & Ariſtoteles etiam profunditatem ipſius ſapientiæ ſubinnuere videtur, cum diceret, *Parmenides autem viſus aliquò reſpicere*. Sed hoc nihil aliud eſt, vt continuo idem Simplicius adiungit ibidem à Pico relatus, quam Parmenidem profunde de Deo vno & ſupremo ente in illis aliter obſcuris apud Phyſicos verbis Theologicè intellexiſſe, ſeu de ente intellectili, vt Simplicius loquebatur, ergo ita de facto intelligendum eſt.

Tertio reperit Picus lib. 6. cap. 1. quia Theodoretus refert Parmenidem quo ad vnitatem vniuerſi vel Dei cum Zenophane conueniſſe, & ab eodem in eo ſolumodo diſſenſiſſe, quod ille pro principio rerum ſolam terram poſuit, iſte verò addidit & ignem, vt retulit etiam Ariſtoteles ſecundo de Gen. cap. 3. & ſub alijs terminis calidi & frigidi repetit eodem primo Phyſicorum cap. 5. & 5. Met. ſed hæc ſaluari non poſſent ſi Parmenides voluiſſet eſſe omninò omnia vnum ens, & non potius de vnitate ſupremi entis intelligibilis intellexiſſet, ergo &c.

Quarto quia ita de facto eo ſimili modo, quo ſupra diximus etiam Platonem diſtinxiſſe Mundum intelligibilem & ſenſibilem, ita pariter & Parmenidem locutum fuiſſe iuxta eandem diſtinctionem habetur tum ex eo quod duos ipſe libros inſcripſit, vt atteſtantur Nicolaus Damaſcenus & Aphrodiſeus apud Beſſarionem, alterum *de veritate*, alterum *de opinatione*;

Digitized by Google

tione, ſeu alterum *de intellectili*, alterum *de opinabili* apud Picum & alios, vbi proportionatim & Meliſſus alterum inſcripſit *de ente*, alterum *de natura*; tum ex Phylopono apud Patricium ſic atteſtante, *de naturali elemento Parmenidem & Meliſſum non eſſe loquutos, de illo quod verè eſt*: tum tandem ex eodem Phylopono apud eundem Patricium vbi ſupra hinc omnia alter inuicem contraria teſtimonia componente his verbis, *Meliſſus igitur in ſcriptis ad veritatem vnum ens eſſe dicens, in ſcriptis ad opinionem duo dicit eſſe principia entium ignem & aquam, vt ſane in his quidem de Phyſicis loquens, quæ & opinabilia vocantur, in ſcriptis vero ad veritatem de intelligibilibus*, ergo verè in hoc ſenſu eorum dicta accipienda ſunt.

Quinto inquit Beſſarion, *quomodo de Parmenide*, cuius etiam nomine alter apud Platonem dialogus inſcriptus eſt, *exiſtimare potuit Ariſtoteles tam variam tamque multiplicem rerum formā ignoraſſe, aut ſaltem illud ſe duos pedes habere?* præterquamquod, inquit Patricius, & in relatione ſibi contradicit, dum primo de Elementis ca. 1. ſcribit, *nihil regenerari dicunt nec corrumpi entium*, & tamen poſtea primo Metaph. cap. 4. ſubdit, *Parmenides etiam inſtituens vniuerſi generationem*, ergo non Ariſtotelis relationi fidendum eſt, ſed cum veritate aſſerendum Parmenidem & Meliſſum ſapienter de vno ſupremo ente intellexiſſe.

Sexto nam & alia ab alijs de Parmenide & Meliſſo plura narrantur, quæ cum eorumdem principijs concordari non poſſunt, tum quia Seneca Epiſt. 89. ad Lucillum hæc verba ſcribit, *Parmenides ait ex his, quæ videntur, nihil eſſe in vniuerſum*, & tamen Parmenidem admiſiſſe eſſe vniuerſi compertum eſt, tum quia hoc vnum ens vniuerſi, quod ex Parmenide & Meliſſo referri ſolet, modo ex Parmenide dicitur ens vnum finitum, modo ex Meliſſo infinitum, vt in 1. Metaph. lect. 9. apud S. Th. videre eſt, & tamen in præſenti ſupponimus nos Parmenidem & Meliſſum inuicem conueniſſe in propoſito, ergo à pari de vnitate vnius entis in vniuerſo non mirum, ſi diuerſimode & incertiſſime ambo ab Ariſtotele referantur.

In oppoſitum tamen eſt quod minus inueriſimile eſt & incredibile Parmenidem, atque Meliſſum ita ſenſiſſe, quam Philoſophorum Principem Ariſtotelem à tex. 6. vſque ad 31. primi Phyſicorum adeo ſollicitum in impugnando illorum placito & diſoluendis etiam Sophyſticis obiectionibus eorumdem ſemper aerem verberaſſe, & hoſtem, in quem iacula figeret, confinxiſſe, ſed hoc plane conſequitur ſi Parmenidem atque Meliſſum ſolum de vno ſupremo ente interpretari velimus, ergo non de iſto ſed verè de rebus totius vniuerſi intellexiſſe dicendum eſt.

Reſpondeo vtique ita ſenſiſſe vt Ariſtoteles referebat. Nam de mente imprimis Ariſtotelis ne dum loquendi modum, verum & ſenſum eorumdem ſibi propoſuiſſe refellere conſtat ex eo, quod aliter ſaltem in Metaphyſicis Methaphyſicalem eorumdem ſenſum, ab aliquibus attributū ipſorum verbis, pro Metaphyſica veritate ſelegiſſet, ſed hoc non egit imo præcluſit è contra hoc effugium in 1. Methaph. lect. 9. apud S. Tho. ſic dicens, *neq; ipſos bene neq; ſecūdū naturā exiſtimaſſe*, ergo iuxta Ariſtotelis mentem

remanet aſſerendum ipſos intime ita ſenſiſſe. Quod etiam de eorundem mente probatur, nam probatio Parmenidis ex eo præcipue ſumebatur, *quod ens vt ens vnum eſt, quidquid autem præter ens eſt nihil eſt, non igitur datur niſi vnum ens*, ſed hæc ratio non ſolum de vno ſupremo ente, ſed etiam de ente quolibet vniuerſi procedit, licet ſophyſtice, vt Ariſtoteles obſeruabat, æquiuoce vtens vnius ac nomine entis, ergo vere Parmenides ne dum de vno ſupremo ente ſed etiam de cæteris vniuerſi entibus intendebat.

Tertio nam adeo à Parmenide vrgebatur hæc ratio, vt ipſi Plato & Zenocrates ſuccumbere viſi ſint, ille quidem in ſophyſta concedens, *præter ens dari non ens, quod tamen eſſet*, iſte vero apud eundem Platonem in Parmenide deductus ad hoc abſurdum, vt admiſſerit *lineas inſectiles*, vti de vtroque commemorat ad inſtitutum ipſe Philoſophus in 1. Phyſicorum tex. 30. ab illis verbis, *quidam autem vtriſque rationibus conceſſerunt*, ſed hoc non eſſet ſi ratio & aſſertio Parmenidis ſolum de vno ac ſupremo ente proceſſiſſet; de quo neque illi dubitauerunt: ergo non de vno ac ſupremo ente proceſſiſſe exiſtimandum eſt.

Quarto probatur explicando modum, quo ad veritatis ſpeciem, etiam ſi falſo, Parmenides ac inde Meliſſus omnia vnum ens eſſe dicere potuerunt. Nempe in ſententia preſertim aliquorum ex Philoſophis antiquorum Mundum ſupponente animatum, ita proportionate ſe habet anima Mundi ad entia ſingula vniuerſi vt partes eiuſdem, ſicut ſe habet anima rationalis in homine ad membra eiuſdem hominis, vti comparat etiam Philoſophus 8. Phyſic. tex. 17. & ex alijs proſequitur Lipſius li. 3. Phyſiologiæ diſſertatione 2. ſed anima rationalis in homine ita ſe habet, vt in ſingulis membris vnica numero & ſpecie forma ſit, cum ſola diuerſitate materiali quarumdam diſpoſitionum ex parte materiæ (vti & Carmelitæ Complutenſes in ſecundo de anima & alij apud eoſdem expoſuerunt) ergo & in iſta ſententia de anima Mundi, quam Deum nominabant, in ſingulis entibus vniuerſi apud ipſos vnica ſpecie & numero forma erat, adiuncta dumtaxat materiali quarundam ſenſibilium ſeu opinabilium (vt illi loquebantur) diſpoſitionum diuerſitate ex parte materiæ primæ, quam & illi nō ens, ſcil. actu, nominabant. Audi nunc erudite Lector an ego de Parmenide ac Meliſſo ſomniantium more confingam, vel potius illi hac ipſa eadem ſimilitudine vſi ſint apud Ariſtotelem in 4. Methaph. tex. 21. dicentem, *Parmenides autem enunciat eodem modo, vt enim quicunque habuerunt membrorum complexionem multæ flexionis, & hominibus intellectus eſt. Idem enim eſt quod quidem ſapit natura membrorum hominis & omnibus & omni*, vbi S.Th. lec. 12. *inquit, quod idem eſt quod eſt in omnibus ideſt ſingulis partibus vniuerſi, & quod eſt in omni ideſt in toto vniuerſo. Sed tamen aliter nominatur in toto vniuerſo, & in ſingulis partibus vniuerſi, & etiam in homine: & hoc in toto vniuerſo dicitur Deus, in ſingulis autem partibus vniuerſi dicitur natura, in homine demum dicitur intellectus*, quid oportunius? imo quid vniformius illis, quæ de Parmenide & ſimilibus cæteri retulerunt? nempe & Cicero in primo de natura Deorum, *Parmenides*, inquit, *commenticium quiddam coronæ ſimilitudine ef-*

fectum

fectum Stefanem appellat, continentem ardore lucis orbem, qui cingit Cælum, quem & Deum appellauit, ſic iterum Ariſtoteles in 1. Methaph. lect. 9. apud S. Thomam, *ad totum*, inquit, *Cælum reſpiciens ipſum vnum dicit eſſe Deum*, ſic omnino ſimile Caldeorum aſſertum retulit Philo lib. 1. diſertatione 7. & alios adiungit eruditiſſime Lipſius lib. 2. Phyſiologiæ diſert. 10. & lib. 1. diſert. 7. & 8. ex Poſidonio apud Stobeum ex Zenone apud Laertium & ex Stoicis vniuerſim & alijs ponentibus Deum animam Mundi eſſe, de quo nos fuſius in lib. 7. aduerſus ſectam Platonicam & Pythagoricam repetemus.

Quinto tandem relationem ſententiæ eiuſdem Parmenidis ac Meliſſi, quam legimus in Ariſtotele, ſic nos ex alijs poſſumus eodem modo referentibus comprobare; nam & Plutarchus in libro contra Colorem ex Parmenide refert, *vnum ens*, & Seneca epiſtola ad Lucillum. *Parmenidi nihil eſſe præter vnum*, & Sextus Empiricus in li. aduerſus Mathematicos idem de Nauſiphane atteſtatur, *Nauſiphanis* inquit, *dogma erat vniuerſitatem eſſe vnum*, & de Pythagoricis addit, *eorum, quæ per ſe intelliguntur genus conſtituū vnum*, & Plato in Theeteto, *omnia ergo vnum*, & in ſophyſta, *eleatica, Parmenides enim eleates fuit, apud nos doctrina à Zenophane immo & Antiquioribus originem ducens omnia, quæ eſſe dicuntur, vt vnum ponit*, & demum de Zenophane præceptore Parmenidis, ſi Eugubino credimus lib. 3. cap. 6. ſic ſcribit Cicero in Academicis, *Zenophanes paulo etiam quam Anaxagoras antiquior vnum eſſe omnia ait*, vt dixerat etiam Galenus in Hiſtoria Phyſica ſcil. *eum de omnibus ambigere hoc vno excepto, quod doceret omnia vnum eſſe*, vt refert Picus. Quid igitur inter tot teſtes de Ariſtotelis adhuc relatione circa Parmenidem dubitatur?

Ad primum igitur in primis Laertius ſufficere poteſt li. 9. in vita Parmenidis pro nobis occurrens his verbis (licet Parmenides Zenophanis auditor fuerit ſequutus tamen illum non eſt); ſed iterum illud Zenophanis dictum, vt in fine quartæ noſtræ probarionis vidimus, adhuc huic Parmenidis placito non aduerſatur, ſed congruit, vti mox etiam ex Cicerone patefactum eſt.

Ad ſecundum & de Platone retulimus quid enarrauerit circa Parmenidem & de Ariſtotele nemo dubitare pŏteſt, qui ideo ſolum *aliò* reſpexiſſe Parmenidem ſubiungebat, quia vt notat etiam S. Th. primo Methaph. lect. 9. ad illa verba, *Parmenides magis videns viſus eſt dicere*, vbi Meliſſus probare conabatur intentum de vno ente in vniuerſo ex parte materiæ, quam productioni entium aiebat aſſignari non poſſe, Parmenides aliunde probabat ex parte formæ tribuentis vnicum eſſe, propter quod & in primo Phyſicorum tex. 25. Ariſtoteles inquiebat, *Parmenidi idem cum Meliſſo modus rationum eſt, & ſi aliqui alij proprij ſunt*, vt iterum ibi lect. 6. S. Th. exponit. Ratione igitur formæ ſubſtantialis, quæ ſolo intellectu ad differentiam ſenſibilium agnoſci poteſt, Parmenides dicitur precipue ad intelligibilia reſpexiſſe, vbi materia ſaltem vt actuata per formam & mutationi, & ſenſui, & opinioni ſubiecta eſt.

Ad tertium negatur minor, quia nomine calidi formam vnicam, ſeu Mundi animam, quam & ignem & lucem nominabat, Parmenides intellexit, nomine

mine autem frigidi materiam primam, quam & aquam & tenebras, & non ens nuncupabat, vt ex integro animaduertit Ariſtoteles in primo Methaph. & S. Th. ibidem lect. 9. ad illa verba, *horum autem quod quidem eſt ſecundum ens calidum ordinat, alterum verò ſecundum non ens, ſcil. materiam*, & ego colligo etiam aperte ex his, quæ Patritius loco allegato de eodem Parmenide atque Meliſſo referebat, nempe

Huic quidem flammæ etheriæ ignis
Blandus valde rarus, Leuis, ſed vndique idem
Alteri vero non idem, ſed illud per ſe
Contraria nox & poſtmodum
Sed cum omnia lux, & nox nominantur
Vniuerſum plenum eſt, ſimul nocte & luce inuiſibili

Cum alias conſtet etiam Ægyptios imò & Platonem, vt Phycinus obſeruat, nomine noctis & tenebræ materiam primam intellixiſſe. Huc etiam tendunt, & clarius, alia Parmenidis carmina iterum in Beſſarione vbi ſupra relata, ſcilicet.

Principio duplicem ſtatuerunt dicere formam
Altera ſed minus eſt tali cognomine digna
Quod ſimulans verum fallit mortalia corda
Hic Flammam ethercam ſtatuunt raramque leuemque
Ipſa ſui ſimilis ſemperque ſibi vndique conſtat
Illic obſcuram aduerſantemque vndique noctem
Incomptam, Humentem, Gelidam denſamque grauemque.

Ad quartum admittimus iterum etiam Parmenidem illa diſtinctione vſum eſſe, ſcilicet Mundi intellectilis, & opinabilis, quatenus ad primum pertinet forma, materia ad ſecundum, vt cum S. Th. mox ante explicatum eſt ad illa Ariſtotelis verba in 1. Methaph. de Parmenide ita dicentis, *Coactus vero apparentia ſequi & quod vnum quidem ſecundum rationem, plura vero ſecundum ſenſum opinatus eſt*, poterat ne ſincerius Ariſtoteles Parmenidis Placitum enarrare? Cum quibus ſtat adhuc verè eſſentialiter in vna forma ſubſtantiali ſingula entia vniuerſi vnum eſſe tenaciſſime retinuiſſe.

Ad quintum iam in noſtra probatione quarta demonſtratum eſt, ex qua apparentia potuerint iidem hallucinari, & quomodo adhuc negata quoad formam ſubſtantialem productione de nouo in vniuerſo, illi potuerint penes diuerſas materiæ immutationes ad ſenſum admittere generationem, ex mox antea adducto Ariſtotelis teſtimonio componi poteſt, ne vt Patricius imponit, ſibi Ariſtoteles contradicat.

Ad ſextum quoad illa verba Parmenidis, quæ leguntur in Seneca, *ex his, quæ videntur, nihil eſſe in vniuerſum*, Lipſius ad illum Senecæ locum putat ex ſuo antiquo codice corrigendum & ex contextu legendum; *ex his, quæ videntur, vnum eſſe vniuerſa*; alij interpretantur Parmenidem illis verbis negaſſe, quod Plato aſſerebat etiam iſta ſenſibilia, quæ non entia à Platone dicebantur, & ſi non entia, adhuc eſſe, vti refertur ab Ariſtotele in 1. Phyſic. tex. 30. & in ſophyſta idem Parmenides legi poteſt toties repetens contra

Plato-

Platonem, *nullo modo eſſe, quæ non ſunt*. Tertio Mazzonius ſectione 1. de comparatione Ariſtotelis cum Platone ex Simplicio in primo Phyſicorum deducit eatenus hæc entia vniuerſi à Parmenide nihil vocata eſſe, quatenus modo ſunt modo non ſunt & ſuum eſſe cum non eſſe permiſcent. de quo Petterius lib. 4. cap. 15. per totum. Quarta tandem expoſitio facilima ex eodem textu Ariſtotelis in primo Phyſicorum colligi poteſt, ſcilicet negare valuiſſe Parmenidem contra Democritum & alios, in vniuerſo vlterius dari illud inane & Vacuum, quod nihil etiam & non ens à non paucis vocabatur. Quomodo tandem circa hoc vnicum ens Parmenides & Meliſſus fuerint concordes in re, licet finiti & infiniti nomine diuerſimode vſi ſint, quoad hoc acutiſſime exponit Picus lib. 6. cap. 1. ex doctrina S. Th. p. p. qu. 7. de infinitate priuatiua ex parte materiæ, & negatiua ex parte formæ, de qua prima Parmenides locutus eſt, dum hoc vnum ens finitum dixit, de ſecunda Meliſſus dum poſuit infinitum, vt ante Picum integre dixerat & S. Th. 1. Methaph. lect. 9. & proſequitur Beſſarion lib. 2. c. vlt. adhoc Parmenidis carmina citans, nimirum.

Quod ſi fine caret nequaquam dicimus eſſe
Siquid namque deeſt, opus eſt ens omne deeſſe

En excludit materiæ infinitatem, modo audias quo modo aſtruat infinitatem ex parte formæ.

Vnigenitum immotum immenſum ſine fine perenne

Zenophanes autem, cuius Parmenides diſcipulus fertur, vt loquitur Ariſtoteles in 1. Met. lect. 9. *nihil explanauit ſeu dilucide dixit* id eſt ſubdit S. Th. *non explanauit, qua ratione & ipſe diceret omnia eſſe vnum nec ſumendo rationem aliquam ex parte materiæ, nec ex parte formæ*, Sed ad quid vltro laboro in reddenda aliqua veriſimilitudine, qua decipi antiquitus duo iſti Ethnici potuerunt, ſi eadem etiam aliqui è Catholicis decepti ſunt? *non deſunt enim* inquit Ariaga diſp. 3. Phyſicæ num. 43. & cum ipſo Cumptonius diſp. 3. Phyſicæ ſect. 1. *non deſunt, inquam, biſce temporibus neſcio an Philoſophi dicendi, vel deliri, qui iudicant in omnibus, excepto homine propter fidem, eandem numero formam ſubſtãtialem eſſe, & ſolas diſpoſitiones accidentales noſcunt diuerſas*, quid abſurduis? non ne & hæc Manichæorum deliria fuere, quæ vel leuiter a ſe inſinuata retractat Auguſtinus lib. 1. retractionum capit. 15.? non ne demum ex his abunde clareſcit haud mirum eſſe, ſi ita, vt Ariſtoteles referebat, Parmenides & Meliſſus in eodem propoſito errauerunt?

AR-

ARTICVLVS II.

An gratis admiſſo Parmenidem & Meliſſum de vno ſupremo ente Methaphyſicè intellexiſſe, Ariſtoteles adhuc impugnans verba eorumdem culpandus ſit.

VIdetur quod ſic inter cæteros præadductos Pico præſertim lib. 6. ca. 1. Siquidem & Ariſtoteles in eodem 1. Phyſicorum tex. 6. prænotauit Parmenidem & Meliſſum eſſe ſeparandos à Phyſicis dicens, *neceſſe autem eſt aut vnum eſſe principium aut plura, & ſi vnum, aut immobile ſicut dicunt Parmenides & Meliſſus, aut mobile, ſicut Phyſici*, vt repetit etiam clarius in 3. de Cælo tex. 2. ergo & ipſe Philoſophus ſufficienter agnouit modum loquendi ipſorum non Phyſicè, ſed Methaphyſicè, fore intelligendum, & conſequenter in Phyſicis adhuc eorumdem Placitum perperam impugnanit.

Secundo quia aliter eodem modo carpi potuiſſet modus loquendi tum ipſius Ariſtotelis in 8. Phyſicorum probantis ex propoſito, eſſe vnum principium primum motus, tum Homeri in carmine laudato ab eodem Ariſtotele in 12. Methaphyſicorum Concludentis, *vnus ergo princeps*, ſed hoc eſſe dicendum à Peripateticis nō admittitur, ergo neque admittendum eſt Ariſtotelem carpere debuiſſe modum loquendi Parmenidis & Meliſſi, veluti præbentem cæteris occaſionem errandi, ſicut mox ſupra eundem Ariſtotelem in iſta hypotheſi deffendebamus cum Beſſarione lib. 2. cap. 10.

Tertio quia ad minus aduertere debuiſſet, quod de cæteris Poetis Theologizantibus obſeruabat in duodecimo Methaph. & alibi, nempe Parmenidem ex vſu Carminum & translatione verborum etiam fabularum inuolucris vſum eſſe, quod animaduerterat & in ſophyſta Plato poſt enarratam Parmenidis & Zenophanis opinionem ſubdens, *fabuloſe diſſeruiſſe*, ſed hoc non fecit Ariſtoteles, ergo defeciſſe Ariſtotelem iterum dicendum eſt.

In oppoſitum tamen eſt, quod eodem modo tot alij præter Ariſtotelem culpandi eſſent, qui ſimili omnino modo vt abſurdam Parmenidis opinionem retulerunt, ſed hoc de illis neque ab aduerſarijs dici ſolet, ergo neque de iſto ab eiſdem, ſcilicet de Ariſtotele, dicendum eſt.

Reſpondeo data adhuc & non conceſſa prædicta intima veluti Parmenidis ac Meliſſi interpretatione merito Ariſtotelem impugnaſſe extimum eorumdem verborum ſonum, ne cæteris errorum occaſio præberetur.

In primis etenim idem Parmenides laceſſiuerat Ariſtotelem apud Platonem in Dialogo inſcripto *Parmenides*, de hac ipſa materia ſic dicens *quis igitur mihi reſpondebit, an iunior?* & cætera, cui Ariſtoteles ibidem inducitur à Platone ſubiungens, *paratus ſum ò Parmenides, Ariſtoteles inquit, me namque ſignificas dum iuniorem reſpondere iubes &c.* ergo Ariſtoteles iam à Parmenide laceſſitus, & veluti ab ætate contemptus, non tenebatur ita Parmenidi præcipue ſuffragari, vt etiam incongrua eiuſdem verba æquiuoca-

ac li-

ac fabuloſa in ſenſum optimum detorqueret.

Secundo nam ſi vellemus Antiquorum verba deflectere in obſtruſiores aliquos ſenſus ſignificabiles obſcure ab eiſdem, nulla inter ipſorum placita diſſenſio remaneret, vti de facto hinc componere eoſdem conati ſunt & Simplicius, & denuo Mazzonius integro tomo impræſſo Bononiæ, dum iuuenis eſſet. Sed hoc cæteris abſurdum eſſe videtur, vt integro capite libri quarti de rerum principijs Perrerius oſtendit, & tandem vidit & ipſe Mazzonius in altero poſteriori tomo impręſſo Venetijs de comparatione Ariſtotelis cum Platone in initio confeſſus priorem illum conatum potius ex iuventutis ardore proceſſiſſe, ergo neque Ariſtoteles verba Parmenidis tenebatur in ſenſus obſcuriores ſignificabiles ab eiſdem deflectere, nec debebat.

Tertio nam aliud eſt dicere vnum eſſe principium vniuerſi, & aliud vnum eſſe ens, ſeu omnia vnum ens eſſe. Sed primum dixit Homerus relatus ab Ariſtotele, & laudatus in duodecimo Met. ſecũdum vero dixere Parmenides atque Meliſſus, vt verba relata ſunt, ergo licet de illo non tamen de iſtis neceſſarium fuit verba in Theologicum aut Methaphoricum ſenſum interprætari.

Quarto, nam peius eſt aliorum verba confingere, quam obſcuriora cæterorum verba non velle humaniter interprætari, ſed non obſtante primo non repræhenditur Plato, qui in Dialogis aliorum verba confinxit, *vt referunt*, inquit Athenęus lib. 11. *Gorgiam cum Platonis Dialogos legiſſet, ijs dixiſſe, qui aderant, nihil huiuſmodi ſe vel audiuiſſe à Platone, vel apud Platonem locutum fuiſſe; & eadem etiam Phedonem dixiſſe memorant*, ergo à fortiori non obſtante ſecundo Ariſtoteles inde non eſſet culpandus ab aliquo, quod æquiuoca cęterorum verba non fuiſſet humaniter interprætatus.

Ad primũ igitur enodatio ex eodem cõtextu colligi poteſt, & iterum ex S. Thom. in primo Met. lect. 9. *ſcil. dici ab Ariſtotele non naturaliter ſeu Phyſice fuiſſe locutos, quia motum rebus ſubtrahebant, qui in naturalibus ſupponi debebat*, non vero eo quod Methaphyſicè vel Theologice, vt Aduerſarij ſupponunt, eos Ariſtoteles loqui exiſtimaret.

Ad ſecundum negatur maior, vt in 3. noſtra probatione diſparitas præmiſſa eſt, & rurſus ex prima ratione Ariſtotelem adhoc ſpeciale obſtrictum Parmenidi non fuiſſe deduceretur.

Ad tertium occurrit ipſe Ariſtoteles edens veluti apologiam pro ſeipſo de impugnato quorundam etiam loquendi modo, in initio libri 13. Met. ſic vtique ſapientibus hoc præſtandum eſſe ſubnectens, *vt ſi quid non bene dixerunt non eiſdem rei videamur*, cum tamen in primo Met. prænuntiaſſet, *quod & fabularum amator Philoſophus aliquatiter eſt, fabula namque ex miris conſtituitur, vnde ſi ad ignorantiam effugiendam Poetæ Philoſophati ſunt, palam quod propter ſcire, & cætera*, & infra lepidiſſime ſubiungebat, *obſcure tamen, & non manifeſte, ſed qualiter in bellis inerudití faciunt. Illi enim circũ ducti ſæpe bonas plagas faciunt, at nec illi ex ſciẽtia, nec iſti vſi vti ſunt ſcientibus dicere quod dicunt*, Patet igitur ex eodem Ariſtotele etiam ratio, cur

adhuc Parmenidis loquendi modum iuſtiſſime Ariſtoteles impugnarit.

QVÆSTIO II.

De Vno, circa quod, vt aliqui volunt, Theologicè ſecta Parmenidica & ſucceſſiue Platonica verſabatur.

SPeculandum inquiebat Ariſtoteles in 13. Met. tex. 1. *vt ſi quid non bene dixerunt, non eijdem rei ſimus, & ſi quid conſequenti dogma nobis & illis hoc ſeparatum, ſeu ſeparandum.* Ita & nobis hic apposite ſeparandum eſt, quod ex Parmenidis & Meliſſi Placito ſaltem iuxta quorumdam ſenſum Theologice aut Methaphyſicè verum educi poteſt, vt quod in Deo ſupremum & primum omnium predicatum vnitas ſit, vti adhoc præſertim inſtitutum Parmenidem reſpexiſſe contendit Eugubinus libr. 3. cap. 5. & 6. & Plato pariter in Sophyſta præcipue proſequtus eſt adiungens etiam, ita eſſentialiter prædicatum vnius Deo intimum eſſe, vt neque entis prædicatum eidem competere ita proprie concedatur. Tria igitur ad hanc methodum ſecernemus. Primum an prædicatum vnitatis in Deo quolibet etiam entis prædicato ſuperius, & prius ſit. Secundo an inde in aliquo vero ſenſu admitti poſſit, *Deum proprie ens non eſſe, ſed ſuper ens*, vt Plato dicebat. Tertio an his firmatis in aliquo vero ſenſu permitti poſſit vt vera ea propoſitio, *ſcil; alius Deus eſt poſſibilis*, quæ a quibuſdam Catholicis noſtris temporibus publice defenſata eſt.

ARTICVLVS PRIMVS.

An vnum in Deo ſit prius ente, vel è contra.

VIdetur ex vna parte vnum eſſe quid virtualiter prius in Deo quam ens.

Primo quia iuxta Platonem in ſophyſta & Parmenide, *vnum eſt ſuper ens*, vt repetit etiam Plotinus Æneade quinta & proſequitur Phycinus ibidem libr. 3. cap. 3. ambo vtentes iſta ratione, quia vnitas etiam in numeris eſt prior binario, qui primus numerus eſt, ſed eus importat binarium ex eſſentit & eſſe, igitur vnitas prior erit etiam ipſomet ente.

Secundo quia ex Dyoniſio, quem profecto refutare non expedit, in cap. 3. de Diuinis nominibus, inter nomina Dei ponitur *prius bonum quam ens*, ergo ratio entis in Deo non eſt prior quocunque alio prædicato, ergo neque neceſſe eſt eſſe prius vno.

Tertio poteſt hoc piæ ſuppoſitum Parmenidis & Platonicorum aliunde probari, quia in tantum Deus eſt ipſum eſſe per eſſentiam, in quantum in ipſo eſſentia & eſſe vnum & idem ſunt, ſed hoc eſt vnitatem ipſam & conſequenter vnum vt quid prius natura præcedere, ergo de facto vnitas vel vnum in Deo vt quid prius natura præcedit.

Quarto

Quarto quia in probabiliori etiam multorum Thomiſtarum ſententia propria differentia veluti conſtitutiua Deitatis eſt ipſum intelligere vt ſic, ſed intelligere vt ſic nil aliud eſt, quam intellectum fieri vnum cum re intellecta, imo magis vnum, quam ex materia & forma, vt ex Auerroe profundiſſime explicat Caietanus p. p. qu. 14. art. 1. ergo iam vnitas ipſa erit differentia propria veluti radicalis conſtitutiua Deitatis, ergo vnum & non ens erit ratio virtualiter ſecundum ſe prior in Deo.

Quinto quia ex ipſomet S. Thoma p. p. qu. 3. art. 5. *Deo nihil eſt prius, neque ſecundum rem, neq; ſecundum intellectum, & conſequenter neque ens*, ſed Deus eſt ipſa vnitas, vt præuiderunt etiam antiqui relati ab Eugubino libr. 3. ca. 5. vt Parmenides & præter Parmenidem Trimegiſtus dicens, *omnium rerum radix & principium vnitas*, & Damaſius Platonicus *vnitas*, inquit, *omnia producit*, & demum ſinguli Pythagorici inde dicentes, *omnia conſtitui ſecundum numeros*, vt in 12. Methaph. Ariſtoteles referebat, ergo iam neque ens in Deo poteſt eſſe quid prius virtualiter vnitate.

In oppoſitum autem ex alia parte videtur ratio entis eſſe prædicatum virtualiter primum in Deo conſequenter antecedens & vnitatem. Nam vt diſcurrit S. Th. in primo diſt. 8. qu. 1. ar. 3. *ſecundum Dionyſium Diuina attributa non innoteſcunt nobis niſi ex eorum participationibus, quibus à creaturis participantur. Sed inter omnes alias participationes eſſe prius eſt, vt dicit ipſemet Dionyſius 5. cap. de Diuinis nominibus, cui etiam dictum Philoſophi conſonat in lib. de Cauſis, quod ſcilicet prima rerum creatarum eſt eſſe, ergo ipſum eſſe erit ante alia attributa necnon alia nomina Dei.*

Secundo inquit ibidem S. Th. *illud, quod eſt vltimum in reſolutione, eſt primum in eſſe, ſed ens eſt vltimum in reſolutione intellectus, quia remotis omnibus alijs vltimo remanet ens, ergo ens eſt naturaliter primum.*

Tertio vt proſequitur idem S. Th. ad eundem finem prima parte quæſt. 5. art. 2. *ratio ſignificata per nomen eſt id, quod concipit intellectus de re, & ſignificat illud per nomen: ergo illud eſt prius ſecundum rationem, quod prius cadit in conceptione intellectus, ſed id quod cadit primo in conceptione intellectus eſt ens, cum vnum quodque ſit cognoſcibile in quantum ſit ens*, & ideo ens ſit obiectum proprium intellectus, ſicut ſonus in quantum obiectum proprium auditus primum audibile eſt: ergo ens ſecundum rationem inter cætera primum erit.

Quarto, vt late diſcurrit & noſter Maſius lib. 2. de tranſcendentibus ca. 19. quia vnumquodque ſubiectum vt ſic eo modo, quo ſubiectum, eſt prius aliquo modo qualibet ſua proprietate conſequente ad ipſum, ſed ens eſt ſubiectum ad vnum verum ac bonum, veluti proprietates tranſcendentaliter conſequentes ad ipſum, ergo ens prout ſic erit prius eiſdem proprietatibus & conſequenter & vno, quod altera ex tribus proprietatibus tranſcendentibus eſt.

Reſpondet Picus Mirandulanus opuſculo de ente & vno cap. 9. & nos in propoſito cum ipſo decreuimus reſpondere, ſcil. aliud eſſe loqui de prioritate vel comparatione prædicatorum in Deo in eſſendo, ſeu vt in Deo ſunt

ſecundum ſe abſolutè, & aliud in cauſando ſeu vt in Deo concipitur habi- tudo cauſæ ad creaturas. Primo modo vtiq;verificatur peripatetica ſententia ſecūdo loco relata ordinans ſc.in Deo prius eſſe,inde vnū,poſtea verum poſtremo bonum, ſecundo autem modo Parmenidis & Platonicorum ſententia prior verificatur & totus ordo, inquit Picus,inuertitur. *Primo Deus vnus erit, quia prius in ſe intelligitur, quam intelligatur vt cauſa, ſecundo erit bonus, tertio verus, quarto ens. Nam cauſa quæ dicitur finis prior eſt ea, quæ eſt exemplaris, & exemplaris prior efficiente. Quare ſi bonum ad cauſam finalem, verum ad exemplarem, ens ad efficientem ſpectat, Deus, vt cauſa eſt, primo boni, tum veri, poſtremo entis rationem habebit*; hęc ille ſcilicet Senior non Iunior Picus, quem tamen miror non aduertiſſe valde ante ipſum eadem docuiſſe noſtrum Angelicum præceptorem, tum in p. p. quæſt. 5. art. 2. ad 1. tum in primo diſt. 8. qu. 1. art. 3. ad primum his verbis, *dicendum quod Dionyſius determinat de Diuinis nominibus ſecūdum quod important circa Deum habitudinē cauſæ, bonum autem, cum habeat rationem appetibilis, importat habitudinem cauſæ finalis, cuius cauſalitas prima &c. quia agens non agit niſi propter finem & ab agente materia mouetur ad formam: vnde dicitur quod finis eſt cauſa cauſarum, & ſic in cauſando bonum eſt prius quam ens, ſicut finis quam forma, & hac ratione inter nomina ſignificantia cauſalitatem Diuinam prius ponitur etiam bonum quam ens*. Hæc S.Tho. cuius doctrinæ potius quam Pici fidentes dicimus conſequenter & nos optime poſſe in præſenti Ariſtotelis dogma concordari Parmenidi ac Platoni eorumdemque ſequacibus aſſerendo, quod in eſſendo etiam in Deo ratio entis eſt prior quam vnum, vt peripatetici tenuerunt, in cauſando autem è contra poſt vnum, quod Deum veluti conſtruit in ratione cauſæ, primum eſt bonum, inde verum & ens, vt cum Parmenide Platonici voluerunt. Hæc eſt noſtra reſolutio, hoc noſtrum aſſertum, quod quam verum ſit non ſolum ex adducto teſtimonio S. Thom. iam conſtat, ſed etiam quoad ſingulas partes ſigillatim ex argumentis vtriuſque ſententiæ conuincitur, vnde quoad quatuor argumenta producta pro ſecunda Peripateticorum ſententia, quod etiam in Deo ens ſit prius quam vnum &c. iam patet probare dumtaxat, quod loquendo in linea eſſendi in Deo abſolutè ſecundum ſe vtique prius eſt ipſum eſſe per ſe ſubſiſtens, à quo entis nomen deriuatum eſt, inde cum nulla forma per ſe ſubſiſtens multiplicari queat, hoc ens ſtatim & vnum erit, & vtpote ſummum ens & conſequenter ſummum intelligibile & verum eſſe dicetur, & demum bonum, quia eſſe vt eſſe per ſe ſubſiſtens omnium perfectiones includit.

Ad primum autem ex argumentis pro Parmenide & Platone recitatis reſpondetur vt in ſimili omninò immo in eadem difficultate S. Thomas reſpondebat ſcil. illas auctoritates probare tantūmodo vnum vtique in linea cauſæ, ſicut bonum, eſſe prius quam ens, non vero in eſſendo abſolutè; & per hoc patet ad ſecundum, vti adductis locis eam Dioniſij auctoritatem contra ſe adductam S. Thom. exponebat.

Ad tertium (quod ſicut & ſubſequentia à nobis adiuncta vlterius proba-

re

ſe videntur etiam in eſſendo vnum eſſe prius quam ens) maior illa neganda eſt, cum immò ideo in Deo ſint vnum eſſentia & eſſe, quia Deus eſt ipſũ eſſe per ſe ſubſiſtens, conſequenter inde complectens in ſe ipſo omnem rationẽ entis ſeu perfectionem eſſendi, ex quo excluditur diſtinctio eſſentiæ ab eſſe, quæ diſtinctio imperfectio eſt, vti ab oppoſito in tantum in creatura non ſunt vnum & idem eſſentia & eſſe, in quantum quælibet creatura eſt ens per participaſſionem ab alio: ens ergo in ſingulis originalem rationem ac fundamentalem eſſe iam conſtat in eſſendo, vt loquebamur.

Ad quartum prætermiſſa maiori, de qua non pauci dubitant cum Caietano Ledeſma & alijs conſtituentibus potius Deum per ipſum eſſe per ſe ſubſiſtens, adhuc admiſſa omnimode illa ſententia oppoſita de conſtitutiuo Dei per intelligere, diſtinguenda eſt minor, *intelligere eſt intellectum fieri vnum cum re intellecta*, præſuppoſita tamen ratione entis intelligibilis, concedo: hac non præſuppoſita; nego: vnumquodque enim eſt intelligibile inquantum eſt ens, vt dicebat Auicenna in 9. Met. tex. 20. & conſequenter præcedere debet ipſa ratio entis, vt inferebat adhoc propoſitum S.Th. prima parte qu. 5. ar 2. in corpore.

Ad quintum prædiſtinguendum eſt, quod aliud eſt comparare prædicatum entis inuentum in Deo ad cætera prædicata eiuſdem Dei, & aliud comparare rationem abſtractam vt ſic ad Deum & creaturas; Primo modo etiamſi ens concretum Deo cæteris prius eſſe dicatur virtualiter ſecundum ſe, non ſequitur aliquid diſtinctum à Deo prius eſſe adhuc virtualiter eodem Deo, ſecundo autem modo vtique ſequeretur, ad quod euitandum ſubtiliſſime Caietanus p. p. qu. 5. art. 2. inquit, ens ſic abſtractum eſſe prius virtualiter ſecundum ſe qualibet alia ratione formali, quæ ita ſit ratio vt non ſit res, vti ſunt creaturarum prædicata, ratione autem formali, quæ ſimul eſt res ſubſiſtens, vt prædicata Diuina ſunt, non ſecundum ſe, ſed quoad nos ens dicitur eſſe prius abſtractione analogica ſecundum quid, quæ eſt ſuperioritas potius in prædicando, quam in eſſendo, vt alibi à nobis explicatum eſt ex Ariſtotele 5. Met. & S. Thoma opuſc. 2. cap. 1.

ARTICVLVS II.

An in aliquò vero ſenſu etiam Peripatetico Thomiſtico dici poſſit cum Platone Deum ita eſſe vnum, vt proprie non ſit ens ſed ſuper ens.

VIdebitur pleriſque quod non nedum ex illo Exodi 3. *ego ſum qui ſum* expenſo ad hoc propoſitum à Patribus apud Ledeſmam q. 1. de Perfectionibus Diuinis attribuentibus immò ſoli Deo proprie & ſimpliciter eſſe, ſed etiam ex ſubſequentibus impugnationibus contra gloſas, quas pro Platone ſubiungimus.

Primo contra primam gloſam, quam ſubiungemus, ſcilicet ens ſignificare eſſe diſtinctum ab eſſentia. Nam probabilius modo videtur, quod ideæ poſitæ à Platone eſſent in mente Diuina, in qua & à Theologis reponuntur,

tur, ſed ideas Plato ac Platonici adhuc entia nominabant, vt poteſt colligi ex Plotino & alijs, ergo iam aliqnid intra Deum à Platone & Platonicis ens eſſe dicebatur, ſed ſi apud ipſos ideo Deus non eſſet ens, quia ens importat eſſe diſtinctum ab eſſentia, iam hac ratione neque de aliquo intra Deum potuiſſet ens prædicari, ergo falſum eſt quod ideo apud Platonicos ens de Deo non prædicetur, quia ens ſignificat eſſe ab eſſentia diſtinctum.

Secundo contra ſecundam Gloſam pro Platone ſubdendam, ſcilicet ideo ens de Deo negari, quia concretum nomen eſt conſignificans quamdam participationem ab abſtracto. Nam etiam hoc nomen vnum concretum eſt ad differentiam huius nominis vnitatis, ſed hoc non obſtante vnum de Deo prædicabatur apud Platonem, qui ideo dicebat vnum eſſe prius ente, & ſuper ens, ergo pariter falſum quod apud Platonem & alios ideo ens de Deo non prædicetur, quia nomen ens concretum eſt.

Tertio contra tertiam recurrētem adhoc, quod de Deo cognoſcimus ſolum eſſe non vero eſſentiam ſeu quiditatem. Nam imò Athanaſius oratione contra Idola dicebat, *Deus, qui eſt ipſa eſſentia, nullis partibus coaleſcit, quapropter & eius ratio ipſum eſſe eſt*, vnde & S. Th. p.p. qu. 3. ar. 4. probat in Deo idem omninò eſſe ipſam eſſentiam & eſſe, ſed ex conceſſis iam hic in via prædicatur de Deo nomen ſignificans ipſum eſſe Dei, ergo pariter prædicabitur & hoc nomen ens etiam ſi ſignificaret eſſentiam eiuſdem.

Quarto quia ex eodem S. Th. p.p. qu. 13. ar. 3. etiam hic in via dantur quædam nomina de Deo ſignificantia ſubſtantiam Dei, vnde & Auguſt. lib. 5. de Trinitate cap. 2. inquiebat, *eſt Deus ſine dubitatione ſubſtantia, vel ſi melius hoc appellatur, eſſentia, ſicut enim ab eo quod eſt ſapere dicta eſt ſapientia, ita ab eo quod eſt eſſe dicta eſt eſſentia*, ergo dato etiam quod nomen ens deberet ſignificare eſſentiam Dei, adhuc de Deo poterit enunciari.

Quinto, quia idem eſt me ſedere & me eſſe ſedentem, arguendo ſcil. ab abſtracto ad concretum, ergo idem erit, *Deum eſſe, & Deum eſſe ens*, ſed illud prius de abſtracto à Platonicis admittebatur, ergo & hoc ſecundum de concreto admitti ab eiſdem neceſſe fuit.

In oppoſitum tamen eſt auctoritas ne dum Platonis in Parmenide & Sophyſta, ſed etiam Iamblici de miſterijs, Procli, Siriani & Pici in opuſculo de ente & vno, Plotini Æneide 5. lib. 3. per totum, Marſilij Ficini in Commētarijs ibidem & aliorum vno verbo Platonicorum etiam Chriſtianorum cū Platone aſſerētium hoc idem, & nequis adhuc teſtimonia eorumdem contemnenda eſſe ſubiungat, affero ſimul adhoc propoſitum Dionyſium de Diuinis nominibus cap. 1. idem repetentem, vt refert & approbat S. Th. p.p. qu. 12. art. 1. in reſponſione ad tertium, & repetit idem S. Th. opuſculo 42. de natura generis cap. 1. dicens, *Deum potius eſſe ſuper ens, quam eſſe ens*, vt dixerat etiam Damaſcenus lib. 1. de fide cap. 4. dicens, *nihil eorum, quæ ſunt, Deus eſt, ſed vt omnia entia ſuper eminens, & ſupra ipſum eſſe ens*, & denique ex Neotericis Paſqualigus in ſua Methaph. m. 1. diſp. 28. nulla addita reſtrictione propugnat Deum proprie non eſſe ens, ergo in aliquo ve-

ro ſenſu cum Platone dici poterit Deum ita eſſe vnum vt proprie non ſit ens ſed ſuper ens.

Reſpondeo vtique abſolute dici non poſſe Deũ non eſſe ens, adhibita tamen aliqua ex ſubſequentibus explicationibus id veriſſimum eſſe poſſe: nam vt inquit S. Th. p. p. qũ. 13. art. 3. in corpore & ad primum, in nominibus etiam, quæ proprie de Deo prædicantur, vt ens viuens & huiuſmodi, duo poſſumus conſiderare, alterum eſt ſignificatum ipſum formale ex parte formæ ſecundum ſe, quod abſolute res ſignificata dicitur à S. Th. alterum eſt ſignificatum materiale ex parte materiæ & quo ad nos, ſeu quoad modum ſignificandi, vt ipſe loquitur. Primum in ente verbi gratia eſt ipſum eſſe, quod profecto perfectio eſt imò omnium perfectiſſima nullam explicans imperfectionem: ſecundum in eodem nomine, ens, eſt modus ſignificandi ipſiuſmet eſſe vt diſtincti ab eſſentia, cuius eſt, vel modus ſignificandi inconcreto per dependentiam vel participationem ab abſtracto, ſc. entis ab eſſe, & huiuſmodi. Concludit igitur S. Tho. ibidem his verbis, *quantum ergo ad id, quod ſignificant huiuſmodi nomina, proprie competunt Deo, & magis proprie, quam creaturis, quantum vero ad modum ſignificandi non proprie dicuntur de Deo, habent enim modum ſignificandi, qui creaturis competit*, & primo modo ſine dubio loquuntur Patres exponentes illud Exodi 3. *ego ſum qui ſum*; ſecundo vero modo S. Tho. ibidem in reſponſione ad ſecundum interpretatur Platonicum pariter modum loquendi Dionyſij mox ante aductum, & colligi poteſt ex illo Ioannis, *videbimus eum ſicuti eſt*, quod iuxta Patrum interpretationem idem eſt ac dicere, quod nunc concipimus Deum ad modum aliorum, tunc vero videbimus eum eo modo, quo eſt in ſe, & conſequẽtes ens, quo modo prædicatur de Deo, quoad hunc modum ſignificandi non ita proprie de eodem dicitur verificari. Hac igitur explicatione cum S. Thoma præmiſſa ſic poſſet primo Platonicorum locutio probari, quia ens quoad modum ſignificandi hic in via ſignificat id quod eſt, ideſt quod habet eſſentiam diſtinctam, vel realiter vt volunt Thomiſtæ, vel formaliter ex natura rei, vt Scotiſtæ contendunt, ab eſſe ſeu exiſtere eiuſdem, ſed in Deo ab oppoſito neque realiter neque formaliter ex natura rei diſtinguitur eſſe ab eſſentia, vt omnes admittunt, ergo ens quoad modum ſignificandi hic in via non poſſet proprie prædicari de Deo, minor eſt inconfeſſo apud omnes, maior vero eſt doctrina Boetij in lib. de Hebdomadibus ita dicentis de ente precit deſumpto ex creaturis, (*diuerſum*, inquit, *eſt eſſe & id quod eſt*) vt proſequitur S. Th. ibidem & hinc cum alijs Patribus repetit p. p. qu. 3. ar. 5. ad primum & iterum qu. 12. ar. 1. ad primum, *dicendum*, inquit, *quod Deus à Dionyſio dicitur non exiſtens, non quia nullo modo ſit exiſtens, ſed quia eſt ſuper omne exiſtens in quantum eſt ipſum eſſe*, quæ pariter erat Platonicorum explicatio apud Ficinum in Commentarijs ad quintam Æneadem Plotini lib. 5. cap. 5. aientem, *cogitare poteſt aliquis ens quaſi compoſitum quiddam atque binarium, in quo eſſentia ſit & eſſe, atque id quod dicet eſſe, ibi autem eſſentia nominatur*.

Secundo hac alia ratione probatur, quia ens quoad modum ſignifican-

di.

di importat aliquid concretum participans aliquid ab abſtracto, ſcil. ab ipſo eſſe, ſed ab oppoſito in Deo nullo modo intrinſecè diſtinguitur concretum ab abſtracto, immò Deus eſt ipſum eſſe abſtractiſſimum nihil ab alio abſtractiori participans, & ex ſuo eſſe per eſſentiam cęteris participans eſſe, ergo ens quoad hunc modum ſignificãdi pariter ſumptum à creatura, in qua concretum ab abſtracto ſecernitur, non poterit proprie dici de Deo. Minor certa eſt contra Gilbertum Porrectanum non ſolum à Bernardo ſermone 80. in cantica ſed etiam à Concilio Rhemenſi damnatum, alijſque Patribus, qui referri ſolẽt ad primam partem qu. 3. ar. 3. Maior verò traditur ab eodem Boetio in libro de Hebdomadibus ita dicente, *id, quod eſt ſeu ens, accepta eſſendi forma eſt atque conſiſtit, quod eſt participare aliquod eſſe, ſed ipſum eſſe nullo modo aliquid participat*, & infra, *omne quod eſt participat eo quod eſt eſſe vt ſit*, vt proſequitur ibidem & approbat S. Thom. imò & conſonat Auguſtini dictum tractatu 9. in Ioannem, *quod ſcil. plus eſt abſtractum quam concretum*. Audi nunc integram iſtam explicationem in S. Th. p. p. qu. 13. ar. 1. ad 2. *quia*, inquit, *ex creaturis in Dei cognitionem venimus, & ex ipſis eum nominamus, nomina, quæ Deo attribuimus, hoc modo ſignificant ſecundũ quod competit ipſis creaturis materialibus, & quia in huiuſmodi creaturis ea, quæ ſunt perfecta & ſubſiſtentia, ſunt compoſita, forma autem in eis non eſt aliquid completum ſubſiſtens, ſed magis quo aliquid eſt, inde eſt quod omnia nomina à nobis impoſita ad ſignificandum aliquid completum ſubſiſtens ſignificant in concretione prout compoſitis competit. Et hæc nomina deficiunt à modo ipſius Dei, ſicut intellectus noſter non cognoſcit eum vt eſt ſecundum hanc vitam*.

Tertio probatur, quia in hoc differt quo ad modum proprium ſignificandi de aliquo prædicari quod ſit ens ab eo, quod eſt prædicari abſolutè quod ſit, nimirum quod illud primum reſpondet etiam quæſtioni, quid eſt, illud verò ſecundum præciſe reſpondet ſoli quæſtioni, an eſt, vnde non poteſt dici proprie loquendo, *cæcitas in oculo eſt ens*, licet dicamus, *cæcitas in oculo eſt*. Sed de Deo in hac vita nequit reſponderi ad quæſtionem quid eſt, non verò, an ſit, quid ignotum eſt, ergo in hac vita quoad proprium ſignificandi modum licet ſine dubio dicamus Deum eſſe, negare adhuc poſſumus quod proprie ſit ens, vt ens quiditatem Diuinam exponat. Minor certiſſima eſt apud omnes & maior traditur literaliter à S. Th. qu. 1. de malo ar. 1. ad 19. his verbis, *alio modo dicitur eſſe ſecundum quod reſpondetur ad quæſtionem an eſt, & ſic malum eſt, ſicut & cæcitas eſt, non autem malum eſt aliquid, quia eſſe aliquid non ſolum ſignificat quod reſpondetur ad quæſtionem an eſt, ſed etiam quod reſpondetur ad quæſtionem quid eſt*: Cur ergo non poterunt ita explicari Platonici, dum dicunt vtique Deum eſſe & vnum eſſe, neutiquam tamen proprie ens appellari? Et hæc eſt ſine dubio pariter expoſitio eiuſdem S. Th. ad 1. p. qu. 3. ar. 4. ad 2. & Caietani ibidem ſcil. ipſum eſſe Dei à nobis hic in via cognoſci ſolum prout terminat quæſtionem an eſt, non prout reſpondet quæſtioni quid eſt, vt patebit legentibus ibi, & qu. 13. art. 2. ad primum, vbi S. Th. in hoc pariter ſenſu exponit Damaſcenum lib. 1. de Fi-

de cap. 4. dicentem nomina, quæ prædicantur de Deo, *ſolum quid non eſt oſtendere & quædam eſſe affirmatiue de Deo dicta habentia virtutem ſuper excellentis negationis &c.*

Quarto tandem ex hac vltima Damaſceni doctrina poterit confirmari cōcluſio, quia omnia nomina, quæ à nobis in via de Deo prædicantur è creaturarum cognitione deſumpta, vti eſt hoc prædicatum ens, ita ſignificant aliquam perfectionem quoad rem ſignificatam, quod ſimul ad minus quoad modum ſignificandi aliquam imperfectionem inuoluunt, & conſequenter ita ratione primi poterunt prædicari de Deo, quod ſimul quoad ſecundum poſſunt negari de eodem, ergo ſic pariter ens licet quoad rem ſignificatam perfectiſſime de Deo prædicetur, poterit tamen quoad imperfectum modum ſignificandi etiam negari de eodem; aſſumptum integrum, ex quo ſine dubio conſequentia deducitur, colligitur euidenter nedum ex Dionyſio quinto cap. de diuinis nominibus hac ratione dicente, *propter quod & omnia de Deo prædicantur, & nihil eſt omnium*, ſed etiam ex Damaſceno mox ante relato, quem exponens Gerſon à Ioanne Franciſco Pico nepote in epiſtola de ente & vno relatus, ad propoſitum inquiebat, *quidquid de Deo affirmatiue dicimus includit negationē aliquam, propterea Dionyſius Deum negat eſſe ens, ſed ſuperens eſſe affirmat. Deum eſſe ſapientem ait Egidius in primo ſententiarum libro, ſed non eo modo ſapientem, quo nos intelligimus, & propter hanc cauſam Auerroes 12, Met. has, quas Deo attribuimus, prædicationes propoſitionibus Mathematicis ſimiles eſſe pronunciat, quarum more ea, quæ intelligimus, ſunt in rebus, ſed non eo modo, quo intelligimus*, hæc ille. Remanet ergo iam ſufficienti probabilitate Donatum ſeu illuſtratum Platonicorum effatum, quod Deus ita pro proprio habet prædicato vnitatem, vt quoad modum ſignificandi proprie non ſit ens, ſed ſuper ens, licet quoad rem ſignificatam vel abſolutè non liceat ens inficiari de Deo.

Ad primum igitur licet ex illa obiectione conuinci poſſet falſitatis illa ſententia interpretans eo modo Platonis ideas, quo in maiori aſſumitur argumenti, tamen prætermiſſa ſimul cum illa opinione etiam argumenti maiore, & pariter conceſſa prima minore, de qua tunc merito poſſet adhuc dubitari, nobis ſat erit negare minorem ſubſumptam explicando ſcil. quomodo in Deo ſecundum ſuam eſſentiam in ſe nullo modo etiam virtualiter intrinſecè diſtinguatur exiſtentia ab eſſentia, & tamen in eodem quoad aliqua conſequentia ad eſſentiam, vti ſunt attributa & ideæ, admitti poteſt licet nō realis ſaltem virtualis intrinſeca diſtinctio inter formalitatem & exiſtentiam eiuſdem, vt inter attributa pariter & exiſtentiam; quia, vt explicant Salmaticenſes ad quæſtionem 14. de ſcientia Dei, vnica indiuiſibilis exiſtentia per ſe primo conueniens ſoli lineæ eſſentiæ, & omnimodè identificata cum ipſa, ſecundario ad ſubſequentes attributales lineas deriuatur, cum virtuali diſtinctione ab eiſdem; & ratione illius diſparitatis ens ipſum etiam quo ad modum ſignificandi ſcil. cum aliquali ſaltem virtuali intrinſeca diſtinctione inter eſſentiam & eſſe, licet de Deo à Platonicis negaretur, potuit de ideis etiam inuentis in Deo non inconſequenter adhuc ab eiſdem affirmari.

Ad ſecundum facilè eſt aſſignare diſparitatem inter hoc nomen vnum & hoc nomen ens, licet vtrumque concretum ſit, nempe quod vnum tantum abeſt, vt importet diſtinctionem inter habens & id, quod habetur, vt facit ens ex dictis cum Boetio, quod potius vnum importat vnitatem oppoſitam diſtinctioni; ex qua prima diſparitate & hæc alia ſecunda ſuboritur, quod cum ens aliquam diſtinctionem importet, vnum verò omnem diſtinctionem excludat ex vnitate vniuerſali, quam dicit, ideo ens in concreto poteſt ſignificare aliquid dependens participatiue ſaltem virtualiter ab alio diſtincto ſcilicet ab abſtracto, vnum verò etiam in concreto nequit importare etiam virtualiter quid pendens ab alio diſtincto, cuius iam diſtinctionem ex importata vnitate vniuerſim excludit. Nec obſtat quod etiamſi Deus vnus eſſe dicatur admittit adhuc virtualem intrinſecam diſtinctionem, vt Thomiſtæ concedunt; non obſtat, inquam, quia ſufficit hanc non admittere ſaltem in primaria linea Diuina, qualis eſſentia eſt, & de qua ſola primario vnitas prædicatur, ſecundario autem veluti de attributis.

Ad tertium reſpondet verbaliter S. Thom. prima parte quæſt. 3. art. 4. ad 2. diſtinguendo maiorem, ſumendo eſſe in Deo prout in ipſo intrinſecè eſt, concedo. prout à nobis concipitur ex creaturis connotatiue extrinſecè ad illas, nego, & ad minorem primo modo nego, ſecundo modo concedo, & negatur conſequentia, vt Caietanus ibidem proſequitur explicare.

Ad quartum reſpondet iterum S. Th. 1. p. qu. 13. ar. 2. ad primum diſtinguendo antecedens, ſumendo ſubſtantiam Dei adæquate vt eſt in ſe, nego, inadæquate & imperfectè & prout inquit S. Th. *imperfectè eum creaturæ repræſentant*, concedo: & negatur conſequentia.

Ad quintum tandem diſtinguitur antecedens, eſt idem quoad rem ſignificatam, concedo, quo ad modum ſignificandi in concreto vel abſtracto, nego, & eodem modo diſtinguo primum & vltimum concedens, vt ex adductis faciliſme applicanti patebit, & in fine clareſcet, quomodo Deus quoad rem ſignificatam perfectiſſime ens ſit, & tamen quoad modum ſignificandi magis proprie vnum iuxta Parmenidem & Platonem enuncietur de Deo, quam ipſum ens, vt inde deducamus quam longe à veritate recedat neotericus ille in ſubſequenti articulo refellendus, qui in aliquo ſenſu voluit & non erubuit propugnare hanc propoſitionem, *Alius Deus poſſibilis eſt*.

AR-

ARTICVLVS III.

An his ſtantibus in aliquo ſenſu admitti poſſit vt vera ea propoſitio, Alius Deus eſt poſſibilis, *nuper à Catholico propugnata*.

Videbatur quod ſic cuidam recentiori nomine Petro Conti in Veneta diſputatione cum Columera editis vtrinque apologijs, ex quarum fragmentis, (quæ ſola videre licuit) ſic prior ille antagoniſta poterat ratiocinari.

Primo nam adhoc vt iſta propoſitio, *Alius Deus eſt poſſibilis*, in aliquo ſenſu falſa non ſit, ſufficit *obiectiue* ex parte obiecti falſam non eſſe, vt ille loquebatur, licet *formaliter* ex parte actus proferentis ipſam falſa ſit. Sed ita de facto eſt, nempe & conceptus obiectiuus *Dei*, & conceptus obiectiuus *alietatis* & demum conceptus obiectiuus *poſſibilitatis* veri & reales conceptus obiectiui ſunt, ergo iam in aliquo ſenſu ſcil. obiectiue ex parte obiecti dicta propoſitio falſa non erit.

Secundo nam adhuc vt *obiectiue* etiam ſeu ex parte obiecti falſa diceretur, deberet dari aliquis conceptus obiectiuus non verus nec realis intrinſecè, immò intrinſecè obiectiue fictus & rationis. Sed iſte non datur, tum iuxta plurium recentiorum auctoritatem negatium dari obiectiue aliquod ens rationis apud Linceum lib. 4. Methaph. tractatu 1. cap. 1. tum iuxta naturam intellectus & voluntatis, quarum potentiarum realium obiectum pariter obiectiue reale ſolum intrinſece eſſe debet, ergo iterum ex parte obiecti obiectiue falſa non erit.

Tertio quia quidquid obiectiue à nobis intelligi poteſt per verbum formale repræſentatiuum illius obiectiuè, poteſt etiam à Deo fieri iuxta illud Lucæ 10. *non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum*, ſed iuxta noſtram ſententiam etiam obiectiue à nobis intelligi poſſet alietas alterius Dei per verbum formale repræſentatiuum obiectiue illius, ergo alietas iſta alterius Dei à Deo fieri poſſet, quod abſurdiſſimum eſt, ergo tantum abeſt vt explicatio Petri Conti repugnet vnitati Dei, quod magis immo, quam noſtra, eandem propugnare gloriari poteſt.

Quarto iuxta noſtram explicationem poſſemus à pari cogitare aliquid ſuperius & melius Deo. Sed hoc negatur ab Auguſtino expreſſe li. 7. confeſſionum cap. 4. & ab Anſelmo adducto à S. Thoma p. p. quæſt. 2. art. 1. immo & à Seneca lib. 1. quæſtionum naturalium aiente, *quo nihil maius excogitari poteſt*, ergo ab eiſdem noſtra explicatio neceſſaria conſecutione negari deberet.

In oppoſitum tamen eſt quod, vt Columera præcipue argumentabatur, longe facilior erat interpretatio illius propoſitionis, *vnus de S. Trinitate crucifixus eſt*, quam iſtius, *Alius Deus poſſibilis eſt*, ſed non obſtante interpretatione in aliquo ſenſu defenſabili illa prima ad minus vt inaudita & præbens occaſionem errandi prohibita eſt abſolutè, vt refert Baronius

Ll 2 tomo

tomo 7. ad annum 519. ergo à fortiori & iſta rationabiliter proſcripta eſt.

Reſpondeo vtique minus recte adhuc in illo ſenſu prædictam propoſitionem defenſari potuiſſe. Nam vt in præcedenti articulo explicatum eſt, de Deo vt à nobis cognito in hac vita magis prædicatur vnum quam ens, ſed loquendo de ente in nullo ſenſu admitti poteſt hæc propoſitio, *Deus non eſt*, etiamſi ad ſenſum obiectiuum refugeretur, ergo à fortiori loquendo de vno in nullo ſenſu etiam obiectiuo admitti poteſt hæc propoſitio, *Deus non eſt vnus*, ſeu quod idem eſt, *Alius Deus eſt poſſibilis*.

Secundo nam vulgare iam ferme adagium est ex Ariſtotele in prædicamentis, ab eo quod res eſt vel non eſt orationem dici veram vel falſam, & conſequenter non ſolum veritati formali veritas obiectiua reſpondet, ſed etiam falſitati formali pariter formalis falſitas reſpondere debet. Sed ex conceſſis hæc propoſitio, *Alius Deus eſt poſſibilis*, iam falſitate formali falſa eſt, ergo ex concedendis etiam falſitate obiectiua falſa neceſſario erit.

Tertio nam ſemel admiſſo nullam dari obiectiuam falſitatem, ſed pure formalem, iam cum iſta propoſitione veriſſima, *Deus eſt*, ſtaret & iſta alia ſaltem obiectiuè vera, *Deus non eſt*, ſed hoc abſurdiſſimum eſt, ſcilicet obiectiue idem ſimul eſſe & non eſſe, cuius oppoſitum probat ex profeſſo Ariſtoteles 4. Methaph. à tex. 8. *Principiorum omnium firmiſſimum eſſe*, ergo pariter abſurdiſſimum eſt aſſertum illud, ex quo hoc conſequens inferebatur, vnde tex. 9. ſubiungit, *ſolum ob dubitantem aliquos hoc demonſtrandum eſſe cenſere*, & tex. 10. eum, qui neque vllum ex his principijs admittit, *ſimilem*, inquit, *Plantæ iam talem eſſe*.

Quarto quia iſta adhuc obiectiue eſt vera, *Alius Deus non eſt poſſibilis*, ergo per legem contradictoriarum iſta adhuc obiectiue falſa erit, *Alius Deus poſſibilis eſt*, quod aduerſarius inficiabatur, & totus ferè diſcurſus innititur illi dicto Ariſtotelis 1. Peryhermenias cap. 4. *non ſolum verum eſt dicere quod eſt eſſe, ſed quod non eſt*.

Quinto quia ſemel admiſſa falſitate formali ſine obiectiua, non apparet cur à pari etiam è conuerſo non poſſet dari veritas formalis ſine obiectiua veritate. Sed hoc abſurdiſſimum eſt, fundans illam ſtolidiſſimam hæreſim aliquorum, qui in Anglia *loquentes à ſpiritu* nuncupati ſunt aſſerentes quemlibet credere poſſe ac tenere quicquid occurreret cogitatui, etiam ſi verum ex obiecto non eſſet, ergo abſurda pariter iterum eſt illa ſententia, quæ huic principio innitebatur.

Sexto, nam longe maior cuicunque debet eſſe cura de Deo, quam de ſeipſo, vt ex naturæ lege etiam compertum eſt; ſed talis vnicuique cura de ſeipſo eſſe ſolet, vt ſi quis diceret ipſum *infamem eſſe* & huiuſmodi, etiam ſi obiectiue ſolummodo interpretaretur, nemo profecto adhuc obiectiue illud admittere cogitaret, ergo à pari, immò à fortiori, vnicuique de Deo ſimilis cura eſſe debet, vt non permittat de eodem pronunciari, *alium Deum eſſe poſſibilem*, etiamſi ſolum obiectiue intelligi adiungeretur.

Septimo Deus in illo priori naturæ, in quo cognoſcit ſeipſum ex ſe, antequam intelligatur cognoſcere creaturas, ita cognoſcit ſe eſſe vnum, vt co-

gno-

gnoſcat non poſſe eſſe duplicem, & conſequenter falſum eſſe, *quod ſit poſſibilis alius Deus*, ſed in illo priori nulla poteſt in Deo dari falſitas niſi obiectiua ex parte obiecti, non formalis ex parte actus cognitionis Diuinæ, ergo in illo priori obiectiue falſum eſt, *Alium Deum eſſe poſſibilem*.

Ad primum igitur negatur minor, nam proprius conceptus obiectiuus illius propoſitionis nullus ſolus illorum conceptuum adductorum ab arguente ſingillatim eſt, ſed potius eorum coniunctio & vnio, quæ longe diuerſa ab extremis non ſemel compoſita efficit, vti quælibet pars phyſica in homine incompoſita eſt, & tamen homo verè compoſitus ſine dubio conceditur, & Hircus & Ceruus vterque realis eſt, & tamen eorumdem vnio non niſi chimerica eſſe poteſt; ſic in propoſito adaptare cuilibet planiſſimum erit.

Ad ſecundum negatur iterum minor, nam illi, qui negant dari ens rationis habens eſſe ſolum obiectiue in intellectu, plerumque intendunt ſolum vnionem illam intrinſecè fictam extremorum realium incompoſſibilium ſaltem inadæquate ex eiſdem conflari ſolere, & non adæquate ab eiſdem diſtingui; cum hoc tamen non videntur negare conceptum fictum obiectiue, & à fortiori quid falſum obiectiue fundamentaliter ſaltem etiam in obiectis inueniri, vt in Linceo præ cæteris videre eſt, neque aliter repugnare intellectui immò congruere apprehenſionē non entis ſub ratione entis docet idem Philoſophus in 4. Methaph. tex. 2. dicens, *quo circa & id, quod non eſt, non ens dicimus eſſe*, & alijs ommiſſis paſſim apud Logicos à quocumque Tyrone legendis oportunior hic erit & pulchrior auctoritas Auguſtini lib. 1. de ordine cap. 13. id à fine eiuſdem Dialecticæ Diſciplinæ probantis, *quando namque*, inquit, *tranſiret ratio ad alia fabricanda, niſi ipſa ſua quaſi machinamenta & inſtrumenta diſtingueret, notaret, atque dirigeret?*

Ad tertium, niſi velit arguens admittere Deum ea omnia producere poſſe, quæ ſtultus etiam de Hircoceruo & huiuſmodi ſe rectè intelligere putat, citra dubium illa maior diſtinguenda eſt, ſcilicet loquendo de intellectione obiectiua, & vera, concedo, & falſa, nego, vti & eodem modo ad quartum ſubiungendum eſt, & hic in fine capitalis ea iſtius Neoterici phantaſia negans, aliquam propoſitionem obiectiue ex parte obiecti falſam eſſe, radicitus euellenda eſt S. Thomæ doctrina quæſt. 1. de veritate art. 10. ad primum aduerſus eandem ita directe dicentis, *id eſt verum, quod ſic eſſe dicitur, vel intelligitur, vt in re eſt, & ſic etiam falſum dicitur quod non eſt, ideſt quod non eſt vt dicitur, vel intelligitur, & hoc in rebus inueniri poteſt*. Concludo tandem ſimilem propoſitionem ex Logicæ Cauillis auſum fuiſſe olim introducere Gilbertum ſeu Epiſcopum Pictauienſem damnatum poſtea in Rhemenſi Concilio, vt refert Otho Friſingenſis libr. 1. de Geſtis Federici ca. 52. his verbis, *ait ergo prædictus Epiſcopus Pictauienſis, quid eſt quod dicis eſſe Deum? nihil eſt, erat quippe quorundam in Logica ſententia, vt cum quis diceret Socratem eſſe, nihil diceret, quos præfatus Epiſcopus ſectans talem dicti vſum haud præmeditate*, vt iſte fecit Venetijs, *ad Theologiam conuertit*.

Q...

QVÆSTIO III.

De eadem Parmenidica ſecta apud Chriſtianos confundente Deum vna cum creatura.

Mirandum nobis eſſet (niſi peiora ex nouatorum frequentia timeremus) ex ſecta Parmenidica quoſdam Chriſtianorum ommiſſo ſenſu Theologico, quem eidem ſectæ aliqui tribuebant, rudiorem adhuc ſenſum de vnitate confuſa omnium entium ſibi perperam ſelegiſſe, & modo Deum cum creatura, modo creaturam cum Deo, modo accidens cum ſubſtantia perniciofiſſime confudiſſe, quorum ſingulorum placita eodem, quo numerata ſunt, ordine in reliqua huius libri parte remanent expendenda. Et circa primum primo loco videndum contra Viclef, an hæc propoſitio admitti queat, *Deus eſt qualibet creatura*. Secundo contra Carteſium an poſſit admitti Deum eſſe ens à ſe, etiam poſitiue, tanquam à cauſa quodammodo efficiente. Tertio contra Gaſſendum an Deus non ſolum ex genere prædicamentali componatur, vt de creatura dici ſolet, ſed etiam ad tres perſonas proprie genus dici poſſit.

ARTICVLVS PRIMVS.

An hac Propoſitio vera ſit Deus eſt quælibet creatura.

Videbatur quod ſic hæretico Viclef libro de Ideis cap. 3.

Primo probabat, quia in prima Corinthiorum 15. dicitur, *Deus eſt omnia in omnibus*, ſed hoc nil aliud eſt quam Deum omnia eſſe, ideſt omnes rationes ideales in omnibus creaturis, ergo de facto erit verum in hoc ſenſu, *Deum omnem eſſe creaturam*.

Secundo ſic arguebat in lib. 1. Trialogi cap. 9. quia hæc eſt differentia inter Pronomina, v. g. dicendo, *hæc, eſſentia Dei ſeu hoc quod eſt eſſentia Diuina*, & inter nomina ſola dicendo, *eſſentia Dei*, quod prima ſignificant eſſentiam Dei ſolummodo ſecundum ſe, ſecundo verò modo etiam ſignificant eſſentiam cum qualitate, ideſt in eſſe intelligibili, ergo licet ex primo illa ſit falſa, *hæc eſſentia Dei eſt qualibet creatura*, ex ſecundo tamen hæc poterit admitti vt vera, *eſſentia Dei qualibet creatura eſt*.

Tertio pro eodem ſic argui poſſet, quia Ideæ creaturarum in Deo ſunt & ipſæ creaturæ in eſſe cognito ſeu cognoſibili, vt videtur dicere Auguſtinus lib. 83. in quæſtionum qu. 46. appellans Ideas *rationes rerum*, vt vocat etiam Dionyſius 5. de Diuinis nominibus, ſed Ideæ in Deo ex S. Thoma prima parte qu. 15. art. 1. ad 3. *nihil aliud ſunt quam eſſentia Dei*, ergo eſſentia Dei vere eſt quælibet creatura, ſaltem in eſſe cognito ſeu cognoſcibili.

Quarto cognoſcens fit vnum, ſaltem in eſſe cognoſcibili, cum obiecto co-

Digitized by Google

cognito, vt exponit acute Caietanus p. p. q. 14. ar. 1. ex illo vulgatiſſimo Auerrois, *magis fit vnum ex intellectu & intelligibili, quam ex materia & forma*. Sed Deus cognoſcit quamlibet creaturam, vt pro certo cum S. Thoma eadem qu. 14. demonſtrant omnes omninò Theologi, ergo Deus ſaltem in eſſe cognoſcibili quælibet creatura erit.

In oppoſitum tamen eſt, quod in Concluſ. 217. & 219. Vicleff Hæretici ter damnatis, vt Valdenſis refert, etiam prædicta ſimilis propoſitio damnata fuit, ergo non videtur admitti poſſe.

Reſpondeo merito vtique non admittendam. Primo quia ad hunc finem Anſelmus in monologio cap. 29. *ſatis manifeſtum eſt*, inquit, *in verbo, per quod facta ſunt omnia, ſimilitudines rerum non eſſe*, ſed ſi eſſentia verbi eſſet quælibet creatura in eſſe intelligibili, iam vtique *in verbo* affirmandum eſſet *dari ſimilitudines rerum*, ergo reſtat eſſentiam Dei eminenter vtique vt cauſam continere creaturas, & ideo ideare eaſdem, ſed non adhuc in eſſe intelligibili creaturas eſſe, vti inde peracute deduxit Angelicus noſter Præceptor qu. 3. de veritate art. 1. ad decimum ex præadductis Anſelmi verbis inferens ſic, *Verbum igitur non eſt ſimilitudo rerum, ſed res ſunt imitationes verbi*, & hoc fortaſſe erat, quod Auguſtino diſplicebat in libro de ordine, *ſe dixiſſe duos eſſe mundos ſenſibilem & intelligibilem*, quia inde fortaſſe ſimilis fraſis deduci valeret, *qui tamen*, inquit, *modus loquendi non eſt conſuetus in ſacra ſcriptura.*, & conſequenter Theologice admitti non poſſet.

Secundo probatur ratione demonſtratiua S. Thomæ primo contra gentes c. 48. à ratione 4. vſque ad 7. nam eſſentia Dei nequit in eſſe intelligibili identificari cum aliquo, cum quo ſimul non identificetur in eſſe naturali, aliter in eſſe intelligibili ad illud compararetur vt potentia ad actum, vt perfectibile ad perfectiuum, vt componens cum ipſo aliquo modo per accidens, & vt ſpecificabile ab eodem, quæ perfectiſſimo intellectui Diuino repugnant. Sed ſi eſſentia Dei in eſſe intelligibili eſſet quælibet creatura, iam in hoc eſſe intelligibili identificaretur cum aliquo, a quo in eſſe naturali diſtingueretur, ergo eſſentia Dei nequit eſſe quælibet creatura adhuc in eſſe intelligibili, vt dicebatur.

Tertio probatur deſtruendo præcipuum fundamentum, quod ab Hæretico allatum eſt, ex illo ſcilicet primæ ad Corinthios 15. *Deus eſt omnia in omnibus*, tum quia Apoſtolus non inquit, *eſt*, ſed *erit* ſcil. tempore reſurrectionis, vt SS. Patres exponunt, ſed iuxta ſenſum Viclef Apoſtolus dicere debuiſſet *eſt* & non *erit*, ergo Apoſtolus non vtique iuxta ſenſum Viclef loqutus eſt, tum quia & idem Apoſtolus primæ Corrinthiorum 9. de ſeipſo ſimilem fraſem vſurpabat dicens, *omnibus omnia factus ſum*, ſed inde non recte aliud infereretur niſi Paulum pro fine intendiſſe ſalutem ſingulorum, ergo ſeruata proportione ex adducta fraſi pariter de Deo inferendum eſt, in reſurrectione Deum fore omnia in omnibus ſecundum rationem finis, pro quanto tunc in electis omnia ordinabuntur in Deum vt finem; tum quia ita ad eundem locum tomo 9. exponit Hieronymus, *tunc*, inquit,

omnia

omnia in omnibus erit, cum euacuata morte & omni malitia, vel errore deſtructo, ſolus regnabit incunctis, tum quia ſimiliter & Auguſtinus lib. 83. quæſtionum qu. 69. *Deum autem*, inquit, *omnia in omnibus dicit, vt nemo eorum, qui cohærent, amet aduerſus eum ſuam propriam voluntatem manifeſtumque ſit omnibus &c.* tum quia Hilarius li. 11. de Trinitate ſubdit, *ſubiectionis cauſa non alia eſt niſi vt Deus omnia in omnibus*, & infra, *manens ipſe ſcilicet vt finis ſibi totus eſt*, & demum Ambroſius libro vltimo in Lucam aliam de Deo incarnato Gloſam adiungit, *quia*, inquit, *Chriſtus pacificauit omnia, Chriſtus eſt omnia, & in Chriſto omnia*, vt innuit etiam Hilarius loco citato, & pergit cum S. Thoma exponere Caietanus 3. parte qu. 1. ar. 1.

Quarto probatur ex Anſelmo in Monologio cap. 15. acutiſſimam iſtam addente rationem, *quia*, inquit, *illa ſumma eſſentia nullo modo ſic eſt aliquid vt illud idem ſecundum alium modum aut ſecundum aliam conſiderationem non ſit, quia quicquid aliquo modo eſſentialiter eſt hoc eſt totum quomodo ipſa eſt*, ſed hoc falſum eſſet, ſi eſſet Deus creatura ſolum in eſſe intelligibili non verò in alio eſſe naturali, ergo verè Deus non eſt creatura adhuc in eſſe intelligibili; vnde abſolute & Damaſcenus lib. 1. de Fide cap. 4. *nihil eorum*, inquit, *quæ ſunt, Deus eſt, ſed vt omnia entia ſupereminens*, vt loquitur paſſim & Dionyſius in lib. de Diuinis nominibus, & ibidem S. Thomas conſuli poteſt.

Ad primum igitur ex prælibata auctoritate depromptum iam conſtat Sanctorum Patrum interpretatio, iuxta quam minor neganda eſt; præterquamquod etiam Apoſtolica eadem auctoritas alio modo explicari poteſt, & ita diſtingui, vt Deus ſit quælibet creatura, eminenter quidem, vt cauſa continens creaturam, non tamen formaliter vt idem cum ipſa adhuc in eſſe intelligibili contra Viclef; quomodo idem exponit Auguſtinus tract. 8. ſuper Ioannem dicens, *totum tibi ſit Deus, quia horum, quæ diligis, totum tibi eſt. Si viſibilia attendas, nec panis eſt Deus neque aqua eſt Deus, nec lux illa eſt Deus &c. omnia hæc viſibilia ſunt; quod autem eſt panis nec hoc eſt aqua, & quod ſunt iſta non hoc eſt Deus, Deus tamen tibi totum eſt, ſi eſuris panis tibi eſt, ſi ſitis aqua tibi eſt &c.* hæc Auguſtinus repetita ab eodem libro 22. de Ciuitate c. 30. & alibi.

Ad ſecundum de alijs rebus, in quibus diſtinguuntur ſubſtantia & accidentia, admiſſo aſſumpto, negatur idem de Deo, in quo eſſe naturale & intelligibile idem ſunt, vt aduertebat ex S. Thoma profundiſſime p. p. q. 15. Caietanus, vnde falſam eſſe conſequentiam in propoſito habetur ex eodem Auguſtino tract. 8. citato ſuper Ioannem, vbi vtens etiam pronominibus inquit, *Omnia hæc, quæ ſunt, per ipſam artem ſcilicet Dei non continuo vita ſunt* id eſt non ſunt ipſe Deus, qui ait de ſeipſo, *ego ſum via, veritas, & vita*.

Ad tertium neganda eſt maior, vt negat doctiſſimus noſter Magiſter Ioannes à S. Thoma ad primam partem qu. 15. de Ideis diſput. 1. art. 2. quia Idea eſt imitabilis, & forma formans, creatura verò adhuc in eſſe cognoſcibili eſt imitatiua Dei, & forma formanda, vnde & à Dionyſio ibi, & ab Auguſtino Ideæ dicebantur non rationes rerum quocunque modo, *ſed*

incomu-

incomutabiles, inquit Auguſtinus, *quæ formatæ ſunt*, ſeu *rationes ſubſtantificatiuæ*, vt loquitur Dionyſius, quod procul dubio non conuenit creaturæ, ſed ſoli eſſentiæ Dei, *non quidem*, inquit S. Th. eadem qu. 15. art. 2. *vt eſt id, quo Deus intelligit, ſed vt quod Deus intelligit*, ex quo ſecundo, vt ibidem repetit ad primum, *Idea nominat eſſentiam, non inquantum eſſentiam, ſed in quantum eſt ſimilitudo*, ſcil. obiectiua ac prius cognita vt cauſa eminenter continens omnes perfectiones creaturarum, vt effectus imitatiuos eiuſdem cauſæ ſupremæ Diuinæ.

Ad quartum ex adducta doctrina S. Thomæ 1. contra Gentes cap. 48. maior illa diſtinguenda eſt, ſcil. loquendo de obiecto per ſe primo cognoſcibili, concedo, ſolum ſecundario & per aliud, nego, vt communiter noſtri præſertim Doctiſſimi Patres Salmaticenſes ad qu. 14. de ſcientia Dei erudite de more id pergunt explicare, & ideo nos pertranſimus.

ARTICVLVS II.

An poſſit admitti Deum eſſe ens à ſe, etiam poſitiue, tanquam à cauſa quodammodo efficiente.

Videtur quod ſic Renato Carteſio reſponſione 4. ad quartas obiectiones in ſua prima Philoſophia proferenti & propugnanti integram præcitatam propoſitionem, ad quam etiam reduci poteſt ex parte aſſertio Antonij Perez diſput. 2. de Trinitate per totam pro Molina contendentis Paternitatem Diuinam in Patre v. g. virtualiter effectiue ab eſſentia procedere. Et eorum ſimul poſſunt ſic argumenta reſtringi.

Primo quia intantum in Deo, vt Trino quoad Perſonas, refugiunt Latini nomen cauſæ vſurpatum à Græcis & vtuntur nomine principij, in quantum eo nomine cauſæ poſſet præberi occaſio errandi ſcil. credendi Filium eſſe Patre minorem, inquit Carteſius. Sed hoc periculum circa Deum vt vnum non adeſt. Ergo circa Deum vt vnum hoc nomen cauſæ admitti poteſt. Nec valet in Deo vt vno adhuc repugnare rationem effectus: nam ſicuti, inquit, per Theologos p. p. qu. 33. ar. 1. ad ſecundum, etiam ſi Pater dicatur principium Filij, non tamen dicitur Filius principiatus, ita poterit & eſſentia Dei dici cauſa, & tamen Deus non cauſatus vel effectus, ne imperfectio in eodem exiſtimaretur, ergo nulla hic repugnantia adeſſe poteſt.

Secundo quia negari nequit Deum poſitiuè eſſe à ſeipſo tanquam à cauſa formali ſcilicet ab eſſentia ſua poſitiua. Sed hoc iam ſufficit, vt à nobis magis aſſuetis cauſis efficientibus, quas ſolas & Ariſtoteles aliquando nomine cauſæ compræhendit, vt in 9. Methaph. tex. 11. inde dicatur eſſe à ſeipſo poſitiuè quoddammodo efficienter, vti creatura verè efficienter ab alio eſt. Ergo ita de facto dicendum eſt. Nec obſtat, inquit, ad efficientem requiri diuerſum eſſe, nam id verum eſt *de cauſa effectiua proprie dicta, non vero de cauſa poſitiua, quæ per analogiam ad efficientem referri poteſt*.

Tertio quia, & ſi non quæratur efficiens ratione eſſentiæ (vt probat etiam

Mm noſter

noſter Soncinas in 9. Methaph. & nos alibi diximus) quæri tamen poteſt ratione exiſtentiæ. Sed in Deo non diſtinguitur eſſentia ab exiſtentia, ergo de Deo etiam quæri poteſt efficiens, ergo quærenti, cur Deus exiſtat, reſpondendum erit, inquit, non quidem per cauſam efficientem proprie dictam, ſed tantum per ipſam rei eſſentiam ſiue cauſam formalem ab Ariſtotele 2. Poſteriorum cap. 11. appellatam *primam cauſam*, quæ propter hoc ipſum, quod in Deo exiſtentia non diſtinguitur ab eſſentia, *magnam habet analogiam cum efficiente ideoque quaſi cauſa efficiens vocari poteſt*, hucuſque Carteſius.

Quarto ſubinde capitalia Perezii argumenta ſubiungi poſſunt; nimirum, inquit, ſemel admiſſa aliqua diſtinctione virtuali inter eſſentiam & Paternitatem v. g. magis congruum eſſe videtur neque eſſentiam effectiue ſeu actiue otioſam remanere, ſed otioſa remaneret ſi non haberet influxum virtualem actiuum in Paternitatem v. g. vt virtualiter effectiue procedentem ab eadem, ergo ita de facto ponendum eſt.

Quinto quia eſſentia & Paternitas id habent virtualiter ad inuicem ex virtuali diſtinctione, quod haberent realiter ex reali, ſed ſi realiter diſtinguerentur ex hoc ipſo perſonalitas vt Paternitas realiter effectiue à natura promanaret, ergo & modo quia diſtinguuntur virtualiter effectiue debet emanare ab eadem.

Sexto quod eſt poſterius virtualiter intrinſecè adæquate ſeu excluſiue diſtinctū neceſſario habet ſaltē virtualiter aliquod principiū ſui productiuū, virtualiter enim antequam exiſtat in ſe potuit exiſtere vt præcontentum ſaltem virtualiter in aliqua potentia actiua, per quam poſterius virtualiter trahitur de poſſe eſſe ad eſſe, vnde nomine agentis vel efficientis vt ſic nihil intelligitur aliud quam primum principium, vnde incipit motus ſcil. exeundi de poſſe eſſe ad eſſe, vt patet ex 5. Methaph. cap. 2. Sed Paternitas in Deo iam eſt quid virtualiter natura Diuina poſterius adæquate excluſiue diſtinctum, vt ſupponit arguens, & continetur virtualiter eminenter in eadem Diuina natura, ex qua veluti virtualiter accipit eſſe ſibi communicatum per communicationē ad intra nō quidem realem, ſed virtualem, ſicut etiam quælibet proprietas ex S. Th. p. p. qu. 77. art. 6. quodammodo effectiue etiam promanat à ſubiecto, cuius eſt, ergo Paternitas à Diuina natura virtualiter effectiue procedit, vt Perezius intendebat.

Septimo, nam commune eſt apud Theologos & S. PP. Filiationem prodire ab eſſentia ſeu Diuina natura ſaltem vt quo actiue realiter, vt colligitur ex S. Tho. p. p. qu. 41. ar. 5. & ex Theologis ſic paſſim interpretantibus aſſerum alias dicendi modum aliquorum Sanctorum PP. tribuentium influxum generationis etiam eſſentiæ, vti videre eſt in Dionyſio libr. de Diuinis nominibus cap. 2. Cirillo Alexandrino lib. 1. theſauri cap. 7. Hilario lib. 5. de Trinitate. Baſilio libr. 1. contra Eunomnium. Hieronymo in Pſalmum 109. Nazianzeno Athanaſio Anſelmo & alijs, quos refert Ruiz diſp. 100. de Trinitate, ergo à fortiori admitti poteſt, ac debet, quod ab eſſentia Diuina relatio Perſonalis, vt eſt Paternitas vel Filiatio, virtualiter ef-

fectiue

fectiue vt quod valeat promanare.

In oppoſitum tamen eſt quod Gilbertus Porectanus, vt refert Vaſquez ex Othone lib. de Geſtis Federici Imperatoris cap. 56. & 57. & ipſe caute ſaltem apparenter ſuam illam ſententiam de diſtinctione perfectionum in Deo conabatur producere dicens, *inter naturam & perſonam non Mathematica abſtractione ſed Theologica conſideratione quoquo modo rationem diuidere.* ſed hoc non obſtante in Concilio Rhemenſi damnatus eſt, & Eugenius in Bulla hæc verba prçcitatis oppoſita ſubiunxit, *ne aliqua ratio in Theologia inter perſonam & eſſentiam diuidat*, ergo à pari hic, etiam ſi aſſertio Carteſij & Aduerſariorum cum apparenti aliqua cautela proponatur, dum tamen ad Gilberti aſſertionem accedit, immò addit idem vlterius de Deo vt vno, quod Gilbertus non aſſerebat, à pari vel a fortiori euitanda eſt: & eadem ratio, proportione ſeruata, in Perez inflecti poteſt, cum vtrobique quid maius videatur eſſe actiuus influxus iſte etiam virtualis inter identificata realiter in Deo, quam ſola illa diſtinctio, quam Porectanus *non Mathematica abſtractione. ſed Theologica ſolum conſideratione* ponebat.

Reſpondeo neque Carteſij effatum mihi videri probabile, neque Perezij aſſertum rationabiliter placere poſſe. Nam contra primum ea omnia inuerti poſſunt, quæ D. Bernardus vrgebat ſermone 80. in Cantica contra Gilbertum Porectanum adductem, & p. p. cum S.Th. tanguntur qu. 3. ar. 3. probante in Deo eſſe omnino idem Deum & ſuam eſſentiam, ſeu naturam, addito etiam Auguſtino 11. de Ciuitate cap. 11. & 15. de Trinitate cap. 17.& Anſelmo apud Bernardum eundem & ſic poteſt prima ratio formari, nam aſſumpta Diuinitate, à qua tanquam a cauſa *poſitiue* dicis Deum eſſe, inquiro, vel hæc iterum Diuinitas à ſeipſa poſitiue tanquam à cauſa eſt, vel à ſe negatiue dumtaxat; Si primum non vitas proceſſum abſurdiſſimum in infinitum. Si ſecundum idem de Deo dicere antea valebas & tenebaris cum & illa, à pari, ſi non eſt nihil nec creatura, iam Deus ſit, audi nunc verba Bernardi ad inſtitutum ſic vtique differentis, *forſitan Diuinitas non dignatur Deus eſſe, quæ tanta eſt, vt faciat Deum? Sed ſi Deus non eſt, quid eſt? aut enim Deus, aut aliquid quod non eſt Deus? aut nihil. Sed non nihilum quidem, vt opinor, dabis, quam vſque adeo neceſſariam Deo fateris, vt non modo vtique ea Deus eſſe non poſſit, ſed ex ea ſit*, En Porectana verba hic à Bernardo relata, ac refutata ſimilia omnino Carteſij verbis, *Deus ſcilicet ex Diuinitate eſſe*, hoc vtique diſcrimine, quod Porectanus non eſt auſus addere *cauſæ* nomen, quod Carteſius adiunxit. *Sed dicit Hæreticus*, obijcit Bernardus contra ſe & idem obijcit Carteſius contra nos, *quid? Deum Diuinitate eſſe negas? non, ſed eandem Diuinitatem, qua eſt, Deum nihilominus aſſero, ne Deo excellentius aliquid eſſe aſſentiar*, ideſt, nunc ſubijceret Bernardus contra Carteſium, non minus aſſero Deum à ſeipſo negatiue eſſe, ſicut à ſeipſa negatiue Diuinitas eſt, *ne Deo excellentius aliquid eſſe aſſentiar*, quod eſſe cogitur aſſentiri, qui illam ſcil. Diuinitatem ita à ſeipſa negatiue aſtruit, vt à nullo poſitiue ſit, hunc verò ſcil. Deum non mere à ſe negatiue, ſed poſitiue à Diuinitate eſſe profitetur.

Secundo aſſero contra hoc nouum aſſertum antiquiſſimam ex S.Th. impugoationem primo contra Gentes cap. 22. ratione 3. dicente, *ſi illi quiditati ſcilicet Diuinæ conuenit eſſe per aliquam cauſam, quæ ſit aliquid, quod eſt de eſſentia illius, ſeu per eſſentiam ſuam, eſſentia autem eſt illud eſſe, ſequitur quod aliquid ſit ſibi ipſi cauſa eſſendi, hoc autem eſt impoſſibile, quia prius ſecundum intellectum eſt cauſam eſſe, quam effectum, ſi ergo aliquid ſibi ipſi eſt cauſa eſſendi, intelligeretur eſſe antequam haberet eſſe, quod eſt impoſſibile*, hæc S.Th. directe in Carteſium, ſi primo perpendas vniuerſim arguere S. Thomam de cauſa vt ſic, & non ſolum de efficiente proprie dicta, vt Gaſſendi obiectionibus Carteſius reſpondebat, videas ſecundo non poſſe conceptus iſtos eſſentiæ Diuinæ ac Dei obiectiuè ita ſecerni, vt illa prior adhuc virtualiter obiectiuè ſit à ſe negatiuè, iſte poſterior ad illam vt ad cauſam vt ſic adhuc obiectiue ſe habeat, quicquid de proprie efficiente dicatur.

Tertio inde aſſero alium ex eodem S.Th. diſcurſum ibidem, nempe ratione prima ita dicēte: *oporteret vel quod eſſe huiuſmodi dependeret ab eſſentia, vel vtraque ab alia cauſa, vel eſſentia ab eſſe*, en in primo dicto Carteſius non negabit ſuam claudi explicationem. Subſumit S. Thomas ibidem, *ſed prima duo ſunt contra rationem eius, quod eſt per ſe neceſſe eſſe, quia ſi ob alio dependet, iam non eſt neceſſe eſſe*, ergo iuxta S.Th. diſcurſum eſſe in Deo neque ab alia cauſa, neque à ſua eſſentia vt à cauſa vt ſic contra Carteſium dependere poteſt. Ommitto Beatum Paulinum Epiſtola 38. adhoc propoſitum concludentem, *tanquam vlla res*, inquit, *ſibi poſſit eſſe cauſa naſcendi, vt ſit eadem pariter creator, & ceatura, id eſt opifex, & opus, quæ vt nomine ita & genere & ſtatu diſcrepare perſpicuum eſt*. Ommitto inquam hæc & ſimilia cum præaddu cta ſufficiant & venio ad aliud Antonij Perez aſſertum, ex cuius refutatione euidentius à fortiori hoc idem Carteſij dictum poterit refutari, cum Perezius tandem de Paternitate & eſſentia loquatur, inter quæ ſaltem virtualis obiectiua diſtinctio conceditur, Carteſius verò de Deitate & Deo, inter quæ nec illa à Theologis admitti ſolet.

Quoad ſecundum igitur ſcil. Perezij aſſertum, ſic ipſum poſſumus impugnare ex p. p. qu. 39. art. 2. ad 5. vbi S. Th. ſimul refert & explicat adhoc intentum & alterum Eccleſiæ lumen ſcil. Auguſtinum aientem, *non dicimus tres Perſonas eſſe ex vna eſſentia*, ad quæ Auguſtini verba ſic S.Th. adiungit, *dicendum quod hæc propoſitio, ex, vel de, non deſſignat habitudinem cauſæ formalis, ſed magis habitudinem cauſæ efficientis, vel materialis. Quæ quidem cauſa in omnibus diſtinguuntur ab his, quorum ſunt cauſæ. Nihil enim eſt ſua materia; neq; etiam aliquid eſt ſuum principium actiuum, aliquid tamen eſt ſua forma, vt patet in omnibus rebus immaterialibus. Et ideo per hoc, quod dicamus tres Perſonas eſſe vnius eſſentiæ, ſignificando eſſentiam in habitudine formæ, non oſtendimus aliud eſſe eſſentiam quam Perſonam, quod oſtenderetur ſi diceremus tres Perſonas ex eadem eſſentia*, hæc S. Thomas iterum infra legendus qu. 41 ar. 3. ad ſecundum, & ex eodem poteſt prima hæc ac ſolida ratiocinatio formari, nam id, quod in ſua ratione formali vt ſic includit diſtinctionem realem vnius ab altero, nequit admitti in Deo etiam virtualiter inter eſſentiam

&

& Paternitatem & huiuſmodi, aliter inde deduceretur realis diſtinctio inter illa, vt S. Th. inferebat, Sed in ratione formali cauſæ efficientis vt ſic includitur diſtinctio realis inter effectum & cauſam, non ſic verò inter formam & id cuius eſt, vt loquitur S. Thomas, id probans à Poſteriori in formis immaterialibus ſubſiſtentibus per ſe, ergo inter eſſentiam Diuinam & Paternitatem, licet poſſit admitti proceſſus virtualis iſtius conſequentis ad illam vt formam, non tamen vt ad efficientem. Confirmatur nam ratio formalis emanationis alicuius ab eſſentia effectiuè vt ſic importat quod id, quod emanare dicitur, effectiuè terminet ſecundario actionem agentis terminatam primario ad eſſentiam, ſed nec virtualiter in Deo datur actio primo terminata ad Deitatem & inde ſecundario terminata ad Paternitatem, ergo nec virtualiter Paternitas effectiuè poterit emanare ab eſſentia.

Secundo nam quidquid aliquo modo effectiue procedit à natura Diuina vt intelligente formaliter verbum eſt iuxta S. Thomæ diſcurſum p. p. q. 27. ar. 1. *Quicunque intelligit ex hoc ipſo quod intelligit &c.* ſed in ſententia Aduerſariorum iam Pater ſeu Paternitas effectiuè ſaltem virtualiter à natura Diuina vt intelligente procederet, vt concedit Perez, immò probat ex identificatione intellectionis cum eſſentia Dei, ergo in Aduerſarioum ſententia Pater ſeu Paternitas ſaltem virtualiter verbum eſſet, quod eſt abſurdum. Vnde ex hoc eodem fundamento fortaſſe & Marius Victorinus Afer in Bibliotheca tom. 5. lib. 3. contra Arium de facto ſic inferebat, *& Pater & Filius Verbum ſunt, ille verbum tacens hic verbum ſonans, ille Verbum, hic Verbi vox*. Quæ tamen fraſis in cenſura Bibliotecæ veterum patrum reprobata eſt. Confirmatur, nam id, quod virtualiter effectiuè producit Filiationem, dicitur etiam ſaltem virtualiter eſt generare Filium vt patet, ſed in ſententia Aduerſaria Deitas diceretur virtualiter effectiue producere Paternitatem & Filiationem, ergo Deitas etiam diceretur virtualiter effectiue producere Filium & conſequenter generare Filium, quæ tamen iterum fraſis communiter refutatur cum S. Th. p. p. qu. 39. ar. 5.

Tertio tandem ſic argumenta Perezij deſtruuntur, quia intantum Paternitas diceretur virtualiter effectiue procedere ab eſſentia Dei, in quantum communiter admittitur haurire ab eadem virtualiter ſuum eſſe vt quid poſterius virtualiter conſequens, ſed ad hoc totum ſaluandum ſufficit conſequi ad ipſam vt formam adhuc virtualiter non vt efficientem, ſicuti S. Thomas præuidebat mox referendus, immò & in Creatis exiſtentia apud diſtinguentes ipſam ab eſſentia conſequitur ad eandem vt formam non efficientem, vt præcæteris docet Ledeſma qu. 12. art. 7. ex S Tho. 2. contra Gentes cap. 54. addente & aliud exemplum de luce conſequente ad diafanum, ergo adhuc in propoſito admittendum non eſt Paternitatem conſequi ad eſſentiam virtualiter vt efficientem.

Ad primum igitur dicendum eſt, non ſolum cauſæ nomen præcaueri à Latinis circa Deum vt Trinum, ne Filius cum Ario exiſtimetur inferior Patre, ſed etiam à fortiori circa Deum vt vnum, ne inde diſtinctio pluſquam rationis, ſeu aliquā compoſitio ac imperfectio deducatur in Deum, vt de

Deo

Deo & Deitate de facto deduxit Ioachinus damnatus in cap. firmiter de ſumma Trinitate, vt pleriſque vel mediocriter Theologiæ peritis compertum eſt, ex quo non ſolum cauſati ſed cauſæ nomen apud Latinos à Deo omninò ad intra ablegandum eſſe ſupponitur, niſi *de cauſa ſecundum rationem* intelligatur, quomodo inquit Caietanus prima parte qu. 33. art. 1. intelligitur illud Auguſtini 7. de Trinitate cap. 4. de Patre dicentis, *illud, quod eſt ei cauſa vt ſit, eſt ei cauſa vt ſapiens ſit*. Carteſius autem profitetur aperte Deitatem proprie reſpectu Dei cauſam eſſe, licet non ita proprie cauſa efficiens ſit, quorum primum inuoluit neceſſariò dependentiam & imperfectionem, in Græcorum etiam ſententia repugnantem Deo, vt S. Th. aduertit eadem qu. 33. ar. 1. ad 1.

Ad ſecundum hinc facilimũ reſponſum patet ad ſummum permittẽdum dumtaxat nomen cauſæ virtualis in Deo ſecundum rationem & impropriè, non verò adhuc cauſam formalem proprie talem ad intra, vt etiam ex verbis eiuſdem S. Thomæ contra Perezium adductis habetur, in quibus loquẽs de eſſentia reſpectu rei ſpiritualis, cum qua identificatur, admittit vtique habere rationem formæ non tamen adhuc cauſæ formalis; Præterquamquod ex diſcurſu Carteſij pariter inferretur penes modum noſtrum cognoſcendi Deum per anologiam ad Creaturas, quibus in cognoſcendo aſſueti ſumus, admitti debere & nomen effectus in Deo, quod neque Carteſius admittere auſus eſt.

Ad tertium intorquendum facilime in arguentem, quia de eſſentia non quæritur vllo modo efficiens, ſed exiſtentia in Deo idem eſt cum eſſentia, ergo nec de exiſtentia in Deo vllo modo efficiens inquiri debet, ad hoc, inquam, tertium argumentum planiſſimus occurſus eſt diſtinguendo maiorem, ſi exiſtentia conueniat accidentaliter eſſentiæ, concedo, ſi neceſſario & quiditatiue, nego, vt aduertebat in eodem 1. contra Gentes cap. 22. S. Th. & alibi.

Ad quartum quæſo patiantur aliqui me admonère lectorem ſeruata proportione ſimile motiuum fuiſſe adductum olim etiam à Raimondo Lullo (vt in directorio Inquiſitorum parte 2. refertur) in li. de ſeptem arboribus pariter ita dicente, *Pater eſt eſſentia eſſentians ne otioſa ſit eſſentia, & Filius eſt eſſentia eſſententiata &c.* Igitur ſufficit vt nos repetamus Paternitatem conſequi virtualiter ad eſſentiam vt formam, & ſimul eſſentiam, vt quo, non quod, actiue concurrere in productione Filij & Spiritus Sancti, ne otioſa adhuc ad intra remanere dicatur.

Ad quintum primo negatur maior, quia licet ratio formæ conſiſtat ex dictis cum ſola diſtinctione virtuali, non ſic tamen ratio efficientis; Secundo neque minor vera eſt, tum quia de facto in creaturis Thomiſtæ concedunt ſubſiſtentiam diſtingui realiter à natura & tamen negãt actiue realiter procedere ab eadem, ſicut nec exiſtentia, tum quia hoc gratis admiſſo vt præuidit Nazarius ad p. p. qu. 27. art. 3. adhuc Perſonalitas in Creaturis præcedit realiter intellectionem & conſequenter adhuc neque in Deo virtualiter Perſonalitas ab intellectione procederet.

Ad ſextum, primo ſuppoſitum falſum eſt, nempe relationes in Deo adæquate excluſiue ab eſſentia diſtingui, vt communiter alibi à noſtris tractari ſolet; Sed gratis ommiſſo negatur maior, quia ad ea omnia ſaluãda ſufficiẽs eſt proceſſio virtualis Paternitatis ab eſſentia vt forma, in quo genere Deitas à nullo priori tanquam forma adhuc virtualiter eſt, vbi Paternitas hoc vtique modo poſterior eſt; non verò vnquam eſſentia ad Paternitatem poteſt comparari vt efficiens, neque iſta dici poteſt efficienter extrahi adhuc virtualiter de non eſſe ad eſſe, tum quia in nullo inſtanti in quo vnquam ſupponitur non eſſe, tum quia habet omninò idem eſſe ſeu exiſtere indiuiſibile etiam virtualiter, ac habet eſſentia &c. ex qua vnica Doctrina ſoluuntur cætera ibidem congeſta argumenta Perezij.

Ad ſeptimum reſpondet S.Th. qu. 45. primæ partis art. 5. ad primum concesſo antecedente negando conſequentiam, *quia*, inquit, *per hoc quod dicimus quod eſſentia Diuina eſt principium, quò generans generat, nõ ſequitur quod eſſentia Diuina diſtinguatur, ſicut ſequeretur ſi diceretur quod eſſentia Diuina generaret*, vnde ex primo ſenſu quorumdam Patrum non ſunt extendendæ locutiones eorumdem vlterius etiam ad ſecundum ſenſum, vt Perez quodammodo feciſſe videtur, quia ſubdit idem S.Th. qu. 39. art. 5. ad primum, *ad exprimendam vnitatem eſſentiæ & perſonæ Sancti Doctores aliquando expreſſius loquuti ſunt, quam proprietas locutionis pateretur, vnde huiuſmodi locutiones non ſunt extendendæ, ſed exponendæ &c.* & iterum qu. 41. art. 3. ad ſecundum, *hæc propoſitio*, inquit, *de, ſemper denotat conſubſtantialitatem; vnde non dicimus quod Domus ſit de edificatore, cum non ſit cauſa conſubſtantialis. Poſſumus autem dicere quod aliquid ſit de aliquo quocunque modo illud ſignificetur vt principium conſubſtantiale, ſiue illud ſit principium actiuum, ſicut Filius dicitur eſſe de Patre, ſiuè ſit principium materiale, ſicut Cultellus dicitur eſſe de Ferro, ſiue ſit principium formale in rebus immaterialibus, ſicut poſſumus dicere quod aliquis Angelus eſt de natura intellectuali. Et per hunc modum ſcilicet formæ dicimus quod Filius eſt genitus de eſsentia Patris*, vt ſcil. loquebatur Auguſtinus 7. de Trinitate, & demum ibidem S. Thomas ad 3. hinc concludit, *cum dicitur Filius eſt genitus de eſsentia Patris, vt ſcilicet aliqui Patres dixerunt, additur aliquid, reſpectu cuius poteſt ſaluari diſtinctio, ſed cum dicitur quod tres Perſonæ ſunt de eſsentia Diuina, non poneretur aliquid, reſpectu cuius poſset importari diſtinctio per præpoſitionem ſignificata & ideo hoc negatur ab Auguſtino in libr. 7. de Trinitate.* Patet igitur S. Thomam cum Auguſtino & Patribus ſemper refugiſſe influxum eſſentiæ vt quod actiuum quemcumque in Diuinas Perſonalitates contra Perezium &c.

AR-

ARTICVLVS III.

An Deus non ſolum ex genere Prædicamentali componatur, vt de Creatura dici ſolet, ſed etiam ad tres Perſonas proprie genus dici poſſit.

Videtur quod ſic etiam quoad ſecundum Gaſſendo lib. 2. aduerſus Ariſtotelicos exercitatione 2. volenti omne totum eſſentiale in ordine ad ea, de quibus prædicatur, etiam ſi ſolo numero differant, genus dicendum eſſe, præter alios paucos recentiores, qui primum illud de compoſitione Dei ex genere & differentia noſtro hoc ſeculo ex Nominalibus exſuſcitarūt, vt Hurtado, Ariaga, Ouiedo & Linceus. Et hoc in primis Gaſſendi fundamentum eſt. Nam, inquit, & Homo ſolum ad plura numero communis eſt. Sed hoc non obſtante non ſolum à vulgaribus, ſed à ſapientibus quoque genus nominatur, vt ab Ouidio primo Methamorphoſium, *inde genus durum ſumus*, à Plauto, *Iupiter qui genus colis aliſque hominum*, & iterum *mille hominum ſpecies*, pariter à Cicerone ſecundo Philoſoph. *dum genus hominum extabit*, à Zenone apud Laertium, *ſpecies alia generalis, quæ cum ſit genus non habet genus, alia maxime propria, quæ cum ſit ſpecies, ſpeciem non habet vt Socrates*, immò & Ariſtoteles 1. Methaph. cap. 1. *hominum genus*, inquit, *ratione viuit*, & 3. Methaph. cap. 4. *vltima genera, inquit, ſunt in indiuiduis, vt homo*, ergo quodlibet totum eſſentiale genus proprie dici poteſt contra Peripateticos Poſteriores, & conſequenter cum Deus eſſentialiter de tribus numero Perſonis prædicetur, genus dici debet iuxta Gaſſendum.

Secundo quia Damaſcenus lib. 1. inſtitutionum cap. 7. *Subſtantia*, inquit, *quæ continet ſuper ſubſtantialiter increatam Deitatem, cognoſcibiliter autem & continuè omnem creaturam, generaliſſimum genus eſt*, pariter Auguſtinus 5. de Trinitate cap. 7. loquens de Diuinis Patre & Filio, inquit, *genitus & ingenitus in eodem prædicamento ſunt, quod relatiuum vocatur*, item cap. 10. *de omnibus*, inquit, *omninò prædicamentis, quæ de Deo poſſunt enunciari, quod ad ſe ipſum dicitur non tranſlate ac per ſimilitudinem ſed propriè*, ergo iam ex Damaſceno & Auguſtino etiam in Deo genus prædicamentale reperitur ad inſtar creaturarum.

Tertio quia ſicut datur genus entium, ita datur verum genus ſcibilium, ſed Deus continetur directè ſub aliquo genere ſcibilium, ergo etiam ſub genere entium, & abſurda, quæ ſolent obijci contra ſecundum, militare videntur & contra primum iam conceſſum ab omnibus.

Quarto quia poſſumus cum fundamento in re concipere Deum vt habentem ſuum eſſe ad creaturas, dum fingimus in ipſo aliquam relationem creatoris, relatiuum autem eſt, cuius totum eſſe eſt ad aliud, ergo poſſumus pariter cum fundamento in re concipere in Deo rationem potentiæ & actus, ſeu generis & differentiæ; ommiſſis cæteris obiectionibus vulgariter magis conſuetis adduci,

In oppoſitum tamen eſt auctoritas Sanctorum PP. ſecdum S. Thomæ 1. p. qu.

p. qu. 3. ar. 5. cum Hilario lib. 6. de Trinit. ſed etiam Auguſtini lib. de cognitione veræ vitæ cap. 2. & 7. de Trinit. cap. 6. Boetij 1. de Trinitate cap. 5. & 6. Anſelmi in Monologio cap. 26. & aliorum SS. Patrum paſſim denegantium aliquod genus in Deo ad differentiam creaturarum, ſed hæc præſertim aduerſantur præaducta Gaſſendi ſententiæ, ergo preſertim præaducta Gaſſendi ſententia refellenda eſt.

Reſpondeo vtiq; refellendam eſſe, quod ſpecialiter primo aduerſus eundem Gaſſendum ita ex Bernardo deduco, nam etiam olim Abailardus, vt idem Bernardus refert Epiſtola 189. ad Innocentium, ſimiliter omninò aſſerebat *hoc eſſe Filium ad Patrem in Deo, quod ſpeciem ad genus*, contra quæ verba ita Bernardus inſurgit, *longè tam fiat à ſenſibus noſtris, quam eſt à regula veritatis execranda illa de Genere & ſpecie non ſimilitudo, ſed diſſimilitudo, quoniam cùm genus quidem & ſpecies, quod ad ſe inuicem ſit, alterum ſuperius, altera inferior ſit, Deus autem vnus ſit, numquam profectò benè conueniet tantæ æquitati & tantæ diſparitati*, & infra, *cum ſpecies vt minor ſit & inferior genere, abſit vt hanc in Patre & Filio diuerſitatem cogitemus. Abſit vt huic acquieſcamus dicentes hoc eſſe Filium, quod ſpeciem ad genus &c. Videtis de quanta vel imperitia, vel impietate deſcendat harum adinuentio ſimilitudinum?* Inde vniuerſim arrepta occaſione nunc expedit & contra adductos paucos recentiores ſtabilire nullo modo in Deo generis compoſitionem admitti poſſe, vt à fortiori eiuſdem Gaſſendi refutatio firmetur.

Probatur igitur primo Deum ex genere non componi tribus rationibus S. Thomæ 1. p. q. 3. ar. 5. quarum prima ſic formatur ex puritate actus in Deo ſic, quia genus ſe habet obiectiue vt potentia virtualiter excluſiue ad differentiam vt actum. Sed in Deo, qui eſt purus actus, nequit dari obiectiue virtualiter talis potentia, ergo neque genus vel differentia, vnde non valet paritas obijci ſolita de Attributis, cum hæc diſtinguantur ſolum penes explicitum non penes excluſum. Secunda ſic efformatur ex conceptu entis educta, quia id, quod eſt vltima actualitas & quiditatiua rei, eſt differentia, ſed exiſtentia in Deo ſe habet vt vltima actualitas, & quiditatiua eiuſdem, ergo eius eſſet differentia, ergo id, in quo exiſtentia fundatur, eſſet genus ſcil. ipſum ens, ſed ens nequit eſſe genus ex 3. Methaph. ergo in Deo nullum genus dari poteſt. Tertia deſumpta ex neceſſitate ſumma Dei ſic efformatur, quia nullus actus actuans potentiam eſt actus purus. Sed differentia eſt actus actuans potentiam generis, vnde & differentia ea dicitur, quæ ducit genus ad eſſe, ergo nulla differentia eſt actus purus, ergo exiſtentia, quæ eſt vltima actualitas, numquam eſt de quidditate differentiæ & à fortiori nec compoſiti ex genere & differentia; Sed exiſtentia eſt de quidditate Dei, qui eſt ens omninò neceſſarium, ergo Deus non eſt compoſitus ex genere & differentia. Addo quartam rationem ex S. Th. ibidem in argumento ſed contra deſumptam ex primitate Dei in linea entis, quia genus obiectiue eſt prius natura quam compoſitum ex genere, ſcil. virtualiter in re, & formaliter in intellectu. Sed nil poteſt eſſe prius Deo hoc

Nn pacto,

pacto, aliter Deus non eſſet omnino primus, ergo nullum genus datur ſupra Deum; nec valet de ente analogo, quod non dicit aliquid ſuperius præciſum ſimpliciter & prius, ſicuti genus &c. Addo quintam ex eodem articulo S. Th. ad primum deſumptam ex ſumma ſubſtantialitate ſeu ſuperſubſtantialitate Dei, vt loquitur Dionyſius de Diuinis nominibus, ſic quia ſubſtantia Prædicamentalis eſt quidditas, cui debetur eſſe per ſe, ſed natura Diuina non ſic ſe habet, immò præhabet in ſe ipſum eſſe per ſe, ergo natura Diuina non eſt ſubſtantia prædicamentalis, quem diſcurſum repetit etiam S. Thomas in primo diſt. 8. qu. 4. ar. 2. ad primum. Addo ſextam ex primo contra Gentes ca. 24. deſumptam ex perfectione Diuinæ naturæ, quia natura generis non eſt in ſtatu perfecto, niſi exiſtentibus omnibus ſuis ſpeciebus, ſed quilibet conceptus naturæ in Deo perfectiſſimus eſt etiam non exiſtentibus vllis ſpeciebus creaturarum, ergo nullus conceptus naturæ in Deo poteſt eſſe natura generica eiuſdem. Addo ſeptimam ex Dionyſio de Diuinis nominibus paſſim appellante Deum ſuperſubſtantialem, ſuperexiſtentialem, ſupereſſentialem ſuperens &c. ſic in forma, quia differentia nequit inbibere genus, ſicut nec genus differentiam, ſed conceptus proprius Dei imbibit quemlibet conceptum entis vt entis, naturæ vt naturæ, immò & ipſum eſſe, ergo nullus conceptus Dei poteſt eſſe differentia in Deo, conſequenter nec in Deo dabitur genus. Addo octauam deſumptam ex ſumma perfectione eiuſdem Dei, quia vna differentia non côtinet perfectionem alterius differentiæ, licet ſibi identificet perfectionem generis, ergo ſi Deus haberet aliquam differentiam, qua differret à creatura conueniens in aliquo genere cum ipſa, iam non contineret omnes perfectiones creaturarum, ſed hoc eſt abſurdum, vt tractatur p. p. qu. 4. art. 2. ergo Deus ex differentia & genere componi nequit. Mitto alias rationes minus efficaces aliorum in Amico etiam refutatas & aliis, & concludo contra aliquos recentiores opinantes hanc veritatem ſola auctoritate non verò ratione probari, concludo, inquam, cum, cum Auguſtino lib. de cognitione veræ vitæ cap. 3. *quod ex his decem prædicamentis nullum proprie Deo conueniat manifeſta ratio comprobat*, ſeu ſub genere collocetur.

Ad primum igitur ex Gaſſendo nimis vulgari potius quam dogmaticæ loquutioni ſubnixum, iuxta eandem adhuc loquutionem addendum eſt, in tantum ſpeciem, vt hominem, apud aliquos genus nominari, in quantum & indiuidua inuenta ſub homine licet in linea eſſentiæ hominis ſolo numero diſtinguantur, in ordine tamen aliquorum accidentium ſpecie differre poſſunt, vt explicat Seneca Epiſtola 58. *Homo*, inquit, *genus eſt, habet enim ſub ſe nationum ſpecies, Græcos, Romanos, Parthos &c. Itaque quia multa continet in genus cadit, quia ſub alio eſt in ſpeciem*, & Martianus Capella lib. 4. de nuptijs, *Hominum genus*, inquit, *Barbaris & Romanis genus, & vſque eo genus eſſe poteſt, donec eius formulas diuidens ad Indiuiduum aliquod venias, vt ſi homines diuidas in maſculos, & feminas, item maſculos in Pueros Adoleſcentes & ſenes &c.* quæ ſingula noſtræ præmiſſæ diſtinctioni conformia ſunt.

Ad ſecundum de Sanctis Patribus dubitandum non eſt an ſtent pro nobis,

cum

cum hac de cauſa, vt refert Baronius, academia Oxonienſis oppoſitam opinionem damnauerit vt erroneam, & Molina ipſe dicat oppoſitam ſententiam non ita conformem eſſe diffinitioni Eccleſiæ cap. firmiter de ſumma Trinitate. Quoad Damaſcenum igitur eum loqui dumtaxat iuxta vulgarem, & improprium, ſeu Methaphoricum loquendi modum ex parte noſtri euidenter habetur ex contextu eiuſdem Damaſceni mox ante dicentis, *quo autem clariora, & planiora hæc fiant, ita dicamus. Eſſentia modo quodam, quam ſit eſſentia, ſuperiore Diuinitatem complectitur, notitia autem & complexu ſuo omnia continet, quæ effecta ſunt.* Ad Auguſtinm, nego directe in illis verbis loqui de Diuinis, vt legenti patebit, licet ex creatis ibi aſcendat poſtea ad Diuinorum cognitionem, & rurſus in ſecundo loco non ſine myſterio ſubiungit, *ſi tamen de illo proprie aliquid dici ore hominis poteſt*, vnde etiam in hoc ſenſu Boetius primo de Trinitate cap. 5. & 6. dicebat, *hæc prædicamenta, cum quis in Diuinam vertit prædicationem, cuncta mutantur, quæ prædicari poſſunt*, Præterquamquod & Deum eſſe in prædicamento reductiuè reductione actiua, non paſſiua, explicat Caietanus prima parte qu. 3. art. 5. ex S. Thom. in primo diſt. 8. qu. 4. art. 2. ad 3. & rurſus nos alibi ſuſtinuimus aliquid in Deo poſſe gerere vicem generis in hoc ſenſu, quod ſi in Deo genus eſſet, tale v. g. ſubſtantia illud eſſe deberet, ſicuti ex Ariſtotele dici ſolet apud aliquos quod ſi Cælum moueri incepiſſet, non niſi incepiſſet ab Oriente &c.

Ad tertium diſtinguitur maior, ſi intelligatur paritas quoad aliqua concedit ur, quoad omnia negatur, tum quia ſcibilitas eſt prædicatum conotans extrinſecè cognitionem, non ſic autem ens vel ſubſtantia & huiuſmodi, quæ totaliter intrinſeca ſunt, tum quia illa eſt prædicatum aliquo modo contingens ſeu denominatiuum, non vero iſta, quo primo modo etiam primo diuerſis aliquid commune vniuocum admitti poteſt, vt eſſe album ad ſubſtantiam & quantitatem & huiuſmodi, non verò ſecundo modo.

Ad quartum conceſſo antecedente negatur conſequentia, & diſparitas aſſignatur, quia relatio ficta in Deo reſpicit tantummodo Deum vt ſubiectum fundans eandem, at vero compoſitio ex genere & differentia intimiora penetrat, ſcil. vſque ad intimam Dei naturam præuenientem etiam ſuppoſitum vel ſubſiſtentiam, vnde cum dicitur relatiuum illud eſſe, cuius totum eſſe eſt ad aliud, hoc in ſubiecto relatiuo intelligi ſatis erit non de eſſe eſſentiæ ſubiecti, ſed de eſſe veluti conſequente ad ipſam vt S. Th. exponit in primo diſt. 33. qu. 1. ar. 1.

Nn 2 QVÆ-

QVÆSTIO IV.

De ſecta Parmenidica apud Chriſtianos confundente in vnum creaturam cum Deo.

DEinde aliorum pariter inter Chriſtianos ſecta Parmenidica expendenda eſt, confundens ſcil. è contra creaturam cum Deo. Et primo ſe offert error eiuſdem Viclef hæretici proferentis & propugnantis hanc propoſitionem, *qualibet creatura Deus eſt*, ſecundo Henrici tenentis eſſentiam cuiuslibet creaturæ ab æterno eſſe quid poſitiuum licet diminutum præter Deum improductum ab ipſo. Tertio occurunt alij volentes dari poſſe aliquod ens creatum, cui ſuppoſita prima productione adeo eſſentialis exiſtentia ſit, vt nequeat etiam de potentia abſoluta non eſſe. Quarto demum & alij volentes aliquam creaturam poſſibilem eſſe, quæ Phyſicè ex ſui natura exigat eſſe ab æterno cum Deo. Singuli hi omnes ſub hoc titulo examinandi nunc ſunt.

ARTICVLVS PRIMVS.

An ab Æterno qualibet creatura ſit Deus.

VIdebatur quod ſic Hæretico Viclef libr. de Ideis cap. 1. & 3. probanti quod licet apud rudes & minus intelligentes iſta propoſitio non eſſet concedenda, niſi cum addito, ſcil. dicendo, *qualibet creatura in eſſe intelligibili eſt Deus*, tamen apud intelligentes abſolutè & ſimpliciter admittendum eſſet *quamlibet creaturam Deum eſſe*. Et probabat primo, quia cum Auguſtino etiam S. Thomas qu. 3. de potentia ar. 5. aſſerebat, quod ab æterno *creatura eſt creatrix eſsentia*, ergo iam iſta propoſitio abſolute prolata admittenda eſt.

Secundo quia talia ſunt ſubiecta, qualia permittuntur à prædicatis, ſed in hac propoſitione, *creatura eſt Deus*, à prædicato non permittitur ſumi ſubiectum, ſcil. creaturam, niſi quoad eſſe intelligibile, de quo vtique verificatur, ergo abſolutè prædicta propoſitio permitti poteſt, vt ibidem arguebat idem Viclef.

Tertio eſſe eſt ſuperius ad intelligibile & intelligi, vel ſaltem illud præſupponitur ad iſtud, ergo quod eſt aliquid in eſſe intelligibili, eſt etiam illud in eſſe vt ſic. Sed creatura ſaltem in eſſe intelligibili Deus eſt & eſſentia Dei, ergo ſic etiam eſt in eſſe vt ſic.

Quarto ex Auguſtino tractatu 37. in Ioannem in hoc differt eſſe creaturarum in Deo, & in ſe ipſis, quod ibi habent eſſe immutabilius, quam hic, ergo id quod conuenit creaturæ ſecundum illud prius eſſe, magis ſimpliciter conueniet, quam id, quod competit ſecundum hoc eſſe poſterius. Sed creaturæ competit eſſe creatricem eſſentiam ſecundum illud prius eſſe, ergo

magis ſimpliciter hoc ipſi competet, quam ſi competeret in ſe ipſa, & conſequenter abſolute à fortiori conueniet.

In oppoſitum tamen eſt, quod vt inquit. Auguſtinus li.5. ſuper Geneſim ad litteram cap. 7. *non aliter nouit Deus facta quam fienda*, ſed ex eo, quod Deus hæc facta intelligat, enormis omnino ab omnibus reputaretur hæc propoſitio, ſcil. *aliqua creatura, quæ facta eſt, Deus eſt*, vt ſimilem reprǽhendit Porphirij propoſitionem Gregorius lib. 18. moralium cap. 27.& aliam ſimilem cæteri omnes abhorrent adductam in Macrobio lib.1.in ſomnium Scipionis de Scipione eodem, & longe minor Luciferi præſumptio fuiſſet aientis, *ſimilis ero Altiſſimo*, ergo pariter eſt abſurdum de creatura fienda, ex eo,quod à Deo intelligatur, aſſerere, quod Deus ſit.

Reſpondeo non vtique poſſe admitti præadductam propoſitionem. Nam vt aduertit Auguſt. tomo 9. Homil. 1. ſuper Ioannem in hac etiam propoſitione fundabatur error Manicheorum impie deductus ex præpoſtera intelligentia Euangelij Ioannis cap. 1. dicentis, *quicquid factum eſt in ipſo vita erat*. Sed nos cauere debemus,ne etiam verbis fauere videamur Manicheorum errori, ergo prædicta propoſitio euitanda eſt. Audi nunc verba Auguſtini ad eũdem locum Ioannis,*quod in illo factum eſt vita eſt, ergo & terra vita eſt? ergo & lignum eſt? ergo & lapis vita eſt? inboneſtum eſt ſic intelligere, ne rurſum nobis eadem ſordidiſſima ſecta, Manicheorum ſcil. exprobetur. Solent enim delirantes hæc dicere, & cum repreſſi fuerint & repulſi, quaſi de ſcripturis proferunt dicentes, vt quid dictum eſt? quod factum eſt in illo vita eſt? Si enim in ipſo omnia facta ſunt, omnia vita ſunt.* Hæc Auguſtinus.

Secundo immò ex eodem loco Ioannis ſic prædicta propoſitio cum eodem Auguſtino ibidem refutatur, nam in præfata materia non debemus nos recedere à modo loquendi Euangeliſtæ, ſeu eidem contrariari. Sed Euangeliſta Ioannes nunquam dixit abſolute, *quod factum eſt vita erat*, ſed ſolum dixit,*in ipſo vita erat*,ergo neque nos abſolute poſſumus vel debemus dicere, *creatura eſt Deus*, ſed ſolum cum addito ſcil. creatura, quæ facta eſt, intra Deum ab æterno erat creatrix eſſentia, *vt* effectus ſcil. precontentus ac ideatus in illa', vt mox dicemus loquutum eſſe cum Auguſtino & S.Thomam; Audi nunc iterum ibidem hunc integrum in Auguſtino diſcurſum, *non te inducant*, inquit, *Manichei,pronuncia ſic,quod factum eſt. Hic ſubdiſtingue,& deinde infer. In illo vita eſt. Quid eſt hoc? facta eſt Terra. Sed ipſa Terra, quæ facta eſt, non eſt vita. Eſt autem in ipſa ſapientia ſpiritualiter quadam ratio, qua terra facta eſt, hæc vita eſt &c. Foris igitur Corpora ſunt, in arte vita ſunt.* Idem repetit tomo 3. lib. 2. ſuper Geneſim ad Litteram & lib.5. pariter ſuper Geneſim ad litteram cap. 15. & alibi ſæpe.

Tertio probatur cum eodem Auguſtino ex hoc eodem libr. 5.ſuper Gen. cap. 14. ſic deducentem ad abſurdum negatum etiam ab Aduerſario, nam nemo profecto niſi inſipienter admittere poteſt hanc propoſitionem, *lapis viuit, cadauer viuit*, & huiuſmodi. Sed maius eſt eſſe vitam increatam Dei, quam viuere, ergo à fortiori nemo poteſt niſi inſipienter admittere hanc propoſitionem, *lapis eſt vita increata Dei*, vt iſte dicebat. Audi rurſus Auguſtini

guſtini verba, *cum*, inquit, *abſurdè dicatur omnia viuere, quanto abſurdius, vt etiam vita ſint? præſertim quia diſtinguit de quali vita loquatur Euangeliſta cum addit, & vita erat lux hominum. Sic igitur diſtinguendum, vt cum dixerimus quod factum eſt, deinde inferamus, in illo vita erat; non in ſe ſcilicet, hoc eſt in ſua natura, qua factum eſt vt conditio creatura qua eſset. Sed in illo vita eſt, quia omnia, quæ per ipſum facta ſunt, nouerat antequam fierent*, hucuſque Auguſtinus.

Quarto probatur ex diſcurſu Anſelmi in Monologio cap. 15. *illa ſumma eſsentia*, inquit, *nullo modo ſic eſt aliquid, vt illud idem ſecundum alium modum, aut ſecundum aliam conſiderationem non ſit, quia quicquid aliquo modo eſsentialiter eſt, hoc eſt totum quomodo ipſa eſt*, ſed iam in ſententia Aduerſaria creatura ſaltem non eſt ſecundum omnem modum illud totum, quod Deus eſt. Ergo neque ſimpliciter vllo modo Deus eſſe poteſt.

Ad primum igitur ex Auguſtino iam ſatis reſponſum eſt, cui & S.Th. ibidem cumformabatur ſolum cum hoc addito dicens, *in intellectu creantis eſt creatrix eſsentia*, quod integre Auguſtini dictum erat repetitum & diſtinctum iterum ab eodem Auguſtino lib. 5. ſuper Gen. ad Litteram cap. 14. his verbis, *proinde antequam fierent erant & non erant, erant in Dei ſcientia non erant in ſua natura*, vbi etiam acutiſſime diſtinguit triplex eſſe creaturarum ſcil. intelligibile in intellectu Diuino, virtuale in ſuis cauſis, & formale in ſe ipſis.

Ad ſecundum eadem difficultas in arguentem retorquetur, qui pariter ex eodem argumento admittere cogeretur hanc propoſitionem, *Æthiops eſt albus*, eo quia à prædicato ſubiectum reſtringeretur ad eſſe tale ſecundum dentes, & huiuſmodi innumera adiungi poſſunt, Secundo diſtinguo maiorem, ſi prædicatum admittat reſtrictionem penes diuerſos modos in ſua prædicatione, tranſeat, ſi non admittat, vt ex Anſelmo vidimus de prædicatione eſſentiæ Dei, negatur.

Ad tertium diſtinguo antecedens, loquẽdo de eſſe vt ſic abſtrahẽte ab eſſe in ſe ſubiectiue, vt importat decem prædicamenta, & ab eſſe obiectiuè in intellectu, vt ſignificat veritatem propoſitionis ex Ariſtotele 4. Methaph. & S. Th. 1. de Ente & de eſſentia, concedo, loquendo de eſſe primo modo ſolummodo, nego, aliter quia ex Ariſtotele 4. Methaph. tex. 2. *non ens quodammodo dicimus eſse*, ſequeretur & non ens ſimpliciter eſſe, quod tamen vt abſurdum animaduertit Philoſophus iterum in 7. Methaph. tex. 14. ſubdens, *Logici non ens dicunt eſse non ſimpliciter, ſed non ens*.

Ad quartum ſolet reſponderi à Thomiſtis p. p. qu. 4. ar. 2. circa ſimilem ibidem S.Tho. propoſitionem diſtinguendo ipſam, vti & nos diſtinguimus hic antecedens aſumptum ſcil. comparando eſſe obiectiuum & virtuale effectus contentum in cauſa cum eſſe formali eiuſdem cauſæ, concedo, etiam cum eſſe formali ſubiectiuo & proprio effectus, nego, & inde prima conſequentia neganda eſt, quo ſecundo modo etiam Auguſtinus ibidem ſubiungit oportuniſſimum exemplum dicens, *Domus, quam ædificator ædificat prius in arte erat, & ibi melius, vbi ſine vetuſtate ſine ruina, cum tamen*

ibi

Digitized by Google

ibi ſubiectiue ſit accidens abſolutum, in ſe ipſa ſubſtantia &c. & iuxta hunc ſenſum lib. 4. ſuper Gen. ad Litteram cap. 7. ſubdit, *quamobrem non poſſumus dicere propterea ſenarium numerum eſſe perfectũ, quia ſex diebus perfecit Deus omnia opera ſua, ſed propterea Deus ſex diebus perfeciſſe opera ſua, quia ſenarius eſt numerus perfectus, ita ſi iſta non eſſent, perfectus ille eſſet, niſi autem ille perfectus eſſet, iſta ſecundum eum perfecta non fierent*, & hæc contra Vicleſ, quem Parmenidicum vtique fuiſſe obſeruauit etiam Vualdenſis tom. 2. c. 77.

ARTICVLVS II.

An ſaltem eſſentia creaturarum ab æterno ſit quid poſitiuum ſubiectiue in ſe præter Deum efficienter improductum ab ipſo.

Videbatur iterum quod ſic eidem Viclef Hæretico à Vualdenſi relato tom. 1. cap. 8. etiam quoad eſſe exiſtentiæ, cui aliquibus viſus eſt fauere Henricus in ſumma ar. 1. qu. 23. & 25. de eſſe eſſentiæ, & inde Albertinus in ſuis Corollarijs, quem tamen Bruno nouiſſime in Methaphyſica memorat ex fide dignis morti propinquum eandem reuocaſſe ſententiam, licet hoc non obſtante deinde eandem temperare ac deffenſare non dubitauerint tum extranei tum noſtri, ſed pauciſſimi, inter quos Nazarius, Prado & Marieta nouiſſime p. p. qu. 10. ar. 3. controuerſia 4. Et hæc plerumque ſunt argumenta pro ipſis.

Primo quia ab æterno & ſemper verificatur hæc propoſitio quod formica eſt animal & huiuſmodi, ſed hæc propoſitio ab æterno non verificaretur niſi ab æterno ſaltem eſſentia formicæ daretur & eſſet intrinſece ens, ſicut dicitur intrinſece animal, in cuius ratione ens tranſcendetaliter incluſum eſt. Ergo eſſentia formicæ ab æterno erit quid reale & intrinſecè ens.

Secundo quia ex Ariſtotele 9. Methaph. tex. 13. ens quod eſt aliquando in potentia & poſtea in actu fit, idem numero eſt, aliter illud idem non diceretur poſſibile vt poneretur in eſſe. Sed formica poſita in actu non eſt eadem numero cum aliqua negatione repugnantiæ ad eſſendum, in qua ab aliquibus poſſibilitas formicæ collocatur, ergo formica in potentia non erat illa negatio repugnantiæ ad eſſendum, immò verè quid reale ab æterno, ſicut & eſſentia realis in tempore eſt, vt ab exiſtentia præſcindit, & in idem redit ſimilis cæterorum diſcurſus, quod ſcil. id, quod eſt nihil, non poteſt realiter aliquid fieri ſeu reali exiſtentiæ ſubſterni, ſed eſſentia formicæ v. g. in tempore aliquid eſt, & reali exiſtentiæ ſubſternitur, ergo ab æterno non poteſt nihil eſſe.

Tertio quia negatio negationis affirmat & poſitiuum quid eſt, vti negatio tenebræ lumen eſt, ſed negatio repugnantiæ ad eſſendum iam ſubiectiue ab æterno eſt ſola negatio negationis, cum repugnantia quædam negatio ſit, nempe negatio aptitudinis, ergo adhuc iſta negatio repugnantiæ ad eſſendum, per quam dicitur ab aliquibus poſſibilis formica ab æterno conſtitui, iterum ab æterno quid poſitiuum eſt ſubiectiuè &c.

Quarto

Quarto quia aliter negatio non denominatur denominatione ſimili cum forma negata, vt negatio lucis lux eſſe non poteſt, ſed in noſtra ſententia hæc negatio repugnantiæ, ſi verè negatio eſt, negat ipſum eſſe reale, vti negat exiſtere, ergo non poteſt & iterum ipſa ens reale nuncupari ſeu poſitiue ens & huiuſmodi.

Quinto probatur ex S.Thoma 1. p. qu. 25. art. 3. aſſerente poſſibile non dici ſolum per denominationem à virtute productiua Diuina, immò & prius abſolute ſic dici, & in primo diſt. 33. qu. 1. ar. 1. ad primum triplex eſſe ſubdiuidente ſcil. alterum exiſtentiæ alterum eſſentiæ ſub exiſtentia, & demum alterum eſſentiæ ſecundum ſe abſolutè. Sed niſi eſſentia rei ab æterno poſſibilis eſſet quid poſitiuum in ſe aliquo modo diſtinctum ab eſſe Diuino, ſingula hæc ſaluari non poſſent, ergo eſſentia rei poſſibilis ab æterno eſt quid reale poſitiuum in ſe in linea eſſentiæ quodammodo præter Deum &c.

In oppoſitum tamen eſt non ſolum communis cęterorum omnium Thomiſtarum aliorumque conſenſus, ſed etiam fauendi periculum præaddučto errori Viclef refutato grauiſſime à Vualdenſi ex Patribus & Decreto Concilij Conſtancienſis, ergo licet recitata ſententia vtique poſſit ſe ab eodem Viclef errore defendere ac ſeparare, longe tamen hinc etiam ſententia oppoſita & probabilior & ſecurior eſſe videtur.

Reſpondeo vtique longè probabilius eſſe negare adhuc eſſentiam creaturæ ab æterno eſſe quid reale poſitiuum in ſe ſubiectiuè diſtinctum ab eſſe Diuino, ſeu præter Deum, vt diuerſimode præadducti Aduerſarij loquuntur. Nam vel hoc eſſe poſitiuum præter Deum ponitur eſſe exiſtentiæ licet diminutum, vt volebat Viclef, vel eſſe diminutum cogniti, vt voluit Scotus, vel tandem eſſe eſſentiæ præueniens eſſe cognitum & ab eſſe exiſtentiæ ſeiunctum, vt adducti Auctores opinantur, ſed nullum ex his, ergo nullo modo eſſentia creaturæ ab æterno eſt quid reale poſitiuum in ſe præter Deum &c. maior patet à ſufficienti diuiſione, & minor quoad primam partem à Catholicis modo communiter conceſſa eſt, vt contra Viclef probat loco citato Valdenſis, quoad ſecundam vero partem probatur, tum quia vt arguit Caietanus p. p. qu. 16. ar. 1. adeo ens reale & rationis contradictorie inuicē oppoſita ſunt penes eſſe vel non eſse nullo conſiderante intellectu, adeo, inquam, contradictorie opponuntur, vt medium dari repugnet, & illud ponere figmentum ſit, ſed illud eſse diminutum cogniti iam neque eſsēt ens rationis, neque reale, vt ex Scoto nouiſſime Pontius Scotiſta fatetur, ergo fingitur potiùs quàm detur, vt eidem Pontio & Maſtrius recenter opponit, tum quia in tantum introductum eſt ab aliquibus hoc eſse diminutum cognitum ab ęterno proueniens ex cognitione Diuina, inquantum ex iſto ſaluari poſse videtur quomodo eſsentia rei ab æterno poſſit eſse ac nominari realis, & de qua poſſint propoſitiones æternæ veritatis formari, ſed præſcidendo adhuc ab iſto actu cognitionis Diuinæ, & conſequenter ab eſse hoc diminuto cogniti, antecedenter adhuc in prioritate naturæ eſsentia v.g. formicæ eſt ita aliquo modo realis, vt realis chimera non ſit,

cum

illa ſit adhuc in illo priori naturæ intelligibilis à Deo, quomodo iſta non eſt, ergo eſſe diminutum cogniti ad explicandam realitatem eſſentiæ formicæ ab æterno nil facit, tum quia ſicut intellectus Diuinus ab æterno cognoſcit poſſibilitatē formicæ, ita & poſſibilitatem malitiæ peccati; ſed hinc ab æterno non dicitur Deus tribuere aliquod eſſe diminutum malitiæ peccati, ne Deus prius quam creatura quodammodo Auctor peccati diceretur, ergo neque poſſibilitati formicæ poteſt tribuere Deus hoc eſſe diminutum cogniti, ergo nil facit hoc eſſe diminutum cogniti, ad quod Scotus refugiebat vt Pontius contra Maſtrium profeſſus eſt.

Tertium demum de minori, quod reſtat & principale huius articuli, ſic primo probatur ratione deſumpta ex S. Thoma p. p. qu. 61. art. 1. quia creatio eſt productio rei ex nihilo ſui, & Anichilatio eſt deſitio eiuſdem in nihilum, ſed ſi eſſentia rerum quid poſitiuum intrinſece eſſet ab æterno, vt iſti ſupponunt, iam neque potuiſſet produci ex nihilo ſui neque in nihilum ſui deſinere, ergo neque creari potuiſſet, neque nunc anichilari valeret, quod abſurdiſſimum eſt, vnde loco citato ſic S. Thomas aiebat, *ſolus Deus eſt ab æterno, hoc enim fides Catholica indubitanter tenet, & contrarium eius eſt ſicut Hæreticum refutandum, ſic enim Deus creaturas produxit quod eas ex nihilo produxit, ideſt poſtquam nihil fuerunt*. Occurunt tamen oppoſiti diſtinguendo maiorem, ex nihilo ſui ſcil. exiſtentiæ, ſeu etiam eſſentiæ vt exiſtentis admittunt, ex nihilo etiam eſſentiæ præciſe, negant. Sed verba iſta videntur, non vera ſolutio, tum quia directè contra hoc loquitur S. Th. p. p. qu. 45. ar. 1. ſic dicens, *idem eſt nihil, ac nullum ens, & ita creatio, quæ eſt emanatio totius eſſe, eſt ex non ente, quod eſt nihil*, hæc S. Thomas, ſubſumo, ſed ſi eſſentiæ eſſent quid poſitiuum intrinſecum, iam non eſſent ita non ens, quod eſſent nihil, ergo verè ex ipſis tunc creatio ex nihilo non eſſet, tum quia vt obſeruat S. Thomas qu. 3. de potentia ar. 5. & inquit, *ex hoc ipſo, quod quidditati eſſe tribuitur non ſolum eſſe, ſed ipſa quidditas creari dicitur, quia antequam eſſe habeat nihil eſt, niſi forte in intellectu creantis, vbi non eſt creatura, ſed creatrix eſſentia*; ſed ſi prius ante productionem ipſa eſſentia daretur, vt quid intrinſecè poſitiuum in ſe, iam licet dici poſſet produci vt ſubſtrata exiſtentiæ, non tamen diceretur produci & exiſtentia & eſſentia, vti dicitur à S. Thoma & ab eodem probatur, ſicuti quia præſupponitur aer in ſe, licet à ſole dicatur produci vt lucidus, non tamen dicitur produci abſolutè non ſolum lumen ſed aer, ergo ſignum euidens eſt non dari prius eſſentiam vt quid poſitiuum intrinſece in ſe: tum quia in generatione vermis ex hoſtia conſecrata & putrefacta quandoque verè anima ſeu forma vermis dicitur educi de potentia materiæ, non verò creari ex nihilo, ſed tunc eſſentia materiæ non præſupponitur prius exiſtere ſub exiſtentia alicuius formæ, cum in eodem inſtanti temporis ſubrogetur à Deo materia, & hoc pariter in alijs caſibus poſſibile eſſe de potentia abſoluta Aduerſarij permittunt, ergo ad hoc vt aliquid non dicatur produci ex nihilo, ſeu non creari, ſufficiet vt producatur ex aliquo eſſe poſitiuo eſſentiæ, licet non exiſtentiæ, vt patet: tum quia productiones diuerſæ ſpecificantur ex diuerſa eſſentia termini nō

Digitized by Google

exiſtentia, ſed creatio eſt diuerſa productio à generatione, ergo diuerſitas eius deſumi debet in ordine ad eſſentiam non verò ad exiſtentiam, ergo creatio ex nihilo etiam eſsētiæ eſſe debet; tum quia eſſentia hominis adhuc vt præueniens exiſtentiam importat ſine dubio materiam & formam humanam vnitas ad inuicem, aliter hominis eſſentia non eſt, ſed ab æterno nullo modo datur materia & forma hominis vnitim ad inuicē, ne in eadem materia ſimul innumeræ formæ ſint, cum tamen vnio in tempore fiat, ergo adhuc ab æterno non datur eſſentia hominis poſitiua intrinſece vt ſic ab exiſtentia præſcindens, tum quia exiſtere nil aliud eſt, quam extra ſui cauſam ſiſtere, ſed eſſentiæ rerum in iſtorum ſententia eſſent aliquid reale poſitiuum intrinſecum extra Deum vt ſui cauſam, ergo exiſterent etiam vt volebat Viclef, tum quia demum, vt diſcurrebat S.Th. p.p.qu. 5 r. ar. 5. ſicut ad circulum ſequitur rotunditas, ita ad eſſentiam formæ ſequitur exiſtentia & conſequenter ſicuti circulus nequit eſſe ſine rotunditate, ita neque eſſe reale intrinſecum eſſentiæ ſine exiſtentia veluti proprietate, ſed ab æterno daretur totum eſſe poſitiuum intrinſecum eſſentiæ, vt iſti contendunt, ergo & exiſtentiæ, quod illi negant.

Secundo principaliter eadem noſtra reſolutio probatur, quia intantum eſſentia formicæ v. g. eſſet quid poſitiuum intrinſece ab æterno realiter inquantum realiter ſemper ab æterno eius diffinitio vera eſt; ſed pariter diffinitio exiſtentiæ ab æterno non minus ſemper vera eſt, ergo pariter exiſtentia ab æterno quid poſitiuum intrinſece eſſet, & ſicut ab æterno ex primo datur eſſe eſſentiæ formicæ, ita & eſſe exiſtentiæ daretur contra Aduerſarios & veritatem. Confirmo quia ſicut eſſentia non eſt indifferens adhoc vt ſit eſſentia vel non eſſentia, ſed ſemper eſſentia eſt, vt Aduerſarij nobis opponunt ex Caietano, ita neque exiſtentia indifferens eſt adhoc, vt ſit exiſtentia vel non exiſtentia, immò hoc ſecundum magis verificatur quam primum, cum exiſtentia vltima actualitas etiam eſſentię ſit, conſequenter magis in actu propria ſibi prædicata connectens; ſed ex primo datur per Aduerſarios eſſe eſſentiæ ab æterno, ergo & ex ſecundo eſſe exiſtentiæ à fortiori dari deberet, & cum exiſtentia nequeat dari niſi in eſſentia, cuius eſt, iam exiſterent rerum eſſentiæ ab æterno, quo nihil abſurdius audiri poteſt. Confirmo ſecundo, nam ſicuti nullo intellectu actu conſiderante formica ſemper diffinibilis eſt ſua propria diffinitione, v. g. quod ſit animal multipes implume & huiuſmodi, ita pariformiter & ens rationis nullo intellectu actu conſiderante ſemper ſua diffinitione diffinibile eſt, ſcil. eſſe id, quod poteſt habere eſſe obiectiuè dumtaxat in intellectu, & ſicuti prima propoſitio æternæ veritatis & neceſſaria eſt, ita & ſecunda. Sed ex primo datur quoddam eſſe poſitiuum intrinſecū formicæ ab æterno per Aduerſarios, ergo pariter ex ſecundo dari deberet quoddam eſſe poſitiuum intrinſecum entis rationis; quod quis non videat reſellendum eſſe immò irridendum?

Tertio tandem principaliter id poſſumus ſic probare, quia nullum ens poſitiuum intrinſecum & reale præter Deum dari poteſt, quod à Deo vt primo ente non pendeat, ſed eſſentia rerum ab æterno præter eſſe Diuinum

poſita

Digitized by Google

poſita neutiquam penderet à Deo, cum Deus ſolum liberè in tempore producat creaturas non ab æterno, ergo ſic eſſe non poteſt quid reale intrinſece poſitiuum præter eſſe Diuinum. Mirum eſt quomodo agitentur hoc argumento Aduerſarij, ſeque in varia latera torqueant ſcil. vel diſtinguendo maiorem quoad eſſe exiſtentiæ, conc. eſſentiæ, nego, vt reſpondebat Henricus, vel diſtinguendo minorem, vt à cauſa efficienti, concedo, exemplari, nego, vti & Mazziota reſpondet qu. 15. d. num. 513. & proſequitur Prado adhoc referens S. Thom. 2. contra Gentes cap. 84. Sed neutra argumenti ſolutio aut difficultatem euacuat, aut vim noſtræ rationis eneruat; vnde ſic contra primam oppono, tum quia ſicut Deus eſt primum ens participaliter ſeu vt exiſtens, ita eſt & primum ens nominaliter, ſcil. vt habens eſſentiam, ſed ex primitate in linea exiſtentiæ Diuinæ nullum ens creatum exiſtens admittitur independens ab exiſtente ſupremo ente, ſcil. Deo, ergo ex primitate in linea eſſentiæ nulla eſſentia creata admitti poteſt independenter ab eſſentia Diuina, tum quia ſicuti Deus dicitur ens totaliter independens ab alio, ſeu ens à ſe, ita creatura ab oppoſito dicitur ens totaliter pendens ab alio, ſeu non à ſe, ſed ex primo neque exiſtentia neque eſſentia in Deo poteſt ab alio pendere, ergo ex ſecundo ab oppoſito tam exiſtentia quam eſſentia creaturæ ſimul ab alio pendere conſtringitur, tum quia eſſe exiſtentiæ proportionatur eſſentiæ, & è contra eſſentia nequit dicere aliquid contradictorium exiſtentiæ, ſed eſſe exiſtentiæ in creaturis eſſentialiter eſt pendens à Deo, vt iſti concedunt, ergo eſſe eſſentiæ ab oppoſito nequit eſſentialiter eſſe non pendens à Deo, aliter neque eiuſdem exiſtentia pariter pendere valeret, tum quia tandem omnia prædicata eſſentialia, quæ competunt eſſentiæ rei ab æterno, remanent nec deſtruuntur adhuc in re in tempore in exiſtendo producta, ſed iuxta primam ſolutionem adductam inter prædicata eſſentialia naturæ ab æterno etiam hoc eſſet, ſcil. non pendere à Deo, ergo hoc idem prædicatum remaneret in re adhuc in exiſtendo producta, quod erroneum eſt, & conſequenter adminus incongrua illa prima ſolutio. Contra ſecundam vero ſolutionem ſic breuiter inſto, quia cauſa exemplaris ſeu idealis non ponit effectum adextra ſe, niſi mediante efficiente, & remoto iſtius cauſalitate remanet res præciſe in exemplari contenta vt repræſentum in repræſentante ad intra, ſed in propoſito ab æterno nulla adeſt cauſalitas effectiua Dei, vt iſti concedunt, ergo nil eſt ab æterno rerum eſſentia niſi intra eſſentiam Dei vt ideantem, non extra ipſam, quod & nos cum S. Th. concedimus, vel ſi quid extra Deum eſſet, remaneret omninò eſſe independenter à Deo, vti mox antea arguebatur.

Ad primum igitur ex Ariſtotele 9. Methaph. tex. 6. præmittendum eſt motum nobis inter cætera omnia ita notiſſimum eſſe, vt cætera etiam apprehendamus ad modum eiuſdem motus; hinc ſicuti in motu tria adſunt, id à quo egreditur, terminus ad quem eſt, & ipſum fieri ſubiectiuè, ſic in eſſentia poſſibili tria poſſumus conſiderare ſcil. cauſam primam, in qua præcontinetur & ex qua egredi poteſt, ſecundo realitatem ipſam actualem in ſe ad quam obiectiuè ordinatur, & demum ipſam eſſentiam vt poſſibilem ve-

luti ſubiectiuè in ſe ipſa. Duobus igitur prioribus modis concedimus eſſentiam rei ab æterno eſſe realem tum ſubiectiuè ratione eſſentiæ Diuinæ, in qua virtualiter continetur, tum obiectiuè ratione realitatis, in ordine ad quã inſtituta eſt. Tertio autem modo optime noſtri Thomiſtæ dicunt p. p. qu. 25. ar. 5. rem poſſibilem in ſe ſubiectiuè nihil aliud importare niſi negationem repugnantiæ ad eſſendum, vt S. Th. ibidem aiebat & in his tribus ſufficit propoſitiones veritatis æternæ fundatas eſſe.

Ad ſecundum diſtinguenda eſt maior ex diſtinctione mox data ſcil. loquendo de re poſſibili ſumpta obiectiue, concedo, ſubiectiue, nego, & eodem modo diſtincta minori conſequentia negatur, quæ poſſibilitas creaturæ ſumpta obiectiue adhoc, vt realis ſit ab æterno, non eſt neceſſe quod ſit ſubiectiue in ſe, ſed in Deo vt cauſa, ſicuti docet ac reſpondet S. Tho. p. p. qu. 10. ar. 3. ad 3. & qu. 16. art. 7. Ad illud autem, quod addebatur, occurrit Ferarienſis in 2. contra Gentes cap. 22. diſtinguens de nihilo ſcil. alterum eſſe nihil eſſentialiter, vt eſt negatio tenebræ, & aliud denominatiuè, vt res merè poſſibilis non eſſe dicitur, & primum vtique nequit fieri ens reale bene vero ſecundum, & primo modo chimera eſt peius nihil, quàm poſſibilitas formicæ ab æterno, vt dicebat Mazziota intendens inde probare formicam eſſe quid intrinſece poſitiuum ab æterno, vt differat à chimera, quod non eſſe neceſſe ex adducta diſtinctione iam conſtat.

Ad tertium negatur minor, eiuſdemque ſuppoſitum, ſcil. repugnantiam eſſe negationem; nam immò repugnãtia, quam importat chimera vt hircoceruus, ſignificat tum rationem completam Hirci, tum rationem completam Cerui, quæ quia completæ poſitiue ſe excludunt ad inuicem ab vnione in vnico tertio, & ſic poſitiuam contrariam repugnantiam important ad eſſe in eodem; ab oppoſito res poſſibilis, vt formica, importans rationes in completas inuicem ſubinde complebiles v. g. animalis, irrationalis &c. ideo dicitur negare illam repugnantiam, quam chimera ponebat, & conſequenter hæc eadem negatio repugnantiæ ad eſſendum, qua poſſibilis vocatur, non negatio negationis erit, ſed ſubiectiue poſitiui negatio, vt dictum eſt.

Ad quartum negatur minor, nam in re poſſibili duo ſunt, ipſa eſſentia obiectiua poſſibilis, & ipſe ſtatus poſſibilitatis, in quo illa reponitur, vt ex eodem poſtea extrahatur ad ſtatum eſſendi, illa igitur non negat per ſe primo eſſe, ſed potius negat repugnantiam ad eſſe, hic verò vtique eſt ipſa negatio exiſtentiæ & realitatis &c.

Ad quintum demum ſubtilis quædam doctrina ſe offert, qua non ſolum noſtra reſolutio ex S.Th. doctrina firmatur, verum etiam pauciſſimi illi ex noſtris adducti in oppoſitum planiſſime poſſunt cum cæteris concordari, nimirum eſſentiam poſitiuam obiectiue rei poſſibilis ab æterno nullo vtiq; modo poſſe eſſe aliquid poſitium ab æterno præter Deum abſolute ſumptum, bene tamen præter Deum quo ad aliquas rationes virtualiter diuerſas in ipſo, ſcil. eſſentiæ, intellectus, & omnipotentiæ, adeo vt in vno ſigno priori formica ſit poſſibilis prout contenta in eſſentia Diuina vt cauſa, antequam concipiatur eſſe in intellectu Diuino, & ita dicatur quid poſitiuum

etiam

etiam præter intellectum Diuinum, In alio ſigno poſteriori deinde, prout eadem formica poſſibilis acquirit eſſe in intellectu Diuino ex S.Thoma p.p. qu. 10. ar. 3. ad 3. dicitur eſſe quid poſitiuum etiam præter eſſentiam Diuinam formaliter, & vtroque modo præcedit reſpectum rei poſſibilis ad attributum omnipotentiæ, a quo non niſi reſpectiue, non vero abſolute, poſſibilis nominatur in altero ſigno poſtremo, & ita demum primo & ſecundo modo pauci illi Thomiſtæ meo videri (vt ſine dubio S.Th. intellexit) intelligere potuerunt.

ARTICVLVS III.

Vtrum poſſibile ſit aliquod ens creatum, cui ſuppoſita prima productione adeo eſſentialis exiſtentia ſit, vt nequeat etiam de potentia abſoluta non eſſe.

Videtur quod ſic aliquibus de Beatitudine formali gloriæ dicentibus de de eiuſdem eſſentia Methaphyſica eſſe perpetuitatem apud Ouiedo prima ſecundæ tractatu primo de Beatitudine controuerſia 3. puncto 3. immò Linceus libr. 2. Methaph. tractatu primo non parum magis vniuerſim adſtipulari videtur repetens paſſim actualitatem exiſtentiæ accid [illegible] quidem eſſentiæ prout in ſtatu poſſibilitatis, non verò ſemper eſſentiæ pro[illegible] ut ſemel in actu productæ. Et hæc eſſe poſſunt argumenta pro illis.

Primo quia, vt aduertebat & Caietanus ad primam partem qu. 6. art. 3. aliud eſt eſſe tale per eſſentiam, vt ly *per eſſentiam* determinat ſubiectum & eſt idem, ac eſſentialiter eſſe tale, non vero per aliquod accidens ſuperadditum eſſentiæ, quomodo Socrates eſt per eſſentiam homo, & aliud eſt eſſe tale *per eſſentiam*, vt ly per eſsentiam determinat prædicatum, & idem eſt ac eſse tale non partialiter ſed totaliter in ſe comprehendens integram latitudinem formæ, quomodo homo platonicus, ſi daretur, homo per eſsentiam eſset, & primo modo poteſt etiam creaturæ competere, non verò ſecundo modo. Subſumo, ſed in hoc caſu quod talis creatura daretur à Deo producta, cui propria exiſtentia eſsentialis eſset, iam in hoc caſu ſolummodo diceretur exiſtens & ens per eſsentiam primo modo, non verò ſecundo, cum adhuc totam eſsendi plenitudinem non haberet, ergo hic caſus poſſibilis eſt.

Secundo quia ſicuti primus modus prædicandi per ſe includit neceſſitatem, ita pariter & ſecundus modus dicendi per ſe, vt v.g. non minus iſta propoſitio necesſaria eſt, *Homo eſt riſibilis*, quæ eſt in ſecundo modo dicendi per ſe, ac ſit iſta in primo ſcil. *homo eſt rationalis*. Sed exiſtentia de facto prædicatur per ſe in ſecundo modo perſeitatis, vt proprietas de forma non minus ac rotunditas de circulo ex S.Thoma p. p. qu. 50. art. 5. ſiue poſtea ſit proprietas etiam Logica, vt voluit Ferarienſis in ſecundo cõtra Gentes cap. 55. ſiue ſaltem Phyſica præſuppoſita prius productione rei, vt explicat Caietanus eadem quæſtione 50. citata, ergo pariter exiſtentia

poterit

Digitized by Google

poterit prædicati per ſe de aliqua creatura in primo modo dicendi per ſe, ſeu eſſentialiter, ſemel ſuppoſita productione eiuſdem, licet abſolute non neceſſario ſed contingenter de creatura prædicetur.

Tertio ſicut eſſe in ſummo gradu & cum tota plenitudine eſſendi ex ſcripturis & Patribus conuenit ſoli Deo, ita & eſſe calidum in ſummo gradu iuxta Philoſophos conuenit ſoli igni, qua paritate vtitur & S. Thomas ad hoc propoſitum in prima parte qu. 3. ar. 4. Sed non obſtante ſecundo adhuc calor poteſt per ſe competere alijs præter ignem in gradu remiſso vt animali, vel mixto, non minus per ſe in hoc gradu remiſſo, ac per ſe competat igni in gradu intenſo; ergo pariter non obſtante primo & ipſum exiſtere ac eſſe poterit per ſe competere alijs præter Deum in gradu imperfectiori, & creaturæ prædictę non minus per ſe in hoc gradu inferiori, ac per ſe competat Deo in gradu ſupremo, ergo & iſta creatura poterit ſemel ſuppoſita creatione eſſentialiter Methaphyſice & non ſolum Phyſice naturaliter expoſtulare ſuam propriam exiſtentiam in tali genere ac ſpecie determinatam, non minus ac Deus eſſentialiter & Methaphyſice expoſtulet abſolute ſuum ſupremum exiſtere extra omne genus & ſpeciem.

Quarto quia de facto ſicuti eſſe vel exiſtere cum ſua plenitudine vt ſic eſſentialiter conuenit Deo, ita pariter eidem conuenit eſſentialiter linea vitæ intellectiuæ cum tota plenitudine eiuſdem lineæ, vti obſeruauit idem S. Th. p. p. qu. 13. ar. 5. ſed non obſtante ſecundo adhuc alicui creaturæ ſcil. humanæ & Angelicæ eſſentialiter conuenit eadem linea vitæ intellectiuæ, licet non ita perfecta ac in Deo, ergo pariter non obſtante primo alicui etiam creaturæ competere poteſt eſſentialiter exiſtere, licet non ita perfectum ac vniuerſaliter vt in Deo.

Quinto nam ſicuti eſſe & exiſtere ex ſuo formali conceptu actualitas eſſentiæ eſt, ita pariter & differentia ſpecifica ex ſuo eodem formali conceptu eiuſdem eſſentiæ actualitas nuncupatur, ſed hoc non obſtante cuilibet creaturæ eſſentialiter conuenit ſua propria differentia ſpecifica, ergo pariter eo non obſtante etiam alicui ſaltem creaturæ conueniet vel poterit conuenire ſua propria actualitas exiſtentiæ, vt dicebatur.

Sexto, quia dato, quod eſſe ſeu exiſtere nequeat competere vt tota eſſentia creaturæ, ſicuti hoc pacto ſolet in ſcripturis attribui Deo, adhuc ſaltem non implicat attribui eidem creaturæ vt partem eſſentiæ cum eſſentia compoſitam, & hinc in Deo vtique eſſe exiſtentiam illimitatam ac infinitam, in creatura autem fore adhuc finitam ac limitatam, ergo non implicat adhuc creatura prædicta, cui ſua hæc exiſtentia eſſentialiter conueniret.

Septimo tandem, quia inquiunt, ad minus produci poteſt huiuſmodi viſio Beata, qua reflexe Beatus agnoſcat ſibi à Deo reuelari ac promitti non ſore talem Beatitudinis actum etiam de potentia abſoluta deſtruendum à Deo. Sed in hoc caſu repugnat etiam Methaphyſice de abſoluta potentia talem deſinere actum aliter de abſoluta potentia falſificaretur Diuina veracitas, immò fidelitas, in quibus adducta reuelatio ſiue promiſſio fundatur, quod videtur abſurdum, ergo in hoc caſu ſaltem hoc ens creatum ſcil. viſio

Beata

Beata eſſentialiter ac Methaphyſice eſſentialiter propriæ exiſtentiæ ac durationi connexa eſſet.

In oppoſitum tamen eſt illud ſapientie 11. *quomodo aliquid poſſet manere niſi tu voluiſſes, aut quod à te vocatum non eſſet, conſeruaretur?* cui conſonat illud Philoſophi ſecundo Poſteriorum cap. 7. *quod eſſe nulli ſubſtantia eſt*, vnde etiam Suarez & Vaſquez apud Ouiedo pronunciant erroneum apparere aſſerere aliquod ens creatum à Deo poſſibile eſſe non deſtruibile, cum voluerit, ab eodem. Sed hoc profectò non ſaluaretur in præadducta opinione recentium, ergo præadducta recentium opinio refutanda eſt.

Reſpondeo vtique refutandam eſſe. Siquidem S. Th. in primis in ſua prima parte qu. 54. ar. 1. præuidens veluti has nouitates aiebat, *impoſſibile eſt quod aliquid, quod non eſt purus actus, ſed habet aliquid de potẽtia admixtum, ſit ſua actualitas, quia actualitas potentialitati repugnat*, & non ſolum hoc dixit verum etiam à priori demonſtrauit qu. 5. de potentia art. 2. per totum, vbi poſt quatuor argumenta relata contra ſe in patrocinium aduerſariæ ſententiæ, ita reſolutorie concludit, *dicendum quod ad omnipotentiam Dei non pertinet quod poſſit facere duo contradictoria eſſe ſimul. In hoc autem, quod dicitur quod Deus faciat aliquid, quod eius conſeruatione non indigeat, contradictio implicatur. Iam enim, vt alibi oſtenſum eſt, omnis effectus à ſua cauſa dependet ſecundum quod eius cauſa. In hoc ergo, quod dicitur, quod Dei conſeruatione non indigeat, ponitur non eſſe creatum à Deo; in hoc, quod dicitur quod Deus faciat ipſum, ponitur eſſe creatum; & ſic implicans contradictio*, hæc S. Thomas in re repetita & p. p. qu. 104. ar. 1. ad 2. Subſumo, ſed ſi daretur aliqua creatura, cui poſt creationem conueniret eſſentialiter eſſe, iam hæc creatura non poſſet deſtrui etiam per ſuſpenſionem Diuini concurſus conſeruantis eandem, & conſequenter non indigeret vlterius conſeruatione Diuina; ſicut eodem modo non indiget Diuino concurſu hæc veritas eſſentialis, *Homo eſt animal rationale & huiuſmodi*, ergo implicat iſta creatura prædicta, cui etiam poſt creationem eſſentialiter ipſum eſſe conueniat. Confirmo ex eodem loco mox ante ſubiuncto ſcil. p. p. qu. 104. ar. 1. & iterum 2. contra Gentes cap. 52. ratione 7. ſic efformata ex doctrina Ferarienſis ibidem, quam lego etiam in Soncinate noſtro 4. Methaph. qu. 12. ratione 4. quia prædicatum, quod competit alicui eſſentialiter & quidditatiue, non prædicatur de ipſo participatiuè, cum participare ſit partem capere, vnumquodque autem non partem ſuæ eſſentiæ ſed totam integram & indiuiſibilem eſſentiam habeat, ſed implicat creatura, quæ non dicatur participatiue exiſtens, ergo implicat creatura in qua exiſtentia ſit prædicatum eſſentiale ſeu quidditatiuum eiuſdem. Confirmo ſecundo alia ratione eiuſdem Angelici in quodlibeto ſecundo q. 2. art. 1. ſic efformata ex doctrina Fladrenſis in 4. iterum Methaph. qu. 3. ar. 4. quam tangit poſtea Nauerrete contro. 14. §. 4. quia participans ſemper debet diſtingui intrinſece à participato, cum nihil participet verè ſe ipſum, ſed implicat eſſentia creata, quæ vt eſſentia non participet exiſtentiam, ergo implicat eſſentia creata, quæ vt eſſentia non diſtinguatur intrinſece ab exiſtentia, ergo implicat exiſtentiam

eſſe.

Digitized by Google

eſſe intrinſece eſſentiam ſeu prædicatum eſſentiale rei.

Secundo principaliter vrgeo à priori præcipuum S. Thomæ diſcurſum in verbis allatis iam ex p. p. qu. 54. art. 1. quia ex potentialitate creaturæ ad differentiam Dei implicat ſaltem aliqua creatura, cui eſſentialiter exiſtentia conueniat antequam exercite producatur ſeu non præſuppoſita prius productione, vt etiam Aduerſarij concedunt, ſed hoc adhuc ſequitur ex Aduerſariorum ſententia, ergo adhuc ex illa ſequitur implicatio; minor probatur, nam inter actualitates eſſentiales rei, quo aliqua actualior eſt, eo intimior eſſentiæ eſt, & conſequenter magis in linea eſſentiæ præſcindens & abſtrahens à contingenti exercitio productionis, ſed exiſtentia inter actualites eſſentiales rei eſſet & longe actualior quam differentia, & differentia competeret rei etiam præſcindendo ab exercitio productionis, ergo à fortiori in hoc caſu & exiſtentia. Confirmo nam implicat aliquid eſſentialiter in creaturis prædicari de re, & non eſſe vel totam eſſentiam rei, vt ſpeciem, vel partem potentialem vt genus, vel actualem vt differentiam; ſed in hoc caſu exiſtentia nullum eſſet ex his, ergo adhuc in hoc caſu non poſſet eſſentialiter prædicari, minor probatur, tum quia prædicta prædicabilia ab æterno præueniunt exercitium temporaneum productionis, non ſic adhuc in hoc caſu exiſtentia, tum quia exiſtentia neque eſſet tota eſſentia rei, aliter creatura Deus eſſet, neque exiſtentia, quæ vltima actualitas, importare poteſt potentialitatem generis, neque differentia, quæ potius ex Porphirio ducit ad eſſe, ergo nullum ex illis &c. Confirmatur in hoc caſu vltima actualitas exiſtentiæ vt talis connecteretur eſſentialiter cum potentialitate creaturæ, ſed hoc implicat ex oppoſitione & diſtantia vltimæ actualitatis & potentialitatis ad inuicem, ergo.

Tertio tandem præcipue contra Linceum aſſertio noſtra probatur, nam de quo exiſtentiæ actualitas nullo modo prædicatur, abſurdiſſime dicitur etiam contingenter prædicari; ſed de eſſentia prout in ſtatu poſſibilitatis nullo modo exiſtentiæ actualitas prædicatur, cum immò ſit falſa hæc propoſitio, *creatura poſſibilis eſt vel exiſtit*, ergo de eſſentia in ſtatu poſſibilitatis abſurde aſſeritur exiſtentiam contingenter prædicari, ergo remanet adhuc contingenter prædicari de re poſt productionem. Confirmo nam ſi exiſtentia eſſentialiter prædicaretur de eſſentia producta, non vero poſſibili vel producenda, iam prædicata eſſentialia non eſſent eadem reſpectu vtriuſque, ſed hoc abſurdum, cum vtrobique eadem eſſentia ſit, ergo pariter abſurdum id, ex quo ſequitur. Confirmatur ſecundo, nam in iſta ſententia tota contigentia creaturæ & libertas Dei in ordine ad eſſe eiuſdem ſaluaretur ſolum in prima productione creaturæ, non vero in conſeruatione eiuſdem, ſed hoc eſt abſurdum ex S. Th. p. p. qu. 104. ergo & id, ex quo ſequitur. Confirmatur tertio quia exiſtentia ne dum accidit naturæ humanæ vniuerſali vt ſic, ſed etiam huic humanitati in ſingulari, cum immò prædicata accidentalia ideò prædicentur de vniuerſali, quia prius accidentaliter prædicantur de ſingularibus, ſed natura humana ſingularis eſt ea, quæ datur à parte rei, ergo de natura humana vt datur à parte rei & conſequenter actu

pro-

producta adhuc exiſtentia accidentaliter prædicatur. Confirmatur vltimo, quia nulla natura poteſt adæquate concipi, niſi concipiantur omnia eius prædicata quidditatiua, ſed adhuc natura humana exiſtens à parte rei adæquate concipitur non concepta exiſtentia exercita eiuſdem, aliter, cum exiſtentia exercita præſupponat ſingularitatem, neque ſine ſingularitate poſſet adæquatè concipi in vniuerſali, ergo exiſtentia non eſt prędicatum quidditatiuum adhuc naturę humanæ exiſtentis. Neque huic vltimo obſtat, quod iſta videtur vera propoſitio, *res vt actu producta eſſentialiter petit exiſtentiam* non minus ac iſta ſit vera, *pagina vt alba eſſentialiter petit albedinem*, non valet, inquam, tum quia ly *vt* ſi ſumatur reduplicatiuè reduplicat ſolum nonrem, ſed ſtatum rei, cui ſoli ſecundo neceſſitas conuenit, ſi vero ſumatur ſpecificatiue pro re ipſa in illo ſtatu accidentali, nequaquam vlla ex prædictis propoſitionibus eſsentialis erit, vt auctores noſtri Thomiſtæ prę monuerunt.

Ad primum igitur ex argumentis adductis diſtinguenda eſt maior, ita vt illi modi, qui gratia formæ alibi ſeparantur, in præſenti tamen gratia materiæ coincidant, concedo, aliter, nego, vt bene vidit Caietanus ibidem, eo quia ſemel admiſsa eſsentia, cui eſsentialiter ſua actualitas eſsendi eſsentialis eſset, conſequenter etiam hæc obtineret totam eſsẽdi plenitudinem non minus ac Deus, vt ex prædictis fundamentis haberi poteſt.

Ad ſecundum diſtinguo minorem iuxta ſententiam Caietani ibidem adductam, exiſtere conuenit alicui v. g. Angelo per ſe in ſecundo modo perſeitatis Logicæ vel Methaphyſicæ, quæ hucuſque impugnata eſt, nego, perſeitate pure Phyſica, concedo, quæ ne dum attenditur ex ſuppoſitione productionis rei, vt iſti ſumpſerunt, ſed etiam vlterius in ordine ad naturas rerum & de potentia ordinaria dumtaxat, quia Angelus naturaliter nullum habet intrinſecum deſinendi principium, vt habent compoſita corruptibilia ab intrinſeco, & ſi ab extrinſeco & Angelus per ſuſpenſionem Diuini concurſus deſinere poſſit, quod ſi aduertiſſet, Paſqualigus diſp. 81. in fine, non contempſiſſet Caietani diſtinctionem aperte deprompta m ex S. Thom. p. p. qu. 104. ar. 1. ad primum.

Ad tertium, aut neganda eſt minor cum Magiſtro Ledeſma q. 4. de perfectionibus Diuinis ar. 1. ad 3, eo quod calor animali & mixtis ſolummodo competit ratione alterius ſcil. elementi incluſi virtualiter, & potius eſt diſpoſitio pro conſeruatione formæ quam vera proprietas, aut eſt aſſignanda meo videri diſparitas, quod linea caloris formaliter latitudinem intenſiuam admittit, exiſtentia vero inquantum vltima actualitas de ſe formaliter indiuiſibilis & æqualis eſt.

Ad quartum diſtinguo minorem, ita vt tamen actualitas vltima in linea intelligibili, ſcil. intellectio, non competat adhuc eſſentialiter alicui creaturæ, concedo, aliter, nego, & inde pariter conſequentia negatur de exiſtentia, quæ vltima actualitas eſt in linea entis, immò hinc à fortiori corroboratur aſſertio noſtra, ſi enim intellectio, quæ adhuc non ita ampla & perfecta actualitas eſt, vti exiſtentia, non poteſt eſſentialiter alicui creaturæ

Digitized by Google

cōn petere, quomodo ita poterit exiſtentia? &c.

Ad quintum negatur paritas inter differentiam & exiſtentiam, cum iſta vltima omnium actualitas ſit, vt patet, tum ex eius diffinitione, tum ex eo quod differentia à Porphirio dicitur illa, quæ ducit ad eſſe; non ſic autem differentia hinc poteſt eſſe vltima rei actualitas.

Ad ſextum negatur aſſumptum, vt in vltima noſtra probatione ſingillatim oſtendebamus.

Ad ſeptimum pretermiſſa maiori diſtinguo minorem, ab intrinſeca eſſentia actus præciſe, nego, ex connotatione extrinſeca ad promiſſionem liberam in Deo & veritatem infallibilem eiuſdem, transeat. Dixi transeat, nam adhuc hoc ſecundo modo non deſunt, qui dicant ſolam eſſe repugnantiam veluti moralem nō Methaphyſicam, vt in Ouiedo auctores conſuli poſſunt.

ARTICVLVS IV.

An dari poſſit aliqua creatura, quæ ex ſui natura Phyſice petat eſſe ab æterno.

VIdetur quod ſic aliquibus ſuppreſſo nomine relatis apud Amicum p. p. qu. 10. diſp. 17. ſect. 2. inter quos nominatim nobis occurrunt ex extraneis Maſtrius in primum ſententiarum diſp. 2. quæſt. 6. art. 3. ex noſtris Xantes Mariales ad primam partem qu. 10. art. 3. controu. 48. cap. 3. & hæc non ſolum ex ipſis, ſed à nobis inuenta hæc fundamenta ſe offerunt.

Primo nam ſicut in hoc caſu ea creatura exigeret naturaliter ex natura ſua æternitatem à parte ante, ita de facto ſubſtantia immaterialis Angelica exigit naturaliter ex natura ſua æternitatem à parte poſt, ſed ex hoc ſecundo non ſequitur aliquod implicans in adiecto vel abſurdum, vt patet, ergo neque ſequeretur ex primo.

Secundo nam ſicuti non obſtante exigētia naturali in Angelo ipſius æternitatis à parte poſt adhuc Deus poſſet de abſoluta potentia libere Angelum annichilare, ne in æternum duraret, ita non obſtante prædicta exigentia naturali in creatura prædicta eiuſdem æternitatis à parte ante, adhuc Deus libere poſſet ommittere productionem eiuſdem creaturæ ab æterno. Sed hoc ſufficit adhoc, vt ſaluentur ſcripturæ ac Patres attribuentes ſoli Deo naturaliter æternitatem, præcipue illud D. Athanaſij lib. 2. contra Arianos, *quod excepto verbo Diuino omnia gratia & voluntate condita ſunt*, ergo adhuc ex hoc caſu nil ſequeretur contra ſcripturam ac Patres aut veritatem, & conſequenter hic caſus ſeu hæc creatura poſſibilis erit.

Tertio quia, vt omnes etiam Thomiſtæ concedunt cum S.Th. p. p. qu. 46. art. 2. & Auguſtino ibidem adducto, potuit ſaltem Deus creare ab æterno ſolem. Sed in hoc caſu lumen in ſole, cum ſit naturaliter inſeparabile ex ſui natura ab eodem, iam ex ſui natura exigeret eſſe ab æterno cum ſole, ergo in hoc caſu ſaltem aliquod ens creatum ſcil. lumen ex ſui natura exigeret eſſe ab æterno, vt poſt Marialem noſtrum reaſſumit & Maſtrius.

Quarto

Quarto, quia vt inquit idem Maſtrius ex Scoto in primo diſt. 2. qu. 7. §. *tenendo igitur*, de facto hoc totum viſi ſunt intellexiſſe Philoſophi, qui poſuerũt Deum agere ex neceſſitate naturæ, & neceſſario ab æterno condidiſſe vniuerſum, & tamen vniuerſum ſeu creaturas in hoc diſtinxerunt à Deo, quod in eſſe totaliter dependeret ab ipſo, Ex quo principio talis à Maſtrio ratiocinatio formatur, nimirum maior, inquit, eſſet neceſſitas creaturæ ab æterno productæ neceſſario à Deo ſecundum Philoſophos, quam eſſet neceſſitas iſta creaturæ exigentis eſſe ab æterno dependenter tamen à Deo libere producente iuxta Catholicos, cum iſta neceſſitatem haberet ſolummodo naturalem intrinſecam in genere cauſæ formalis intrinſecę, non verò etiam in genere efficientis extrinſeci, vbi illa haberet vtramque. Sed adhuc illa prima neceſſitas, etiam ſi maior, non extraheret creaturam à dependentia à Deo, vti obſeruat & S.Th. (addo ego) p. p. qu. 46. ar. 2. ad primum ex Auguſtino 10. de Ciuitate exemplo pedis, qui ab æterno imprimeret veſtigium in puluere &c. ergo à fortiori hæc ſecunda neceſſitas, quæ minor eſt, non extraheret creaturam à verò conceptu entis dependentis à Deo, ergo hæc creatura non implicat immò poſſibilis eſt.

Quinto, quia adhuc æternitas, quæ Deo competeret, in hoc plane differret ab æternitate creaturæ prædictæ, quod illa excludit principium ac finem ne dum naturaliter ac Phyſice, ſed etiam eſſentialiter ac Methaphyſice, iſta verò hæc duo excluderet ſolum primo modo, non ſecundo, ſicut graue naturaliter Phyſice exigit eſſe in centro, & tamen præternaturaliter extra centrum exiſtit: ſed hæc plane differentia ſufficit, ne inferretur in hoc caſu creaturam non forè amplius creaturam, aut implicare, ergo non implicat.

Sexto, nam quod conceditur cauſæ ſecundæ creatæ in ordine ad ſuum effectum, & perfectionis in ipſa eſt, à fortiori concedi poteſt ac debet cauſæ increatæ Diuinæ in ordine ad creaturas. Sed cauſæ creatæ in ordine ad aliquos effectus conuenit, quod iſti ita efficienter dependeant ab ipſa, vt ſimul naturaliter exigant cum ipſa eſſe, vt lux in ſole, calor in igne & eiuſmodi, & hoc eſt quædam perfectio in ipſa ſcil. ex ſua actualitate originare illos veluti conſequentes ad ipſam. Ergo hoc pariter poterit ac debebit concedi cauſæ increatæ Diuinæ in ordine ſaltem ad aliquam creaturam, quæ ita dependeat efficienter à Deo, vt tamen exigat conaturaliter eſſe ſimul ab æterno cum ipſo.

In oppoſitum tamen eſt, inter cætera, auctoritas apertiſſima S.Th. 1. contra Gentes c. 15. *ſcil. idem eſt*, inquit, *aliquid habere virtutem ſemper eſſendi, & æternum eſſe ſicuti Deus*, & iterum in qu. 3. de potentia ar. 14. poſtquam in corpore conceſſerat potuiſſe produci ab æterno creaturam, in reſponſione ſtatim ad ſeptimum cum D. Anſelmo in Monologio cap. 8. ſubiungit adhuc ex ſui natura creaturam in hoc caſu habituram de ſe potius non eſſe quam eſſe. Sed ab oppoſito in ſententia Aduerſariorum hæc creatura de ſe etiam, vel ex ſui natura, haberet eſſe & virtutem ſemper eſſendi, ergo iuxta S.Anſelmum & D.Th. hæc creatura repugnat.

Reſpondeo vtique repugnare, immo hoc eſſe cum Deo confundere crea-

turam. Nam vti diſcurrit S.Th. p. p. qu. 66. art. 4. ad tertium cum Auguſtino ſuper Gen. ad litteram, *in prima inſtitutione naturæ non quæritur miraculum, ſed quid natura rerum expoſcat*, & conſequenter Deus in prima rerum creatione non egit aliquid contra exigentiam naturalem rerum, ſed ſi daretur aliqua creatura poſſibilis, cuius natura exigeret eſſe ab æterno, & tamen producta ſolum in tempore à Deo, iam Deus in prima rerum creatione egiſſet contra hanc connaturalem exigentiam naturæ, ergo non eſt poſſibilis creatura prædicta. Confirmo ad hominem hic adaptando contra Aduerſarios paritatem eorumdem inter æternitatem à parte ante, & à parte poſt; nam ita proportionaliter hæc creatura connaturaliter exigeret ab æterno fuiſſe, ſicut Angelus naturaliter exigit in æternum durare. Sed ex hoc ſecundo Deus, licet extraordinarie valeret ſi vellet, nunquam tamen deſinet Angelum conſeruare, ex p. p. qu. 104. art. 4. ergo pariter ex primo, licet extraordinarie potuiſſet omittere, non omiſiſſet tamen productionem eiuſdem creaturæ ab æterno &c.

Secundo arguo ex ſolido illo S. Thomæ principio p. p. qu. 50. ar. 1. quod ad perfectionem vniuerſi requiruntur de facto omnes gradus poſſibiles rerum, licet non omnes ſpecies poſſibiles ſub vnoquoque rerum gradu contentæ. Subſumo, ſed iſta creatura vtpote magis accedens ad actualitatem actus puri in Deo ne dum diſtinctæ ſpeciei eſſet ſed gradum diſtinctum cõſtitueret, vt patet, ergo ad perfectionem vniuerſi de facto requireretur. Confirmo, nam ſupremus ordo creaturarum in participanda æternitate Diuina eſt ordo gratiæ conſumatæ in Patria, qui vt formalis participatio Diuini eſſe etiam æternitate participata menſuratur, vt probat Ledeſma qu. 6. de perfectionibus Diuinis ar. 4. cum Caietano p. p. qu. 10. ar. 3. immò cum S. Thoma in 4. diſt. 49. qu. 1. ar. 2. quæſtiuncula 3. ad 3. Sed hoc non obſtante hic ſupremus ordo creaturæ non exigit naturaliter eſſe ab æterno, vt patet, ergo à fortiori nec iſta creatura, quæ neceſſario eodem ordine inferior eſſet. Confirmo ſecundo, nam multo magis actualis eſt exiſtentia Angeli producti de facto, quam eſſet actualis eſſentia huiuſce creaturæ poſſibilis, cum adhuc iſtius creaturæ eſſentia reciperet vt potentia eſſe, exiſtentia autem Angeli vltima etiam actualitas eſſentiæ ſit. Sed hoc non obſtante hæc maior actualitas in Angelo non exigit naturaliter eſſe ab æterno, ergo nec minor actualitas in illa &c.

Tertio tandem ſic principaliter à priori ſtabilio hanc communem aſſertionem contra tam ſingulare recentiorum inuentum, quandoquidem implicat creatura habens exigentiam ne dum Phyſicam, ſeu naturalem, ſed etiam Logicam ſeu eſſentialem eſſendi ab æterno, vt & iſti concedunt, ſed hoc ſequeretur in hoc caſu, ergo hic caſus implicat contra ipſos; minorem probo, quia ex Caietano & alijs prima parte qu. 50. art. 5. exigentia Phyſica eſt, quæ fundatur in rei eſſentia non abſolute, ſed præſuppoſita prius actione efficientis, Logica autem ea eſt, quæ fundatur in eadem abſolute, ſed exigentia eſſendi ab æterno in hoc caſu, non præſupponeret, ſed antecederet immò & exigeret naturaliter productionem agentis, ergo eſſet Logica

gica, non ſolum Phyſica, vt dicebatur. Confirmo quia ita de facto S. Th. in p. p. qu. 104. ar. 1. ad primum in tantum ſaluat in Angelo exiſtentiam æternitatis à parte poſt non eſſe Logicam, ſed Phyſicam, *in quantum*, inquit, *eſſe per ſe conſequitur formam ſuppoſito tamen influxu Dei*. Sed ab oppoſito hæc creatura non præſupponeret influxum Dei, vt mox vrgebatur, aliter non magis exigeret eſſe ab æterno, quam exigeret ſol ex ſuppoſitione Diuinæ productionis eiuſdem ab æterno, ergo hæc creatura iterum haberet exigentiam nedum Phyſicam ſed etiam Logicam contra Aduerſarios & contra fidem. Confirmo tandem, nam ſicuti hæc creatura per iſtos exigeret determinate exiſtentiam, ita non minus immò magis & materia Cæleſtis exigit determinate formam Cæli. Sed non obſtante hoc ſecundo, licet materia Cæleſtis vt ſemel producta a parte rei exigat formam Cæli, non tamen eandem exigit eſſentia materiæ Cæleſtis vt præuenit productionem ad extra, ne aliter etiam Cælum exigere eſſe ab æterno dicatur; ergo à pari neque eſſentia huius creaturæ exigeret adhuc exiſtentiam ac eſſe ab æterno ſumpta creaturæ eſſentia in illo priori, vt præuenit exercitium productionis ad extra, & conſeqnenter implicat hæc creatura vt ponebatur.

Ad primum igitur, quod iam retorſimus in Aduerſarios, aperta ratio diſcriminis aſſignatur inter æternitatem à parte poſt expoſtulatam ab Angelo & exigentiam æternitatis à parte ante in hac creatura confictam, aſſignatur, inquam, ex modo dictis cum S. Thoma, quia exigentia hæc in Angelo fundatur in eſſentia vt prius ſubſtrata influxui Diuino, illa verò fundaretur prius in eſſentia ſecundum ſe abſolute, & ideo altera Phyſica eſt, altera etiam Logica eſſet creaturæ repugnans.

Ad ſecundum, quod eandem patitur retorſionē, ex eadem mox data diſparitate reſpondetur, ideo exigentiam admiſſam in Angelo non præiudicare libertati Diuinæ in conſeruatione eiuſdem Angeli, quia ſolum Phyſica eſt, exigentia autem illa in creatura prædicta, cum Logica etiam eſſet, libertati Diuinæ in eiuſdem productione contrariaretur.

Ad tertium diſtinguo minorem, creato ſole ab æterno lumen ſolis exigeret Phyſice eſſe ab æterno, diſtinguo, inquam, loquendo de exigentia conditionata & ex ſuppoſitione libera iam productionis ſolis ab æterno, concedo, exigentia abſoluta, nego, & negatur conſequentia & paritas, quia exigentia luminis eſſet pura exigentia proprietatis conſequētis ex priori ſuppoſitione ſubiecti, exigentia autem huius creaturæ eſſet abſoluta ex ſe ipſa.

Ad quartum, primo retorquetur, quia eodem modo ex eo quod Veteres intellexerunt Deum producere neceſſariò creaturas, & tamen remanere Deum, inferri poſſet hoc totum poſſibile eſſe de facto, quod tamen eſt procul dubio abſurdiſſimum. Secundo igitur diſtinguenda eſt minor, potuerunt hoc intelligere, & verè, nego, & falſo ex magis falſo principio, quod ſcil. Deus ageret ex neceſſitate naturæ, concedo, & negatur conſequentia, quia oppoſitum ex fide in propoſito præſupponimus.

Ad quintum ex antea dictis negatur maior, nam in hoc caſu non minus æter-

æternitas huius creaturæ eſſet Logica' & eſſentialis, ac Dei æternitas ſit, & conſequenter nulla ex ibi adductis differentia remaneret.

Ad ſextum demum retorqueo euidenter, nam inde aperte probaretur etiam, quod ſicuti cauſa ſecunda creata, non libere, ſed neceſſario ſe habet in originando ex ſe aliquos effectus, vt Sol reſpectu luminis & huiuſmodi, ita non libere ſed neceſſario etiam Deus produceret aliquas creaturas, quod eſt contra fidem, vt præuidit ac refutauit hanc ſuppoſitam paritatem cum Dionyſio S. Th. p. p. qu. 23. art. 4. ad primum. Diſtinguenda eſt igitur minor argumenti, *in cauſa ſecunda creata quadam perfectio eſt quod aliqui effectus dependentes ab ipſa ſimul exigant eſſe cum ipſa*, eſt, inquam, perfectio ſecundum quid inuoluens imperfectionem, ſcil. quod cauſa ſecunda eiuſdem rationis ſit cum effectu, concedo, eſt perfectio ſimpliciter, nego, & negatur conſequentia, quia è contra Deus æquiuoca cauſa ſemper & ſuper eminens eſt, vt aperte reſpondet ſimili argumento S. Th. qu. 5. de potentia ar. 2. ad 4. & p. p. qu. 104. art. 1. ad 2.

QVÆSTIO V.

De eadem Secta Parmenidica apud Chriſtianos prout accidens cum ſubſtantia confundit.

Eſſe *alterum eſt albo, & ei cui ineſt*, inquit Ariſtoteles primo Phyſic. tex. 25. *ſed hoc Parmenides nondum vidit*. Ita Parmenidiſtæ apud Chriſtianos non diſtinguunt accidentia à ſubſtantia, in quo etiam hæc Parmenidica ſecta incipit deſinere in Democriticam, vt in ſequenti libro patebit, & ideo hæc quæſtio etiam hac ratione pro ſubſequenti libro diſponet. Primo autem hic in communi videndum eſt contra Carteſium eiuſque ſequaces, an aliquod accidens a ſubſtantia diſtinctum neceſſario admittendum ſit. Secundo an accidens ne dum eſſentiam ſed exiſtentiam habeat diſtinctam in re ab exiſtentia ſubſtantiæ, contra Rubeum aliosque recentes. Tertio an ſaltem aliquod accidens ad modum ſubſtantiæ exiſtere poſſit naturaliter ſine ſubiecto contra Ouiedo & huiuſmodi.

ARTICVLVS PRIMVS

An detur forma accidentalis non ſolum apparens ſed vera realis Phyſice ſeu realiter à ſubſtantia diſtincta.

Videtur quod non tum Viclef in ſua ſumma cap. de ſubſtantia & alibi, vt refert Valdenſis tomo 2. cap. 68. tum Renato de Cartes in ſua prima Philoſophia reſponſione 4. ad 4. obiectiones, & iterum in Metheoris ca. 1. in fine, tum cuidam alteri recentiori, vt audio, in ſua naturali doctrina lib. 8. integro, quem pro impræſſione parauit, & alijs paucis nouatoribus huiuſmodi.

Primo

Primo nam per agens ſaltem naturale ex nihilo nihil fit, vt communis conceptio Philoſophorum in primo Phyſicorum dicitur, vnde Carteſius in ſua prima parte Philoſophiæ num. 75. inquit, *hoc æterna veritatis eſſe*, & probabat lib. primo Lucretius his verbis.

Nam ſi de nihilo fieret, ex omnibus rebus
Omne genus naſci poſſet, nil ſemine egeret.

Et inde applaudit & Perſius Satira 3. canens.

De nihilo nihil in nihilum nil poſſe reuerti

Sed ſi forma accidentalis diſtincta daretur de nouo habens eſſe præter eſſe ſubſtantiæ, hæc ab agente naturali fieret ex nihilo eiuſdem formæ, nempe ex non eſſe ſui. Ergo non datur: cui breuiſſimo diſcurſui audio iniiti integrum librum primum, ſecundum, tertium, & quartum eiuſdem prætacti recentioris etiam aduerſus formam ſubſtantialem.

Secundo habens quidditatem & eſſe præter quidditatem & eſſe alterius, nequit habere eſſe in alio, cum ly *in* & ly *præter* inuicem aduerſari videantur. Sed forma quælibet accidentalis iuxta Peripatheticos habet eſſe in ſubſtantia, ergo nequit vere habere quidditatem & eſſe præter eſſe ſubſtantiæ.

Tertio, quia, vt ex Ariſtotele repetunt Peripathetici, neque Deus neque natura fruſtra aliquid operatur, ſed in propoſito nulla ratio neceſſitatis adeſt ſuper addendi formas accidentales quibuſdam athomis, ſeu corpuſculis ſubſtantialibus, ex quorum ſolo diuerſo motu & ſitu in eodem compoſito poſſunt & diuerſa accidentia apparere, vt lumen, calor & alia, & rarefactio, vel condenſatio ſaluari, ſicuti inquiebant Democritus & Epicurus ex eiſdem caracteribus varie diſpoſitis tam diuerſæ ſyllabę componuntur, ergo naturæ conformius eſt iſtas formas accidentales non dari.

Quarto nam ſi darentur à ſubſtantia diſtinctæ, maxime quia certum eſſet in Euchariſtico Sacramento Phyſice dari ea vera accidentia realia ſine ſubiecto, ſeu ſeparata à ſubſtantia. Sed hoc nequaquam certum eſt, inquit Carteſius, & repetit, vt mihi referunt, integro lib. 9. recentior ille &c. ergo nec dantur verè iſtæ formæ accidentales à ſubſtantia diſtinctæ.

In oppoſitum tamen eſt, quod ſupra vidimus lib. 1. veritas Philoſophica nequit contrariari veritati fidei vel Theologiæ; ſed veritas Theologica certiſſima ex fide eſt dari habitus infuſos gratiæ & aliarum virtutum vt accidentia ſpiritualia infuſa de nouo in Anima & inexiſtentia in eadem *non verò athomorum ſeu humorum corporeorum alterationem*, (vt in prima ſolutione Recentior ille dicebat) vti aperte diffinitur & in Concilio Vienenſi, *ſcil. conferri in baptiſmo informantem gratiam*, & in Tridentino ſimilia repetita ſunt, iuxta quæ Cathechiſmus Romanus de Baptiſmo qu. 38. ſubiungit, *eſt autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum pæna anathematis propoſita decreuit, Diuina qualitas in Anima inhærens*, adeo vt ex his vltimis verbis ſingula illius Recencioris effugia obſtruantur, ergo nequit amplius oppoſita veritas Philoſophica introduci, ſcil. nulla omninò accidentia dari realiter à ſubſtantia diſtincta.

Reſ-

Reſpondeo vtique certum eſſe debere etiam in naturalibus (ad quæ tandem, ſed inconſequenter iuxta mox dicta, vt audio, Recentior ille confugit) dari accidentia realiter à ſubſtantia diſtincta. Nam adhuc in naturalibus certiſſimum eſt nos libere agere, noſtramque voluntatem libere velle contra Lutherum Caluiniſtas & alios, ſed hoc non poteſt vllo modo ſaluari niſi admittamus volitionem de nouo ad minus aliquod accidens eſſe ſpirituale additum ſubſtantiæ ſemper permanenti Animæ, ergo etiam in naturalibus certiſſimum eſſe debebit aliqua vera accidentia dari debere. Maior adeo certa eſt, vt etiam à Caluiniſtis & alijs negantibus alias libertatem in ſupernaturalibus ex gratia, admittatur tamen in naturalibus, vt in Belarmino videre eſt; minor verò etiam conſtat euidenter ex eo, quod iſta volitio de nouo adueniens, ſi non ſit accidens, neceſſario ſubſtantia eſſet, ſed non corporea, cum in Anima ſpirituali ſit, neque ſubſtantia ſpiritualis, tum quia aliter incorruptibilis, tum quia aliter aliquod Animæ ſubſtantialiter corrumperetur &c. ergo remanet neceſſario accidens eſſe.

Mirum eſt quomodo ille Recentior, vt audio, hoc argumento turbetur in variaque latera torqueatur tandem, in hæc verba prorumpens, *Animam velle nil aliud eſſe, quam Animam ſtante alteratione humorum in ſenſu taliter affici, vt ipſa non ſe retrahat, nec conetur retrahere*, hæc verba audio, rem non percipio, niſi Recentior in re ſuumet placitum derelinquat. Quæro etenim iterum, quid eſt *hoc affici de nouo, & non ſe retrahere?* vel ſubſtantia aliqua de nouo eſt, vel accidens ſuperadditum, vel mera connotatio extrinſeca ad obiectum penes explicitum diſtincta à ſubſtantia creata Animæ. Si primum, redeūt argumenta iam facta in minori, ſi ſecundum, habemus intentum. Si tertium, ineffabile illud Diuinæ libertatis myſterium audaciſſima nouitate transfertur & extenditur ad Creaturam, & rurſus creatura ſpiritualis in agendo non minus immutabilis quam Deus temere confingeretur. Quis credat hæc vel ſimilia poſſe a Docto illo Recentiore defendi? Quis non refellat? Quis non abhorreat?

Secundo inde ſic deſcendendo adhuc vlterius ad corporea accidentia diſcurro. In tantum ab iſtis recentioribus accidens corporeum denegatur, ſicut & forma ſubſtantialis, inquantum, inquiunt, iſtud accidens ſeu forma (quicquid ſit de eſſe ſubiecti præſuppoſiti) in ſe tamen fieret verè ex non eſſe ſui, & conſequenter ex nihilo ſui naturaliter crearetur, vt vno verbo quatuor illius Recentioris libri reuoluunt. Subſumo, ſed hæc ratio æque procedit in mox adducta materia de actu volitionis liberæ realiter actiuè & naturaliter à voluntate producto contra Lutherum, vt patet, & conſequenter & ab eodem hæc ratio ſoluenda eſt, ergo non obſtante prædicta ratione ſuſtinendum eſt pariter accidens corporeum dari poſſe, ac debere. Vnde miror ne dum Carteſium in illa verba prorupiſſe, *auſim ſperare venturum tempus aliquando, quo illa opinio ponens accidentia realia à Theologis explo-detur, & mea in eius locum vt certa & indubitata recipietur*, iterum etiam recentem iſtum denuo gloriatum eſſe, *Neminem ſuæ illi probationi vnquam ſane reſpondiſſe, aut reſponſurum*, miror, inquam, cum & ille ſcire potuiſſet

ſimilia

ſimilia omninò verba protuliſſe & olim Raymundum Lullum adducta in directorio Inquiſitorum parte ſecunda inter errotes eiuſdem, & iſte nouerit, vt opinor, non ſolum ex Lateranenſi Concilio ſeſſione 8. inferri, *ſimilia argumenta*, quæ etiam contra veritatem ſupernaturalem procedunt, *ſolui debere* ab eiſdem profeſſoribus, qui ea propoſuerint, *cum omnia*, inquit, Concilium, *ſolubilia ſint, & verum verò non contrarietur*, verum etiam omninò ſimili modo gloriatum eſſe illum Pſeudophiloſophum, cui Hieronymus lib. 3. Dialogi id exprobabat, *quomodo*, inquit, *iactant diſcipuli tui nullum argumentationi tuæ poſſe & problematibus reſpondere?* vti & Caſiodorus libr. 3. hiſtoriæ tripartitæ cap. 9. commemorat Marcellum quemdam, damnatis ſuis à Synodo libris, adhoc refugiſſe, quod in illa non eſſent, qui ſuam intelligerent Philoſophiam, donec etiam in pœnam ab Epiſcopatu diſiectus eſt, & aduerſus ſimilem in Philoſophando tumorem fulminant Patres paſſim, vt Greg. Papa lib. 24. moralium cap. 13. Aug. lib. 4. contra duas Epiſtolas Pellagianorum capit. 12. & demum Hieronymus tum Epiſtola ad Cteſiſontem, tum libro Dialogi dicens, *tu per ſuperbiam ad aſtra attolleris &c. tu ipſe, qui Catoniana nobis inflaris ſuperbia, & Milonis humeris intumeſcis.*

Tertio probatur in ſpeciali de primis qualitatibus elementaribus, v.g. calore, & huiuſmodi, ommiſſo pro nunc de lumine & ſpeciebus intentionalibus, de quibus fuſius libr. ſequenti in fine agendum eſt. In tantum calor v. g. non eſſet accidens, inquantum loco ipſius accidentis ſufficeret in re, quæ dicitur de nouo calefieri, nouus athomorum motus ac ſitus. Sed hoc non ſufficit, immò repugnat, tum ad hominem, tum abſolutè, ergo iam calor v. g. verè accidens erit, Maior conſtat ex Carteſij & aliorum recentiorum explicatione. Minor vero probatur, ad hominem quidem, vt recte & Camptonius vidit, tum quia iſte motus ac ſitus de nouo & contingenter intrinſecè realiter aduenit iſtis athomis, ergo realiter intrinſece adhuc, vt intendimus, accidens erit, tum quia motus localis, quo maior eo maiorem inter mobilia diſtincta requirit laxitatem & mollitiem, ſed calor è contra v. g. in Terra, quo maior eſt, eo minorem admittit mollitiem & laxitatem, ergo iuxta adhuc iſtorum principia calor motus localis non eſt; abſolute verò, tum quia motus eſt magis ſenſibilis extenſiue à pluribus ſenſibus, vt ſenſibile commune, quam calor ab vnico ſenſu tactus, ſed hoc non obſtante experimur nos ſentire calorem, dum aliquid nos calefacit, motum verò illum athomorum in nobis nō ſentimus, licet & ſubtiliſſimus pulſus à Medicis percipiatur, ergo ſignum euidens eſt calorem non eſſe motum; tum quia quo mobilia vel mota plura ſunt & concitatius mouentur, etiamſi minima, eo magis ſenſibilem ſonitum edunt ex corpuſculorum concuſſione, vt à ſigno plurium etiam Muſcarum volitantium apparet, ſed non ſentimus hunc motum tam velocem & tot corpuſculorum, quæ mouerentur, ergo ſignum euidens hunc non dari, tum quia per motum illum ſitumque diuerſum athomorum in nobis noſtræ ſingulę partes frequentiſſime diſcōtinuarētur, ſed hoc nec ſine dolore immò & mortis repetitę periculo eſſe poſſet, nec a quo iterum componerentur athomi appareret, ergo non datur

hic motus athomorum; vnde appoſite adhoc Plutarchus in opuſculo aduerſus Stoicos ſimili opinione relata concludit, *Hanc autem*, inquit, *in nobis diuerſitatem & diſcrimen ex hoc nemo aperuit, neque ſentimus nos duplices eſſe*.

Quarto de Colore, ſapore, raritate & huiuſmodi idem probatur, tum quia ſi diuerſus calor eſſet diuerſus motus ac ſitus inuerſus athomorum, iam non apparet cur pariter ex motu diuerſo & agitatione athomorum in vino, vel niue, non deperderet & hæc albedinem, & illud colorem, ſed hoc abſurdũ contra experientiam, ergo; & idem de corporibus odoriferis ac ſapidis dici poteſt, quod quam ſit ridiculum ipſa vel anus de plebe iudicabit; tum quia diuerſi athomi ſunt in niue zacaro lacte & ſale, & tamen eadem albedo in eiſdem apparet, ergo; tum quia ſi rarefactio v. g. in eodem vino diſcontinuatio vel introductio athomorum eſſet, vinum pariter dum rarefieret pene ruborem omninò deperderet, vt patet cum aquæ particulis immiſcetur, ex ipſiſque primitus diſgregatur, immò inde & aqua alteri etiam denſo liquori mixta non condẽſaretur, vt fit, ſed magis rarefieret; ſed hæc omnia abſurda ſunt, vt experimur, ergo & id, ex quo inferuntur; tum quia nec homogenea differre poſſent ab ætherogeneis, cum in vtriſque athomi inter ſe diuerſimode diſſimilares adeſſent, nec fluida à ſolidis, cum in vtriſque athomi frequentiſſime mouerentur &c. ergo &c.

Quinto probatur ex profeſſo contra Viclef à Valdenſi tom. 2. cap. 78. per totum ex omnium antiquorum auctoritate, non ſolum Ariſtotelis & Platonis contra Parmenidem & Anaxagoram 1. Phyſicorum tex. 39. ſed etiam ex Auicenna 3. Methaph. Simplicio in prædicamẽtis, Algazelis in ſua Meth. cap. 5. tract. 1. probantibus ſingulis hoc (vt eorum verba refert) ex prædicamentorum diuerſitate, inde ex Victore Magiſtro Diui Hieronymi in lib. Erhimologiarum, ex Rabano in Matheum 6. Chriſoſtomo Homil. 16. imperfecti, Boetio libro de Hebdomadibus, Iſidoro libr. 2. cap. de Cathegorijs, Auguſtino 7. de Trinitate cap. 8. Niſeno libr. de conditione hominis cap. 24. Anſelmo lib. de Incarnatione cap. 2. præter quos cap. 77. in ſpeciali de luce adduxerat Baſilium homil. 6. in Hexameron, Damaſcenum lib. 2. ſentent. cap. 7. Linconſienſem, Gilbertum & alios, qui non ſolum id aſſerebant ſed rationibus oſtendebant, & oppoſitum veluti abſurdum refellebant, vt eorum ibi ſingulorum verba recenſet.

Sexto probatur ratione Ariſtotelis in 7. Methaph. tex. 20. nam accidentia ſingula ad inuicem idem non ſunt, aliter in quolibet ente quodlibet accidens eſſet, quod & deſtrueret rerum proprietates, & Anaxagoræ ingereret confuſionẽ, & infinitam quodammodo in eſſendo redderet creaturam. Sed ſi accidens eſſet indiſtinctum à ſubſtantia, iam quælibet etiam accidentia inuicem idem eſſent, ergo. Audi hanc rationem, non dicam ſolum in S. Thom. in commentarijs ad dictum textum, ſed in alijs Eccleſiæ Patribus, ſcil. Boetio in lib. de Hebdomadibus, *nam ſi hæc ſingula*, inquit, *idem eſſent quod ipſa ſubſtantia, idem eſſet grauitas quod color, & color quod bonum, & bonum quod grauitas, quod fieri natura non ſinit*, vt repetit etiam Auguſtinus 7. de

Tri-

Trinit. cap. 1. & clarius adhuc Gregorius Niſſenus in libro de conditione hominis cap. 24. *ſicut*, inquit, *corpus eſt color, aut figura, ſic ſingula corpus eſſe non poſſunt*.

Septimo demum probatur ex accidentibus Euchariſticis, quæ verè eſſe accidentia ſeparata à qualibet ſubſtantia exiſtentia ſine ſubiecto, & conſequenter Phyſice à ſubſtantia diſtincta in ſequenti quæſtione integro ar. 1. aduerſos iſtos duos nouatores ex profeſſo demonſtrandum eſt. Ex quo vnico fundamento anno 1624. Facultas Pariſienſis ſimul & Senatus damnauit propoſitionem negantem *alterationem fieri per entitatem accidentalem*, & aſſerentem *fieri per athomos, damnauit*, inquam, *vt falſam temerariam, ſcandaloſam, & aliquo modo impugnantem Euchariſtiæ Sacramentum*, vt integrę cenſuræ verba tranſcripſit Ioannes Launoi in libr. de varia Fortuna Ariſtotelis cap. 16.

Ad primum igitur præter infra dicenda lib. 4. retorqueo ipſum ſimul & ſecundum contra aduerſarios ex ponderatis nedum de habitibus infuſis, ſed etiam de actu volitionis liberæ & naturalis, cuius entitas de nouo fit ex non eſſe ſui, & tamen, quia præcontinetur in potentia ſubiecti, non dicitur ex nihilo naturaliter procreari, quomodo igitur ſimiliter non valebit peripateticorum reſponſio cum Ariſtotele tum in 4. Methaph. text. 20. tum in 1. Phyſic. tex. 11. hic verè merito tranſcribendi etiam ſi vt ſcio arguentibus non ignota? *dicunt igitur Philoſophi primi*, inquit, *neq; fieri eorum, quæ ſunt, vllū, neque corrumpi, propterea quod neceſſarium eſt fieri quod fit, aut ex eo, quod eſt, vel quod non eſt: ex his autem vtriſque impoſſibile, neque enim quod eſt fieri, eſſet enim iam, & ex eo quod non eſt nil vtique fieri; ſubijci enim quidpiam oporteret*. En integram recentiorum difficultatem; accipe nunc ſolidiſſimam Ariſtotelis ſolutionem, *nos autem dicimus, quod ex eo, quod eſt, aut ex eo, quod non eſt fieri, aut quod non eſt, aut quod eſt &c. Nos enim & ipſi dicimus nihil ex eo, quod non eſt ſimpliciter, ſed tamen fieri ex eo quod non eſt, vt ſecundum accidens*, ideſt ex non ente actu, ente autem in potentia, vt loquitur 4. Meth. tex. 20. & repetit 1. de Gen. tex. 12. & alibi ſæpe.

Ad ſecundum primo pariter retorquetur, tum de accidentibus ſupernaturalibus, quæ ſunt in Anima naturali, & tamen ex fide certum eſt habere eſſe reale Phyſice diſtinctum præter eſſe Animæ, tum de Anima, quæ eſt in Corpore, & tamen habet eſſentiam præter eſſe corporis, tum de Corpore eodem, quod in loco dicitur eſſe, & tamen eſſe habet præter eſſe loci & ſic de alijs, quæ omnia ſoluuntur ex diſtinctione Ariſtotelis 3. Phyſic. & Porphirij in libro Prædicabilium, ex diſtinctione, inquam, nota Tyronibus aliud ſcil. eſſe hoc, quod eſt eſſe in alio, vt eſſentiam in eo, cuius eſt, & aliud vt formam in ſubiecto, vel locatum in loco, & huiuſmodi, qui ſecundus modus nimis perperam cum primo ab arguente confundebatur.

Ad tertium neganda eſt minor, vt patet ex præadductis omnibus noſtris probationibus, quæ pro reſponſione ſufficiunt.

Ad quartum admiſſa maiori (licet & præſcindendo ab illo myſterio adhuc veritas probata ſit) tunc minor vt falſiſſima neganda eſt; vt in ſequen-

ti quæſtione præſertim articulo primo patefiet.

ARTICVLVS II.

An accidens nedum eſſentiam ſed exiſtentiam habeat diſtinctam in re ab exiſtentia ſubſtantiæ.

Videtur quod non, nedum inter antiquos Ægydio Romano olim Diſcipulo S. Thomæ & noſtro Magiſtro Soto in 1. Phyſic. qu. 6. ſed etiam inter Neotericos Rubeo noſtro qu. 2. de exiſtentia ar. vlt. vti & Banez p.p. qu. 3. ar. 4. dubio 5. fatetur ſe deffendiſſe, ſed poſtea in ſecunda editione reuocaſſe. Probatur autem primo, quia S. Thomas opuſculo 37. cap. 4. aperte, inquit, *materia prima & accidentia, licet habeant propriam eſſentiam, non tamen ſequitur quod habeant propriam exiſtentiam, quia exiſtentia non eſt eadem res cum eſſentia*, ergo ex S. Thoma accidentia non habent exiſtentiam realiter ab exiſtentia ſubſtantiæ diſtinctam, vti habent eſſentiam.

Secundo, quia iuxta S. Thomæ principia accidens in exiſtens ſubiecto non componitur ex eſſentia & eſſe, *vt quod*, ſeu non exiſtit, *vt quod*, aliter & fieret & corrumperetur, *vt quod*, contra S. Thomam prima ſecundæ q. 110. art. 2. ad 3. & contra Ariſtotelem ibidem relatum ab ipſo, & rurſum in ſeparatione Euchariſtica non diceretur acquirere nouum modum exiſtendi *vt quod* contra eundem S. Thomam 3. part. qu. 77. ar. 1. ad 4. Sed ſi haberet accidens propriam exiſtentiam ab exiſtentia ſubſtantiæ diſtinctam, iam diceretur vere componi ex eſſe & eſſentia, & exiſtere *vt quod*. Ergo iuxta S. Th. principia ac veritatem propriam exiſtentiam habere non poteſt.

Tertio ſi quis occurrat adhoc negando minorem, eo quod ſufficit accidens habere exiſtentiam vti & habet eſſentiam, vt quo, eo quod ſit entis ens, ex Ariſtotele 7. Methaph. tex. 2. Contra ita proſequitur Rubeus; nam ſe habens, vt quo aliud eſt vel exiſtit, non habet propriam exiſtentiam, aliter & forma materialis haberet exiſtentiam propriam diſtinctam à toto, quod Thomiſtarum Scholæ repugnat neganti exiſtentias partiales partium. Sed ex conceſſis modo eſſentia accidentis ſolum ſe habet vt quo, non vt quod, ergo verè non habet exiſtentiam propriam ab exiſtentia ſubſtantiæ diſtinctam, & ſicuti ibi adhoc, vt exiſtant materia & forma ſubſtantialis in toto, ſufficiens eſt vnica exiſtentia ſubſtanſtiæ totius, cur pariter hic non ſufficiet vnica eadem exiſtentia ſubſtantiæ, vt ſimul & formæ accidentales in exiſtant in toto, & abſque vlla neceſſitate multiplicentur tot exiſtentiæ accidentales?

Quarto adhoc præciſe noua exiſtentia in aduentu nouæ formæ ſubſtantialis expoſtulatur, vt fiat in actu ſubiectum ſuſceptiuum eiuſdem formæ, immò & eſſentia totalis ſuſceptiua exiſtentiæ veluti vltimæ actoritatis, ſed in ſubiecto ſuſceptiuo accidentium iſta ratio non currit, cum ſupponatur iam actualitas exiſtentiæ ſubſtantiæ. Ergo vltro ſuperfluit noua actualitas exiſtentiæ accidentis & ſi eſſentia accidentis adueniat, quæ ſit in actu iam

de-

dependenter ab exiſtentia ſubſtantiæ.

Quinto, nam Deus poteſt in qualibet forma etiam exiſtente in ſubiecto impedire effectum ſecundarium eiuſdem, vti impedit in quantitate corporis Chriſti ſub Sacramento extenſionem in ordine ad locum, & in eiuſdem Chriſti humanitate impedita fuit exiſtētia propria ac ſubſiſtentia connaturalis eiuſdem. Sed in ſententia admittente exiſtentiam propriam in accidente, iam iſta eſſet effectus ſecundarius eiuſdem, ergo in iſta ſententia iam Deus poſſet in forma accidentali, vt albedine, etiam in exiſtente ſubiecto, vt albo, impedire exiſtentiam eiuſdem. Sed hoc eſt falſum, cum nequeat profecto albedo exiſtere in aliquo, quin ipſum actu album exiſtere denominetur, ergo pariter falſum id, ex quo ſequitur.

Sexto nam exiſtentia ſolet ſignificari per propoſitionem de ſecundo adiacente dicendo, *talis res eſt*, vbi eſſentia ſignificatur per propoſitionē de 3. adiacente dicendo, *Homo eſt animal rationale & huiuſmodi*. Sed accidens vt albedo de nouo adueniens alicui, vt Platoni, non affert ipſi de nouo prædicationem aliquam de ſecundo adiacente dicendo, *Plato eſt*, ſed mere de tertio adiacente dicendo, *Plato eſt albus*, ergo etiam ſi accidens afferat nouam eſſentiam, non tamen vere nouam exiſtentiam adiungit.

Septimo, nam nulla exiſtentia, cum ſit vltima actualitas rei, poteſt ordinari ad exiſtentiam alterius, vt actuetur ab ipſa, ſicuti nec ſubſiſtentia, vt terminetur per aliam ſubſiſtentiam. Sed totum, quod accidentis eſt, ordinatur ad exiſtentiam ſubſtantiæ, vt actuetur in ipſa, & ex ipſa, cum ſit entis ens, ergo in accidente non adeſt exiſtentia propria ab exiſtentia ſubſtantiæ diſtincta.

In oppoſitum tamen eſt conſenſus omnium aliorum Scholaſticorum ſiue identificantium exiſtentiam cum eſſentia, & conſequenter admittentium vtramque in accidente, vt plerique extraneorum, ſiue realiter diſtinguentium, vt cum omnibus noſtris ad propoſitum reſoluit Maſius libr. 2. tranſcendentium cap. 10. concluſione 3. referens Caietanum, Capreolum, Ferrarienſem, Flandreſem, Soncinatem, & alios. ergo ita de facto tenendum eſt.

Reſpondeo accidens adhuc ne dum eſſentia ſed exiſtentia diſtincta gaudere à ſubſtantia. Etenim S. Thomas 3. parte qu. 17. art. 2. inquirens, an in Chriſto eſſet vnicum eſſe, id eſt exiſtere competens duabus naturis, reſpondet affirmatiue de eſſe ſubſtantiali, ſed de eſſe accidentali ſubiungit, *quod tamen eſſe accidentium nihil prohibet multiplicari in vna Perſona, cum aliud ſit eſſe, quo Sortes eſt albus, & quo Sortes eſt Muſicus*, & fere idem docet in 1. diſt. 3. qu. 2. ar. 3. & diſt. 20. qu. 3. ar. 1. & de ente & eſſentia cap. 7. At auffugit tamen Rubeus dicens aut S. Thomam ibi loqui dumtaxat de eſſe eſſentiæ in accidentibus, quæ eſſentia pariter dicitur eſſe rei in 7. Methaph. lect. 3. non verò loqui de eſſe exiſtentiæ in eiſdem accidentibus, aut ſi de accidentium etiam exiſtentia loquatur, intelligi poſſe & debere, quod licet in Perſona Chriſti v. g. (& ſic de alijs) eſſet vnica exiſtentia ſubſtantialis in recto, tamen in obliquo vt actuans diuerſas eſſentias accidentiū in eodem

dici

dici poterat multiplicari. Hæc Rubeus ſubtiliter magis quam fideliter in S. Thomam, nam imprimis eodem modo S. Th. ſumebat eſſe, dum affirmabat in Chriſto dari vnicum eſſe ſubſtantiale, ac ſumebat eſſe dum adiungebat eſſe accidentale multiplicari, aliter & in æquiuoco laboraſſet, & ſuperflue protuliſſet hanc differentiam. Sed dum aſſerit in Chriſto dari vnicum eſſe ſubſtantiale, certum eſt loqui de eſſe exiſtentiæ, ergo pariter de eſſe accidentali &c. tum quia ſtatim ibidem ſubinfert, *quod hinc ſi humana natura adueniret Filio Dei accidentaliter, vt quidam Hæretici poſuerunt, oporteret ponere in Chriſto duo eſſe, ſicuti in Sorte ponitur aliud eſſe ſecundum quod eſt albus, & aliud ſecundum quod eſt homo*, vbi profecto iterum omnes admittunt loqui S. Thomam de eſſe exiſtentiæ in Chriſto. Sed hæc illatio in Chriſto non valeret, niſi & in toto accidentali ſupponatur multiplicari eſſe exiſtentiæ, vt patet, ergo ita de facto multiplicari ſupponit S. Tho. ibidem. Et hinc minus difficile eſt etiam ſecundam de medio tollere ſolutionem, nam ita vult S. Th. ibi eſſe multiplicem exiſtentiam accidentalem, quod ita non ſit multiplex ſubſtantialis, ſed penes obliquum in Chriſto etiam exiſtentia ſubſtantię ſubſtantialis eſt duplex pænes duplicem naturam ſubſtantialem, quam connotat in eodem, ergo exiſtentia accidentalis etiam in recto & non ſolum in obliquo multiplex eſſe debet; præterquamquod hæ reſponſiones ex alijs Sancti Doctoris teſtimonijs & quarto contra Gentes cap. 4. facilime refelluntur.

Secundo nam in ratione accidentium conueniunt ad inuicem & ſupernaturalia, vt gratia, & naturalia vt albedo. Sed illa certum eſt gaudere exiſtentia diſtincta ſupernaturali ab exiſtentia naturali ſubſtantiæ, ergo & iſta. Confirmo nam accidentia Euchariſtica prę ter quantitatem vt albedo odor &c. ſicut prius inhærebant ſubſtantiæ panis, ita poſtea inhærent quantitati ſeparatæ eiuſdem. Sed hic, dum inhærent quantitati Euchariſtiæ, habent exiſtentiam propriam, vnde dicuntur componi tunc ex eſſe & eſſentia, vti cum D. Th. 3. p. qu. 72. ar. 1. ad 4. concedit & Rubeus, ergo pariter eam habebant & antea, licet diuerſo modo, vti ad argumenta dicemus. Obuiam fiet fortaſſe aliquis tum ad rationem, tum ad confirmationem eiuſdem, ad illam quidem de accidentibus ſupernaturalibus permittendo & negando de naturalibus, ad iſtam verò dicendo in accidentibus Euchariſticis nouam à Deo tunc addi exiſtentiam, quæ antea non dabatur. Sed contra primam euaſionem oppono, quod vt iam diù S. Thom. aduerterat in prima ſecundæ qu. 110. ar. 2. ad 3. non minus accidens ſupernaturale habet non per ſe fieri, vel deſtrui, quam id conueniat accidenti naturali ex ſeptimo Methaph. & non minus in genere cauſæ materialis illud dependet in eſſe & fieri à ſubiecto, quam iſtud, nec illud omne infunditur, vt volitio ſupernaturalis, ſicut nec iſtud. Sed ex conceſſis illud habet exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia ſubiecti, ergo ex concedendis & iſtud. Contra ſecundam non minus vrgeo, tum quia, vt aduerterat idem S. Tho. 3. p. qu. 77. ar. 1. ad 3. *remanent in Sacramento virtute Diuina accidentia cum illo eſſe indiuiduato, quod antea habebant in ſubiecto*, tum quia exiſtentia, quæ ſuperadderetur

acci-

accidenti Euchariſtico, adhuc ordinari deberet aptitudinaliter ad inhærendum in alio, vt proportionetur eſſentiæ accidentis, ergo exiſtentia iſta non eſſet ſubſtantialis, ſed accidentalis, ergo iam aliqua exiſtentia accidentalis admitteretur contra præcipuas rationes Aduerſariorum, præter alias impugnationes præoccupatas à Blaſio diſp. 6. Metaph. qu. 3.

Tertio à priori probatur, nam eadem actualitas exiſtentiæ non poteſt eſſe realiter independens à ſubiecto, & à ſubiecto dependens, ſed actualitas exiſtentiæ ſubſtantiæ eſt independens, accidentis dependens &c. ergo eadem eſſe nequit. Confirmo quia quando vnum remanet deſtructo altero realiter inuicem diſtinguuntur, ſed remanet exiſtentia ſubſtantiæ deſtructa ſucceſſiuè exiſtentia accidentium, ergo diſtinguuntur &c. Occurrit Rubeus & iſtis ſingulas diſtinguendo maiores, debent diſtingui ſaltem in obliquo connotato, concedo, ſemper in recto, nego, & negatur conſequentia, nam exiſtentia eadem quatenus accidentis eſt connotat eſſentiam eiuſdem, & inhærentia nominatur, ſicut eadem exiſtentia totius prout connotat formam ſubſtantialem dicitur inexiſtentia formæ in materia. Sed contra opponotum quia exiſtentia accidentis etiam in recto, vt exiſtentia ſeu actualitas, adhuc à ſubiecto dependet, cum non dependeat accidens à ſubiecto vt poſſibile, ſed vt in actu, ergo etiam in recto diſtingui debet; tum quia quæ habent fieri atque corrumpi diſtincta in recto, habent etiam diſtincta exiſtere in recto, cum omne fieri terminetur ad eſſe ſeu exiſtere. Sed fieri & corrumpi accidentium diſtinguitur in recto, immò ſæpe ſeparatur in recto à fieri ſubſtantiæ vel corrumpi eiuſdem, ergo pariter diſtinguuntur & ipſum exiſtere in recto, tum quia tandem aliter etiam dici poſſet eandem Animam rationalem eſſe immortalem & mortalem, independentem & dependentem ſcil. interpretando primum in recto ſecundum in obliquo. Sed hæc omnia abſurda ſunt, ergo & id, ex quo ſequitur.

Quarto tandem euerto ſuppoſitum Aduerſarij, ſcil. eandem in recto exiſtentiam, quæ primario actuat ſubſtantiam, eſſe ſecundario actualitatem accidentis; nam licet vna actualitas creata in recto eadem poſſit intrinsece actuare plures eſſentias veluti partiales conſtituentes per ſe vnam totalem eſſentiam, vt in exemplo adducto à Rubeo de exiſtentia totius & formæ cum materia, non tamen eadem poteſt ſimul intrinſece actuare eſſentias inuicem ſpecie complèta immò prædicamentali diſtinctas, aliter eſſet infinita actualitas, non minus ac ſit exiſtentia Diuina valens actuare, non ſolum plures Perſonas in Deo, ſed etiam plures naturas adextra. Sed iuxta ſuppoſitum Rubei hoc totum admitteretur, ergo abſurdum eſt & repugnat, quem diſcurſum in ſubſtantia reperies in S. Tho. cap. 7. de ente & eſſentia: neque valet obiectio tacita contra hoc, quod ſaltem ex S. Thoma 3. parte qu. 2. ar. 3. ad primum, ſicut in vna Perſona Diuina Verbi vnitæ ſunt duæ naturæ ſubſtantiales, ita in vno ſuppoſito creato cum natura ſubſtantiali vniuntur plures aliæ eſſentiæ accidentales, ergo ex S. Thoma ſaltem ſubſiſtentia creata terminat de facto primario naturam ſubſtantialem, & ſecundario exiſtentias accidentales, ergo id pariter poterit creata exiſtentia

ſub-

ſubſtantiæ; non valet, inquam, nam prætermiſſo antecedenti diſtinguo primum conſequens, terminat extrinſecè in ratione ſuppoſiti, ita vt accidentia ab ipſa non denominentur ſuppoſita, concedo, intrinſece ita vt ſuppoſita denominentur, nego, & negatur vltima conſequentia de exiſtentia ſubſtantiæ, quia deberet denominare accidentia etiam intrinſece, cum intrinſece exiſtentia ſint, Immò hinc confirmo rationem noſtram ac paritatem, quia ſicuti ſubſiſtentia creata habet per ſe primo intrinſecè terminare naturam, cuius eſt, ita exiſtentia actuare eandem. Sed ex primo, ſi daretur ſubſiſtentia potens terminare intrinſece plures naturas, & conſequenter infinitas, vt Thomiſtæ diſcurrunt, iam infinita eſſet, ergo ſic pariter exiſtentia, ſi poſſet plures actuare intrinſece eſſentias, & conſequenter infinitas, cum non ſit maior ratio de duabus quam tribus &c. Confirmatur vltimo, quia vti profunde diſcurrit S. Thomas 3. p. qu. 2. ar. 6. ad 2. quicquid aduenit de nouo alicui etiam ſi exiſtenti, dummodo trahatur ad idem exiſtere cum ipſo, non amplius accidentaliter dicitur vniri ſed ſubſtantialiter, vt patet, inquit, de corpore in reſurrectione adueniente Animæ præexiſtenti, & de humanitate in Chriſto ſubſtantialiter vnitis &c. ſed accidentia aduenientia ſubiecto profecto non ſubſtantialiter ſed accidentaliter vniri dicuntur, ergo iam trahi nequeunt ad idem exiſtere ſubſtantiæ, ita vt per eandem exiſtentiam ſubſtantiæ exiſtant ſolum addito connotato in obliquo eorumdem, vt à Rubeo dicebatur.

Ad primum igitur, ſi illud opuſculum eſt S. Th. interpretor auctoritatem eiuſdem, ſcil. ſumendo exiſtere in eo ſenſu, in quo ſumebatur in argumento ibi ſoluto à S. Thoma, concedo, in alio ſenſu, nego, ſumebatur autem ibi pro eſſe vel ſubſiſtere per ſe, vt patet ex illis verbis ibi recitatis, *non ſolum compoſitum, quod ſubſiſtit, dicitur eſſe, ſed etiam materia, vel ipſa anima*, ideo reſpondens S. Thomas in hoc pariter ſenſu ſubiungit, *cum igitur proprium ſit ſuppoſiti in genere ſubſtantiæ per ſe eſſe, omnia alia vt Deus & Anima dependent à prima ſubſtantia &c.* & poſtea ſubdit adducta verba contra nos, in hoc eodem ſenſu intelligenda, vt diximus, & præmonuit noſter Flandrenſis in 7. Methaph. qu. 7. ar. 5. ſoluens etiam contra hanc veritatem alia quindecim argumenta.

Ad ſecundum optima eſt ibidem relata reſponſio, ſcil. S. Thomam velle dumtaxat accidentia coniuncta ſubiecto non habere eſſe vt quod eo modo perfectionis, quo ſeparata, vti intelligit & Caietanus p. p. quæſt. 3. ar. 7. ad primum.

Ad tertium, quod immediatè in iſtam ſolutionem dirigebatur à Rubeo, diſtinguo minorem, ſe habens *vt quo* non gaudet propria exiſtentia diſtincta, ac ſe habens *vt quod*, ſi vniantur per ſe in vna eſſentia, vt materia & forma, concedo, ſi per accidens ſolum, vt accidentia in ſubiecto, nego, ſicut aptiſſime diſcernebat diſcrimen idem S. Thom. tum 7. de ente & eſſentia, tum 3. parte qu. 2. ar. 6. ad 2.

Ad quartum diſtinguo maiorem, ideo in tota ſubſtantia requiritur noua exiſtentia, vt fiat ſeu conſeruetur in actu materia &c. præciſe propter hoc,

nego,

nego, etiam adhoc vt ipſamet forma ſubſtantialis ſaltem vt quo in actu ſit, concedo, & conceſſa minori negatur conſequentia, quia in aduentu accidentis in ſubiecto, vt caloris in ligno, licet non expoſtuletur noua exiſtentia, vt fiat in actu ſimpliciter ſubiectum, requiritur ſaltem, vt fiat in actu ipſa forma accidentalis vt quo & mediante ipſa etiam ſubiectum ſaltem in actu ſecundum quid, vnde optimè ad hoc dicebat S. Thomas 3. parte qu. 2. art. 2. *eſſe album eſt eſſe fortis, non inquantum eſt fortis, ſed inquantum eſt albus.*

Ad quintum primo poſſet negari minor ſubſumpta, quia ſaltem in Chriſto coniuncta accidentia probabilius eſt à Verbi exiſtentia reddi in actu potuiſſe, vt concedere de facto impellitur Rubeus non agnoſcens niſi exiſtentiam ſubſtantialem, & de modis in Chriſto neceſſario dicendum eſt. Verum ſecundo diſtinguo maiorem & ſequelam, ſi exiſtentia accidentis eſſet effectus ſecundarius, à quo tamen primarius formæ accidentalis non redderetur in actu, concedo, aliter, nego, & primo modo ſe habet extenſio localis in quantitate, & ideò impeditur, & licet ſecundo modo etiam ſe habeat exiſtentia in humanitate Chriſti, tamen ibi proprie non totaliter impeditur immò ſuppletur, vbi iuxta hanc ſecundam ſolutionem adiungeremus exiſtentiam accidentis à Deo ſuppleri non poſſe ob eiuſdem imperfectionem.

Ad ſextum diſtinguo maiorem, exiſtentia ſolet ſignificari per propoſitionem de ſecundo adiacente, loquendo de exiſtentia ſimpliciter vt eſt ſubſtantialis, concedo, ſecundum quid vt accidentalis, nego, quia neque eſſentia accidentis ſimpliciter eſſentia est, vnde ex 1. Phyſicorum & 1. de Generatione ſolum dum fit ſubſtantia dicitur fieri ſimpliciter ens, dum verò producitur accidens dicitur fieri tale vel tale &c.

Ad octauum tandem diſtinguenda eſt maior, (nulla exiſtentia poteſt ordinari ad exiſtentiam alterius, vt actuetur ab ipſa) ſcil. intrinſecè ad faciendum vnum per ſe, concedo, ſcil. extrinſece ad faciendum vnum per accidens, vt in propoſito, nego: Adde quod ſicuti Thomiſtæ dicunt, dum ſubſtantia recipit accidentia, adhuc ſubſtantiæ exiſtentiam non comparari vt potentiam ad iſta, ſed potius ſubſtantiæ eſſentiam, ita proportionaliter dum accidentia in ſubſtantia recipiuntur nos dicere poſſumus, ab exiſtentia ſubſtantiæ extrinſece actuari potius eſſentiam, quam exiſtentiam accidentium, vt videtur innuere S. Tho. in tract. de Natura Generis dicens, *non enim ſignificatur per hoc in eſſe accidentis, quod accidentis eſſe ſit in ipſo eſſe ſubſtantiæ, cum eſſe ſit formaliſſimum omnium &c. ſed natura accidentis eſt in eſſe, ideſt inhærere ipſi rei.* Hæc S. Tho.

Digitized by Google

ARTICVLVS III.

An è contra aliquod accidens ad modum ſubſtantiæ poſſit exiſtere naturaliter ſine ſubiecto.

Videtur quod ſic tum Ouiedo controuerſia 13. Phyſicæ puncto 5. referenti etiam Hurtadum & Ariagam diſp. 9. ſect. 3. ſub ſectione 4. tum Valeriano Magno in ſua demonſtratione de vacuo & Sectarijs eiuſdem, tum nuper Renato de Carres in ſua 1. Philoſophia reſponſione 4. ad 4. obiectiones. Probatur autem primo, quia in illo nunc vulgari experimento Tubi Vitrei deſcendente Mercurio & apparente vacuo in ſuperiori parte Tubi, adhuc ibidem apparet lux, & ſpecies tranſeunt intentionales, ſed hæc omnia ſupponimus accidentia eſſe, & in vacuo illo nullum ſubiectum habent, ergo naturaliter ibi exiſtunt ſine ſubiecto accidentia.

Secundo quia, vt habetur in Geneſi primo, ipſa lux prima die producta eſt, qua die adhuc productum non erat lucis ſubiectum, ſcil. nec ipſe Sol, vel Planetæ, vel firmamentum. Sed, vt inquit Auguſtinus adductus ac laudatus à S. Thom. p. p. quæſt. 67. art. 4. ad 3. *in illa prima inſtitutione naturæ non quæritur miraculum, ſed quid habeat rerum natura*, ergo in prima rerum productione lux ſine miraculo & naturaliter ſine ſubiecto, etiam ſi accidens, exiſtere potuit, vt ſentiſſe videntur Baſilius Homil. 6. Hexameron & Damaſcenus libro 2. ſententiarum cap. 7. relati à Valdenſi tom. 2. cap. 77. & 78.

Tertio, vt arguit Ouiedo, quia ipſa creatio ſumpta paſſiue, vt tamen antecedit in priori naturæ entitatem creaturæ, eſt quoddam accidens ſuperadditum creaturæ productæ. Sed creatio vt ſic antecedens in priori naturæ creaturam, tanquam fieri eiuſdem, non ſubiectatur in creatura, cum pro vt ſic in illo priori creatura non adſit, ergo hoc accidens, quod eſt creatio, ex ſui natura habebit exiſtere ſine ſubiecto &c.

Quarto quia, vt refert Valdenſis tom. 2. cap. 76. etiam S. Th. in 4. contra Gentes inquit Platonicos poſuiſſe quantitates dimenſiuas ſine ſubiecto & in 4. Metaph. id repetit circa quælibet Mathematica, & in 4. Phyſicorum commento 60. Pythagorici ſupponuntur idem poſuiſſe, & Auicebron libro fontis vitæ tract. 2. hæc forte edoctus inquit, *forma accidentalis poteſt ſeparari à materia, quæ ſuſtinet eam in actu*, & pariter demum Vicleff lib. de Apoſtaſia cap. 5. aſſerebat in hoc ſenſu Porphirium aientem, *accidens illud eſſe, quod poteſt adeſſe & abeſſe præter ſubiecti corruptionem*, ſed iſti non conſiderauerunt nec agnouerunt niſi naturas rerum, ergo iuxta naturam etiam rerum accidens poterit eſſe ſine ſubiecto.

In oppoſitum tamen eſt auctoritas repetita Ariſtotelis tum in 1. Phyſicorum contra Anaxagoram tex. 39. tum in 7. Methaph. text. 3, tum in 12. Methaph. tex. 3. repetentis, *nihil cæterorum ideſt accidentium eſt ſeparabile*, & oppoſitum præſupponentis veluti abſurdiſſimum illatum ex Anaxagoræ opinione, ergo de facto dicendum eſt hoc eſſe abſurdum ſcil. accidens aliquod.

quod.

quod naturaliter poſſe exiſtere ſine ſubiecto.

Reſpondeo vtique hoc non immerito poſſe abſurdiſſimum reputari, nam S.Thomas in quodlibeto 9. q. 3. ar. 1. ſic aperte diſcurrit, *ſubſtantia eſt res naturæ, cui debetur eſſe per ſe: accidens verò eſt res naturæ, cui debetur eſſe in alio, & quamuis accidens miraculoſe ſit ſine ſubiecto, tamen adhuc remanet natura eius taliter, vt ei debeatur eſſe in alio*, & nequis minoris exiſtimet S.Thomam addimus Auguſtinum lib. 2. Soliloquiorum cap. 13. dicentem, *cui poſſe fieri videtur, vt illud quod eſt in ſubiecto maneat ipſo intereunte ſubiecto? monſtruoſum enim & à veritate alieniſſimum*, vbi loqui & intelligi de potentia naturali ordinaria non abſoluta conuincitur contra Hæreticos ex diſtinctione eiuſdem Auguſtini lib. 26. contra Fauſtum cap. 1. Nec valet pro Aduerſarijs effugium, quod licet inde concluderetur accidentia, quæ de facto ſunt, vtique hoc non poſſe, bene alicui alteri poſſibili alterius rationis accidenti competere poſſe. Non valet, inquam, tum quia ſaltem iam derelinquitur recitata ſententia Democritiſtarum de accidentibus in Tubo & Ouiedi de Creatione, tum quia auctoritates adductæ de accidente loquuntur vniuerſim vt contradiſtincto ſubſtantiæ, ergo nulla ſolutio.

Secundo proinde ratione probatur ex eiſdem locis & ex Ariſtotele 7. Methaph. tex. 21. deprompta, vbi Philoſophus ſic impugnat Ideas Platonicorum, quia inquit, *ſimul palam ſi ſunt Ideæ, quales quidam ponunt, non erit ſubſtantia ſubiectum, has enim ſpecies eſſe neceſſe non de ſubiecto*, ideſt hæc accidentia, vtpote ſine ſubiecto, ſubſtantia eſſent, ex quo medio ſic arguo, quia in hoc vel ſolo, vel præcipuo differt ſubſtantia ab accidente, quod ſubſtantia petit eſſe per ſe, accidens vero de ſui natura petit eſſe in alio, vt patet tum in ſubſtantia etiam Diuina, tum ex alijs, quæ contra Ouiedo in prædicamento ſubſtantiæ expendebamus. Sed ex conceſſis iſta forma, quam tu accidens gratuite nominares, ex ſui natura non peteret eſſe in alio, immò per ſe, ergo iam verè ſubſtantia eſſet, & Parmenidice accidens cum ſubſtantia confunderetur; Confirmo, quia ſicut creator & creatura differunt per eſſe à ſe, vel ab alio, ita ſubſtantia & accidens per eſſe ens per ſe, vel in alio, ſed ex primo neque de potentia abſoluta poteſt dari aliquod ens creatum, quod de ſui natura non petat ab alio eſſe, vti diſcurrit S. Tho. qu. 7. de potentia, ergo pariter ex ſecundo neque de potentia abſoluta poteſt dari aliquod accidens, quod de ſui natura non petat in alio eſſe.

Tertio quia iſtud accidens v. g. lumen de nouo productum, vt modo ſuppono, & in iſtorum ſententia naturaliter in vacuo ſine ſubiecto perſiſtēs, vel in ſui productione fieret per eductionem ex aliquo, vel per creationem ex nihilo. Si per eductionem, cum ipſum iam non ſit corpus compoſitum ex materia & forma, ſed ſimplex, iam ipſum educi deberet è potentia alicuius ſubiecti & conſequenter à ſubiecto naturaliter dependeret, vt intendimus; ſi vero dicatur per creationem, iam naturaliter agens naturale, vt illuminans, creare diceretur, quod abſurdum eſt. Neque hic valet effugium de productione per deciſionem corpuſculorum ab illuminante, tum quia hoc de creationis accidente non curreret, tum quia nec de accidentibus

ſpiritualibus, vt volitione & huiuſmodi, quæ tamen à fortiori deberent poſſe naturaliter eſſe ſine ſubiecto, tum quia tandem hoc ſuppoſitum iterum abſurdum eſſe probamus infra libro quarto quæſtione vltima per totam.

Quarto ſi accidens ex natura ſua abſque ſubſtantia perſiſtret, iam tolleretur demonſtratio à Poſteriori arguens ab accidente ad ſubiectum tanquam à ſenſibilibus ad intelligibilia. Sed hoc abſurdum & monſtruoſum, cum prædicta demonſtratio nobis naturaliſſima ſupponatur, ergo pariter abſurdum & monſtruoſum id, ex quo ſequitur, vnde apposite concludebat Philoſophus 1. Phyſic. tex. 39. *quod tentantes ſeparare affectiones à ſubiecto, impoſſibilia perquirunt.*

Quinto ſi lumen, vt iſti fingunt, in vacuo ſine ſubiecto naturaliter diffunderetur, à pari omninò & ſupra Cælum & extra Mundum in omnibus illis ſpatiis immaginariјs lumen pariter à ſole & aſtris naturaliter ſine ſubiecto diffunderetur. Sed hoc abſurdum, ſcil. ponere aliquid creatum extra hoc vniuerſum, & introducere gradatim Epicuream vel Democriticam Mundi infinitatem, vel multitudinem, ergo pariter abſurdum eſt lumen naturaliter poſſe eſſe ſine ſubiecto, quod idem motiuum vrgeri poteſt contra ponentes lumen eſſe efluxum corpuſculorum ab illuminante, vt referimus infra, & refutamus lib. 4. qu. vlt.

Sexto, quia vt habent Theologi omnes cum S.Thoma 3. p. qu. 77. ar. 1. ex Conciliјs & Patribus præcipuè ex Tridentino, inter cætera veneranda prodigia, ex quibus auguſtiſſimum Altaris Sacramentum miraculorum miraculum dici ſolet, & hoc non infimum immò maximum reputatur, ſcil. ibi accidentia exiſtere ſine ſubſtantia, vt profitetur cum S.Thoma in feſto Corporis Chriſti integra Eccleſia ſic dicens, *accidentia etiam ſine ſubiecto in eodem Sacramento ſubſiſtunt, vt fides locum habeat*, & olim antiquius etiam Innocentius III. in cap. *cum Marthæ* de mirabili hoc myſterio accidentium ſine ſubiecto inquiebat, *natura cedente miraculo &c.* ſed in adducta ſententia quod accidens etiam naturaliter poſſit ſine ſubiecto perſiſtere, nullum profectò eſſet hoc in Euchariſtia miraculum, ergo repudianda iam præadducta ſententia videtur. Nec valet effugere, vt Neotericus quidam mecum diſputans Bononiæ refugiebat, ſcil. aliud eſſe loqui de accidentibus eiuſdem ſpeciei cum accidentibus Euchariſticis, & aliud de cæteris diſſimilibus ab eiſdem, & de primis vtique hoc miraculum eſſe, non verò de iſtis. Non valet, inquam, tum quia inter omnia accidentia ſaltem corporea quantitas ſuperior eſt, & ſubſtantiæ propinquior, ſed de quantitate ex Euchariſtia colligitur eſſe miraculum remanere ſine ſubiecto, ergo à fortioris de aliјs, tum quia etiam lumen in hoſtia adeſt exiſtens non minus ac albedo cæteraque accidentia ſine ſubiecto, ſed Aduerſariј de lumine in experimento Tubi diſcurrunt, ergo loquuntur etiam de accidentibus ſimilibus illis, quæ in Euchariſtia ſubſiſtunt, tum quia & in lumine apparente in vacuo Tubi ſua extenſio & quantitas aſpicitur ac reperitur, ergo iterum de quantitate conſimili quantitati Euchariſticæ id aſſerere cogerentur.

Ad

Ad primum igitur de Tubo negandum eſt ſuppoſitum, ſcil. in parte ſuperiori Tubi vacuum remanere, tum quia per Democritiſtas & vitrum poros habet, per quos luminis athomi ingrediuntur, tum quia iuxta eoſdem lumen corpuſculum eſt, & conſequenter vacuum adimpleret, tum quia iuxta Peripatheticos adhuc negatis poris, ex argento viuo, ſeu mercurio, ſubtiliſſimæ partes euaporantur & aſcendunt & vacuum beneficio rarefactionis adimplent, cuius ſignum eſt, quod ſi pars illa ſuperior Tubi calefiat Corpus illud rareſit, & argentum viuum amplius deſcendit, & è conuerſo ſi frigefiat, quod vtique non eſſet, ſi in illa parte vacuum reperiretur, & rurſus experimur Mecurium non deſcendere plus quam ſex digitis, vt fatetur Doctor Roboal alter ex inuentoribus eiuſdem experimenti, ſi autem vacuum naturaliter iam permitteretur, ratio non eſſet, cur vacuum maius non fieret & argentum viuum deſcendere amplius non valeret; Demum non minus imò magis naturæ expediunt Corpora ipſa inueniri in vnaquaque parte vniuerſi, quam expediat reperiri accidentia, ſed experimur, & nunc Aduerſarij fatentur, nullum à natura permitti vacuum ſine accidentibus, ergo nec ſine corporibus contra eoſdem à fortiori.

Ad ſecundum videnda eſt integra reſponſio in S. Thoma p. p. qu. 67. ar. 4. ad 2. ad quam remittimus arguentem.

Ad tertium, ommitto primo Suarez diſp. 12. Methaphyſicæ ſectione 5. negate maiorem, cum inquiat creationem potius eſſe modum ſubſtantialẽ non accidens. Ommitto ſecundo, quod ſi creatio eſſet accidens ſuperaditum, tunc poſſet eſſe quid prius creatura in genere efficientis, poſterius autem in genere cauſæ materialis ſuſtentatis &c. vti de vltima diſpoſitione ad formam cæteriſque huiuſmodi paſſim Thomiſtæ diſcurrunt. Ommitto, inquam, quia hoc argumentum de verbo ad verbum inuenio relatum & ſolutum in S. Thoma p. p. qu. 44. art. 3. ad 3. ſcil. negando ſuppoſitum quod creatio paſſiue ſit ab entitate creaturæ diſtincta, vt quilibet ibi poterit in S. Th. conſulere reſponſionem.

Ad quartum demum reſpondeo non deeſſe noſtrum Aquarium in 7. Methaph. dilucidatione prima dicentem, *in hoc Valdenſem reprehendendum eſſe*, quatenus exiſtimauit ita potuiſſe ſentire Philoſophos. Sed cum graui ſemper apud me Autore, vt ego aliter agam, de eius mente dico voluiſſe ad hominem arguere contra Viclef, qui lumini naturali aſſerebat repugnare hoc myſterium, & ideo impoſſibile eſſe, ad quem finem Valdenſis ibidem adduxit quod de Porphirio alibi idem Viclef referebat, licet falſo, vt rectè ibidem Valdenſis oſtendit. Quoad Philoſophos autem illos diuerſimode longe, ac ſupponitut in argumento, exponi ſolent, vt de Platonis Ideis, & Pithagoræ numeris ſuo loco dicemus, & pro nunc inſpici poteſt Iacobus Carpentarius in Alcinoum, & ea data adhuc explicatione dicendum cum Ariſtotele in 7. Methaph. tex. 28. & iterum libr. 13. cap. 2. ex hoc ipſo abſurdo, quod in illa hipotheſi accidens ſine ſubiecto daretur, eorum placita repudianda eſſe. Auicebronis autem & Porphirij verba longe ſeius extra propoſitum allata ſunt, cum ille velit ſolum (vti & Valdenſis obſeruat)

acci-

accidens quintum prædicabile definere poſſe ſine corruptione eſſentiæ rei, non verò poſſe naturaliter ſeparatum exiſtere, vti & Logicæ Tyrones ſciunt, & in eodem ſenſu & ille alter loquutus eſt, dum inquit, *forma accidentalis poteſt ſeparari à materia, formæ autem ſubſtantiales non poſſunt ſeparari niſi intellectu &c.* quod eſt dicere illam non eſſe de eſſentia rei, vti eſt iſta, ſicut explicat Auguſtinus 7. de Trinitate cap. 8.

QVÆSTIO VI.

De Accidentibus Euchariſticis in ſpeciali confuſis à quibuſdam Parmenidicis ſimul & Democriticis.

IN vitium vitio cogimur alieno. Vitium etenim alicui apparebit Theologica hęc cum Philoſophia etiam Dogmatica permiſcere; Sed cogimur de his etiam aliquos Pholoſophorum exceſſus expendere, ac nouatoribus reſpondere. Primo enim aliqui adeo negant accidentia diſtincta à ſubſtantia, vt neque Euchariſtica verè accidentia concedant. Secundo alij de quantitate hoc ad minus propugnare non dubitant, non diſtingui ſcilicet à ſubſtantia vel ſeparari ab eadem. Tertio tandem immiſcent hic alij de quantitate corporis Chriſti in Sacramento, eam adeſſe ſimul cum ſubſtantia Chriſti negantes, vt ſingulos mox nominatim afferimus, & impugnamus.

ARTICVLVS PRIMVS

An ſpecies Euchariſticæ ſint vera accidentia ſine ſubiecto, vel corpuſcula potius repreſentantia panem, qui antea aderat.

VIdetur quod non ſint verè & realiter accidentia ſine ſubiecto, tum ipſi Renato de Cartes in ſua prima Philoſophia reſponſ. 4. ad 4. obiectiones, tum Recentiori illi ſæpè ſupra prætacto in ſuo lib. 9. doctrinæ naturalis per totum.

Primo quia ex Concilijs habetur ſolum eſſe de fide, quod in Sacramento remaneant *ſpecies panis, & ſpecies vini*, vt ex Tridentino ſect. 13. Canone 2. & 4. adnotabat etiam Carteſius. Sed nomine ſpeciei proprie & rigide nil aliud intelligitur, quam apparens ſimilitudo, vt probabat Recentior ille tum ex Scriptura numerorum nono, tertio Regum cap. 6. Ezechielis 1. & 40. & Danielis 10. tum ex Patribus ſic exponentibus nomen ſpeciei Sacramentalis pro ſimilitudine apparente panis, vt Ambroſio lib. 7. cap. 1. Anſelmo in Math. cap. 26. Cipriano ſermone de Cæna Domini, Paſcaſio lib. de Corpore & Sanguine Domini, & demum S. Thoma in ſequentia Corporis Chriſti dicente, *ſub diuerſis ſpeciebus ſignis tantum & non rebus*, ergo iam ex Concilijs verè & proprie non habetur niſi in Sacramento Euchariſtico rema-

remanere ſimilitudinem apparentem eorum, quæ tranſierunt, ſcil. panis, & vini, & accidentium identificatorum eiſdem, quæ pariter tranſierunt, non vero habetur adeſſe accidentia realia ſeparata, vt ſupponunt, inquit, Peripathetici.

Secundo, inquit ille Recentior, quicunque ſciens & prudens habet affluentiam & copiam verborum imperantium, eiſque non vtitur, ſignum eſt quod nec imperat, nec imperare intendit. Sed Patres Concilij præſertim Tridentini vtpote Prudentes & Docti habebant affluentiam & copiam verborum imperantium, eiſque vſi non ſunt, dum non imperarunt nos credere adeſſe in Sacramento verè accidentia Phyſice realia ſine ſubiecto, ergo ſignum eſt neque intendiſſe hoc imperare, vt nunc plerique ſupponunt.

Tertio ſubdit idem Recentior, alia quæſtio Theologica erat, an Corpus Chriſti in Sacramento veraciter adſit vel non, alia Philoſophica, an quod remanet panis, aut vini, ſit accidens reale, vel apparens, in prima affirmabant Catholici negabant Hæretici, in ſecunda affirmabant Peripathetici, negabant Platonici ſeu Democritici, ergo licet Patres primam deffinierint vt Catholici contra Hæreticos, non inde ſequitur quod deffinierint ſecundã vt Peripathetici contra Platonicos vel Democriticos, aliter, inquit Recentior ille, *cum iſti auditi non fuerint antequam damnarentur iniuſtum, & iniquum concilij iudicium extitiſſet*.

Quarto, inquit Carteſius, dicere in Sacramento manere accidens reale panis exiſtens per ſe ſeparatum, eſt idem in re ac dicere remanere aliquid, quod eſt ſubſtantia, & conſequenter partialem panis ſubſtantiam remanere, licet accidens oretenus nominetur, cum differentia propria ſubſtantiæ præaccidente ſit exiſtere per ſe non in alio. Sed abſurdum eſt in Sacramento remanere etiam partialem ſubſtantiam panis, vt patet ex diffinitione Concilij Tridentini ſeſſione 13. Canone ſecundo, ergo pariter abſurdum eſt dicere remanere verè & realiter accidens, vt Peripathetici dicunt.

Quinto, quia ſi neceſſe eſſet admittere etiam verè & realiter accidentia manere, maximè propter vrgentes adhoc Conciliorum Auctoritates, quas contra Carteſium adducit etiam Cumptonius diſp. 12. ſectio. 2. ſed iſtæ auctoritates non cogunt, inquiunt Aduerſarij & aperte Recentior ille occurrere ſingulis paratus eſt & de facto reſpondet, ergo hoc admittere neceſſarium non eſt.

In oppoſitum tamen eſt quod hoc eſſe de fide proferunt vel ſupponnnt plerique Patres & Theologi, vt Auguſtinus lib. de Corpore & Sanguine Chriſti, vt refert verba Valdenſis tom. 2. cap. 83. & Ambroſius, & Rabanus apud eundem, Linconienſis ſuper cap. 3. de Eccleſiaſtica Hierarchia parte 14. vt contra Viclef refert idem Valdenſis tom. 2. cap. 74. Anſelmus lib. de Corpore Domini relatus ab eodem cap. 73. Hugo lib. 2. de Sacramentis parte 8. cap. 9. D. Thomas 3. parte quæſt. 77. art. 7. D. Bonauentura in 4. qu. 40. membro 2. art. 2. inde omnes Theologi tam Scholaſtici, quam Dogmatici, vt inter primos Magiſter Soto in 4. diſt. 10. qu. 2.

ar. 1.

Digitized by Google

art. 1. & cum Alenſi Scotus in eodem libro, inter iſtos Belarminus tomo 3. lib. 3. cap. 24. Valdenſis mox relatus & alij. Sed licet non ſit hæreticum, adminus tamen eſt temerarium, à communi etiam Scholaſticorum cõſenſu recedere, vt oſtendit Cano de locis Theologicis lib. 8. præſertim in materia Sacramentorum & vbi Scholaſtici etiã teſtimonijs Sanctorum Patrum inniχi ſunt, ergo in propoſito hoc negare ſcil. accidentia vere in Sacramento remanere ſine ſubiecto alicui ſaltem temerarium eſſe videri poteſt.

Reſpondeo adeo certum eſſe in Sacramento verè, & realiter accidentia panis & vini ſine ſubiecto remanere, vt huius oppoſitum mereatur cenſura aliqua Theologica condemnari.

Primo quia non poteſt verè determinari à Concilijs in Sacramento remanere aliquid panis aut vini, niſi etiam determinetur veraciter remanere aut partialem ſubſtantiam eorundem, aut verum accidens, cum inter accidens & ſubſtantiam nil detur medium. Sed à Concilijs præcipuè Tridentino ſeſſ. 13. Canone 2. verè determinatum eſt remanere aliquid panis & vini, & hoc non eſſe vllam partialem ſubſtantiam, dum cum anathemate damnat Concilium, *qui negauerit mirabilem illam & ſingularem Conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & Vini in Sanguinem manentibus dumtaxat ſpeciebus panis, ac vini*, ergo à Concilio vere determinatum eſt remanere realiter accidens panis ac vini, vt dicebatur. Scio quid Aduerſarij valeant, immò ſoleant reſpondere. Nempe Carteſius reccurrit adhoc, *quod remanet quædam intercapedo ſuperficialis panis, per quam ſuperficiem non intelligitur pars vlla ſubſtantiæ panis, nec quidem quantitatis eiuſdem Corporis, nec etiam pars Corporum circumiacentium, ſed tantummodo terminus ille, qui medius eſſe concipitur inter ſingulas eius particulas, & inter corpora ipſas particulas ambientia, quique nullam plane habet entitatem niſi modalem*, hęc Carteſius, pariter ille Recentior occurrit dicens aliud eſſe Concilium imperare nos credere quod nihil realiter ſubſtantiæ panis ac vini remaneat, & aliud imperare nos credere, quod remaneant realiter accidentia eiuſdem; primum eſt verum, ſecundum falſum, ſicut, inquit, ſi Princeps enutriens in ſua Curia decem aulicos, hoc decretum emittat, exulent à Curia noſtra cæteri alij omnes Aulici vnico remanente dumtaxat Petro v. g. tum imperaret vtique poſitiue exilium eorum, ſed non intelligeretur iſtius ſcil. Petri imperaſſe præſentiam, adeo vt neceſſario adeſſe hic Petrus in Aula teneretur. Hæc ille Recentior. Sed contra primum effugium, de illa intercapedine quæro, vel iſta eſt accidens, vel ſubſtantia, cum medium profecto non detur; ſi primum habemus intentum, ſi ſecundum incurritur error à Concilio damnatus ſcil. aliquid remanere ſubſtantiæ, ergo nullo modo illud prius effugium admitti poteſt verbis potius inuolutum ac tutum, quam veram adhibens ſolutionem. Contra ſecundum verò Recentioris effugium oppono, tum quia Concilium imperat poſitiuè nos credere debere eſſe illam mirabilem conuerſionem & ſingularem, ſed talem conuerſionem mirabilem eſſe & ſingularem ſubinde exponit idem Concilium conſiſtere in eo, quod tota ſubſtantia panis & vini deſinat, & tamen hoc non obſtante remaneant accidentia

cidentia eiuſdem, ergo conſequenter imperat ſic credere nos debere, ſcilic. etiam remanere accidentia, non vero ab hoc præſcindit, vt illius Principis imperium præſcindebat; tum quia Concilium mox antea prædocuerat, quod Chriſtus *Corpus ſuum id quod ſub ſpecie panis offerebat verè eſſe dixit*, vti etiam Lateranenſe in cap. firmiter prædiffinierat *ſub ſpeciebus panis & vini veraciter contineri*, ergo non potuit amplius Tridentinum Concilium permittere indifferenter nos credere prædictas ſpecies remanere, vel non, tum demum nam Tridentinum ibidem nos docet Euchariſtiam verum eſſe Sacramentum; ſed ſolum Corpus Chriſti verum Sacramentum Euchariſtiæ non eſſet, aliter fuiſſet & ante vltimæ Cœnæ inſtitutionem, & nunc etiam in Cælo Sacramentaliter permaneret, ergo remanet Concilium ibi decernere, quod ſimul maneant cum Corpore Chriſti verè & realiter prædictæ ſpecies, non verò apparenter, conſtituentes veraciſſimum ac primum præcæteris Sacramentum.

Secundo quia Carteſius perſiſtens adhuc immobilis in ſua illa tam mobili, vt ipſe explicat, intercapedine addit, *nullibi vnquam, quod ipſe ſciat, Eccleſiam docuiſſe, ſpecies panis & vini remanentes in Sacramento eſſe accidentia*, ideo & ſub hoc nomine accidentium noſtram expedit ſtabilire firmiter aſſertionem. In primis autem in Conſtantienſi ſeſſ. 8. damnatur hæc propoſitio, *accidentia panis non manent ſine ſubiecto in eodem Sacramento*, ergo eius contradictoria ab oppoſito diffinita eſt; ſed eius contradictoria eſt iſta, *accidentia panis manent ſine ſubiecto in eodem Sacramento*, ergo iam iſta diffinita eſt, vti nos dicimus. Iterum ſeſſ. 15. damnatur pariter hæc propoſitio Ioannis Hus, *quod non eſſet determinatio Eccleſiæ quod accidentia ſtarent in Sacramento Altaris ſine ſubiecto*, vt confirmatur etiam eiuſdem Hæretici damnatio in Bulla Martini Quinti relata in ſeſſ. vltima eiuſdem Concilij, ergo ab oppoſito deffinita eſt eius contradictoria, *quod hoc eſſet determinatio Eccleſiæ*, ergo ita de facto eſt. Occurrit tamen & his Recentior ille libr. 9. cap. 4. quoad primum locum negando minorem ſubſumptam, quia, inquit, illa propoſitio, *accidentia panis non manent ſine ſubiecto*, eſt propoſitio modalis conſtans dicto & modo, & ly *accidentia panis non manent* eſt dictum ac ſubiectum propoſitionis, ly verò *ſine ſubiecto* eſt modus & prædicatum, & ideo vt contradictio fiat per negationẽ eiuſdem prædicati de eodem ſubiecto, iſtæ erunt contradictoriæ, *accidentia panis non manent ſine ſubiecto, accidentia panis non manent cum ſubiecto*, non verò illæ duæ primæ, quarum vtraque poteſt eſſe falſa nullo modo veris remanentibus accidentibus. Quoad ſecundum vero locum conceſſa prima conſequentia, *quod eſſet*, negat vltimam conſequentiam, *quod eſt, vel fuit determinatio Eccleſiæ*, ſicut, inquit, aliud eſt quod famelicus manducaret, vel manducaſſet, aliud quod manducet, vel manducauerit, præter aliam generalem reſponſionem ad ſimiles auctoritates, quam mox infra adducimus ac refutamus. Verum contra primam reſponſionem oppono, quia quidquid ſit de præpoſtera nimis adducta explicatione contradictonis, procul dubio Concilium, ſicut & Recentior ille concedit, damnauit illam propoſitionem negatiuam, vt falſam,

ſcil. accidentia non manere ſine ſubiecto, ſed iuxta prædictam interpretationem Concilij ſcil. admittentis nullo modo accidentia manere, iam illa propoſitio negatiua non eſſet falſa, ſed vera, cum quælibet propoſitio negatiua de ſubiecto non ſupponente vera ſit; ergo prædicta interpretatio Concilij eiuſdem Concilij diffinitioni repugnat; tum quia Ioannes Hus, vt refertur ſeſſ. 15. eodem modo loquebatur, vt nouatores iſti loquuntur, ſic dicens, *fingere accidens ſine ſubiecto foret blaſphemare in Deum & illudere Eccleſiæ per verba accidentis*, ſed hoc dictum ibidem damnatum eſt, & iterum repetita damnatio contra Viclef in Concilio Romano anno 1413. ergo pariter Recentiorum loquutio damnanda eſt; tum quia etiam Viclef apud Valdenſem tomo 2. cap. 81. ad diffinitionem eiuſdem Concilij Conſtantienſis vel auctoritates Patrum eodem ferè vel ſimili cauillo reſpondebat, *quod ſcil. intelligebant accidentia manere ſine ſubiecto, non abſolutè, ſed ſine eo modo ſubiecti, quo prius ſubiectum erat non repræſentans Chriſtum ante conſecrationem*, ergo pariter ſimiles Recentiorum fugæ præcludendæ ſunt. Contra ſecundam porro ſolutionem nimis puerilem nobis inſtare ſufficier hoc modo, quia iſtę duæ propoſitiones ſunt æquipollentes ad inuicem, ſcil. hæc prima, *Concilium tunc diffiniuit quod eſſet determinatio Eccleſiæ*, & hæc ſecunda, *tunc fuit verum dicere, Concilium nunc diffinit eſſe determinationem Eccleſiæ*, hæ vtique æquipollentes ſunt, cum veritas propoſitionum de præterito ſemper reguletur per aliam propoſitionem de præſenti, quæ aliquando fuit. Sed Recentior iſte admittit primam ex textu Concilij conuictus, ergo neceſſariò admittere cogitur & ſecundam. Vnde nil aliud in ſimiles Sophiſticas ac ridendas potiuſquam refellendas Conciliorum interpretationes ſuperaddere nobis licet, niſi quod Nazianzenus in ſimili aiebat oratione prima de Theologia, *cur captionibus tuis quaſi Aranearum telis infirmiores ſimplicioreſque illaqueas? idque videri vis facinus plane ſcitum, & grande? cur contra fidem excitas Crabrones? cur Dialecticorum obſeruationibus aduerſum nos Pueriliter adeo effutis non aliter ac fabula olim contra Deos produxere Gigantes? cur nouam Theologiæ officinam ædificas?*

Tertio proinde probatur ex Innocentio III. cap. *cum Martha* de celebratione miſſ. dicente quod vinum immiſſum in Calicem poſt conſecrationem *non Sanguini commiſcetur, ſed accidentibus prioris vini commixtum Corpori, quod in eis latet, vndique circumfunditur*, ideſt quantitati, quæ Corpus Mathematicum eſt; & in Concilio Colonienſi parte 7. cap. 15. *quid panis vinique ſpecies poſt conſecrationem ſunt, niſi ſpecies Sacramentales, & accidentia ſine ſubiecto?* ergo apertiſſime ex his noſtra concluſio colligitur. Et tamen mirum eſt præadducti Recentioris ingenium, vt qui cum videat nullam ex ſuperioribus gloſis his teſtimonijs adaptari poſſe, hanc aliam cæteris abſurdiorem expoſitionem commentus eſt, ſcil. mox adductas diffinitiones non intelligi abſolutè & cathegoricè, ſed conditionate & hypotethicè, nimirum ſi ſemel vera ſit Peripatheticorum opinio de accidente diſtincto realiliter à ſubſtantia, qua tamen, inquit, interpretatione non poſſent Hæretici cæteras Conciliorum diffinitiones interpretari, quæ abſolutè & nulla facta

ſimili

ſimili ſuppoſitione loquuntur. Sic ille. Sed facilius iſta reſponſio refutatur adhuc, quam præcedentes, tum quia ſic pariformiter ad diffinitionem Concilij Lateranenſis cap. firmiter de ſumma Trinitate diffinientis, *Deum in corporeum eſſe omninoque Simplicem*, Ioachinus Abbas effugere potuiſſet aſſerendo Concilium id protuliſſe ex ſuppoſitione opinionis Peripateticæ de corpore contra diſtincto Spiritui, vel compoſitionis, ſimplicitatis & huiuſmodi, vti de facto idem Ioachinus inuehebatur in Magiſtrum ſententiarum veluti *nimis Ariſtotelicum*, vt ex reſcripto Alexandri Tertij ad Senonenſem Archiepiſcopum refert Launoi cap. 3. de varia fortuna Ariſtotelis; ſic pariter ad diffinitionem Concilij Niceni, de conſubſtantialitate vnius ſubſtanſtiæ in Deo, Arius effugere potuiſſet eam intelligi ex ſuppoſitione Peripatheticæ explicationis de ſubſtantia, vti de facto refert Athanaſius lib. 1. eundem Arium oppoſuiſſe Catholicis quod illud nomen *Homo vſion* non ex ſcriptura, ſed potius ex Philoſophia, introductum eſſet; ſic pariter Caluinus in ſuis impijs commentarijs ſuper Lucam cap. 10. Pariformiter reſpondebat ſe eſſe paratum aſſentiri diffinitionibus Eccleſiæ Romanæ non abſolutè, ſed ſub conditione, *ſi Eccleſia fideliter ſuum munus exequatur*, Sic demum in hoc ipſo propoſito de accidentibus Euchariſticis effugiebat Viclef in lib. de apoſtaſia c. 5. (vt refert Valdenſis to. 2. c. 76.) ſc. vt effugeret diffinitionem Concilij Conſtancienſis ad hoc ipſum *de Ariſt.* recurrebat dicens, *aliter poſſet Papa præſumere canonizare Iſagogen Porphirij & cathegorias Ariſtotelis damnando Euangelium tanquam Hæreticum, quod quidam putant contigiſſe de facto*, & infra, *ſi ergo oportet fidelem credere vt fidem Catholicam, quod in Sacramento Altaris ſit accidens ſine ſubiecto, & Porphirius ac Ariſtoteles in iſto veriſſime ac pertinentiſſime laborarunt, opportet in illo canonizare ſuas ſententias*, hæc ille, quibus an ſint ſimilia Recentiorum effugia vel effata dimitto, & ſolum aduerſus iſtos ſic reſtringentes fidei diffinitiones ſub conditione huius, vel illius humanæ Philoſophiæ, concludo cum Tertulliano in apologetico cap. 6. dicente, *facit & hoc ad cauſam noſtram, quod apud vos humano arbitratu Diuinitas penſitatur, niſi homini Deus placuerit Deus non erit, homo iam Deo propitius eſſe debebit.*

Quarto probatur ex Apoſtolo primæ ad Corinthios ca. 10. dicente, *panis, quem frangimus, non ne participatio Corpus Chriſti eſt*, & cap. 11. *ſic de pane illo edat & de Calice bibat*, ſubſumo, ſed quod in partes frangitur adminus vere realis quantitas eſt, & de quo aliquis edit, non purè aliquid apparens eſſe poteſt, ergo ex Apoſtolo verum aliquod ſaltem & reale accidens in Sacramento adeſſe debet. Confirmo ex eo, quod canit Eccleſia in feſto Corporis Chriſti cum S. Thoma ſic dicens, *accidentia autem ſine ſubiecto in eodem Sacramento ſubſiſtunt, vt fides locum habeat &c. & ſenſus à deceptione immunes reddantur, qui de accidentibus iudicant ſibi notis*, ſed niſi adeſſent vere & realiter accidentia hoc non verificaretur, ergo adſunt &c. Mirum eſt etiam ad iſta reſpondere Recentiorem, ſufficeret ſcil. apparentiam externam ſine realitate ſenſibilium accidentium ad hoc, vt non dicatur decipi ſenſus, quem ſufficit appræhendere obiectum eo modo, quo apparet ad extra; Mirum,

Sſ 2 inquam,

inquam, eſt cum S.Thomas præuenerit hanc reſponſionem 3. p. qu. 77. ar. 2. & refutauerit eandem ex eo, quod ſenſus licet circa communia, non tamē circa propria, ſenſibilia decipi ſolent, vt prædocuerunt etiam Auguſtinus libro de vera Religione cap. 33. & Anſelmus in Dialogo de veritate cap. 6. & demum Tertullianus in lib. de Anima cap. 17. grauiſſime ita concludens, *non licet nobis indubium ſenſus iſtos reuocare, ne & in Chriſto de fide eorum dubitetur, ne forte dicatur quod falſo Sattanam proſpectauit de Cælo præcipitatum, aut falſo vocem Patris audierit de ipſo teſtificantem, ſic enim & Marcion fantaſma eum maluit credere totius Corporis in illo dedignatus veritatem. At qui ne in Apoſtolis quidem eius ludificata natura eſt. Fidelis fuit & viſus & auditus in monte: fidelis & guſtus vini illius, licet aquæ antea, in nuptijs Galileæ, fidelis & tactus exinde creduli Thomæ. Recita Ioannis teſtationem, quod vidimus, inquit, quod audiuimus oculis noſtris vidimus, manus noſtræ contrectauerunt de ſermone vitæ. Falſa vtique teſtatio, ſi oculorum & aurium & manuum ſenſus natura mentitur.*

Quinto demum probatur directè ſpecies Sacramentales non eſſe illa corpuſcula ſeu athomos &c. tum quia ſic non ſaluarentur, vt diximus, Eccleſiæ verba de accidentibus ſine ſubiecto, tum quia verè & realiter nil remaneret panis & vini ſed ſolum apparenter contra Tridentini diffinitionem, tum quia non minus Corpus Chriſti dici poſſet remanere ſub ſpecie hic & nunc huius hoſtiæ, quam alterius ſimilis, cum non minus illius hæc corpuſcula ſimilitudines apparentes eſſent; tum quia eo modo dicitur Corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus, quo ibi erat antecedenter ſubſtantia panis indiuiſibiliter, ſed ſub iſtis corpuſculis neque ſubſtantia panis fuit, neque indiuiſibiliter eſſe poteſt, ergo neque indiuiſibiliter ſub eiſdem adeſſet Corpus Chriſti, tum quia ex Tridentino ſeſſ. 13. cap. 3. Corpus Chriſti eſt ſub qualibet licet minima ſpecie panis, ſed ſi ſpecies eſſet corpuſculum eſſet ſolum ſub ſuperficie concaua ſeu inferiori corpuſculi, non verò ſub alia parte intima aut ſuperiori & conuexa eiuſdem, ergo; tum quia vt arguit S. Thomas 4. contra Gentes cap. 53. Si nulla accidentia panis remanerent non eſſet ratio cur Corpus Chriſti diceretur eſſe magis, vbi erat panis ſubſtantia hoſtię quam alibi, quod abſurdum eſt, ergo; tum quia ſimiliter etiam Viclef pro Euchariſticis accidentibus ſuppoſuiſſe Democriticas athomos atteſtatur & impugnat Valdenſis tom. 2. c. 73. per totum, ergo &c.

Ad primum igitur patet ex eiſdem Sanctorum Patruum teſtimonijs haberi vtique ſpecies Sacramentales eſſe apparentes ſimilitudines ſubſtantiæ panis, non tamen eſſe præciſe apparentes ſimilitudines accidentium, ſed vere & proprie accidentia dici debere, vt refert S. Thomas 3. p. qu. 77. art. 1. etiam in argumento ſed contra ex Gregorio in Homilia paſchali. Quomodo autem errauerit & Viclef recurrens ad ſimilia loca Scripturæ & Patrum de figuris, rem tractat Valdenſis tomo ſecundo capite 84. vſque ad 88.

Ad ſecundum neganda eſt minor, vt ex adductis noſtris animaduerſionibus conſtat.

Ad

Ad tertium negatur quoad ſecundam partem antecedens, & conſequentia, nam iſta quæſtio de accidentibus ſine ſubiecto non pure Philoſophica ſed Theologica erat, cum Philoſophus naturaliter non agnoſcat accidens ſine ſubiecto, neque admittenda eſt illa ſequela, quod aliter inaudita Philoſophorum parte Aduerſaria iudicium iniuſtum extitiſſet, nam ſimile fuit & aliorum hæreticorum effugium apud Auguſtinum lib. 2, contra Iulianum cap. 1. & D. Proſperum in lib. contra Collatorem in fine, & hoc eſſet aperte ab Eccleſiaſtica deciſione ad Philoſophicos Iudices prouocare, vt pariter hæreticos feciſſe refert & damnat idem Auguſtinus lib. 6. contra Iulianum cap. 20.

Ad quartum negatur maior, vt aperte reſpondet S. Thomas quodlibeto 9. qu. 3. art. 1. dicens, *ſubſtantiæ eſt res naturæ, cui debetur eſſe per ſe: accidens verò eſt res naturæ, cui debetur eſſe in alio, & quamuis acicdens miraculosè ſit ſine ſubiecto tamen adhuc remanet natura eius taliter, vt ei debeatur eſſe in alio*.

Ad quintum tandem negatur minor, vt ex noſtris inſtantijs contra Recentioris effugia oſtenſum eſt, & plura alia argumenta diſſoluit S. Thomas 3. p. qu. 77. ar. 1. & alia quatuor ex Viclef iterum refert & ſoluit Valdenſis tom. 2. cap. 79. à ratione deſumpta videnda in eiſdem.

ARTICVLVS III.

An verius etiam ex Sacramento Euchariſtico colligatur quantitatem à ſubſtantia diſtingui.

Videbatur quod non antiquis Nominalibus cum quibuſdam Stoicis, quos ſingillatim recenſet & Maſius noſter in cap. de quantitate qu. 5. & denuo exſuſſitarunt Hurtado diſp. 13. Methaphyſicæ ſect. 2. Ariaga diſput. 5. ſect. 1. Linceus 3. Meth. cap. 3. tractatu 4. & pauci alij id probabiliter propugnantes non obſtante quod Ruuius aſſeruerit, *hoc fide ſuppoſita indefenſabile eſſe*. Probatur autem huius ſententiæ probabilitas primo, quia vt ſaluentur auctoritates tum Philoſophorum, tum Patrum, aut indicantium diſtinctionem prædicamentalem, aut ſupernaturalem ſeparationem extenſionis hoſtiæ à ſubſtantia panis, ſufficit & diſtingui & ſeparari extenſionem propriam aliorum accidentium, non verò propriam ſubſtantiæ, vt Linceus reſpondet, ergo nil inde habetur dari aliud accidens intermedium diſtinctũ tum à ſubſtantia, tum à cæteris accidentibus, vt albedine & huiuſmodi, quod quantitas nominetur.

Secundo quia, vt Cumptonius refert, reſponderi poſſet Deũ in Sacramẽto per ſe ſupernaturaliter producere extenſionem illam, quam quantitas priuſ ſubſtantiæ identificata præſtabat, vti & alij inquiunt in extenſione propriâ accidentium, ibi Deum præſtare impenetrabilitatem cum alijs corporibus, qua eadem ſubſtantia impenetrabilis erat, ergo inde adhuc non conuincitur realis diſtinctio prædicamenti quantitatis à prædicamento ſubſtantiæ.

Tertio

Tertio, quia ſicuti nos dicimus non eſſe multiplicanda hæc miracula ſine neceſſitate in Euchariſtia, ita ipſi inquiunt non eſſe in natura multiplicandas ſine neceſſitate entitates. Sed hic, vt apparet ex argumentorum ſolutione, nulla neceſſitas adeſt ſuperaddendi hoc accidens intermedium inter ſubſtantiam & cætera accidentia, immò potius, ne ante quantitatem ſubſtantia corporea remaneat omninò indiuiſibilis vt punctum, neceſſe eſt quantitatem eiuſdem ab ipſa indiſtinctam eſſe, ergo vere hoc accidens intermedium quantitatis addendum non eſt.

In oppoſitum tamen eſt, quod ne dum Ariſtoteles ſecundo Methaph. tex. 17. & libr. 13. & 14. ex profeſſo probat quantitatem non eſſe ſubſtantiam, vt dixerat etiam in 7. text. 8. ſed etiam omnes Philoſophi & Sancti Patres, quos longo Catalogo referebamus qu. præcedenti art. 1. eodem modo diſcurrunt & probant vniuerſim à ſubſtantia nouem genera accidentium diſtincta eſſe, ac de quantitate contenta ſub ipſis. Sed, vt ibidem vidimus & in art. præcedenti repetebamus, de cæteris accidentibus ex Euchariſtia etiam certum eſt eſſe realiter à ſubſtantia diſtincta, ergo pariter hoc dicendum eſt immò à fortiori de quantitate, quæ inter cætera propinquior & ſolidior comparatiuè ad ſubſtantiam eſt ex primo Methaphyſic. tex. 6.

Reſpondeo vtique ita aſſerendum eſſe, vti reſpondet Angelicus Magiſter 3. p. qu. 77. ar. 2. cui titulus integer adhoc propoſitum eſt, *vtrum in Sacramento Euchariſtiæ quantitas dimenſiua ſit aliorum acciddentium ſubiectum*, & probat hanc ipſam noſtram reſolutionem tribus validiſſimis medijs ommiſſis, vt video, nec leuiter tactis, ne dum verè ſolutis, ab aliquo Aduerſariorum. Seligo autem ex illis primum & ſub hac forma propono, nam accidentia Euchariſtica ita ad ſenſum, *qui in hoc decipi nequit*, inquit S. Thomas, ita, inquam, apparent vt ſimul moueantur, ſimul frangantur, & demum vnum, inquit S. Thomas, *ſit quantum coloratum & alijs accidentibus affectum*, ſed hoc non eſſet, ſi neque in vnica ſubſtantia panis vnirentur, vt de fide eſt, neque in Corpore Chriſti vt ſubiecto, ſicut pariter certum eſt non eſſe, ergo remanet eadem vniri in vnica quantitate ſeparata à ſubſtantia, & diſtincta conſequenter ab ipſa: Vnde non valet hic illud prætactum, in ſimili, Neotericorum effugium, ſcil. totum hoc mirabiliter præſtari à Deo &c. non valet, inquam, vt præuidit in pauciſſimis illis verbis S. Thomas, *ſcil. nec in talibus ſenſus decipitur*, nam etiam ſi non repugnet naturæ ſenſus, immò connaturale ſit, decipi circa ſubſtantiam præſertim vt ſenſibilem per accidens, non tamen circa ſenſibilia prædicta ſcil. *quantum ſimul coloratum alijſque accidentibus affectum*, ergo ſi ex miraculo hoc pacto ſenſus perpetuo deciperetur, iam Deus eſſet cauſa particularis falſitatis, quod, vt aduertit ad propoſitum idem S. Thomas in Homil. quæ canitur in Eccleſia de Corpore Chriſti, veritati primæ aduerſaretur, vt notauit etiam Ambroſius apud Valdenſem tomo. 2. cap. 82. ad hoc inſtitutum his verbis, *nihil falſum, inquit, putandum eſt in ſacrificio veritatis, vel ſicut fit in Magorum præſtigijs, vbi deluſione quadam falluntur occuli, vt illis videatur eſſe, quod non eſt omninò, ſed vera ſpe-*

cies

cies viſibilis panis, quæ fuit in pane, ipſa facta præter ſubſtantiam ſuam quodammodo in aliena peregrinatione &c. & repetit etiam Anſelmus in ſerm. de Corpore Chriſti cap. 1.

Secundo probatur alio medio tacto ibidem à S Thoma in argumento ſed contra & qu. 76. ar. 4. ad 2. nam vt habetur ex 3. Metaph. tex. 9. & 4. Phyſicor. text. 8. & 76. extenſio adhuc diſtincta immò ſeparata à ſubſtantia naturaliter impenetrabilis eſſet in ordine ad locum cum alia extenſione diſtincta. Sed in ſententia aduerſariorum albedo v. g., odor, lumen & huiuſmodi haberent inuicem extenſiones proprias diſtinctas ab extenſione quantitatis ſubſtantiæ, immò in Sacramento ſeparatas ab ipſa, ergo in ſententia Aduerſariorum ſingillatim quælibet iſtarum extenſionum eſſet impenetrabilis alteri, neque albedo ſimul eſſe poſſet cum odore, vel lumine in eodem loco & huiuſmodi, quod non ſolum experentiæ Sacramenti, ſed omnium aliarum rerum contrarium eſt, ergo remanet cum S. Tho. dicendum, immò cum Ariſtotele 5. Methaph. tex. 18. & 6. Phyſic. tex. 37. & 3. Cæli tex. 7. & perſiſtendum in hoc, quod accidentia non habeant niſi extenſionem per accidens à quantitate, & conſequenter cum ipſis extenſis in Sacramento & quantitas à ſubſtantia ſeparata permaneat. Nec credat aliquis ſe expedire negando maiorem, licet Ariſtotelis doctrina ſit: etenim contra ſic libere reſpondentem eandem probarem ego maiorem, quia ſi ſemel extenſio ab extenſione ſubſtantiæ diſtincta, vt albedinis, in tua ſententia poſſet naturaliter alteri extenſioni penetrari, cur pariter naturaliter eadem v. g. cubitalis extenſio albedinis non valeret de facto ex penetratione partium integralium inter ſe naturaliter inde reſtringi etiam in pũctum vnum & huiuſmodi? quod experientiæ profecto & rerum naturæ repugnat.

Tertio relictis alijs Scholę communiter Peripateticorum & Thomiſtarũ probationibus à priori videndis in capite de quantitate, dogmatice nos iterum in Euchariſtiæ Sacramento ſiſtentes) poſſumus id ſtabilire ex antiquorum Patrum auctoritate; non ſolum enim id tradũt D. Thom. & Bonauentura Eccleſiæ Doctores, ſed etiam ſic docet Anſelmus in lib. de Sacramento Altaris cap. 5. (quo Conſtancienſe Concilium contra Viclef valde in hac materia vſum eſſe Valdenſis loco ſæpe relato obſeruauit) licet, inquit, *adſit albedo in Sacramento non facit album nec rotunditas rotundum, ſed huiuſmodi omnia ſic Deus reſeruauit*, ſic & Ambroſius, vt refert verba Valdenſis tome 2. cap. 82. *nec albedo, inquit, efficit album, nec rotundum rotunditas, ſicque de reliquis*, ita Boetius in libro de Hebdomadibus, *ponatur enim*, inquit, *vna eademque ſubſtantia eſſe bona, eſſe alba, grauis, rotunda, tunc aliud eſſet ipſa eius ſubſtantia, aliud eius rotunditas, aliud color, aliud bonitas*, ſic Auguſtinus 7. de Trinitate cap. 1. *aliud enim ibi forma & aliud color, & vtrumque non in ſe ipſo, ſed in aliqua mole, quæ moles neque color eſt, ſed formata, atque colorata*, ſic Gregorius Niſſenus lib. de conditione hominis cap. 24. *alia namque coloris eſt ratio, alia ponderis, quantitatis alia, item & qualitatis alia &c.* & cætera plura ibidem: vnde concludit idem Anſelmus libro citato de Corpore Chriſti cõtra ſimile dictũ cuiuſdam Clerici Galliæ c. 2. dicens, *qui colorem non*

aliud

aliud quærunt intelligere, quàm Corpus, neque ſapientiam hominis aliud, quam Atomos, prorſus à ſpiritualium quæſtionum diſputatione exſuflandi ſunt.

Ad primum igitur negatur aſſumptum, vt ex modo adductis teſtimonijs manifeſtum eſt, & Tridentinum ſimul ac Conſtantienſe de accidentibus in communi loquuntur, cur ergo quantitas exciperetur, quæ immò aliorum fundamentum eſt, & indiuiduationis principium è vt arguit S. Thomas qu. 77. citata ar. 2.

Ad ſecundum iterum negatur aſſumplum, aliter eodem effugio dicere poterunt in Sacramento verè nec alia accidentia adeſſe (ne ſint ſine ſubiecto, vt intendebant) ſed apparentiam viceſque ipſorum pariter ſupplere Deum; ſicut igitur de illis non admittent Aduerſarij valere hoc effugium, ita nec de accidente quantitatis admittendum eſt.

Ad tertium negatur minor, aliter eodem modo Parmenides relatus ab Ariſtotele in 1. Phyſicorum tex. 25. dicere potuiſſet neque vllam vrgere neceſſitatem ad diſtinguendam albedinem ab albo, cum tamen vtrobique & rationes diuerſæ adſint, & diuerſiſſimi formales effectus ſuperadditi ſubſtantiæ &c. ommiſſis alijs, quæ, vt præmonuimus, Scholæ lucrubetionibus reſeruamus, vt de indiuiſibilitate ſubſtantiæ ante quãtitatem, & huiuſmodi.

ARTICVLVS III.

An in Corpore Chriſti adhuc ſub Sacramento adſit nedum ſubſtantia ſed accidens quantitatis eiuſdem licet ſine extenſione ad locum.

Videtur quod non Recentiori Gaſſendo libr. 2. aduerſus Ariſtotelicos exercitatione 3. qui pro ſe etiam poterat afferre (licet non referat) pauciſſimos quoſdam relatos à Durando in 4. diſt. 10. qu. 2. & ab Alberto in 4. diſt. 13. art. 10. inter quos ex parte referri poteſt Ocham in 4. diſt. 4. & ſic poteſt hæc opinio probari pro ipſis.

Primo nam Auguſtinus Epiſt. 47. ad Dardanum ſupponere videtur, quod iſti ſupponunt, dicens, *non poteſt obtinere quantitas Corporis, quod potuit qualitas, nam ita diſtantibus partibus, quæ ſimul eſſe non poſſunt, quoniam ſua quæque ſpacia locorum tenent, minores minora, & maiores maiora, non potuit eſſe in ſingulis quibuſque partibus tota & in nulla parte quanta per totum*, & infra, *tolle ſpacia locorum Corporibus, & nuſquam erunt, & quia nuſquam erunt, non erunt*, ergo ex Auguſtino nulla quantitas poteſt ſeparari ab extẽſione in ordine ad locum, vt nos in Corpore Chriſti ſeparari ſupponimus.

Secundo quia ſicut quantitas eſt accidens Corporis Chriſti in Cælo, ita & eſt accidens eiuſdem præſentia localis in eodem Cælo. Sed non obſtante quod Corpus Chriſti in Sacramento dicatur adeſſe illud idem, quod in Cælo eſt, non inde infertur adhuc per concomitantiam in Sacramento debere ſimul Corpus Chriſti habere prædictam præſentiam localem, quam in Cælo habebat, ergo pariter, inquit Gaſſendus, non rectè inde deducitur

nda

nobis per concomitantiam ſimul habere debere quantitatem, quam in Cælo habet.

Tertio, quia per *ſpeciem viſibilem* Corporis intelliguntur accidentia eiuſdem, vt patet ex Tridentino explicante permanentiam accidentium per illa verba, *remanentibus ſpeciebus, &c.* ſed ex Anſelmo in libro de Corpore & Sanguine Domini cap. 1. *eſt in Sacramenti myſterio vera Dominici Corporis ſubſtantia, ſed abſque viſibili ſpecie, & eſt vera ſpecies viſibilis panis abſq; ſubſtantia ſua*, ergo iam ex Anſelmo, quem in hac materia de Sacramento nos tanti facimus, in Sacramento adeſt ſubſtantia Corporis Chriſti ſine accidentibus eiuſdem.

Quarto quia nos ipſi in 4. Phyſicorum ſuſtinuimus eſſe probabilem opinionem adhuc noſtri Durandi in 4. diſt. 44. qu. 6. & Paludani ibidem qu. 3. cum Argentina quæſt. 1. art. 4. negantium etiam de potentia abſoluta duo Corpora quanta poſſe ſimul eſſe circumſcriptiue in eodem loco, & probabiliter ſoluimus ſingula argumenta in oppoſitum ex myſterijs Natiuitatis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Chriſti, quæ in Durandi opinionem velut erroneam opponi ſolent, vti poſtea video & noſtrum Prado recenter aſſerere adhuc eandem opinionem probabiliter deffendi poſſe. Sed hæc videtur non poſſe alio modo deffendi, quam in myſterio Euchariſtiæ reffugiendo ad hoc ſcil. ibi adeſſe ſubſtantiam Corporis Chriſti, non verò quantitatem eiuſdem, ergo etiam in noſtra ſententia hoc eſſe poſſibile admittendum eſt.

In oppoſitum tamen eſt, quod non ſolum S. Thomas 3. par. qu. 76. ar. 4. ex profeſſo per totum docet oppoſitum, & alij vtriuſque Scholæ Theologi cum Scoto & Bonauentura ſequuntur, verum etiam Belarminus lib. 3. de Sacramento Euchariſtiæ cap. 5. hanc S. Thomæ opinionem appellat *communem Scholarum & Eccleſiæ*, ſicut & Maironius appellauit *determinatam & certam*, vnde Valentia ad tertiam partem diſp. 6. qu. 4. puncto 1. *contraria*, inquit, *ſententia reputatur erronea & merito*, vt antea contra Ocham dixerant eiſdem verbis & Alenſis & Alanus & Soto noſter in 4. diſt. 10. qu. 1. art. 4. apud eundem Valentiam loca refferentem & verba, & cum Soto noſter Nugnies 3. p. qu. 76. art. 4. concl. 1. cum Bonauentura *proximam errori*, vocante, & inde Suarez diſp. 51. ſect. 2. appellat *temerariam*, cui ſubſcribit Franciſcus Amicus tom. 7. diſp. 19. ſect. 6. & alij ſequuntur, ergo nullo modo amplius permitti poteſt oppoſita ſententia Gaſſendi.

Reſpondeo vtique affirmatiuam ſententiam adeo certam eſſe, vt oppoſita (ne amplius dicam) nunc improbabilis & parum tuta reputetur. Et primo probatur auctoritate Conciliorum ſcil. Florentini in litteris vnionis aientis, *totus Chriſtus continetur ſub ſpecie panis & totus ſub ſpecie vini*, & iterum in Tridentino ſeſſ. 13. cap. 3. *totus & integer &c.* ſed non diceretur totus Chriſtus proprie contineri, ſi cum ipſo non contineretur & tota quantitas eiuſdem, à qua præſertim totum quoddam integrale nominatur; Ergo & quantitas cum ipſo ex Conciliorum verbis proprie intellectis contineri debet.

Et Secun-

Secundo probatur ex Patribus ſcil. ex Emiſſeno hom. 5. in Paſchate, Ambroſio in præparatione ad Miſſam, Auguſtino in ſerm. ad infantes apud Bedam primæ Carinthiorum 10. Efremſiro in lib. de natura Dei cap. 5. repetentibus, *totum, & integrum à ſingulis percipi, tantumque eſſe in exiguo quantum exiſtit in toto*; vnde clarius concludit Athanaſius libro de Imagine Saluatoris cap. vltimo, *neque ex Carne & Sanguine Chriſti aliquid poteſt in Mundo inueniri, niſi illud, quod in ara Altaris per manus Sacerdotis quotidie ſpiritualiter efficitur*.

Tertio nam communis Animi conceptio eſt, quod, dum aliquis *hoc Corpus ſuum* nominat, intelligit hoc Corpus cum hac quantitate præſertim, qua etiam à ſpiritualibus immò ab alijs Corporibus numerice diſcerni ſolet, cum immò hinc Platonici, vt ſcite obſeruat S. Thomas tertia parte quæſt. 87. art. 2. ex Ariſtotele primo Methaph. tex. 19. poſuerint dimenſiones eſſe ſubſtantias rerum; Sed Chriſtus inſtituens Sacramentum protulit Sacra illa verba, *hoc eſt Corpus meum*, immò addidit, vt notant Patres, pro maiori expreſſione, *quod pro vobis tradetur*, ergo intellexit de Corpore ſuo cum illa eadem quantitate, quam habebat &c. vnde Anſelmus in libr. de myſterijs Eccleſiæ, *vt certi eſſent*, inquit, *quod reuera erat Corpus Chriſti, ſigna expreſſit, quibus hoc dignoſcere poſſent, boc eſt inquiens Corpus meum, quod pro vobis tradetur*, & idem habent Cirillus Hieroſolimitanus Catecheſi 4. & Ambroſius libro 4. de Sacramentis cap. 5. Theophilatus in cap. 26. Mathæi, Paſcaſius in Epiſt. ad Frudegaidum & Rabanus in libr. de Corpore & Sanguine Domini cap. 3. ſubiungit, *hinc ipſa veritas*, inquit, *ad Diſcipulos, hæc caro mea eſt pro Mundi vita, & vt mirabilius loquar, non alia planè, quam quæ nata eſt de Maria, & paſſa in Cruce, & Reſurrexit de Sepulcro*, cui conſonant Ambroſius in lib. de Myſterijs cap. 9. & Remigius in primam ad Corinthios cap. 10. & Auguſtinus tomo 10. in ſerm. ad Neophitos dicens, *hoc accipite in pane, quod pependit in Cruce, & hoc accipite in Calice, quod de latere effuſum eſt*, & Epiphanius in Anchorato pag. 520. *nolluit per gratiam dicere hoc meum eſt, & hoc, & hoc &c. Qui enim non credit eſſe ipſum verum ſicut dixit, is excidit à gratia & ſalute*.

Quarto nam adminus piarum fidelium aurium offenſiuum eſſet aſſerere in Sacramento Corpus Chriſti integraliter & diſtinctè non habere pedes, manus & Caput, immò ablata veluti dimenſiua quantitate dilaceratum ſimul exiſtere vel confuſum, cum ab oppoſito neque in cruce permiſerit Deus eius crura confringi, vt ex Propheta etiam Euangeliſtæ notarunt. Sed hoc totum ſequeretur, ſi eius ſubſtantia tota integrali quantitate in Sacramento veluti ſpoliaretur, ergo non ita eſſe vel fieri dicendum eſt; vnde ad hunc ſenſum à fortiori videtur arguere Aug. tom. 10. ſerm. 2. primæ partis ſermonum, qui incipit, *Celeſtis gratiæ, menſa*, inquit, *Sponſi tui panem habet integrum, quem panem & ſi confractum comminutumque vidimus in Paſſione integer tamen manſit, & de iſto pane & de iſto Calice dicebat Dominus, quem ego dedero caro mea eſt pro Mundi vita*, & fuſius ex alijs Patribus ad hunc ſenſum videri poteſt Valdenſis tom. 2. c. 55.

Quin-

Quinto nam Corpus viuum organicum & conſequenter quantũ eſſe debet, vt colligitur ex communi diffinitione Animæ, *ſcil. eſt actus Corporis Phyſici organici*, ſed certum eſt in Sacramento adeſſe Corpus Chriſti viuum, ergo & organicum & per conſequens quantum: Vnde Hillarius lib. 8. de Trin. ad hunc finem aiebat, *vere caro & vere ſanguis eſt*, & clarius adhuc Niſſenus in lib. vitæ Moyſis, *non incorporea*, inquit, *quædam res eſt, res autẽ, quæ incorporea non eſt, Corpus omninò eſt*, & Irreneus lib. 5. conr. Gnoſticos c. 2. probat Chriſtum in Incarnatione habuiſſe veram Carnem & verum Sanguinem ex veritate earundem partium organicarum in Sacramento dicens, *neq; Calix Euchariſticus communio Sanguinis eius eſſet, Sanguis enim non eſt, niſi à venis & carnibus &c.*

Sexto nam eadem difficultas eſt circa præſentiam quantitatis Corporis Chriſti in Sacramento, ac circa quantitatem eiuſdem in egreſſu de Vtero Virginis, Reſurrexione de Sepulcro, ingreſſu ad Diſcipulos & penetratione Cælorum in Aſcenſione. Sed in his neceſſe eſt admittere in Corpore Chriſti ſimul quantitatem adfuiſſe, ergo pariter in Sacramento, maior conſtat, nam vtrobique procedit Aduerſariorum obiectio, quomodo ſcil. extenſio ad locum & conſequenter impenetrabilitas à quantitate ſeparetur; minor verò probatur, nam circa Natiuitatem è Virgine, vt arguit Capreolus in 4. diſt. 44. qu. 3. ſi in ſubſtantia Corporis Chriſti non adfuiſſet ſimul quantitas eiuſdem, nec ſaluaretur verus partus Virginis, nec veritas Corporis Chriſti naſcentis cum ſuis proprijs accidentibus è Sacro Virginis Vtero; Sed hæc falſa ſunt & abſurda contra modum loquendi Sanctorum Patrum, ergo; itidẽ circa ingreſſum eiuſdem ad Diſcipulos, nam inde voluit Diſcipulis oſtendere ſenſibiliter veritatem Corporis ſui; Sed hoc non oſtendiſſet, ſi ablata quantitate corporea tale miraculum perpetraſſet, ergo quantitas ablata nõ fuit: vnde Athanaſius orat. 4. contra Arianos, *verbum*, inquit, *per Corpus ſuũ dedit Diſcipulis aliquem ſui ſenſum, quãdo ingreſſus eſt ad eos ianuis clauſis, quippè quod recta penetrabat præſenſque ſui certitudinem afferebat*, & Hillarius lib. 3. de Trin. *ſtetit namque Corporeus non ſimulatus ac fallax, ſequantur oculi mẽtis tuæ penetrationis ingreſum &c. Corpus Domini à ſe non defficit, vt ſe reaſumat*, & Aug. hom. 120. in Ioannem, *moli Corporis, vbi Diuinitas erat, oſtia clauſa non obſtiterunt*. Demum circa Aſcenſionem probatur ex Apoſtolo ad Hæbreos 4. dicente, *penetrauit Cælos Ieſus*, ſed non dicitur vnum Corpus penetrare alterum niſi ad minus in ordine ad ſe retineat quantitatem, aliter & Anima ſpiritualis diceretur proprie penetrare Cælos, nõ verò hoc eſſet ſpeciale in Corpore Chriſti, ergo &c. vnde Iuſtinus q. 17. ad Gent. inquit, hoc factum eſſe eo modo, *quo non mutatione Corporis in ſpiritum Dominus ſupra Mare ambulauit*.

Ad primum igitur inculcatũ etiam à Caluino & eiuſdẽ ſectarijs, ommiſſis alijs in Belarmino legendis lib. 3. de Euchariſtia c. 7. diſtinguo maiorem, loquendo de quantitate naturaliter & vt naturaliter ſenſibili, conc. de quantitate ſupernaturaliter & vt per miraculũ inſenſibili, nego, vt in ſimili diſtinguit idem Aug. lib. 26. contra Fauſtum c. 1. vbi ab oppoſito qualitas ad diſ-

 feren-

ferentiam quantitatis penes diuerſos gradus intenſionis etiam in eadem parte ſubiecti reperitur. Alias autem ſupernaturaliter quantitatem Chriſti non poſſe in Sacramento reſtringi ſub Sacramēto Hæreticorum obiectio erat relata & ſoluta à Paſcaſio in lib. de Corpore & Sanguine Domini inde ſic concludente, *ac per hoc iſti, qui negant hoc viſibile eſſe myſterium atque palpabile, non ob aliquid aliud negant, niſi ne credant, & ne ſit quod veritas ait, hoc eſt Corpus meum, & hic eſt Sanguis meus &c.* & ideo iſta diſtinctione iterum vti neceſſario etiam Aduerſarij coguntur, dum ſaltem in Corpore Chriſti cæteras inſeparabiles qualitates admittunt, coguntur, inquam, vt ſaluent ſimile aliud Auguſtini teſtimonium to. 10. in ſerm. de Corpore & Sanguine Domini, qui incipit, *interim*, vbi inquit, *conſeruetur fides, qua Domini Corpus ipſum verum non qualitatiue ſed ſubſtantialiter creditur*, ideſt non viſibiliter, vt exponit S. Thomas 3. p. q. 75. ar. 1. ad 1.

Ad ſecundum allatum contra ſe à S. Thoma reſpondet idem S. Th. 3. p. q. 76. ar. 5. ad 3. aſſignans diſparitatem his verbis, *illa accidentia Corporis Chriſti ſunt in Sacramento, quæ ſunt ei intrinſeca. Eſſe autem in loco eſt accidens per comparationem ad extrinſecum continens, & ideo non oportet quod Chriſtus ſit in hoc Sacramento quo ad præſentia in loco &c.*

Ad tertium diſtinguēda eſt minor *ſine ſpecie viſibili* viſibilitate in actu ſecundo, conc. in actu primo, negatur, nempe accidentia, quæ ſunt in Corpore Chriſti ſub Sacramento in ſe viſibilia & ſenſibilia ſunt, ſed ablata extenſione in ordine ad locum vtique ab eo, quod videantur, impedita manent, vt colligitur ex eodem S. Tho. 3. p. q. 75. ar. 1. ad 2.

Ad quartum deniq; neganda eſt minor, immò & paritas inter illa myſteria Natiuitatis, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & myſterium Euchariſtiæ, nam vt late in eodem 4. Phyſic. a nobis exponebatur ex doctrina eiuſdem Durādi in eadem q. 4. nu. 16. in illis probabiliter adhuc ea Durandi ſententia deffendi poterat, non per hoc quod quantitas in illis myſterijs (vt iſti volunt) ſeparata fuiſſet à ſubſtātia Corporis Chriſti, ſed per hoc quod ſtante extenſione in ordine ad totum ablata fuiſſet omninò extenſio in ordine ad locum remanente dumtaxat diuerſa ſucceſſiue preſentia diffinitiua ad diuerſa loca, in quę Corpus Chriſti operaretur, ad modum veluti locationis Angelorum, non ſic in myſterio Euchariſtiæ, in quo Corpus Chriſti non diffinitiuè, ſed Sacramentaliter adeſt: de ſeparabilitate autem eiuſdem extenſionis localis à quantitate videndus S. Tho. in 4. diſt. 10. q. 3. ar. 3. ad 2. & demum concludendum ex his & aduerſæ aſſertionis Gaſſendi improbabilitate, quam parum vtilis Theologicæ Diſciplinæ credenda ſit Nouatorum iſtorum in Philoſophicis vaga libertas, vt adhuc clarius in ſubſequenti libro patebit.

Finis Libri Tertij.

LIBER QVARTVS
IN SECTAM DEMOCRITICAM

Atomos pro materia prima & forma ponentem.

DEINDE excluſa Parmenidica Secta ponente vnum ens continuum & immobile, vt vidimus, ſuccedit ſecta Democritica vel Leuſipea diuidens hoc ens continuum (vt motus rerum ſaluetur,) penes ſolidum & innane ſeu penes atomos & vacuitates, vt ex Ariſtotele in primo de Gener. text. 60. ſubordinat acutiſſimè S.Thomas in primo Methaph. lect. 7. & hinc nos pariter hunc ordinem obſeruamus, vt præmonſtrata contra Parmenidem diſtinctione rerum in ſua genera vel cathegorias, quæ Logicæ neceſſaria fuit, hinc inter iſtas, vt nobis longe notiores, res Phyſicales ſeligamus, de quarum principijs contra Democritum in fauorem Phyſicæ Peripateticæ agendum eſt. Et primo de Democrito ſeu auctore atomorum, ſecundo de atomis, tertio de modis ſingulis ponendi res ex atomis, & inde de conſequentibus ad ipſos nobis examen ſuſcipiendum eſt.

QVÆSTIO I.

De Democrito ſeu Auctore Atomorum.

QVia autem ex Ambroſio *diſcendi ardor eſt nobilitas ipſa Magiſtri*, & Atomiſtæ non deſinunt encomia Democriti amplificare, opere prætium eſt hic duo in initio præmittere. Primo an Democritus tanta, quanta ab Atomiſtis extollitur, laude dignus ſit. Secundo an ſaltem laus, ſi quæ eſt, auctoris Atomorum eidem Democrito concedenda ſit.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Democritus tanta, quanta ab Atomiſtis extollitur, laude dignus ſit.

Videtur quod ſic inter cæteros Griſoſtomo Magneno in ſuo Democrito reuiuiſcente edito Papiæ ann. 1646. ac dicato Octauiano Piccinardo tunc Præſidi Senatus Mediolanenſis, ex quo Magneni Opere plerique alij non pauca depromſerunt.

Primo autem ille probabat ab antiquioribus tribus exordiens, nam Ariſtoteles ipſe li. 1. de Gen. tex. 2. Platoni Cæteriſque omnibus Democritum anteponit dicens, *ad ſummum de nulla mutatione niſi ſuperficietenus quicquam alius deffiniuit, præterquam Democritus, cui omnia curæ videntur fuiſſe*, & ante Ariſtotelem Hypocrates in Epiſtola ad Damagetem num. 21. *vidi*, inquit, *Democritum virum ſapientiſſimum, qui ſolus potentiſſimus eſt homines prudentes facere*, & numero 3. *optimus naturæ ac mundi interpres Democritus*, & ante Hypocratem Anaxagoras, vt reffert Laertius in vita Democriti, *In colloquio habito cum Socrate hic Philoſophus*, inquit, *ſcil. Democritus ſimilis eſt quinque certaminum victori*, nimirum ob quinque partium Philoſophiæ peritiam. Ergo iam ex trium grauiſſimorum teſtimonio virorum Democriti ſapientia planiſſimè probata eſt.

Secundo ex Poſterioribus adhuc ad iſtos Seneca lib. 7. Quæſt. natu. cap. 3. vocat Democritum *Antiquorum omnium ſubtiliſſimum*, & alibi, *antiſtitem literarum, ſapientiæ caput, naturæque linguam*, Plinius lib. 28. cap. 6. & lib. 18. cap. 28. & lib. 30. cap. 1. admiratur eundem, & cum his Celſus lib. 1. cap. 1. inter *Medicinæ clariſſimos* & Democritum enumerauit.

Tertio Hinc & Petronius Arbiter Senecæ Coetaneus ſub Nerone in ſuo Satyrico, *omnium herbarum*, inquit, *ſuccos Democritus expreſſit, & ne lapidum virgultorum quid lateret, ætatem inter experimenta conſumpſit*, Apuleius in Apologia Democritum *inter præcipuos rerum naturæ patronos recenſet*, & Lucianus nulli alteri Philoſophorum parcens *admiranda tamen ab illo ſcripta eſſe* teſtatur.

Quarto Demum ne Poetæ deeſſent, Lucretius in lib. 3. & iterum 5. canit.

Democriti quod ſancta viri ſententia ponit.

Timon apud Laertium, *qualis erat prudēs Democritus*, ſeu vt Laertius adiungit, *quale ſciens omnia Democritus*, & demum Iuuenalis Satira 10. canens de eodem, *cuius prudentia &c.* præter Conſtantinum Cæſarem in lib. de Agricultura, qui arcana eiuſdem artis Democrito tribuit, præter Iulianum in epiſtola ad Amerinum, & præter Atenedorum, Plutarchum, Ællianum & alios, qui ſparſim aliqua Democriti opera comendarunt, & quorum Agmen ſic claudit Cicero in 4. Academicarum, *quid loquor*, inquit, *de Democrito? quem cum eo conferri poſſumus non modo ingenij magnitudine, ſed etiam animi?*

mi? qui ita ſit auſus ordiri, hæc loquor vniuerſis &c. quis hunc Philoſophum non anteponat Cleanti Chriſipo &c.?

In oppoſitum tamen eſt quod plerique Eccleſiæ Patres, qui in ſubſequentibus articulis ſingillatim contra Atomiſtas referendi ſunt, vix vnquam tangunt Democriti opinionem de Atomis & huiuſmodi, quin ſimul Democritum vt inſipientem aſpernentur atque delirum, quod in aliorum Philoſophorum adhuc Gentilium reprehenſione non ſolent. Sed huic non congruunt profecto præcitata encomia Atomiſtarum, ergo præcitata encomia conuenentia non ſunt.

Reſpondeo vtique non conuenire Democrito adeo inflatas laudes Atomiſtarum; nam prætermiſſis Eccleſiæ Patribus, de quibus infra, adhuc inhærendo profanis Democritum inſanum fuiſſe ſeu mente captum euaſiſſe teſtatur Athæneus lib. 2. c. 3. nec Seneca ignorauit epiſtola 79. dicens, *quamdiu videbatur furere Democritus*, & Antiſtenes apud Laertium de eo referebat, *ſepulcra incoluiſſe*, & Hypocrates in epiſtola ad Damagetem vniformiter ad iſta, *ſub platano ſedentem ſolum diſcalceatum ſuper lapideam ſedem* deſcribebat eundem, & ſi Omnes alij teſtes deeſſent pro omnibus vni ſuficerent populi Abderitæ conciues eiuſdem Democriti, qui de Democrito, ſumme alibi comendato ab eiſdem, vt teſtes omni exceptione maiores ita Hypocrati conſcribebant & conteſtabantur in epiſtola ad Hypocratem n. 5. *etenim*, inquiunt, *Democritus oblitus ſui omniumque vigilans noctu, & inter diu, & omnia deridens, totamque vitam nihili faciens vitam agit, ridetque ſiquem videt aut hilarem aut meſtum. Idolis aerem plenum eſſe dicit, volucrum voces explorat, ſeque aliquando in rerum immenſitatem proficiſci dicit & Democritos eſſe ſimiles ſibi ipſi innumerabiles, corpuſque cum mente corrumpit*, licet Hypocrates pro amici nominis indemnitate tam patentem late ſtultitiam in Philoſophiæ extaſim interpræcari conatus ſit ad Dionyſium ſcribens, *excellentia morbi opinionem de ſe præbet propter iudicantium imperitiam*, hinc potius integros Abderitarum populos mente captos ac ſenſu ſupponens, quam permittens vnius Democriti inſaniam exiſtimari. Quid de inutili cura Democriti in ordine etiam ad vilia & ſordeſcentia quędam naturæ dicemus, in ordine ad quæ præſertim ab aliquibus iure merito Pithagoræ atque Platoni præferebatur? Siquidem, omiſſis cæteris, ex Plutarcho lib. 1. qu. 1. & Laertio lib. 9. cap. 7. etiam riſu vtique digna illa eiuſdem Democriti de cucumere perſcrutatio recenſetur, *cuius cum liquorem melleum perſenſiſſet, rogauit ancillam vnde comparatus eſſet? qua cum certum hortum nuncupaſſet, eique illuc deducto monſtraſſet, mirante muliere & quid quæreret percunctante, dulcoris, inquit, mihi inueſtiganda eſt cauſa, quam nouero ſi ſpectauero locum. Accumbe, age, inquit arridens Mulier, imprudens ego cucumerem in vas condideram melitum, tum ille velut ſtomacans enecas me, inquit, ego nihilominus incumbam ratiocinationi quaſi propria cucumeri & familiaris ſit dulcedo*, hæc & ſimilia tam admirabilis Philoſophi ſtudia fuere, in cuius ſinu fortaſſe peponem cordis loco natura poſuerat, vt Tertullianus olim contra Marcionem aiebat. Hæc inſignia Democriti & arcana inuenta fuere, propter.

pter quæ merito, inquit recens Libertus Fromondus in comm. ad Senec. lib. 7. quæſtionum naturalium cap. 3. *ſi ſubtilitatem Democriti cum Platone aut Ariſtotele conferamus nullum piſtilum hebetius erit, & bubonem inter Acquilas videbis. In re tamen natura, inquiunt, ideſt Fabis & Piſis callidus ſatis fuit, & primus poſt Pithagoram teſte Plinio magiam herbarum in Europam intulit. Cum etiam Hypocrates eius diſcipulus lac capræ afferri iuſſiſſet, de ſolo aſpectu eſſe nigræ capræ & primiparæ vere coniectauit. A talibus Philoſophis*, Hironice concludit, *Vulgo non Philoſophus ſed ſapientia ipſa apud Suidam appellatus eſt. In Diuinis autem, vt de Epicuro et ſimilimo Cleomedes aiebat, omnes talpas cæcitate anteiuit. Neque Diuinus ille Plato alios longe maiores referens & expendens in tot ſuis voluminibus eum vel leuiſſima memoria dignum ſed omnes vniuerſim eius libros, vt refert Ariſtoxenus apud Laertium, igni cremandos eſſe exiſtimauit*, hucuſque Fromondus. Mitto hinc merito etiam à Claudiano irrideri paneg. mem. de Democrito ita canente.

Ille ferox vnoque tegi non paſſus Olimpo
Immenſum per inane volat, finemque peroſus
Parturit innumeros anguſto pectore mundos

à Plinio etiam libr. 7. cap. 55. *promiſſa à Democrito vanitas*, ſcil. naturalis reuiuiſcendi reditus, qui in hoc ſenſu neque à catholicis admitti poteſt. A Claudiano iterum lib. 1. in Ruf.

Afirmat magnumque nouas per inane figuras
Fortuna non arte regi, quæ numina ſenſu
Ambiguo vel nulla putat vel neſcia noſtri.

& ab alijs paſſim Philoſophis etiam ac oratoribus, quos ſi ſingillatim recenſere vellemus, nec noſtra inſcribendo ſeries nec cæterorum in legendo humanitas id pateretur, cum nobis hoc vnum in fine obſeruare ſufficiat ſcilicet pari modo hæreticum Viclef in li. Trialogi, vt hanc ſuam de Atomis ſtrueret opinionem, præmiſiſſe Democriti laudes, vt Valdenſis refert lib. 1. doctrinalis fidei art. 1. cap. 14.

Ad primum igitur de Ariſtotele dicendum eſt, non abſolute Democriti Phiſiologiam aprobaſſe, immò ſtatim & in eodem loco adducto ab arguente ſubiunxiſſe, *ſed in hoc nempe qua via & ratione fiant diſcrepat*, conſequenter ſolum comparatiue ad Pithagoreorum numeros vel ſeparatas Platonis ideas Democriti principia minus à naturalibus remota indicauit, vt exprimit non ſolum S. Thomas ibidem ſed Euſtratius aperte libr. 2. moralium cap. 1. immò & Ariſtoteles ipſe in eodem 1. de Gen. text. 8. vnde poſtea abſolute Ariſtoteles idem alibi eundem Democritum repræhendit vt 3. de Cælo à tex. 37. & in 1. Phyſicorum tex. 79. *tangentes*, inquit, *Democritus & Leuſippus ſunt quidem ipſum, ſed non ſufficienter* & 5. Methaphyſicorum cap. 4. *naturæ rerum paululum quid Democritus attigit*, & primo de partibus animalium cap. 1. *attigit quidem Democritus primus, non tamen, vt neceſſarium ad naturalem contemplationem, ſed impulſus ab ipſa re*. Hypocrates porro apparebit non tanti vrgere, ſi perpendatur Hypocratem Democriti amiciſſimum, immo, vt plures volunt, & auditorem extitiſſe, vt probat

bat Celſus lib. 1. cap. 1. & Ioannes Franciſcus Picus de examine lib 1. cap. 2. & ex eiuſdem Hypocratis Epiſtola ad Damagetem euinci poteſt, præter Atenodorum lib. 8. deambulationum comertia eiuſdem cum Hypocrate recenſentem, & idem de Anaxagora adiungi licet, quem Democritus à ſe ipſo ſuam de mũdi compoſitione doctrinam deſumpſiſſe iactitabat, vt refert Fauorinus in omnimoda hiſtoria & Laertius aprobat li. 9. in vita Democriti.

Ad ſecundum de Seneca recte Fromõdus occurrit in commentarijs ad illa eadem verba Senecæ dicens, *hoc ab Epicuro habes Seneca, quo teſte Democritus primus Philoſophiæ naturalis fores aperuit, vt intraret, ſi Deo placet, Epicurus. Nam hic à Democrito atomos ſuas & animæ mortalitatem accepit, & Diuinam prouidentiam ideſt Deum ipſum è medio ſuſtulit:* vnde illud Senecæ teſtimonium non in ſententia propria ſed ex Epicuri atteſtatione intelligendum eſt, cuius teſtimonio non ſemel ſe vti Seneca profitetur Epiſt. 8. præterquamquod & idem Seneca epiſt. 90. vidit aliqua etiam falſo eidem Democrito antiquitus ab alijs attributa eſſe ſic ſcribens, *Democritus etiam, inquit Poſſidonius, inueniſſe dicitur Fornicem. Hoc tamen dicam falſum eſſe, neceſſe eſt enim ante Democritum & pontes & portas fuiſſe, quarum fere ſumma curuantur. Excidit porro vobis Democritum inueniſſe quemadmodum ebur polliretur quemadmodum calculus in ſmaragdum conuerteretur &c.* & tamen neque hoc poſtremum primitus Democritum reperiſſe probat Lipſius in eũdem Senecæ locum ex Homero Illiade 8. verſu 141. ante Democritum illa arte facta narrante, & demum hoc gratis admiſſo concludit Seneca ibidem, *iſta, inquit, ſapiens licet inuenerit, non qua ſapiens erat, inuenit, multa enim facit ſapiens, quæ ab imprudentiſſimis aut æque fieri videmus, aut peritius, aut exercitatius.* De Plinio autem iam vidimus quid de Democrito alibi ſcripſerit, & lib. 30. cap. 1. hoc vnum Democrito attribuebat, quod eadem ætate *Hypocrates Medicinam Democritus magicem illuſtraris*, vt teſtatur etiam ex Herodoto Laertius, ex quo Celſus ob Democriti forſan cum Hypocrate contubernia eundem & inter Medicos numerauit.

Ad tertium de Petronio arbitro Apuleio & Luciano, neque tanti faciendi videtur tam inſignes immanium fabularum ſtructores, neq; adhuc de Democrito tanta referunt, quin aut ad magicam, iuxta mox dicta ex Plinio, aut ad mæcanica iuxta præadducta ex Seneca, aut demum ad quædam vilia naturæ iuxta prænotata ex Fromundo non valeant reuocari, ex quo tandem & Epicurus, rixa ſuborta cum Democrito, encomia reuocans, vt refert Laertius, confeſſus eſt *Democritum etiam in naturalibus quaſi gramijs ideſt cæcitate laboraſſe.*

Ad quartum demum, Lucretij omnimode Epicurei teſtimonium minus exiſtimandum eſt, de quo in ſimili omnino Lactantius libro tertio inſtitutionum cap. 17. relatis eiuſdem Lucretij verſibus de Epicuro canentis.

Qui genus hominum ingenio ſuperauit & omnes &c.

Lactantius ſubdit, *quos quidem verſus nunque ſine riſu legere poſſum. Non enim de Socrate, aut Platone &c. hoc ſaltem dicebat, qui velut reges habentur Philoſophorum, ſed de homine, quo ſano & vigente nullus æger ineptius delirauit.*

cui inde perſimili etiam Poeticæ libertati condonari poſſunt, quæ de eodem Democrito à Iuuenali aliiſque ſimilibus referuntur, licet quæ ex Timone & Laertio carmina recitantur, ſi ex integro repetantur, aut hironice, aut ridicule pronunciata videbuntur, ſcilicet reuocantia ſapientiam tam comendatam Democriti vel ad facetiam & comitatem, vel ad hoc vnum, quod panis calidi euaporatione nutritus tribus diebus ſupetuixerit, vti de primo Timon,

Qualis erat prudens Democriti auctor ameni
Sermonis lepidique ioci, in primiſque facetus.

de ſecundo autem Laertius

Quiſnam tam ſapiens viſus, qui tale patrarit.
Vnquam quale ſciens omnia Democritus.
Qui per tres tenuit præſentia fata dies.
Illa recens cocti panis odore aluit.

hæc ſumma vel Comica vel panaria Democriti encomia ſunt, iuxta quæ cæterorum ſubſelij inferioris teſtimonia accipienda manent, vno dempto Cicerone à nobis adiuncto, quem ideo tamen ibi Democritum laudaſſe, dicendum eſt, quia & veritatem in profundo ſepeliens accademicis ſuffragabatur, pro quibus ibi Cicero ſeu Antiocus apud ipſum perorabat, & hoc ad occurrendum Lucullo, qui academicis opponebat nullum antiſtetem habuiſſe, cui Antiocus reſpondebat, *nunc ad ea, quæ à te Lucullе dicta ſunt &c.* tum quia Prothagoras, qui academicus vel Pirhonius erat, vt in 4. Methaphyſic. tex. 19. ab Ariſtotele recenſetur, eiuſdem Democriti vel filius fuit, vt opinatur Ælianus libr. 1. cap. 23. vel ſaltem auditor eiuſdem, vt vult Laertius in Epicuro dicens ab Epicuro Prothagoram appellatum *Baiulum & Democriti ſcribam*, vti conueniunt etiam Athenæus lib. 9. Gelius lib. 5. c. 3. Florus lib. 3. & alij, vbi idem Cicero alibi ab Academicorum patrocinio præſcindens ingenue contra Democritum veritatem confeſſus eſt lib. 2. de Diu. ſic dicens, *Democritus, licet non inſcite, nugatur vt Phyſicus, quo genere nihil arrogantius*, Concludat igitur pro nobis in aliquos huiuſmodi nouatores nimis permotos cæterorum laudibus in Democritum ad Democriticam exuſcitandam Phiſiologiam, concludat, inquam, Nazianzenus Oratione 33. *cur leuiſſimos quoque viros & virorum nomine indignos veluti colluuiem quandam in vnam voraginem cogens, ac verborum illecebris magis, ac magis effeminans, nouam ex ipſis impietatis officinam condidiſti, aſtute, interim eorum amentia ad vtilitatem tuam abutens: ex eaque meſſem perfeciſti?* hucuſque Theologus.

A R.

ARTICVLVS II.

An ſaltem Laus, ſi qua eſt, auctoris Atomorum Democrito *concedenda ſit.*

Videtur pleriſque quod ſic, præſertim ijs, qui minus accurate pertractarunt hanc materiam Atomorum.

Primo nam ita à Tullio in lib. de fato nominatur *Democritus auctor Atomorum*, & Lactantius lib. 3. ca. 17. inquit, *ante Democritum vel Leuſippum neminem Atomos ſomniaſſe*, quibus inde Minutius Felix ſubſcribebat & ſupponere viſus eſt & Galenus de Theriaca ad Piſonem cap. 2. immò & Ariſtoteles fauere videtur referens plerumque pro opinione componente res ex Atomis ipſum Democritum, vt primo Phyſicorum tex. 6. lib. 3. tex. 27. lib. 8. tex. 10. lib. 4. de Cælo tex. 42. libr. 1. de Gener. text. 1. & 5. & 56. ergo &c.

Secundo quia Theodoretus lib. 4. poſtquàm docuerat Aromos à Democrito *plenum* appellatas eſſe, à Metrodoro *indiuiſibilia*, ſubiungit, *Epicurus autem Neoclis Filius dicta illius naſta & adiereta appellauit Atomos*, vt repetit etiam Ioannes Franciſcus Picus lib. 1. examinis cap. 2. & inde alij, ergo ex Teodoreto & alijs Epicurus ſolius nominis Atomorum, Democritus autem etiam ſubſtantiæ earundem Atomorum inuentor dicendus eſt.

Tertio quia hinc Epicurus paſſim Democriti aſecla nominatur, vti Plutarchus lib. 2. ad verſus Colorem ex Metrodoro refert *Epicurum ſe Democriticum profeſſum eſſe, & niſi præiuiſſet Democritus Epicurum nunquam fuiſſe ad ſapientiam peruenturum*, Cicero lib. 1. de Nat. Deorum, *Democriti fontibus, inquit, hortulos ſuos irrigauit Epicurus*, & primo de finibus, *quæ mutat Epicurus ea corrumpit, quæ ſequitur, tota ſunt Democriti Atomi & innane*, ex Hermippo Laertius in Epicuro teſtatur eum tunc incepiſſe Philoſophari, *cum in Democriti libros incidit*, ex quo Lucianus Epicurum appellabat *Democriti diſcipulum*, Auguſtinus lib. 3. contra Academicos cap. 10. *eiuſdem hæredem*, Vitruuius lib. 2. cap. 2. *Democriti ſucceſſorem*, ergo Democrito ſaltem Atomorum, quas Epicurus ſectatus eſt, etiam auctoris laus concedenda eſt.

In oppoſitum tamen eſt, quod in re nomine Atomorum nihil aliud cæteri intellexerunt, vt in ſequenti quæſtione dicemus, quam corpuſcula quædam minima impartibilia, ex quibus inuicem diuerſimode adunatis naturalia compoſita reſultarent; Sed hæc corpuſcula minima confuſa modo, modo diſtincta ante Democritum alij plerique Philoſophi poſuerunt, qui in 1. Phycorum, & Methaphyſicorum lib. ab Ariſtotele referuntur pro principijs rerum vel vnum vel plura elementa poſuiſſe, ergo in re etiam ante Democritum alij Atomorum auctores extitere, non vero Democritus auctor concedendus eſt.

Reſpondeo neque hanc laudem Democrito concedendam eſſe, licet hæc

ſecta Atomiſtarum nunc Democritica nominetur eo quod ille præ cæteris Atomorum doctrinam extenderit, aut propugnarit. Etenim Ariſtoteles in 1. Methaphyſicorum cap. 5. referens hanc opinionem Atomorum ita exorditur, *Leuſippus & Collega eius Democritus elementa quidem plenum & inaue eſſe aiunt*, vt repetit etiam 1. de Gener. tex. 1. & 5. & alibi; Subſumo. Sed conſtat Leuſippum non didiſciſſe à Democrito, immo Democritũ potius è contra diſcipulum Leuſippi fuiſſe, vt Laertius obſeruat lib. 9. in vita Democriti dicens, *hunc* 40. *annis iuniorem illo fuiſſe*, ergo ante Democritum Leuſippus ſaltem vt auctor Atomorum ſupponendus eſt; vnde in hoc ſenſu idem Laertius eodem libr. 9. in vita Leuſippi dicebat *primus hic Atomos principia ſubiecit*, vti & Lactantius lib. 3. cap. 17. *Leuſippus*, inquit, *à quo Democritus eruditus hæreditatem ſtultitiæ reliquit Epicuro*.

Secundo nam ante Leuſippum etiam, vt refert Sextus Empiricus in libr. aduerſus Phyſicos id etiam ex Poſidonio confirmans, de atomis alter quidam Moſchus è Fenitia diſputauit; ſed iſte adeo Leuſippum etiam cum Democrito anteiuit, vt ſicut Strabo teſtatus eſt libr. 16. etiam tempus belli Troiani precceſſerit; Ergo iam ante Democritum, immo & Leuſippum, alij pro Atomis extitere Philoſophi, non vero primo Democritus Atomorum inuentor fuit.

Tertio quia & apud Stobeum Ecl. Phyſic. 25. Ecphantus quidam dixiſſe refertur *componi mundum ex Atomis, & primus vnitates Pithagoricas dixiſſe corporeas*, quas pariter Atomos eſſe teſtatur Ariſtoteles lib. 13. Metaph. tex. 6. dicens, *nihil intereſſe dicere vnitates an præexigua corpuſcula*, & vniuerſim apud eundem Ariſtotelem 4. Phyſic. tex. 6. *Pithagorici exiſtimabant vnitates magnitudines habere*, & Cicero 1. academicarum *vnitates corpuſcula* nominabat, & Plutarchus lib. 1. de Placitis Philoſophorum cap. 3. *Atomum eſſe manifeſtum vt elementa vniuerſi inane & vnitas &c.* quo sẽſu etiam, vt Gaſſendus obſeruat, Automedon prima antolog. 15. in Epigramte ſumens pro eodem Atomos & vnitates aiebat.

Hæc monitus ſapito, ac permitito fruſtra Epicurum
Quærere inane vbi ſit, quæ monades ve ſcient.

Quarto & Archelaus, vt refert Auguſtinus 8. de Ciuitate cap. 2. conſtituit *ex particulis diſſimilibus vniuerſa*, & Zeno apud Stobeum in Phyſicis duplici prædiſtincta materia vniuerſali & particulari, vti & Laertius in Zenone refert, illam in re pro atomis explicare videbatur dicens, *illam æternam neque maiorem, neque minorem fieri, & partes eius non eaſdem manere, ſed ſeparari & commiſceri*, ſic & Empedocles, vt Plutarchus refert 1. de Placitis cap. 13. *ex fragminibus quibuſdam minutiſſimis, quæ quaſi elementa elementorum, eſſe cenſuit*, & Heraclidem pariter agnouiſſe ſubiungit *ramenta quædam minima & impartibilia*, & inde Aſclepiadem Bitinium poſuiſſe *incompoſitas moleculas* memorat Sextus Empiricus, & Diodorum Cronum *corpora minima partitioniſque incapacia*, & idem de Artemedoro recenſet Seneca libro 7. quæſtionum naturalium cap. 7. ergo iterum ante Democritum in re de atomis tractatum eſt.

Quin-

Quinto tandem vniuerſim de antiquoribus Democrito comprobatur, nam in tantum Democritus & Democritiſtæ ponebant atomos, in quantum ſupponentes naturaliter ex non ente nihil fieri non diſtinguebant inter non ens ſimpliciter, & non ens actu, vt eſt materia prima, pro qua ideo ſupponebant ſubiectum in actu ſcil. corpuſcula, & inde negabant productionem formæ ſubſtantialis & huiuſmodi. Sed in huius diſtinctionis ignorantia conueniebant pariter cæteri antiquores ante Democritum, vt obſeruat idem Ariſtoteles in 1. Phyſicorum tex. 74. dicens, *quod illi quidem non percipientes deliquerunt, & propter hanc ignorantiam in tantum ignorauerunt, quod nihil opinati ſunt fieri*, & in 1. de Gener. tex. 18. loquens de ponentibus diuerſa elementa ſubiungit, *hæc igitur aut alia ſupponere nihil differe, modum enim quærimus ſed non ſubiectum*, ideſt ſubiectum omnes ponimus, ſed de modo eſſendi in actu vel potentia diſputamus, & hinc demum in 7. Metaph. tex. 9. ſubinfert, *ſic ſpeculantibus accidere ſubſtantiam eſſe materiam*, ideſt ſolam ſine forma, quæ ideo vt infra concludit *maxime dubia eſt*, ergo cæteri etiam ante Democritum neceſſario ad atomos refugiebant, non igitur in re Democritus auctor atomorum eſt.

Ad primum igitur, vt ea dicta ſaluentur, ſufficit Democritum præ cæteris atomos applicuiſſe ſingulis mutationibus rerum, eaſque dilucidius explicuiſſe, propter quod Cicero de Diuinatione vocabat, *Democritum non obſcurum*, & Ariſtoteles 1. de Gener. tex. 5. *Democritus*, inquit, *videtur omnia curaſſe & principia ſupoſuiſſe, quæ ad omnia accomodari poſſent & ad alios motus*, & demum alia tertia eaque præcipua ratio reddenda eſt, quia nimirum vbi anteriores minimis illis particulis & ſuas proprias qualitates concedebant, vt particulis ignis calorem, aquæ humiditatem & huiuſmodi, Democritus admiſit ſolam magnitudinem & figuram, vt refert Plutarcus lib. 1. de Placitis cap. 3. & Epicurus in Epiſtola ad Herodotum adiunxit, *Atomos nullam habere qualitatem præter figuram pondus & magnitudinem*, vt late proſequitur Lucretius lib. 2.

Ad ſecundum etiam ſi nihil obeſſet admittere nomen atomi ab Epicuro introductum, quem etiam Laertius in Epicuro ex teſtimonio Halicarnaſei refert ſibi adſcripſiſſe lib. de atomis prius à Democrito Euulgatum, ex quo deinde rixa inter ipſos ſuborta eſt, vt Epicurus *cum Democrito de ſyllabis & apicibus altercaretur*, referente Plutarco lib. 2. aduerſus Colorem, & Cicerone lib. 1. de natura Deorum aiente Epicurum, *in Democritum, quem ſecutus eſt, ingratum extitiſſe*, attamen adhuc nomen atomi non fuiſſe introductum ab iſtis arbitrati ſunt tum Lactantius lib. 3. cap. 13. hoc potius attribuens Leutippo, tum Sidonius Apolinaris hoc refundens in Archelaum carmine 15. dicens,

Poſt hos Archelaus diuina mente paratam
Conijcit hanc molem confectam partibus illis
Quas Atomos vocat ipſe leues.

Ad tertium tãdem facilior ex dictis ad primum reſponſio eſt, addito ſolum hinc magis encomia attributa Democrito, quæ ſupra retulimus, re-

fel-

ſellenda eſſe, eo quod etiam ex ipſo lutulenta illa Epicuri Phiſiologia vel potius antitheologia prodierit, pro cuius apologetica lucubratione demiror Gaſſendum fere integrum ſuum tomum 5. compleuiſſe, veluti pro aris & focis in Epicuri patrocinium depręliari cogeretur, cum tamen & ipſe Laertius in Epicuro fateatur *eum quotidie præ crapula vomere ſolitum*, & Auguſtinus lib. de Vtilitate Credendi cap. 4. adaptaret illud Horatij, *Epicuri de grege porcorum*, & Sidonius in Epitalamio Polemij concluderet, *Aſt Epicureos elliminat vndique virtus*, ſed de his ſatis hic li. 6. ſeruandis, qui in Epicureorum ſectam ex integro inſtituendus eſt.

QVÆSTIO I.

De Atomis.

Quibus Democritici innituntur.

ANtequam vero ad hanc Democriti ſectam refellendam, vti intẽdimus, deſcendamus, ne in æquiuoco laboremus, & Methodice procedamus, præmittendum eſt. Primo quid & quotuplex Atomus ſit. Secundo quot modis aliqui arbitrari potuerunt res ex Atomis eſſe, vt inde ſingulos eorundem Democritiſtarum modos pro veritatis indagine examinemus.

ARTICVLVS PRIMVS

An ſit idem Atomus ac corpuſculum impartibile, & hoc duplex Phyſicum ac Mathematicum, ſeu Democriticum & Zenoniſticum.

VIdebitur fortaſſe aliquibus Atomum à nobis nec recte deffinitam eſſe, nec recte diuiſam.

Primo nam circa diffinitionem ſcil. eſſe corpuſculum impartibile, in primis neque rerum differentię neque genera rerum profecto corpuſcula ſunt, aliter ridenda & in ſpiritualibus corpuſcula admitterentur. Sed à Porphirio etiam differentiæ Atomæ nominantur & ab Ariſtotele 1. Poſteriorum lect. 26. apud S. Thomam in generibus etiam ſubſtantiue atomi collocantur his verbis, *in eodem quidem genere & ex eiſdem Atomis*, ergo Atomis adæquate non conuenit corpuſcula eſſe.

Secundo circa eandem diffinitionem, quia vt mox dicemus, & *puncta*, ex quibus Zenoniſtæ componunt continuum, profecto Atomi Mathematicæ ſaltem nuncupari ſolent, vti & alii apud Ariſtotelem 3. Phyſicorum text. 57. *Atomas lineas* ſupponebant, & rurſus diuerſa *nunc* in tempore *Atomi* etiam ab Iſidoro 13. Etimolog. cap. 2. nominantur vti etiam à Hieronymo tom. 3. epiſtola ad Miuerium & Alexandrum & ab Auguſtino epiſtola 146. ſed neque *puncta* neque *linea* neque *nunc* temporis proprie corpuſcu-

la

la dici poſſunt, ergo non omnes Atomi corpuſcula ſunt.

Tertio circa Atomi ſubdiuiſionem in Phyſicam & Mathematicam, nam ſi Atomus corpuſculũ eſt eo proportionali modo debet ſubdiuidi Atomus, quo corpus ſubdiuidi ſolet. Sed corpus non bimembri ſed trimenbri diuiſione ſubdiuidi ſolet in corpus Phyſicum Mathematicum & Methaphyſicum ex Alberto in primo Phyſicorum, quem ſequitur Caietanus p. p. qu. 7. art. 3. ergo pariter Atomus, quæ corpuſculum eſt, proportionaliter ſubdiuidenda eſt in Phyſicam Mathematicam & Methaphyſicam.

Quarto quia de facto aliqui immaginantur minimam quantitatem habentem partes extenſas, ſed inſeparabiles realiter inuicem ne dum Phyſice ſed Mathematice, niſi eſſentia quantitatis illius deſtrueretur. Sed talis eſt Atomus vere Methaphyſica, ſcil. eſſentialiter ſeu Methaphyſice impartibilis, licet Mathematice diuiſibilis ob extenſionem ſit, ergo præter Atomum Phyſicam & Mathematicam vere & Methaphyſica Atomus admitti debet: nec valet in oppoſitum in iſta Atomo Methaphyſica eandem fore quantitatem ac in Atomo Mathematica; nam etiam in Atomo Mathematica eadem eſt quantitas, ac in Atomo Phyſica, ſed hoc non obſtante Atomus Mathematica adhuc ab Atomo Phyſica diſtingui ſolet, ergo pariter hoc non obſtante & Atomus Methaphyſica ab Atomo Mathematica diſtinguenda eſt.

In oppoſitum tamen eſt in propoſito Philoſophorum conſenſus ne dum ſcholæ Peripatheticæ, ſed Democriticæ, ac cæterarum pro eodem paſſim accipientium atomum atque corpuſculum, & eandem atomum ſubdiuidentium in phyſicam ſcil. in ordine ad totum Phyſicum, vt pertractatur in 1. Phyſicorum & 1. de Gener. ab Ariſt. & in Mathematicam ad componendum totum Mathematicum, de quo agitur in 6. pariter Phyſic. Ergo & nos debemus hic atomum ſic diffinire & diuidere, vt ab eiſdem diffinita & ſubdiſtincta eſt.

Reſpondeo vtique eſſe ſic deffiniendam ac diuidendam atomum non obſtantibus in oppoſitum argumentis à nobis adductis. nam atomi in primis à diuerſis diuerſimode appellatæ ſunt ſed terminis denotantibus implicite ſaltem corpora ſeu corpuſcula ſemper. Sic enim Ariſtoteles 1. de anima 4. *nihil intereſt*, inquit, *dicere vnitates an praexigua corpuſcula*; & cap. 2. *hæc indiuidua corpora ſimilia corpuſculis his eſſe, quæ in aere ferri videntur in ipſis inquam radijs, qui per feneſtram ingrediuntur & rerum elementa generandarum ſemina totius eſſe naturæ dixit ſcil. Democritus*, qua ſeminum voce deinde & Virgilius ecloga 6. vſus eſt verſu 31. dicens

Namque canebat vti magnum per inane coacta
Semina &c.

& præter Virgilium Apolonius c. 1. argiuorum, & Lucretius

Conueniunt & res permixto ſemine conſtant.

inde Claudianus Mamertus

Ne vagus innumeros Epicuri ſomnia mundos
Quos Atomis demens per inane patentibus edit.

& Au-

& Auſonius apud Merauiliam in proteo leg. 22.

tenuiſſima tantis
Principia & noſtros non admittentia viſus
Paruarum ſerie conſtant connexa Atomorum
Sic ſolidum in primis nulliquc ſecabile ſegmen

ſubinde ab Amiano lib. 26. appellantur *indiuidua corpuſcula volitantia per inane ſeu Atomi*, à Manilio lib. 1. *cæca materies ſeminibus minimis*, vti paſſim etiam Lucretiana phaſi vocantur *corpuſcula cæca corpora, figuræ principiâ*, *principiorum corpora, materies, materiei corpora*, vt Griffanius obſeruat ad mox allatum Virgilij verſum. Inde Arnobius lib. 2. nominabat *indiuiduorum concurſiones*, vti & Cicero 1. & 2. de natura Deorum. Hermias in Iriſione Philoſophorum *multiplices & multiformes complexiones*, Minutius *fortuitis conſurtionibus totius mundi membra coalita, digeſta, formata*, & infra, *fruſtis quibuſdam temere cohærentibus mundum conglobatum*. Claudianus de conſolatu Teodoſij, *hi vaga colliduntur cæcis primordia plagis*, Seneca de Vita beata lib. 1. cap. 31. *indiuidua, per quæ ſtruitur omne &c.* Tertullianus lib. de Anima cap. 15. *ſi Atomos Epicuri tenerem numeros Pithagoræ viderem &c.* Baſilius in hexameron, *corpora inſenſibilia ſine partibus concurentia coagmentatiua, moles, meatus*, Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium libr. 14. præparationis Euangelicæ, *dictas Atomos ob ſoliditatem indiſolubilem*, Plutarchus lib. 1. de placitis Philoſophorum cap. 3. *dicitur Atomus non ſolum quod minima ſit ſed quod non poſſit diuidi cum ſit patiendi incapax, & innanis expers*, & infra, *adeo vt dicens Atomum dicas id, quod & plagæ ſecurum eſt, & pati nihil poteſt, & inanis eſt expers*, Seruius iterum in Eglogam 6. Virgilij vbi ſupra ex alijs erudite animaduertit modo à Cicerone 1. academicarum dictas eſſe *corpuſcula*, modo ab alijs *plena ſolida, & dura*, modo *principia primordia elementa, corpora prima, primas magnitudines, magnitudines indiuiduas*, vti hoc vtrumque refert ex Democrito & Leuſippo Ariſtoteles 1. de Gener. tex. 2. & 3. de Cælo tex. 2. modo *ſeminarium*, modo *genitalia ſemina rerum*, modo *rerum ſiluam, vel materiam*, modo *corpora indiuidua, indiuiſibilia, inſectilia, inſecabilia impartibilia, inſenſibilia, inuiſibila, mente percepta corpuſcula & huiuſmodi*, vt ex Græcis antiquorum vocabulis etiam Gaſſendus obſeruat, Gallenus inde in 1. de Elementis inquit dictas eſſe *infrangibiles ob ſoliditatem*, Teodoretus lib. 4. *indiuiſibile, inſectile, plenum dicunt aliqui quod paſſionis expers ſit, alij quod tanta ſub paruitate ſectionem ſiue diuiſionem admittere non valeat*, Achilles Tatius ad Aratum Phæn. *appellat*, inquit, *Atomos Epicurus aut propter exiguitatem, cum nempe minimulæ ſint, aut propterea quod coruptionis diuiſioniſque ſint incapaces*. Philoponus in 1. Phyſicorum, *Atomos*, inquit, *propter exiguitatem quidem eſſe inuiſibiles Leuſippus Democritus & Epicurus exiſtimarunt, ſed propter ſoliditatem eſſe diuiſionis expertes*, patet igitur ex hucuſque allatis Atomum optime definiri, quod ſit corpuſculum impartibile, vt dicebatur. Porro atomum duplicem eſſe Phyſicam & Mathematicam, ex eiuſdem corpuſculi impartibilis conceptu probatur, quia atomus, vt hucuſque vidimus, ab omnibus intelligitur eſſe

corporeum quoddam minimum indiuiſibile, ſed hoc duplex, ſcil. vel indiuiſibile ſolum Phyſice diuiſibile autem Mathematice, vti etiam dicitur à Peripatheticis minimum Naturale, vel indiuiſibile vtroque modo vt punctum apud Mathematicos & huiuſmodi, vt diſtinguit & S.Thomas 1. Phyſicorum lect. 9. & alibi ſæpe, ergo & atomus duplex erit, Phyſica primo modo indiuiſibilis, & Mathematica indiuiſibilis etiã ſecundo modo. de quarum prima præcipue Philoſophati ſunt Leuſippus, Democritus, Epicurus, Anaxagoras & huiuſmodi alij relati à Philoſopho 3. de Cælo tex. 37. & 1. de Gene. tex. 5. vt etiam in eorundem vita Laertius aduertit, de ſecunda autem egit Zenoniſtica ſecta, quæ in ſubſequenti libro à nobis ex profeſſo expendenda erit & pro nunc ſufficit excurere acta Concilij Conſtantienſis, in cuius ſectione 15. hæc propoſitio Ioannis Hus, *lineam componi ex tribus aut quatuor punctis, aut ſolum ex punctis ſimpliciter* damnata repetitur hac cenſura nimirum, *error eſt in Philoſophia*, vti & condemnat & reprobat iterum aduerſus Viclef Hæreticum Vualdenſis libr. 1. doctrinalis fidei art. 1. cap. 13. & ſubſequentibus, pro nunc autem nos à cenſura præſcindimus.

Ad primum igitur diſtinguenda eſt minor ſeu auctoritas adductorum ibidem, nimirum ſumendo atomum adiectiue, concedo, ſubſtantiue, nego, primo enim modo Atomus, Atoma, Atomum, nil aliud eſt quam indiuiſibilis vel indiuiſibile, vti & ſpiritualia dicuntur, ſecundo vero modo dumtaxat proprie corpuſculum eſt, vt in ſimili de diſtinctione nominis adiectiui & ſubſtantiui diſtingunt Theologi ad primam partem qu. 39. art. 3. adeo vt in ſenſu adiectiuo aliqua propoſitio Catholica ſit, quæ in ſubſtantiuo vt hæretica condemnatur. Vnde in primo ſenſu vtique adiectiuo ad illum Ariſtotelis locum adductum in argumento ſic S.Thomas exponit, *in eodem genere & ex eiſdem Atomis ideſt indiuiſibilibus & appellat Ariſtoteles Atomos ipſos terminos ideſt extremos*, & in eodem ſenſu intelligenda venit auctoritas quædam Dionyſij de Diuinis nominibus, qua quidam atomiſta recens Bononiæ in publica mecum diſputatione vtebatur ad ſuſtinendum etiam *Trinitatem & animam rationalem Atomum dici poſſe*, vt ſalueretur eius expoſita Teſis, *ſcil. omnia ex Atomis componi*, ita, inquam, illa fraſis Dionyſij, ſi in Dionyſio reperiatur, *Trinitas Atoma*, adiectiue vtique veriſſima eſt, ſed ſubſtantiue perperan ab eodem extendebatur & abſurda procul dubio in hoc ſenſu propoſitio eſt, ſcil. *Trinitas vel anima rationalis Atomus eſt*, eo quia vt aiebat cum Hieronymo S.Thomas 3. p. qu. 16. art. 8. *ex verbis innordinate prolatis incurritur hæreſis, vnde cum Hæreticis nec nomina habere debemus communia*, ſed non deffuerunt hæretici aſſerentes *Deum Atomum ideſt corpuſculum eſſe*, vt refert Coccius tom. 1. Teſauri lib. 1. ar. 1. & ex eodem Democrito memorat & refellit Auguſtinus epiſtola 56. ad Dioſcorum & Nazianzenus Oratone 34. concludens *hoc ipſis etiam Epicuri Atomis abſurdius eſſe & annilius*, & de anima rationali pariter idem ſenſiſſe Democritum & Epicurum recenſet Plutarchus lib. 4. de Placitis cap. 3. & proſequitur ex Hæreticis referre ac refutare Coccius tom. 2. art. 1. libr. 1. ergo neque attento dumtaxat loquendi modo prædictæ propoſitiones admittendæ

ſunt, ſtante præcipue reſolutione abunde probata ſcil. *Atomum nil aliud quam corpuſculum eſſe*.

Ad ſecundum licet illa plerumque dici poſſent non atomi ſubſtantiue ſed res quædam atomæ adiectiue, adhuc in ſenſu ſubſtantiuo gratis admiſſa maiori negatur minor, tum quia & puncta ſeu atomi Mathematicæ, vt explicat Spinula in 6. Phyſicorum, licet apud Peripateticos inextenſa abſolute dicantur, apud Zenoniſtas tamen dicuntur extenſa extrinſece & conſequenter hoc pacto corpuſcula, vt proſequitur explicare & Ouiedo in hunc ſenſum trahens illud Auguſtini lib. 2. de libero arbitrio cap. 8. repetitum à Claudianum Mamerto lib. 3. de ſtatu animæ cap. 4. *ſcil. quantulumcumque illud corpuſculum ſit habet ſiniſtram dextram inferiorem & ſuperiorem*, & in hoc ſenſu apud quoſdam etiam Simplicius in 6. Phyſic. viſus eſt Democriticas Atomos veluti puncta inflata explicaſſe ad differentiam atomorum Epicuri ex Ariſtotele 3. de Cælo tex. 38. & 65. vel ex Laertio etiam in Democrito referente, *omnia ex huiuſmodi Atomorum vertiginibus tumorumque circumferentijs eſſe compoſita*. Temporis porro indiuiſibilia, ſicuti quantitas ſucceſſiua non habet extenſionem niſi per permanentem, ita hæc indiuiſibilia temporis ſolum per analogiam ad atomos permanentes atomi nominantur, & verius dici ſolent non atomi ſubſtantiue ſed *momenta* ex Niſſeno de opificio hominis cap. 22. Baſilio homilia 1. in hexameron, Auguſtino li. 11. Confeſſionum cap. 15. ſeu *puncta temporis* vt ab Anſelmo de Incarnatione cap. 8. & ab alijs vocata ſunt, & demum iſta puncta temporis vel continui pro quanto atomi nominantur corporea immo & corpuſcula dici poſſunt eo modo, quo Lipſius lib. 2. Phiſiologiæ Stoicorum diſertatione 4. ex Seneca epiſtola 106. Tertulliano de anima cap. 6. alijſque pluribus probat apud Stoicos quodlibet, etiam materiam & qualitatem, corpus ſeu corpuſculum eſſe, licet in præſenti non de Mathematicis, cuiuſmodi illa ſunt, ſed de atomis præſertim Phyſicis ſermo fiat.

Ad tertium diſtinguenda eſt minor, *corpus diuiditur in Phyſicum Mathematicum & Methaphyſicum*, loquendo de corpore pro vt diuiſibile formaliter eſt, nego, vt quædam quidditas ſcibilis eſt, concedo, nam diuiſibilitas gemina ſolum in corpore ſpectari poteſt ad propoſitum, vt præmiſimus, ſcibilitas autem corporis penes triplicem abſtrahibilitatem à materia triplex pariter eſſe poteſt, & ideo ratione primi corpuſculum quatenus minimum ſeu indiuiſibile oppoſitum diuiſibilitati gemina duntaxat differentia diſtingui ſolet ac debet, licet nec illa corporis diuiſio trimembris in S. Thoma reperiatur, vt Caietanus ibidem confeſſus eſt.

Ad quartum demum relata ibi ſententia nullo auctore claſico roboratur & ab Auerſa qu. 22. de quantitate vt *prorſus ridicula*, & à Maſtrio num. 34. *vt digna ſilentio potius quam impugnatione deſpicitur*, eo quia eniſa effugere proceſſum infinitum indiuiſione cogitur admittere eundem in extenſione & rurſus admiſſa ſemel extenſione partium non eſt cur diuiſibilitas vt proprietas conſequens denegetur, immo & diuiſio actualis adminus ſupernaturaliter non admittatur, vt innuebat Claudianus Mamertus libr. 1. de

ſtatu

ſtatu animæ cap. 17. dicens, *quidquid partes habet poteſt vtique diuidi, quia pars poteſt à parte diuelli*, vt probant etiam Auguſtinus lib. 2. de libero arbitrio cap. 8. libr. 6. de Muſica cap. 8. epiſtola 94. & 11. de Trinitate cap. 10. & lib. de quantitate animæ cap. 21. & Damaſcenus in Dialectica cap. 23. Anſelmus de Incarnatione capite vltimo, Hugo Etherianus lib. 2. aduerſus hæreſes cap. 8. & demum Cicero in primo academicarum quæſtionum ſic concludebat, *cum nihil ſit in rerum natura minimum, quod diuidi non queat*. & hæc de Atomi quidditate ac diuiſione dicta ſufficiant.

ARTICVLVS II.

Quot modis vniuerſim immaginari poſſimus res ex Atomis eſſe.

VIdetur quod non ſint tantum quatuor modi immaginabiles mox referendi.

Primo quia atomi Phyſicæ fortuito componentes corpora ab aliquibus ponuntur eiuſdem ſpeciei, ab aliquibus diuerſæ, à quibuſdam infinitæ ab alijs finitæ, vt refert & diſtinguit S. Thomas 1. Phyſicorum lect. 2. cum alijs infra citandis. Sed hi ſunt diſtincti modi & diuerſi à tribus modis, quos nunc ponemus circa atomos Phyſicas, ergo præter tres modos circa Phyſicas atomos dantur & alij imaginabiles circa eaſdem phyſice res componentes.

Secundo quia pariter atomi Mathematicæ ab aliquibus ponuntur inflatæ, ab aliquibus non inflatæ, vt iam retulimus, ab aliquibus finitæ ab aliquibus infinitæ, vt refert Ouiedo controuerſia 17. Phyſicorum, ſed ij ſunt diſtincti modi non vnus, ergo circa atomos Mathematicas male à nobis ponitur vnus tantum modus, ergo vniuerſim circa atomos erunt plures modi quam quatuor mox ſubdendi.

Tertio quia eo modo, quo penes cauſas intrinſecas & extrinſecas multiplicātur modi opinādi circa atomos phyſicas, nō apparet cur nequeāt pariter ſic multiplicari circa Mathematicas, ergo circa illas erunt tres modi ſecuri circa illas, ergo ſex modi non quatuor.

In oppoſitum tamen eſt quod cum ex Seneca 1. de Clementia cap. 15. *numquam deſit patronus peioribus*, ideo nulla datur opinio ita deſerta, quæ aliquem ſemper non inuenerit pratocinantem, ſed nulla alia opinio generaliter præter hos quatuor opinandi modos inuenitur, quæ circa atomos habeat pro ſe nominatos aliquos auctores, vt legenti patebit, ergo ſignum euidens eſt nullum alium modum immaginabilem eſſe præter hos quatuor referendos &c.

Reſpondeo quatuor tantum eſſe modos imaginabiles generales circa compoſitionē rerum ex Atomis, tres quidem circa Phyſicas, & vnum circa Mathematicas. Probatur primo ſingulos explicando modos, quia circa Phyſicas aut immaginamur ita ſolas atomos conſtituere res, vt excludantur omnes cauſæ tam intrinſecæ (ſcilicet forma vnita materiæ) quam ex-

trinſecæ (ſcilicet cauſa efficiens ſiue prima ſiue ſecunda confundenda cum atomis;) aut ſecundo immaginamur ſolum excludi intrinſecas non extrinſecas cauſas, aut demum neutras excludendo. Si primum eſt primus modus ponendi atomos ſcilicet fortuito ex ſeipſis omnia componentes aut ſimili modo diminuente actionem agentis. Si ſecundum eſt ſecundus modus ponendi atomos omnia ſubſtantialiter componentes non tamen fortuito, ſed cum regulato efficientium influxu; ſi tertiũ eſt tertius modus ponendi atomos componentes res integraliter veluti minima naturalia coadunata, ita vt tamen hæc minima ſeu atomi in ſe componantur ex materia & forma ſubſtantiali ſubſtantialiter producta de nouo, ergo tres tantum erunt modi generales circa atomos Phyſicas, vt tangebatur; circa Mathematicas autem cum iſtæ nequeant componere niſi quantitatem Mathematicam, circa quam nec primario efficientia nec ſubſtantialis generatio verſatur, ideo circa ipſas non ſunt plures modi vt mox adducti circa phyſicas, ſed vnus modus ſcilicet ponendi continuum componi integraliter ex ſolis indiuiſibilibus. Secundo vlterius ſtabilitur hæc reſolutio referendo circa ſingulos adductos modos opinandi ſingulos vel præcipuos auctores eorumdem. Primum etenim tradiderunt Leucippus, Democritus, & Epicurus, vt referunt Euſebius lib. 14. cap. 5. Laertius in eorum vita, Plutarchus primo de placitis Philoſophorum cap. 3. Hermias in irriſione Philoſophorum, Plotinus lib. 9. Eneida 2. Celius Rhodiginus lib. 5. cap. 10. referens etiam hinc quendam Boetium apud Plutarchum in Sympoſiacis explicaſſe cur melius audiamus de nocte, Ioannes Franciſcus Picus lib. 1. cap. 10. & ſecuti ſunt præter ſupracitatos Lucretius in quatuor primis libris de naturis rerum, Ouidius 15. Methamorfoſeos, Virgilius Ecloga 6. verſic. 28. vbi Cerda refert & Tibulum lib. 4. Apolonium 1. Argiuorum, Claudianum & alios. Inde modo ſub diſtinguendo in ſequenti quæſtione in hunc modum inclinauit Paracelſus, quem refert & ſequitur cum quibuſdam Chimicis Petrus Seuerinus cap. 8. contra quos fuſe egerunt Libanius in examine Philoſophiæ Vital. ſect. 21. & Eraſtus parte 2. diſputatione contra Paracelſum, & denuo Sanerius de conſenſu & diſſenſu cum Galeniſtis cap. 12.

Secundum modum dicendi docuerunt Anaxagoras & Empedocles, vt ex Ariſtotele refert S. Thomas p. p. qu. 47. art. 1. & Fonſeca 1. Methaph. & Pererius lib. 4. Phyſicorum, Plutarchus 1. de Placitis philoſophorum cap. 3. Ioannes Franciſcus Picus loco citato, Rodiginus lib. 1. cap. 5. & referunt etiam aliqui alij Lucanum 1. farſal: & Senecam in Tragedijs apud Abulenſem in Exodum cap. 23. q. 57. Inde quidam Gomerius in Antoniana Margarita hunc Atomiſmum exſuſſitauit, vt refert Ariaga diſp. 2. phyſicæ ſect. 1. & præ cæteris propugnauit Baſſonus præcipue lib. 1. de forma, Griſottomus Magnenus in ſuo Democrito reuiuiſcente, vt omittam Balianum lib. 1. de Peſtilentia, Sanettum Hiponenia 3. cap. 1. & Franciſcum Carum nouiſſime, qui alios recentiores adiungit examinandos inferius.

Tertium modum licet aliqui inſinuent ex mox citatis, tamen ſupreſſo nomine auctorum relatum inuenio hunc opinandi modum in Maſtrio, Spe-

nula & Manea noſtro 6. Phyſicorum qu. 1. qui tamen omnes omnitunt vt improbabilem, ſed nos cogimur non ommittere, ſed impugnare ob quendam neotericum Bononiæ Atomiſtam & ſupra prætactum, qui hunc atomorum modum, dum ego Bononiæ philoſophica dictarem, etiam inuita Minerua inducere conatus eſt.

Quartus tandem modus Zenoniſtis quibuſdam tribuitur ex Ariſtotele in 6. Phyſicorum & paucißimis quibuſdam ex præadductis recentioribus adeo paucis, vt contra iſtos Hurtado in phyſica dicere non dubitarit, *Ariſtotelem*, inquit, *ſecuti ſunt omnes Theologi, atque Philoſophi vno excepto Girardo &c.*

Ad primum igitur ego conceſſa maiori diſtinguo minorem, ſunt diſtincti vt modi generales & per ſe, nego, vt particulares & peraccidens, concedo, nam fere eodem modo deffenduntur vel impugnantur, vt in ſequentibus apparebit. vnde ad propoſitum non intereſt (vt obſeruāt aliqui) diſſenſiſſe ad inuicem Democritum & Epicurum; nam Ariſtoteles in 1. de Gener. 1. & 8. inquit, *Democritum Atomos poſuiſſe non modo multitudine ſed forma etiam figurauc infinitas*, vbi vt refert Philoponus & Aphrodiſeus adiungit, *hinc Epicureos non conſenſiſſe Democrito, quando poſuerunt Atomos figurarum quidem multiplicitate incomprenſibiles verum non idcirco tamen infinitas*, vt etiam in Lucretio lib. 2. legi poteſt, & Plutarchus 1. de Placitis Philoſophorum ca. 3. ex Epicuro ab oppoſito contra Democritum recenſet, *eſſe figuras Atomorum incomprahenſibiles non infinitas*. Carteſius autem parte 2. principiorum art. 21. mirabili quadam diſtinctione arbitratus eſt inter iſtos medius procedere dicens aliquid dari poſſe, quod neque finitum neque infinitum ſit, ſed *indeffinitum*, inquit, quod quis non videat eſſe antiquiſſimum illud Criſipi Paradoxum apud eundem Plutarchum in libr. aduerſus Stoicos ita ex Criſipo referentem, *ſi vero vrgeamur ad extremas vſque Atomos, dicendum nos neque ex quibuſdam neque ex tot vel tot neque ex finitis, neque infinitis conſtare*, hæc Criſipus recenſita & refutata vt abſurdiſſima ab eodem Plutarcho ibidem.

Ad ſecundum eodem modo poteſt diſtingui minor addendo ſolum quod ille particularis modus de pūctis inflatis *Paradoxicus* omnino appellatur ab Hurtado & plurimi inquiunt in Illuſtriſs. Æque ac Sapientiſs. Religione nuper à ſuperioribus prohibitum eſſe, pariter alter modus particularis de punctis infinitis nulli innititur auctori, quem viderim, quia ſimul labitur in difficultates vrgentes vtrinque contra Ariſtotelē & contra Zenonē, vt rectiſſime obſeruauit Ouiedo, & nos lib. 5. dicemus.

Ad tertium, nego antecedens, & ratio diſparitatis aſſignata eſt in articulo hic. Remanent igitur (ommiſſo quarto modo circa atomos Mathematicas, de quibus in lib. 5. ſequenti agendum erit) ſolum tres modi circa phyſicas Atomos, qui à nobis hoc libro examinandi ſunt, licet enim, vt inquit ad propoſitum huius ſectæ Democriticæ Auguſtinus epiſtola 56. ad Dioſcorum, *de hæreticis potius, qui ſe Chriſtianos vocant, quam de Anaxagora & Democrito nobis cogitandum fuiſſet*, nos tamen non ſumus illis Auguſtini temporibus, quibus, vt ibidem Auguſtinus aiebat, *ne ipſorum quidem multo recen-*

tio-

tiorum multumque loquatium Stoicorum aut Epicureorum cineres caleant, vnde aliqua contra fidem Chriſtianam ſcintilla excitetur, immo (heu nimium) noſtris hiſce temporibus & Epicurus docens in Cathedra ſedet,& dimidio tom. Loquēs inducitur,& è Democritica Secta non vnus vel leuis error exoritur & gradatim peiora abſurda exoritura timentur,adeo vt nobis repetendum eſſe de Atomiſtarum quibuſdam cum eodem Auguſtino in eadem epiſtola 56. iure merito videatur, *quanto melius*, inquit, *ne audiſſem quidem nomen Democriti, quam cum dolore cogitarem neſcio quem ſuis temporibus magnum putatū, qui deos eſſe arbitraretur immagines, quæ de ſolidis corporibus fluerent, ſolidaque ipſæ non eſſent, eaſque hac atque hac motu proprio circumeundo atque illabendo in animos hominum facere, vt vis diuina cogitetur*, vti de Dei ſpecie nouiſſime Carteſius in ſua illa prima Philoſophia diſcurebat. hæc noua dogmata, hæ nouæ mirabiles phiſiologiæ noſtrorum temporum commiſerandę potius quàm commendandæ (vt dolens video) ſedulo nobis impugnandæ ſe offerunt,vt in ſequentibus præſtandum eſt.

QVÆSTIO III.

De primo modo ponendi res ex Atomis Ablato vel diminuto concurſu efficientis.

VT igitur ſingulos tres modos ponendi, res ex Atomis phyſicis eſſe, in preſenti examinemus. Primo loco ſe offert ille primus ſcil. ponens atomos aut improductas à Deo(vt non pauci Etnici poſuerunt)aut ſaltem non à nouo Dei influxu ſed ex ſua indita ſemel natura diſpoſitas,vt Neoterici quidam etiam Chriſtianorum (quod obſtupeſcimus) commenti ſunt. Aut demum cum Archeis Paracelſi ſubſtitutis loco generantis naturalis, vt Io: Baptiſta VanHelmont denuo introducit.

ARTICVLVS PRIMVS.

An ſaltem iuxta lumen Naturale probabile ſit mundum eſſe ex Atomis improductis vel materia ingenita ab Æterno.

VIdebatur quod ſic Democrito & Epicuro apud Plutarchum libr. 1. de Placitis philoſophorum cap. 3. Lucretio lib. 1. per omnia Epicureo,vt notat Eugubinus lib. 7. de perenni philoſophia cap. vltimo, & inde præter ſimilem errorem Platonis circa materiam ingenitam referri ſolitum à Patribus apud Theologos prima parte qu. 44. art. 2. (& ſi excuſare conetur Ficinus in compendio Timæi ca. 9. & Beſſarion lib. 2.) & præter Stoicos pariter cum Zenone ad hoc adductos à Tertulliano lib. de præſcriptionibus cap. 7. & 33. præter iſtos, inquam, in hunc errorem prolapſi ſunt Valentinus & Manicheus, vt refert Griſoſtomus hom. 1. in Geneſim,& Sabelius vt refert

Luſe-

Euſebius lib. 7. cap. 8. Hermogines & Marcion, vt refert Tertullianus lib. 5. aduerſus eundem & Seleucus & Hermias, vt refert Auguſtinus hæreſi 59. & demum Albigenſes hæretici, vt refert Caſtro verbo, *mundus*. Poteſt autem ſuaderi ſic primo quia pariter Ariſtoteles, quem nos tanti facimus, iuxta lumen naturale opinatus eſt Deum res condidiſſe ex materia præſuppoſita, vt obſeruat Vgo Charenſis ad illa verba Geneſis, *in principio Deus creauit Cælum & Terram*, dicens, *hic eliditur trium error ſcilicet Platonis, qui poſuit tria principia ſine initio, & Ariſtotelis, qui poſuit duo, vt dicunt, ſcilic. Deum & materiam & ſine principio Deum operatum de duobus ſcilicet de materia &c. & tandem Epicuri, qui duo poſuit inane & Atomos*, vt dixerat etiam ibidem Ambroſius lib. 1. Hexamerom cap. 1. & repetit Petrus Commeſtor in libro Scholaſticæ hiſtoriæ cap. 1. Ergo aut iuxta lumen naturale dicendum eſt philoſophię Principem aberaſſe, aut à pari iuxta idem lumen naturale admittendum eſt etiam ex Atomis præſuppoſitis & improductis potuiſſe produci res vniuerſas.

Secundo quia Philo Iudæus in lib. de mundi opificio ſic diſcurrere apertè videtur ſcilicet hoc totum adhuc probabile eſſe dicens, *ſi quis vellet cauſam huius vniuerſalis opificij perſcrutari non aberraret, opinor, à ſcopo, ſi diceret quod quidam priſcus ſapiens, bonum eſſe patrem conditoremque, ideoque ſuapte naturæ bonitate non inuidiſſe ſubſtantiæ nihil boni ex ſe ipſa habenti, quæ tamen quid vis fieri poterat. erat enim ex ſe ipſa expers omnis qualitatis indigeſta inanimis plena ruditate confuſione, atque diſcordia. tum Deus nemine mouente &c.* ſcilicet materiam illam rudem in rerum ſpecies efformauit, eſſe effecit ſimpliciter, cum antea eſſe duntaxat diminutum haberet, vt de rerum poſſibilitate alibi Enricus aiebat; & ad idem afferri poteſt, quod de Chaos in feſto transfigurationis alicubi Eccleſia canit *Antiquus Cælo & Chaos*, præter alia, quæ de eodem Chaos retulit Eugubinus in ſua Coſmopeia cap. 1. ex Trimegiſto, Seneca epiſtola 36. & alijs relatis etiam à Strobeo in excerptis tit. 13. de naturis rerum, & concedit Strabo in Geneſim ca. 1. & demum concludit idem Eugubinus hoc tangi etiam ab Auguſtino ſuper Geneſim contra Manicheos cap. 4. & alijs patribus. Ergo probabile alicui videri poteſt Deum ex atomis confuſis ad inuicem ac præſuppoſitis mundum condidiſſe.

Tertio quia, vt in cæteris materijs agunt neoterici quidam, ita & hic fortaſſe ſcripturæ teſtimonia tentabunt effugere recurentes ad hoc, quod vt vere ſaluentur illa verba Geneſis 1. *in principio Deus creauit Cælum & Terram*, ſufficiens eſt creationis verbum intelligi iuxta ſenſum Auguſtini libr. 1. contra aduerſarium legis & profetarum cap. 13. valde inculcatum à Ferchio aduerſus Maſtrium ſcilicet pro eo, quod eſt ex confuſa & informi materia aliquid ordinate conſtruere vt ab artifice fit, & ad propoſitum Seneca epiſtola 65. & Cicero lib. 1. academicarum Deum etiam ad modum artificis creati in extructione mundi opinati ſunt, ergo apparenter ſaltem id poterit adhuc à recentiorum aliquibus defenſari.

Quarto quia apud Theologos adhuc videtur eſſe probabile Cælum empireum fuiſſe æternam quandam lucem increatam emanantem à Deo & ex-

tra

tra Deum, vt de facto tenet Auguſtinus Eugubinus in ſua Coſmopeia,& iterum in tractatu de naturis incorporeis ad hoc addncens illud pſ. 105. *Amictus lumine ſicut veſtimento*, & illud Pauli *qui lucem habitat inaceſsibilem*, & demum Baſilium homilia 2. ſuper Geneſim aientem, *ſe arbitrari ante molitionem mundi corporei fuiſſe lucem & claritatem quandam inenarabilem*, vt innuunt etiam Teodoretus & Beda ad eundem locum, ergo à pari probabile erit in philoſophia Chriſtianorum Atomos ſeu rerum materiam poſſe eſſe quid æternum non creatnm effectiue ſed promanans ab ipſo Deo.

In oppoſitum tamen eſt quod aſſertum,cui Eccleſiæ diffinitio opponitur, nequit amplius adhuc philoſophice probabile eſſe, vt ſupra demonſtratum eſt, ſed huic aſſerto opponitur aperta diffinitio Eccleſiæ in cap. firmiter de ſumma Trinitate diffinientis Deum in initio temporum *vtramque ex nihilo condidiſse Creaturam corporalem, & ſpiritualem*, ergo adhuc aſſertum hoc philoſophice probabile eſſe non poteſt.

Reſpondeo vtique improbabile eſſe, vt probat ex profeſſo Euſebius libr. 7. præparationis Euangelicæ cap. 8. *vtar autem*, inquit, *vt ſoleo non meis ſed alienis. Dionyſius enim in primo aduerſus Sabelium hæc de propoſita quæſtione reliquit. non tamen abſque ſcelere illi,qui materiam ad fictionem totius Deo ſubiecerunt, quam materiam dicunt cum mutabilis paſſibiliſque natura ſit Diuinitus ad generationem omnium alterari. Sed oſtendant nobis vnde ſimilitudo ac diſſimilitudo materiæ iſtius ad Deum eſt: neceſſe enim eſt ſi poſitionem ſuam volunt ſuſtinere ſuperiorem quendam Deo excogitare, quod neffandiſſimum eſt. præterea cum non genitum eſſe ſimiliter de vtroque dicatur & aliud alterum ab altero ſit, vnde id ipſis aduenit? nam ſi non genitus Deus per ſe eſt, & ipſum non genitum eſſe ſubſtantia ſua eſt, non erit non genita hyle, non enim idem eſt Deus ac hyle. quod ſi vtrũque eſt quodcumque eſt ideſt Deus quidem Deus,materia vero materia, ineſt autem vtrique non genitum eſſe, patet aliud eſſe ab vtroque & vtriſque prius atque ſuperius;ad hæc cauſam reddi poſtulabimus, quamobrem cum vtrumque non genitum ſit Deus quidem impaſsibilis imutabilis, immobilis, atque actiuus eſt, è contra vero materia paſſibilis, mutabilis, mobilis, omnis alterationis receptiua, quomodo autem tam apte conuenerunt? vtrum ad materiæ primæ naturam adaptauit ſe Deus, cum ab ea mundum fabricatus eſt, an è contra,ſed hoc vltimum impoſſibile, non enim poteſt res inſenſibilis accomodare ſe ad artificem,primum autem penitus nefandum ſi quis putet ſicut artificem ad materiæ aptitudinem primam cauſam ſe accomodaſſe. hæc à Dionyſio ſumpta ſufficiant. nunc audias Origenem; ſi autem putat, inquit, non poſſe Deum abſque ſubiecta materia quidquam efficere, quoniam nec ſtatuarius abſque lapide ſtatuam, rogandus eſt ſi arbitratur Deum poſſe quidquid velit? Mihi autem qui hæc dicunt videntur fortunam quoque Deo adnectere, qui ſi in materiam forte non incidiſſet non eſſet auctor, nec pater, nec creator, Dominus Vniuerſi. præterea vnde factum eſt, vt ſufficiens ad vniuerſa fingenda nec ſuperfluens aut defficiens materia ſubiecta eſſet* &c. quam poſtremam probationem etiam Philo proſequitur, & demum aliam ibidem ex alio anonimo ſed grauiſſimo Patre (quem aliqui opinantur Teodoretum) in libro de materia ſubnectit idem Euſebius deprompta:n

ptam ex loco materiæ (& à pari id ſemper de Atomis loco materiæ dicendum eſt) *aut enim Deus in materia eſſet aut materia in Deo eſſe deberet, aut vtrumque in tertio*, quæ ſingula abſurdiſſima eſſe demonſtrat idem Pater ibidem. proſequitur inde Lactantius lib. 2. inſtitutionum cap. 10. ita ex Seneca & Cicerone relatam comparationem inter Deum & artificem Creaturam præſupponentem materiam ſic reddarguere his verbis, *faber ſine ligno, inquit, nihil edificabit, quia lignum ipſum facere non poteſt, non poſſe autem imbecililatis humana eſt. Deus vero facit ſibi ipſi materiam, quia poteſt, poſſe enim Dei eſt, nam ſi non poteſt Deus non eſt. quid ergo mirum ſi facturus mundum Deus prius materiam de qua faceret præparauit ex eo, quod non erat? quia nefas eſt Deum aliud aliquid mutuari, cum in ipſo vel ex ipſo ſint omnia.* Eandem atomorum materiam ingenitam ac præſuppoſitam alijs motiuis impugnant Tertullianus in lib. aduerſus Hermogenem, Origenes lib. 1. Periarcon cap. 1. Niſſenus lib. de oratione hominis cap. 24. & 25. Baſilius in Hexameron homilia 2. Ambroſius lib. 1. Hexameron cap. 7. Atanaſius de Incarnatione Verbi Dei, Griſoſtomus homilia 2. in Geneſim, Epiphanius lib. 1. in panario aduerſus Stoicos & lib. de hæreſibus, Teophilus ad Autholicum libr. 2. Teodoretus lib. 5. decretorum Diuinorum, Rubertus lib. 1. in Geneſim cap. 4. Cirillus lib. 2. contra Iulianum, Iuſtinus in admonitorio aduerſus Gentes, Anſelmus in Monologio cap. 6. Clemens lib. 8. recognitionum, Auguſtinus lib. 10. contra Fauſtum cap. 14. Zeno Verronenſis lib. 2. ſermonum, Procopius Gaſeus præfatione commentariorum in Geneſim & demum Septem rationes ex lumine etiam naturali deducit & vrget S. Thomas 2. contra Gentes cap. 15. in fine concludens, *ex his excluditur antiquorum naturaliũ error, qui ponebant corpuſcula quadamnon habere cauſam eſſendi &c.* vti & prima parte qu. 44. & 45. art. 2. aliqua argumenta ex lumine naturali contraria veritati diſoluit, adeo vt etiam Seneca oppoſita Stoicorum doctrina præoccupatus de eadem tamen pro Chriſtianorum ſenſu dubitauerit in præfatione ad libr. quæſtionum naturalium dicens, *quam vtile exiſtimas iſta cognoſcere, & rebus terminos ponere? quantum Deus poſſit? materiam ipſe ſibi formet an data vtatur?*

Ad primum igitur iam ſupra lib. 1. qu. 4. art. 2. vidimus cum S. Thoma Ariſtotelem etiam materiæ creationem ex nihilo tum li. 1. de Cælo tex. 111. tum alibi admiſiſſe, vti & Eugubinus oſtendit lib. 7. de perenni philoſophia cap. præſertim 4. & nunc occurrit ſimilis veritas comprobata etiam ex eo quod Sextus Empiricus lib. 1. aduerſus Logicos de Xenciade refert à pari dixiſſe, *quidquid fit ex nihilo fieri & quidquid corrumpitur corrumpi in nihilum*, præter alia addenda libr. 8. de Creatione; vtique verum eſt ex ſub obſcuro modo loquendi Ariſtotelis in 8. Phyſicorum, expoſito tamen à nobis ibidem, oppoſitum aliquos eidem cum Platone attribuiſſe, ex quo & Vgo Carenſis in argumento relatus non abſolute inquit ita Ariſtotelem opinatum eſſe, ſed rationabiliter abdidit illam particulam, *vt dicunt &c.* quo eodem fundamento & alij adducti ibidem & ſimiles locuti ſunt, vt fuſius iterum in præfato lib. 8. aduerſus Sectam Zenofaniſticam de Creatione repetendum

eſt, quidquid ſit de Platone, quem eximit adhuc ab hoc errore Beſſarion lib. 2. in calumniatorem Platonis cap. 5. admittens vtique ipſum nominare materiam æternam ſed à parte poſt, non a parte ante, ideſt naturaliter incorruptibilem non vero increatam, vti & Ariſtoteles eam in 1. Phyſicorum nominabat.

Ad ſecundum de Philonis mente legendus eſt Euſebius in loco mox ante adducto nimirum lib. 7. cap. 8. hæc verba eiuſdem Philonis adducens, *de quantitate autem ſubſtantiæ vtrum facta ſit dicendum eſt ad formationem vniuerſi tantam materiam Deum creaſſe, vt nec ſuperflueret, nec defficeret*, neque enim tam diminutum ens adhuc vel materia vel Chaos eſſe poteſt, quin à prima illa & vniuerſaliſſima cauſa non ſit neceſſe produci, vt S. Thomas occurrit qu. 44. citata ar. 2. ad 3. Pro Chaos autem ſi quis acciperet materiæ confuſæ ſeu informis in illo ſigno priori naturæ congeriem ab eodem tamen creatore productam, probabiliter admitti poteſt & Chaos, vt explicat Auguſtinus præ cæteris lib. 1. de Geneſi contra Manicheos cap. 5. dicens, *prima materia facta eſt confuſa & informis &c. quod credo à Græcis Chaos appellari*, & in idem deduci poſſunt quæ eruditiſſime de eodem Chaos adducit Martinengus in Geneſim à pag. 265. vſque ad 286. licet Cornelius à Lapide Pererius & alij expoſitores in cap. 1. Geneſis præadductam ibidem expoſitionem Eugubini impugnent & damnent. At ſi ab alijs Chaos intelligatur, vt à Democrito Anaxagora & alijs Ethnicis accipiebatur, Pro ingenita quadam Atomorum congerie, id ex Patribus communiter refutatur vt notant Bannez p. p. q. 66. ar. 1. & Suarez lib. 1. de Creatione ca. 8. & paſſim alij cum S. Thoma q. 4. de potentia ar. 1.

Ad tertium præter antiquam ſolutionem S. Thomæ pro illa eadem Aug. auctoritate videndam p. p. q. 45. art. 1. ad 1. adhuc offuscaret aperte citata diffinitio Concilij Lateranenſis, nec non aliorum expoſitio Patrum ſuo loco ſcil. lib. 8. de Creatione ſubdenda, & pro nunc ſufficit idem Auguſtinus li. 5. ſuper Geneſim ad litteram c. 4. ſic dicens, *creat Deus hæc modo ex ijs, quæ ſunt, tunc autem ab illo, cum nulla eſſent, creata ſunt*.

Ad quartum tandem negatur aſſumptum, cum immo illa expoſitio, ab vnico Eugubino ſub dubio propoſita, vt abſurdiſſima reprobanda iudicetur, vti recte probat etiam Pererius in caput 1. Geneſis verſu primo, tum ex illo ſapientiæ primo *creauit vt omnia eſſent*, tum ex illo ad Hæbreos tertio *qui omnia creauit Deus eſt*, neque Baſilius & alij in oppoſitum recitati aliud nomine claritatis illius æternę intelligere potuerunt quam increatam lucem ſupremi luminis inexiſtentem in Deo, qui à Patribus dicitur ante mundum in ſe ipſo fuiſſe, vt paſſim Patres excurrenti patebit, & de hoc etiam errore Græcorum Palamitarum videndus Petauius to. 1. li. 3. c. 5. per totum, & li. 1. ca. 11. & 12. vbi eorundem Græcorum diſcurſus curioſiſſima eruditione recenſet & euertit tanquam Manichæorum etiam deliria apud Aug. libr. 20. contra Fauſtum cap. 7.

Ad

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

An ſaltem Atomis productis à Deo cum innata virtute ad motum, adinſtar graui ac leuis, probabile ſit mundum prodijſſe aut perſeuerare addito ſolo concurſu ſimultaneo Dei.

VIdetur quod ſic ne dum ſupra relatis Paracelſo ac Petro cuidam Seuerino cap. 8. in apologia pro Paracelſo & cuidam Chabeo poſt Gilbert. lib. 1. cap. 18. memorato à Magneno diſp. 2. de Atomis cap. 2. ſed etiam nouiſſime Renato Carteſio diſertatione de Methodo poſt num. 5. pag. 27. & parte 2. principiorum art. 45. licet enim hic dicat ſolum hanc hypoteſim naturaliter eſſe poſſibilem, in dicta tamen diſſertatione de Methodo pagina 46. etiam de facto veram fuiſſe ſubiungit a veritatibus deductis ex ipſa, velut ab effectu ad cauſam concludens eandem à poſteriori ſic dicens, *cum prima, inquit, ab vltimis, quæ ipſarum ſunt effecta, probentur*, & fauet Gaſſendus tom. 1. lib. 7. phyſicæ cap. 6. pag. 485. & poteſt probari.

Primo quia vt notat etiam eodem loco Gaſſendus longe iſta explicatio mundi exorti ex atomis differt ab errore Democriti aut Epicuri, cum antiqui illi nec atomos à Deo creatas agnoſcerent, neque eiſdem inditam virtutem motus à Deo, nec ſimultaneum concurſum eiuſdem, nec conſequenter Diuinam admitterent prouidentiam, ab oppoſito iſti recentiores ſe hæc omnia propugnare fatentur, ergo damnato adhuc, vt vidimus, illo antiquorum errore non eſt cur iterum hæc recentium explicatio damnetur.

Secundo quia ſimiliter probabile eſt aliquas res etiam completas ſemel à Deo productas cum innata virtute ad motum parato duntaxat indifferenti concurſu ſimultaneo Dei de facto moueri, vt non ſolum de graui vel leui ſed etiam de Cælo nouiſſime ſuſtinet Campanella cum alijs li. 3. de ſenſu rerum cap. 3. & innuit Bartolus in opuſculo de otio ſapientis, immo & ſine concurſu ſimultaneo Dei id defenſauit olim Durandus in 2. diſtinctione 1. qu. 5. & diſt. 37. qu. 1. exſuſſitatus hoc ſeculo à Ludouico Dola in opuſculo de concurſu Dei, ergo à fortiori prædictæ Atomi, vtpote res incompletæ, valebunt adiuinus addito concurſu ſimultaneo Dei ex innata virtute moueri diuerſimode ad diuerſas partes vniuerſi ex ſua diuerſa poſitione conflandas, vt ſingillatim de elementis ac Cælo late Carteſius exponit.

Tertio quia Ariſtoteles ipſe 1. Methaphyſicorum tex. 4. exprobrat Anaxagoræ, *quod vteretur mente quaſi machina ad fabricationem vniuerſi*, ſed niſi dicamus ſaltem ex atomis productis à Deo mundum exortum eſſe hoc nobis poterit exprobrari, ergo illud dicendum eſt &c.

In oppoſitum tamen eſt quod vt inquit S. Thomas p. p. qu. 65. in introductione quæſtionis, *non ſolum ſcriptura comemorat opus creationis cum dicitur Geneſis 1. in principio Deus creauit Cælum & Terram, verum etiam opus diſtinctionis, cum dicitur, diuiſit Lucem & Tenebris*, vnde & ibidem communiter a Theologis hæc duo ſecerni ſolent, ſed iuxta adductam recentiorum opi-

nionem primum ſolummodo ſaluaretur vt proprium opus Dei, non verò ſecundum, ergo præadducta recentiorum opinio ſcripturæ contraria eſt.

Reſpondeo vtique ſic mihi videri dicendum, vti modo deducebatur: Primo quia vt refert Valdenſis tomo 1. libr. 1. cap. 14. inter concluſiones ter damnatas Vicleſ hæc erat in ordine 163. *imaginandum ſcilicet eſt vnam eſſentiam corpoream in principio fuiſſe productam ex indiuiſibilibus ſeu atomis compoſitam occupare omnem locum poſſibilem*, & eadem propoſitio legitur in Concilio Conſtantienſi ſeſſione 15. damnata inter errores Ioannes Hus. Sed hæc videtur omnino recentiorum aſſertio eodem modo ſupponens productionem atomorum à Deo, vt ex earum deinde concurſu mundus exurgeret, ergo & recentiorum aſſertio refellenda eſt: nec valet effugere, ſcil. Conſtantienſe Concilium non eſſe tantæ authoritatis. Nam ſaltem à ſeſſione 15. (quam nos retulimus, & in qua Antipapa Petrus de Luna depoſitus eſt) certæ fidei eſſe obſeruarunt Turrecremata lib. 2. cap. 106. & Belarminus lib. 2. cap. 19.

Secundo probatur nam Patres non ſolum ex rerum prima produtione, ſed ex perſeuerante etiam & noua in dies diſpoſitione prouidentiæ diuinæ in admirabili hoc ordine vniuerſi elucente probant contra Athæos exiſtentiam Dei. Sed iuxta aſſerta aduerſariorum, licet ex primo ſaluaretur, non tamen ſaluaretur ex ſecundo Sanctorum Patrum ratiocinatio, ergo aduerſariorum aſſertum eiſdem Sanctis Patribus contradicit. minor conſtat nam iuxta aduerſarios hic ordo vniuerſi non eſſet quid ſpeciale reſpectu Dei à prima rerum productione diſtinctum. maior vero clareſcet legenti eloquẽtiſſime differentes ad hoc inſtitutum Auguſtinum in pſalmum 148. Paulinum ep. 38. ad Iouium, Griſoſtomum in pſalmum 13. Boetium in 3. de conſolat. proſa 12. Athanaſium cont. Gentes, Damaſcenum li. 1. de fide ca. 3. Nazianz. orat. 4. & 30. Philonem Iudæum li. 1. de Monarchia & alios huiuſmodi patres; ſed quid de Patribus loquor? cum ex Gentilibus adhuc, vt confundantur & reuereantur iſti recentes, ipſe Ariſtoteles in 2. Phyſicorum ca. 4. aduerſus ponentes inferiora principia mundi a Deo conditore eſſe, & tamen poſtea ſubdentes (vt iſti ſubdunt) *ex principijs ex ſe ſponte motis Cælos coaluiſſe dignum eſt*, inquit, *admiratione id aſſerere*, & Cicero lib. 1. de natura Deorum contra Velleum Epicureum à pari ponentem ex Atomorum concurſu mundum exortum, recenſito ordine rerum in vniuerſo ſemper vtique admirabili concludit, *hæc cum viderent profecto noui etiam homines & eſſe Deos, & hæc tanta opera Deorum eſſe arbitrarentur*, & infra, *cum procul*, inquit, *curſum nauigij videris non dubitas quin id ratione atque arte moueatur, aut cum ſolarium contemplere intelligis declarari horas arte non caſu, mundum autem, qui & has ipſas artes, & earum artifices & cuncta complectitur, conſilij & rationis eſſe expertem putare conuenit? &c.* & alia ſuperaddita exempla iterum lib. 2. de natura Deorum in eodem omnino legenda.

Tertio nam vt in matera de ſcientia & voluntate non ſolũ Thomiſtæ ponentes concurſum præuium Dei etiam in cauſis liberis diſcurere ſolent, verum etiam omnes alij cuiuſcumque ſcholæ Theologi; niſi ad minus ex præ-

ſcientia

ſcientia exploratrice conditionatorũ, vt iſti loquuntur, admitteretur in ſtatu abſoluto decretum abſolutum Dei præueniens & inchoans in hoc ſtatu futuritionem effectus, non ſaluarentur teſtimonia ſcripturæ conſiliorum, ac patrum attribuentium Deo id omne agere poſſe in Cælo & in Terra, quod vult, & non expectare in hoc ſtatu indifferenter effectuum euentus, & conſequenter certitudo Diuinæ prouidentiæ auferretur. Sed hoc totum ſequitur ex hoc recentiorum aſſerto ſuponente Deum adhuc in ſtatu abſoluto expectare indifferenter futuritionem, & effectuum euentus ex naturali immo fallibili atomorum concurſu, ergo hoc recentiorum aſſertum omnino repudiandum eſt.

Quarto inde ſe offerunt Sancti Patres hoc eodem appoſite fundamento refellentes ſimile aduerſariorum Commentum, *neque enim Deus*, inquit Ambroſius lib. 1. Hexameron cap. 2. *vt Atomorum concurſione mundus fieret ferum atque otioſum expectauit negotium*, ſic ab oppoſito in aduerſa Atomiſtarum ſententia, inquit Baſilius homil. 1. Hexameron, *inde fieret vt vniuerſam hanc mundi molem citra vllam moderatricis prouidentiæ ac rerum diſpenſatricis operam nimirum temere ac fortuito nonunquam impetu ferri arbitraremur*, ſic Auguſtinus epiſtola 56. ad Dioſcorum, *ſi conceſeris adhuc*, inquit. *eſſe Atomos, ſi conceſſeris etiam concurſu fortuito ſe ipſas pellere & agitare, num & illud eis fas eſt concedere, vt in ſe Atomi fortuito veluti concurentes rem aliquam ita conficiant, vt eam forment, edificent, figura determinent, æqualitate poliant, colore illuſtrent, anima vegetent?* ſic Arnobius lib. 1. aduerſus Gentes, *audimus*, inquit, *quoſdam philoſophandi ſtudio deditos caſibus fortuitis, & concurſionibus temerarijs ſummam rerum conſtruere abſque diuerſitatis impetu fabricari*, ſic Lactantius lib. de Ira Dei cap. 10. *tanta ergo qui videat*, inquit, *& talia poteſt exiſtimare nulla effecta eſſe conſilio nulla prouidentia nulla ratione Diuina ſed ex atomis ſubtilibus exiguis concreta eſſe tanta miracula?* ſic Paulinus epiſtola 38. *à finibus veritatis*, inquit, *exul Democritus miſſa per inane magnum mente euanuit in cogitationibus ſuis*, ſic proſequuntur impugnare iterum Ambroſius epiſtola 31. Auguſtinus epiſtola 151. ad Nebridium, Euſebius lib. 14. cap. 5. Teodoretus de Curatione Græcarum affectionum ſermone 2. & 4. Zeno Veronenſis lib. 2. ſermone 5. & alij plurimi Patres apud Lipomanum iu caput primum Geneſis. Sed quid de Patribus? Apuleius ipſe in lib. de Dogmate Platonis his nouatoribus præceptor eſſe poteſt, *quæ*, inquit, *cum innordinata permixtaque eſſent, ab illo edificatore mundi Deo ad ordinem numeris & menſuris in ambitum deducta ſunt*, ſic Seneca lepidiſſime lib. 4. de Beneficijs cap. 19. Epicurum irridebat, *te quoque*, inquit, *Atomi & iſtæ micæ tuæ forte ac temere conglobauerunt*; ſic Tullius libr. 2. de natura Deorum, *non intelligo*, inquit, *cur non idem putes ſi innumerabiles vnius & viginti formæ litterarum vel aureæ vel qualleslibet aliquo coniiceantur, poſſe ex his in terram excuſſis annales Entij, vt deinceps legi poſſint, effici, quod neſcio an ne vno quidem verſu poſſit tantum valere fortuna*, & mox antea idem Cicero ſeu Balbus apud eundem, *ſi mundum*, inquit, *efficere poteſt concurſus Atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum non poteſt, quæ ſunt minus operoſa*

roſa & multo quidem faciliora, quam mundus? vt repetit etiam & amplificat ex eodem Cicerone tranſcribens plura Lactantius libr. de Ira Dei cap. 10. Mitto nihil de atomorum motu recto vel declinationis & huiuſmodi à Carteſio adinuentum eſſe, quod prius à Democrito & Epicuro non fuerit eodem modo præoccupatum, vt patebit conferenti Carteſij Phyſicam cum his, quæ refert ex prædictis Gaſſendus lib. 3. phyſicæ à capite 7. per totum & ante Gaſſendum Magnenus diſput. 2. cap. 4. & ante vtrumque Laertius lib. 10. in Epicuro.

Ad primum igitur negandum eſt iſtos recentiores vere poſſe ſaltem in re conſequẽter ad ſua principia tutari certitudinem prouidentiæ diuinæ, vt in tertia ratione noſtra oſtendebamus, cũ tamẽ etiam ad minimas res vniuerſi certiſſimam ex fide eſſe conueniant cum S. Th. Theologi p. p. qu. 22. ar. 2. & qu. 116. ex Patribus paſſim ibidem ſolitis recenſeri; præterquamquod & Democritum alias conceſſiſſe atomos à Deo productas eſſe probat Magnenus diſp. 2. cap. 4. ex Cleante libr. de atomis & Laertio lib. 7. in Zenone apertiſſime & demum Auguſtinus epiſtola 56. *& Democritus*, inquit, *etiam in hoc diſtare in naturalibus quæſtionibus ab Epicuro dicitur, quod iſte ſentit concurſioni Atomorum ineſſe vim quandam animalem & ſpiritualem &c.*

Ad ſecundum neque opinio attributa Durando amplius probabilis reputatur vt Valentia reſpondet p. p. de Deo Creatore qu. 1. punct. 1. vti & Dolæ opuſculum hac de cauſa interdictum eſt, neque Campanella ſupponens conſequi motum ad formam in Cælo ſine intelligentia mouente, negauit ſaltem à Deo præmoueri Generali concurſu, vti nec negant Patres Societatis Deum præmouere creaturas etiam liberas ſuppoſita ſemel ſcientia conditionatorum, vt alibi diximus, & lib. 9 repetemus, neque iterum paritas integra valet inter motum naturalem alicuius rei, & vniuerſi productionem, ex Atomis ex ſola propria natura permotis, vti & Anaxagoras ipſe diſtinguebat inter hæc duo, vt refert Ariſtoteles 1. Methaphyſicorum cap. 4. dicens, *in cæteris autem præter mundi fabricationem omnia magis vt cauſas eorum, quæ fiunt, quam mentem aſſignat.*

Ad tertium demum dicimus eodem modo oppoſuiſſe Velleum Epicureum apud Ciceronem lib. 1. de natura Deorum, *cum explicare*, inquit, *argumenti exitum non poteſtis confugitis ad Deum ſicuti inquit ille, ſcilicet Ariſtoteles, & Anaxagoras vtitur mente quaſi machina ad fabricationem mundi*, vnde ab oppoſito ijdem Epicurei apud Platonem de legibus lib. 10. concludebant, *hæc nata fuiſſe non per mentem quidem neque per deum aliquem, ſed natura, vti diximus, atque fortuna*, cum tamen iterum Ariſtoteles in eodem 1. Methaph. tex. 15. quo ad hoc inter cæteros laudet eundem Anaxagoram dicens, *tamen ſi quis proſequatur dearticulans, quæ vult dicere, forſan apparebit mirabilius loquens*. Reſpondendum igitur eſt cum S. Thoma prima parte qu. 47. art. 1. Anaxagoram ab Ariſtotele ibi meremerito quoad aliqua reprahenſum non intellexiſſe, vti intelligimus nos, cauſam primam vniuerſalem, & ideo in nos Ariſtotelis reprahenſionem nequaquam valide retorqueri;

queri;

queri; præterquamquod hæc aduerſariorum opinio in re negatiue vidimus cauſas ſecūdas vere efficienter operari, dum omnia refundit in localem motum atomorum, vt plane Carteſius profitetur, quod tamen communiter à Theologis p. p. qu. 115. art. primo reprobatur tum ex alijs autoritatibus & rationibus, tum præſertim ex illo Geneſis 1. *germinet terra herbam virentem:* Concludamus ergo hunc primum modum atomiſmi præcipitem ruere in atheiſmum germaniſſimi Epicuri, de quo inquiebat & Cicero 3. de natura Deorum, *mihi videtur Epicurus de Dijs immortalibus non magnoperè curare, tantummodo negare Deos eſſe non audere, ne quid inuidiæ ſubeat aut criminis &c.*

ARTICVLVS III.

An pro efficienda Atomorum diſpoſitione rectè ab aliquibus ſubrogetur, loco efficientis, Archeus Magicus Paracelſi.

Videtur quod ſic, poſt olim exſibilatos Paracelſi Sequaces, denuo Ioanni Baptiſtæ VanHelmont in ſuo ortu inaudito Medicinæ edito Venetijs Anno 1651. paſſim per totum pleraque immo omnia naturalia refundenti in hunc Archeum, quem pag. 22. & 94. 352. 490. & alibi frequentiſſime explicat eſſe ideam propagatam ab eſſentia generantis, ad modum ſpiritus, aura vitali veſtitam & auolantem in fermentum ac ſemen, ibique domicilium ſibi ac geniti formæ ex Atomorum diſpoſitione architectantem.

Probat primo ab exemplo vbique repetito ab eodem; nam experimur, inquit, prægnantis animam ex appetitu v. g. Ceraſi concipere Ceraſi Ideam hancque deſcendere *ab ordine intelligibili & inuiſibili ad corporalem*, vt loquitur pag. 490. & corporeo ſimulacro veſtitam imprimi etiam vultui aut brachio Pueri ſubinde naſcentis prout Mater (vt ipſe explicat pagina 346.) per manus motum dirigit eandem tangendo ſibi vultum aut brachium &c. *quinimo Ceraſum*, inquit, *in puero intuemur iuxta ſtationes, quibus arbores ſua Ceraſa promouent, modo pallidum, modo flauum, modo rubens &c.* cui exemplo & alia ſimilia adiungetem ego ex Auguſtino lib. 8. de Ciuitate cap. 5. Iſidoro lib. 12. Originum cap. 1. Plinio lib. 7. cap. 2. & 12. Plutarcho in Simpoſ. lib. 5. qu. 7. & Heliodoro libr. 3. Hiſt. Æthiopiæ &c. Ergo inquit, à pari quid vetat animam in ſe concipere ſuæmet eſſentiæ imaginem, eamque pariter aura vitali indutam amandare extra ſe, quæ vt illius immago & economus ſimilem in genito diſpoſitionem Atomorum operetur?

Secundo nam dato quod iſtam de ſe efficatiam ſingula non haberēt emittendi extra ſe imaginem ſubſtantialem ideamque inuiſibilem, hanc facultatem ad minus ſingula à Diuina benedictione in mundi initio recepiſſent, dum ſingulis benedixit Deus, & ait. *Germinet terra herbam virentem & facientem ſemen iuxta genus ſuum &c.* vt late expendit etiam in ſua Phyſica

Sener-

, Senertus pro illa ſua propagatione Animæ Intellectiuæ, ergo hinc ſaltem iſta facultas emittẽdi Archeos concedenda eſt, vt late proſequitur in tractatu de Ortu formarum.

Tertio nam non videtur iſta Archeorum emiſſio magis captu difficilis, quam ſit difficilis tranſmiſſio tot ſpecierum ſenſibilium à quolibet obiecto ad quemlibet ſenſum; Sed hanc ſecundam approbat Peripathetica Philoſophia vt deriuatam ex virtute ſubſtantiarum ſeparatarum, vt explicat S.Th. q. 5. de Potentia ar. 8. ergo & primam vt deriuatam à benedictione Diuina poterit approbare.

Quarto nam in re etiam Peripathetici agnoſcunt in ſemine *Spiritum* impreſſum & emiſſum à generante, vt loquebatur S.Thomas p. p. q. 118. ar. 1. ad tertium & qu. 3. de Potentia art. 9. ad 9. ergo ſemel ab omnibus conceſſa *Spiritus* emiſſione videndum manet à quibus melius eiuſdem *Spiritus* emiſſi quidditas explicetur, ſed melius ab iſtis Paracelſiſtis explicari videtur dicendo eſſe Ideam ſubſtantialem animæ ad productionem ſubſtantiæ geniti, quam dicendo cum Peripateticis eſſe accidens, *quod accidens*, inquit Helmont pag. 88. *nequit, vt ſit in moralibus, phyſice cum diplomate vice ſubſtantiæ ſubſtitui*, ergo probabilius dicendum eſt emitti ideam ſubſtantialem, ſeu Archeum Helmontiuum &c.

Quinto, vt arguit pag. 171. quia ſemen in generante debet operari magis vt ſimilitudo animæ quam corporis, aliter truncus Pater non niſi truncum Filium progigneret contra experiẽtiã, ſed niſi ponamus Archeum vt ideam eſſentialem Animæ in virtute generantis, & ſolum ponamus accidens, iam virtus generantis operaretur potius vt ſimilitudo corporis quam animæ, ergo Archeum ponere neceſſe eſt.

Sexto probat paſſim à ſigno, nam hinc, inquit, facillime plurima arcana naturæ non hucuſque intellecta capiuntur vt v. g. quomodo Magnes Ferrum trahat, ſcilicet Archeo Magnetis emiſſo, quomodo rapiatur Magnes ad Polum, ſcilicet Archeo Polari; Quomodo Magnetice curentur vulnera indiſtans, quomodo peſtilentiæ contrahantur, & huiuſmodi plurima etiam in Medicina mirifica, ex quibus pag. 491. in fine concludit, *ſic Idealis hæc entitas mittitur eo, quo voluntas dirigit vel innata ſaltem ſpirituum ſcientia infallibilis iuxta ſcopos rerum agendarum & quemadmodũ lux & quaſi non amplius corpus nullius ſtringitur locorum vel temporum vel dimenſionum imperijs, ea nec Dæmon eſt, nec eius vllus effectus, nec vlla eius conſpiratio ſed ſpiritualis quædam eſt actio nobis plane naturalis & vernacula, & hanc qui bene capit ſophiam, facile intelliget materialem mundum vtrobique ab immateriali & inviſibili regi & ordinari*, hæc ille & plura ſimilia pro ſua hac Magia (vt vocare ibidem non dedignatur) potius quam vera philoſophia paſſim legenda in eodem.

In oppoſitum tamen eſt quod ex integro iſta Philoſophia ea eſſe videtur, quæ legebatur olim in libris euulgatis in Galia in ſcriptis *de Secretiori philoſophia Ægyptiorum*, falsò Ariſt. attributis, vt refert & probat Franciſcus Patribus tom. 1. lib. 3. ex quibus etiam quidam Almericus hæreticus & Da-

nid de Dinant. & huiuſmodi in hæreſes tunc temporis prolapſi ſunt. Sed hinc merito ea integra philoſophia ſimul cũ eiſdem libris proſcripta manſit ne dum à Synodo Pariſienſi, ſed etiam poſtea à Gregorio IX. vt refer. Launoi de varia fortuna Ariſtotelis cap. 8. ergo pariter iſta præaddućta Philoſophia repudianda eſt, præterquam iam diu in Paracelſo peſſime audita fuit.

Reſpondeo dubio procul eandem philoſophiam iuremerito eſſe ab omnibus rite ſentientibus refellendam.

Primo quidem ad hominem, nam ea ratione refellitur immo damnatur apud Helmont Peripathetica philoſophia, quia præciſe ab Etnicis deriuata eſt, vt paſſim ad omnem paginam repetit vſq; ad faſtidium ſeu ſarietatem, ſed immo iſta prius illa & ante illam Etnicis familiariſſima fuit, ergo iſta potius ad hominem refelleuda eſt. Attende lector an vera ſit minor, & Etnicorum Ideas non minus materiæ commixtas ac ſit Helmontis Archeus, confer citatiſſime hic. Sic enim Syrianus lib. ſecundo Comment. in Metaphyſicam commento 1. *Tres, inquit, in latitudine entium gradus eſſe dicebant Pithagorei, intelligibilem, cogitabilem & ſenſibilem: Singulis verò Ideas eſſe omniaque quidem ſed proprie vbique cum exiſtentiæ proprietate*, & cætera, quæ ibi proſequitur ad inſtitutum. Sic Pſellus in Eclthesi Aſyſiorum, *Ideas*, inquit, *putant nunc quidem Patris conceptiones nunc vero vniuerſales rationes animaſticas & naturales, quas quidem mẽs tribuit Animæ, Anima vero Naturæ* & infra, *Fonte vero vno euolantes proruperunt*. Hinc Auſonius in Grypho, *in Phyſicis tria prima Deus, mundus, data forma*. Hinc Seneca lib. 1. quæſtionum naturalium in præfatione dubitabat, *Vtrum Idea materiæ prius ſuperueniat, an materia Ideæ*, & epiſtola 58. *Quid interſit quæris inter ideam & Idos? alterum exemplar eſt, alterum forma ab exemplari ſumpta, alterum artifex imitatur, alterum facit*, Plutarchus tum lib. 5. de Placitis cap. 11. tum in controuerſijs Stoicorum. *Etſi vbique*, inquit, *materia per ſe inertem & immobilem qualitatibus tamen ſubijci prædicant; qualitates autem ſpiritus eſſe aiunt vigores & intentiones quaſdam aereas, quæ partes quibuſcumque ingenerantur, formã afficiunt & figurant*. Laertius in vita Zenonis, inquit, *hominis ſemen cum humido miſceri animæ partibus ſecundum mixtionem rationis progenitorum. Eſſe id Criſippus ait ſpiritum quod ad eſſentiam*. Et demum de his Ideis excurrentibus etiam in corpora conſuli poſſunt Plotinus in libro inſcripto, *Vnde Idearum multitudo* & in libro de Intellectu & ideis & ante ipſum Mercurius Hermes Trimegiſtus ſermone 8. & 12. diffuſiſſime, & integer tomus editus a Franciſco Patritio Ferrariæ anno 1591. inſcriptus, *Miſtica Ægyptiorum Philoſophia*; vt inde videas Ideas iſtas materiæ comixtas, vti contingitur Archeus Helmontitius, quam maxime fuiſſe Etnicorum Philoſophiæ familiares.

Secundo hinc prædicta Philoſophia reprobatur ex eo, quod eandem antiqui Patres olim in hæreticis præuiderunt ac refutarunt, inter quos primus occurrit Tertullianus libro de præſcriptionibus de ideis iſtis, quas Æones vocabant, ſic appoſite dicens, *Ipſæ hæreſes à Philoſophia ſuboriuntur: inde*

Æones & formæ neſcio quæ apud Valentinum, Platonicus fuerat &c. Et li. de Anima cap. 8. recenſitis ſimilibus excurrentibus Platonicorum Ideis ſubinfert, *Relucent ne iam hæretica ſemina Gnoſticorum?* de quibus nimirum Gnoſticis in præcitato libro præſcriptionum præmiſſerat, *Quod autem*, inquit, *Gnoſtici dicunt imagines eſſe hæc eorum, quæ ſunt, ſcilicet Æones, manifeſtiſſime Democriti & Platonis ſententiam ediſſerunt; Democritus enim primus ait multas & vndique ab vniuerſitate figuras expreſſas deſcendiſſe in hunc mundum; Plato vero rurſus materiam dicit & exemplum ſeu Ideam & Deum, quos iſti ſequentes &c. per mutationem nominis ſemetipſos inuentores & factores huiuſmodi immaginariæ fictionis gloriantur*, hæc ille de Gnoſticis aſſeclis idearum Platonis, quas illi Æones nominabant, vbi iſti denuo nouatores à Valentinianis hæreticis etiam *Archei* nomen ſuffurati ſunt. Sic enim in eodem Tertulliano lib. aduerſus Valentinianos in fine reperio *Archen & Proarchen* Æones etiam appellatos eſſe. Immo in initio eiuſdem libri pariter vocabantur, *ſpiritale ſemen*, & infra lego *ſpiritualem ſubſtantiam illam vt naturalem quendam impetum Æonis*, non minus omnino ac legatur apud Helmont frequentiſſime Archeum *vt in nucleo veluti lumen ſpirituale eſſe*. Hinc dum intueor in tractatu de *morbis Archealibus*, num. 7. hæc verba Helmontis mutuo à Valentinianis excepta *Archeus iraſcitur, odit, angitur, deſperat, ſibique fit tædioſus*, non poſſum non cum Tertulliani hironia repetere ibidem aientis, *ſed ne ego temerarius, qui tantum Sacramentum ſcilicet Æonum etiam illudendo prodiderim? cauendum mihi eſt ne Achamathot* (vt alio nomine Æones vocabantur) *inſaniat, ne Philetas iraſcatur*. *At* (pergit Tertullianus ibidem ab initio) *altum eſt, inquiunt, ſi hoc ſcire tentes, per ambiguitatem bilingues. Et ſi te ſcire ſuboſtendas, negant quidquid agnoſcunt. Si cominus certes tuā ſimplicitatem ſua cæde diſpergunt. Ideoque ſimplices notamur apud illos*, & infra. *Et ſi aliquid noui adſtruxerint reuelationem ſtatim appellant*, hæc ibi, inquibus vſque ad vmbelicum nouatores iſti pinguntur, dum pari genio & Helmont paſſim in noua illa ſua, & vt ipſe loquitur, inaudita & Magica philoſophia modo ambigue loquitur, modo ſcholaſticos vti ſimplices irridet, modo non fore ipſam intellecturos profitetur, modo frequentes ſibi illuminationes viſioneſque confingit, & omnia, vno verbo, ita turbat & obſcurat, vt ſpōte huc veniat eiuſdem ibidem Tertulliani præludium, *primam ſcilicet*, inquit, *hanc victoriam auſpicabimur, quia quod tanto impendio abſconditur, etiam ſolummodo demonſtrare deſtruere eſt*.

Tertio inde ſic poſſumus breuiori forma diſcurrere, nempe ſicuti Archei iſtius Helmont nil aliud ſunt quam Ideæ inuiſibiles ſubſtantiales deſcendentes in materiam, & inde circunueſtitæ materia, ita erant omnino & Gnoſticorum ſeu Valentinianorum Æones, vt conferenti patebit; ſed iſti Æones vt abſurdiſſimi a Sanctis Patribus refutantur, nimirum (omiſſo Tertulliano) ab Ireneo lib. 2. contra Gnoſticos cap. 6. 7. 14. & ſubſequentibus, à Theodoreto in hæreticis fabulis & libr. 5. decretorum Diuinorum, Clemente Alexandrino libr. 3. Stromatum, Epiphanio hæreſi 31. Hieronymo in Naum Prophetam ad illa verba, *ex te enim exibit cogitans*.

Digitized by Google

Auguſtino qu. 46. & Epiſt. 56. ad Dioſcorum, Nicephoro lib. 4. cap. 3. & lib. 5. cap. 12. & alijs; ergo pariter iſti Archei Helmont ſeu Paracelſi refellendi ſunt.

Quarto probatur ex abſurdis ſubillatis in fidem, ſi namque forma eſſentialis vt hominis hanc habet inſignem facultatem emittendi Ideas ſubſtantiales denuo productiuas ſubſtantialium effectuum, iam naturaliter creatura miracula etiam patrare valeret, vti de facto opera mirabilia ſtrigiarum naturalia eſſe (nec aliud Dæmonem agere quam edocere modum & excitare) ſubinfert idem Helmont titulo de *Magnetica vulnerum curatione num.* 107. & à fortiori tunc Angeli poſſent naturaliter ſubſtantiales effectus producere, vti fatetur Ficinus lib. 13. de Theologia Platonis cum Auicenna lib. 6. naturalium cap. 6. argumentis allatis & rite ſolutis à noſtro Nazario prima parte qu. 114. ar. 4. qu. 2. ſed vtrumque hoc abſurdiſſimum eſt contra fidem, tum quia Angelos producere poſſe ſubſtantiales effectus damnatur vt error in cap. Epiſcopis 26. qu. 5. cum S. Thoma p. p. qu. 66. ar. 3. tum quia pariter quorundam Rabinorum error aientium miracula ab anima Chriſti virtute naturali fieri potuiſſe iuremerito proſcriptus eſt, vt tractat Michael Medina lib. 2. de recta in Deum fide cap. 7. & poſt ipſum Vaſquez 3. p. diſp. 57. cum alijs, ergo pariter abſurda eſt Archeorum Philoſophia, ex qua iſta ſequuntur. Omitto quod iterum abſurdiſſimum eſt ponere mineralia viuere cæteraſque orbis partes anima vigere, vt ex Synodo quinta generali & Sanctis Patribus lib. 7. repetemus & pro nunc ſufficit directorium Inquiſitorum p. 2. qu. 4. Sed hoc pariter ſequitur ex excurſu Archeorum vitaliter ſe mouentium in mundi partibus, vt fatetur Helmont in tractatu inſcripto de Vita, & ſimiliter omnino diſcurrebat Archelaus Anaxagoræ auditor apud Auguſtinum lib. 8. de Ciuit. cap. 2. ergo hoc iterum abſurdum eſt. Omitto hæc & ſimilia, & contra Oſorem Ariſtotilis ad naturalia ſolum in oppoſitum eiuſdem Ariſtotelis ratiocinia deſcendo.

Quinto enim ſic poſſumus ex Ariſtotele in 1. Methaph. tex. 26. impugnare iſtos Archeos ideales vt ipſe Philoſophus ibi Platonis ideas refellebat, quia dum inquiruntur cauſæ ſubſtantiarum ſenſibilium abſonum eſt ſuperaddere alia vltro æqualia numero cum eiſdem, quorum per æque difficile ſit iterum cauſam aſſignare, & ita multiplicando entia non ſuperare ſed augere difficultatem; ſed ita hi faciunt dum pro explicanda cauſa diſponente materiam naturalis compoſiti, ad hominis animam v. g. multiplicant iſtas alias ſubſtantiales formas Archeorum, quarum pereque cauſam efficientem aſſignare ac productionem exponere difficilè eſt, ergo iam abſone iſti procedunt. *Quare,* inquit ibi Ariſtoteles, *qui Ideas poſuerunt primum quidem horum exiſtentium accipere cauſas quærentes, alia his æqualia numero attulerunt, perinde ac ſi quiſpiam numerare volens pauciora quidem ſi ſint non poſſe putet, plura autem à ſe facta enumeret.*

Sexto ex tex. 28. eiuſdem libri, nam vel ſuperfluus eſt iſte Archeus medians inter ſubſtantiam generantis & geniti, vel etiam alter iterum Archeus expoſtulatur medians inter generantis ſubſtantiam & Archeum ipſum. Sed

hoc ſecundum non admittitur, ne proceſſus in infinitum admitteretur, ergo remanet eligendum primum, Archum ſcilicet ſuperfluere; Sequelam maioris euinco nam ſicut generantis ſubſtantia nequiret propagare ſubſtantiam geniti niſi mediante ſubſtantiali Archeo intermedio, ita eadem ratione non poſſet ſubſtantialem Archeum iſtum niſi mediante altero Archeo propagare, vel ſi hunc poteſt cur & non illam? cum & ipſi Archeo virtutes accidentales vlterius neceſſarias eſſe Aduerſarij concedant, vnde concludit Ariſtoteles ibi *Sic pariter tertium hominem dicunt* & repetit tex. 33. proſequente Angelico Præceptore ibidem.

Septimo ex tex. 31. Nam ſenſibilium productio ſeu efficientia reducitur congruentius proxime in illam ſecundam cauſam, quæ magis pariter ſenſibilis & naturalis eſt, quam in aliam veluti præternaturalem & ordinis Superioris intentionalis, cum in eo ordine potius & ſenſibiles ſpeties à motu abſtrahant & materia. Sed iſte Archeus, vt fatetur Helmont, ad dictum ordinem potius intentionalem attinet quam naturalem, ergo ſenſibilium productio & efficientia reducitur congruentius in ſubſtantiam naturalem ſenſibilem, quam in Archeum, vt ita & magis effectus ac cauſæ ſimilitudo ſeruetur; Vnde concludit loco citato Philoſophus, *Dubitabit autem maxime quid conferant ſpecies his, quæ corrumpuntur, neque enim motus neque mutationis vllius ipſæ ſunt cauſæ.*

Octauo ex eodem tex. 31. nam penes iſtam explicationem Archei, quod ſit idea ſubſtantialis deſcendens & ſe ſubinde communicans materiæ & corpori, ſupponitur prius hanc formam ſubſtantialem produci & eſſe naturaliter ſine materia, quinimo admittitur apud Helmont in ſuo tractatu inſcripto *Magnum oportet* num. 17. Archeum etiam de vna materia ad aliam naturaliter peregrinari. Sed hoc abſurdiſſimum eſt, cum vnius animæ rationalis ſit proprium ſeparari naturaliter à materia, vt ipſe Ariſtoteles poſtea ſubdit 12. Methaph. tex. 17. ergo pariter abſurda explicatio præfata, vnde, inquit, in dicto tex. 31. Philoſophus, *eſt enim perfacile multa abſurda ad huiuſmodi opinionem impoſibiliaque inferre, nempe*, ſubdit S. Thomas ibidem *ſequitur ſicut ſupradixerat text. 18. contra Anaxagoram quod accidentia & formæ poſſint eſſe ſine ſubſtantijs ſeu ſubiectis &c.*

Nono ex tex. 32. nam etiamſi in generatione cuiuslibet rei naturalis expoſtuletur auctorem naturæ attendere veluti ideam quam mente præcontinet, experimur tamen generantem plerumque non attendere ad hoc, ſiue ſit cognoſitiuus vt nos & Bruta ſiue non cognoſitiuus à fortiori vt plantæ, ſed ille Archeus vt idea rei faciendæ non poſſet propagari à generante niſi prout attendente ad ſuam eſſentiam veluti exemplar ideans geniti ſimilitudinem, vt frequentiſſime explicabat Helmont, ergo Archeus iſte non poteſt à generante propagari, vt ipſe ſupponit. *Quid eſt enim*, inquit ibi Ariſtoteles, *quod ideas reſpiciens operetur? & inſuper & eſſe quoduis & fieri ſimile poteſt, etiam ſi ad ſimilitudinem illius non producatur &c.*

Decimo ex tex. 34. nam poſito Archeo vt cauſa deberet poni & effectus. Sed iſte Archeus vt cauſa poneretur tum in Angelis in contemplatione intenſiſ-

tenſiſſima ſui à fortiori, ac producatur ab anima humana contemplante ſe ipſam, quam generans contempletur, tum in ſomniantibus ſaltem impura coniugia & huiuſmodi, ergo & in omnibus iſtis iuxta Helmontitia decreta & generatio vt effectus apponi deberet; quod quis non rideat, immo vel ex hoc vno contemnat? vt plane intulit in illo textu Philoſophus, *In phedone ſic dicitur, quod ipſius eſſe & fieri cauſa ſpecies, & tamen non fiunt ea quæ ſunt & ſi ſint formæ vel ſpecies niſi ſit quod eſt motiuum*.

Vndecimo ex eodem tex. 34. nam ſicuti anima generantis naturalis in ſententia Helmont concipit ſpeciem ſui vt exemplar rei generandæ, ita & artifex v. g. Architectus concipit Speciem Domus conſtruendæ. Sed hoc non obſtante hæc ſpecies Domus intentionalis ſeu mundi intelligibilis & inuiſibilis (vt Platonice loquitur Helmont) adhuc non deſcendit in mundum ſenſibilem vt materia veſtiatur & fiat Archeus euolans extra Architectum, eoque dormiente lapides ac Cementa componens; ergo à pari non obſtante illo primo ſpecies illa concepta in anima generantis non adhuc à Mundo intelligibili in ſenſibilem proſiliet, vt materiam aſſumens Archeus auolans effectiue Filium proinde mortuo vel abſente genitore progignent. Vnde concludit in hæc verba Ariſtoteles. *Et multa fiunt alia vt Domus & anulus, quorum non dicimus eſſe formas ſeu ſpecies: quare patet & cætera eſſe, & eſſe, & fieri poſſe & per tales cauſas, per quales fiunt & ea, quæ modo ſunt dicta*.

Duodecimo ex tex. 44. nam vbi non ſaluatur cauſa finalis nec propriè efficiens ſaluari poteſt, cum omne agens agat propter finem; Sed iſte Archeus de ſe non poteſt intendere ſicut nec cognoſcere finem, aliter verum animal eſſet, nempe habens formam verè cognoſitiuam materiæ coniunctam, & Cacodemon ille Platonicus eſſet domeſticus ſubtiliq; æthereo corpore circumſcriptus, quod, vt dicebat eodem libro Ariſtoteles tex. 32. *Vaniloquium eſſet & Methaphoras dicere poeticas*, neque alias Helmont in tractatu inſcripto *Blas humanum* recurri poſſe permittit ad directionem primi mouentis ipſum; ergo in re auferens cauſam finalem vere aufert & efficientem, niſi in Cacodemonum deliria labatur, vnde ſubdebat dicto loco Ariſtoteles, *Nec ex iſtens cauſa, propterquam omnis intellectus, & omnis natura agit, nec hanc cauſam, quam modo dicimus eſſe vnum principiorum, nihil tangunt ſpecies &c.*

Tertiodecimo ex tex. 47. nam ſicuti ſubſtantia producit ſubſtantiam vt homo hominem, ita & accidens producit accidens, vt calor calorem, vti experimenta nos docent: Sed ad hoc ſecundum non requiritur idea accidentalis promanans ab accidente & ſuperueſtita materia vt fiat Archeus accidentalis intermedius productiuus alterius accidentis, ergo neque ad illud primum requiritur idea ſubſtantialis promanans à ſubſtantia, & ſuperueſtita materia, vt fiat Archeus ſubſtantialis intermedius productiuus alterius ſubſtantiæ. *Aliter*, inquit ibi Philoſophus, *ſecundum hunc modum quærentes ex quibus ſunt elementis, fieri non poteſt vt ea, ex quibus actio conſtat aut actum accipiatur, ſed ſubſtantiarum tantummodo ſumi poſſunt; quare rerum*

omnium

omnium elementa quærere, aut habere putare ſuperuacaneum eſſet & non verum.

Quartodecimo omiſſis alijs ex eodem primo lib. Methaph. ab vnoquoque facilime colligendis, progredior ad ſeptimum eiuſdem primæ philoſophiæ cap. 6. vbi dicitur, *Impoſſibile enim ſubſtantiam ex ſubſtantijs eſſe inexiſtentibus vt actu*, ſed iuxta Helmont in homine v. g. daretur duplex forma ſubſtantialis in actu nimirum forma ſubſtantialis Archei & anima ipſa rationalis, ergo hoc impoſſibile eſt, vt ibi contra Platonis ideas Ariſtoteles arguebat.

Quintodecimo ex 1. poſt. tex. 33. & 34. ſi daretur iſte Archeus pro ſemine perſeuerans in re producta, vt ponit Helmont, idem eſſet generans & genitum & nutritioni magis & augmento aſſimilaretur potius quam generatio eſſet: Sed hoc abſurdum vt conſtat, ergo non datur Archeus iſte, vti ex eodem Philoſopho diſcurrebat Sanctus Thomas p. p. qu. 118. art. 1. ad quartum.

Sextodecimo tandem hic aptari poſſunt omnia ea argumenta quibus probari ſolet contra Platonicos & Pythagoricos animas non prius ita exiſtere ante corpora, vt poſtea ſibi in corpore domicilia diſponant, vt inter cæteros probat S. Thomas p. p. qu. 118. ar. 3. & alijs omiſſis addendis lib. 7. infra hoc ſufficit ex Lucretij Carmine refutare libro tertio canentis, *at neque cur faciant ipſæ, quareue laborent, dicere ſuppeditat, neque enim ſine corpore cum ſint ſollicitæ volitant morbis algoque fameque; corpus enim magis his vitijs & ſine laborat &c. haud igitur faciunt animæ ſibi corpora & artus*, & id de ideis ſubſiſtentibus prius in ſe ex inde ad corpora excurrentibus replicamus.

Ad primum igitur admiſſis exemplis ab arguente aſſumptis conſequutio illata ex inæqualitate neganda eſt, nam vti reſpondet & monet Doctor Angelicus 3. p. qu. 13. art. 3. ad tertium eatenus ex intenſa & præualida immaginatione aliquoties ſuboritur etiam corporalis immo & ſubſtantialis mutatio in corpore genitricis aut fætus, quatenus virtus inferior etiam prolifica in eadem anima radicata ſimpatica quadam conexione vniformiter ſolet operari ad præualidum nutum eiuſdem, aut illa commota quatenus corporali ſimul excuſſis naturalibus eiuſdem corporis qualitatibus, hæc illis imbuta & induta in fætus figuratione concordat. At quænam paritas inde ad inferendam in corpore, non immaginanti coniuncto, ſed longe diſſito, non accidentium diuerſorum temperiem ex accidentibus corporalibus phantaſiæ deriuatam, vt diximus, ſed ſubſtantialem ſimul ideam inuiſibilem & ſubſtantialem tot ſenſibilium nimis mirabilem productionem? profecto inquit eodem loco S. Thomas, *Illud fit eo quod ex immaginatione conſequenter natæ ſunt conſequi animæ paſſiones, ſecundum quas mouetur cor, & ſic per commotionem ſpirituum totum corpus alteratur. Aliæ vero diſpſitiones corporales, quæ non habent naturalem ordinem ad immaginationem, non tranſmutantur ab immaginatione. quantumcumque ſit fortis, puta figura manus vel pedis vel aliquid ſimile*; hæc S. Thomas, ad quæ reduci poſſunt & ea, quæ Toſtatus obſer-

uat

uat in caput trigeſimum Geneſis qu. 10. & alia, quæ nos adduximus in primo eodem argumento, teſtimonia, præſertim mirabilia, quæ ſcribit Aug. li. 14. de Ciu. c. 24. & demum illa, quæ de ventorum etiam varietate iuuante ad variam fœtus generationem nos docet Philoſophus 4. de Generatione animalium c. 2. & lib. 6. cap. 9.

Ad ſecundum cum in præſenti non vacet afferre diffuſius contrarias longe Sanctorum Patrum expoſitiones ad illum Geneſis locum, ſatis ſuperque eſt Auguſtini doctrina lib. 2. in Geneſim c. 1. & à S. Thoma non parum commendata p. p. q. 68. ar. 2. ad 1. nimirum, *Quemadmodum Deus inſtituit naturas rerum conuenit quærere non quid in eis ad miraculum ſuæ potentiæ voluerit operari*, quia vt Phyſic. 2. Ariſt. ipſe dicebat, *vnumquodque eo modo quo agitur natum eſt agi*, aliter integre & funditus naturalis Philoſophia euerteretur.

Ad tertium iã maior propoſitio de falſitate conuicta eſt, cũ eſſe quid maius appareat propagari ideas ſubſtantiales Archeorum, quam accidentia intentionalia ſpecierum, difficilius illas ſuperindui materia non ſuperindui iſtas, illas proinde progerminare tot alias naturales ſubſtantias, non vero iſtas; vnde iſtis admiſſis adhuc iuremerito illud vt errori proximũ condemnauit S. Thomas contra Auicennam tum p. p. q. 117. ar. 3. tum 3. cont. Gentes c. 103. tum qu. 6. de potentia ar. 3. & in Comm. epiſt. ad Gallatas c. 3. lect. 1. cum Aug. lib. 3. de Trin. c. 8. & cæteris Patribus vt Ariſtotelem prætermittam 7. Meth. tex. 28. & 29.

Ad quartum pariter non negamus à generante, v. g. Planta, decidi in ſemine aliquid, quod *ſpiritus* valeat nominari, eo modo quo aer ob peculiarem ſibi ſubtilitatem *ſpiritus* etiam in ſcriptura nuncupatur, dummodo ſpiritus non ſumatur vt enti materiali & extenſo contrarium eſt, quo tamen ſecundo modo ſe ſumere Helmont in verbis poſtremo adductis profitebatur, quod directe cum Commentatore impugnat S. Tho. q. 3. de potentia ar. 9. ad 28. Primo autem modo virtus & illa accidentalis in ſemine non ſolum ſpiritus à Peripateticis dicitur, verum & idea, licet accidentalis, nominatur, vti loquebatur Hypocrates lib. de hominis natura pariformiter dicens, *Atque hoc vnum exiſtens mutare ideam, & potentiam*, & infra, *indeq; multæ ideæ morborum*, & Polybius, cuius libros Ariſtoteles ipſe citat lib. de ſemine, *ſunt vero*, inquit, *quatuor ideæ humidi ſanguinis &c. tot enim ideas habet connatas homo*, quinimo Ariſtoteles ipſe in 1. de Cælo c. 7. *neceſſe eſt*, inquit, *ideas ſimplicium corporum eſſe terminatas*, quod demum accutiſſime explicat ad inſtitutum noſter Angelicus p. p. q. 115. ar. 2. ad primum. Clareſcit igitur hinc nihil obeſſe poſtremam ibi obiectionem Helmont de accidente *cum Diplomate* ſubſtituto loco ſubſtãtiæ, cum immo & Archeus vt idea licet ſubſtantialis eſſentiæ generantis longe magis in vices eiuſdem apud Helmont *cum Diplomate* ſubſtitueretur.

Ad quintum Caietanus occurrit p. 2. q. 109. ar. 6. §. *allata autem* dicens, *Obiectio peccat in hoc quod numquam natura diſponeret vltima diſpoſitione ad animam intellectiuam niſi ageret in virtute animæ intellectiuæ hominis generantis, agit enim virtute naturæ humanæ, cuius eſſentialis & principalior pars eſt.*

anima

anima intellectiua, quam doctrinam edocuit ante Caietanum S. Th. p.p.qu. 118. ar. 1. ad 2. & ar. 2. ad 3. & 4. & clarius q. 3. de potent. ar. 9. ad 5. vbi etiā ad 9. hæc nouitas Helmont præuidetur omnino & validiſſime reſutatur.

Ad textum tandem non ego ex illis ſum, quos redarguebat Plutarchus Sympoſ. lib. 5. q. 3. *Etenim*, inquit, *innumera ſunt, quorum cum ſubſtantia in aperto ſit, cauſæ tamen nos latent, vt philoſophiam quodammodo perimant, qui admirabilibus fidem detrahunt.* Hinc placuit ſemper pro conſimilibus naturæ arcanis expeditiſſima illa S. Tho. doctr. opuſ. 34. dicens, *Sicut virtus calefaciendi & infrigidandi eſt in igne & aqua conſequens proprias eorum formas, ita omnes virtutes & actiones mediorum corporum tranſcendentes virtutes elementares conſequuntur eorum proprias formas, vel reducuntur ſicut in altiora principia in virtutes corporum cæleſtium & adhuc altius in ſubſtantias ſeparatas.* Sic vtique curſim per conſimiles ſpeciales virtutes ſeu qualitates ſingula illa (ſi ſemel ſingula vera ſint) naturæ arcana planiſſime poterunt explicari, at præter illas excurrere ad ſubſtantiales Archeos nec intelligibile vnquā eſt nec neceſſarium. Si autem cupiat Helmont me indigitare eidem vtilitatem, quam ex fictitijs Archeis hucuſque retulit Chriſtianorum ſapientia, audiat Lector miranda vtique imò abhorrēda, me quidem iudice, corrollaria per eundem Helmont ex Archeorum doctrina deducta. Sic enim ipſe, præter ſupratacta, infert in tract. de *venatione ſcientiarum*, & infra pag. 170. nec animam noſtrā eſſe diſcurſiuam, vtique bruta diſcurrere, nec hominem eſſe animal rationale, vtique animam Angelis naturaliter eſſe præſtantiorem. Sic tract. inſcripto *Blas humanū* Durādi abſurdā ſent. exſuſitat (ſi Durandi fuit) de ſola virtute actiua primitus cauſis comunicata ſine vlteriori poſtea indigentia concurſus actualis Diuini. Sic pag. 74. opinatur Aſtra infallibiliter præſignare futura contingentia, licet nec minimum quid cauſent in inferioribus. Sic in tract. de *Ortu formarum* deducit omnes formas omnino creari ex nihilo, prædiſpoſita ſolum ab Archeo atomorum materia, & lumen ſolis & ipſum eſſe formam ſubſtantialem inextenſam & penetrabilem, aſſiſtentem corpori non informantem, quorum poſtremum etiam animæ rationali denegatur. Sic in tractatu inſcripto *Demens Imago* ſubinſert animam intellectiuam in vna corporis parte ſcil. pectoris nucleo reſidere, vt repetit de ſenſitiua in cap. nu. 17. Sic ibidem nu. 23. negat in Adam ante peccatum adfuiſſe animam ſenſitiuā, quinimo iſtam ſolum cum morte aduenitſe poſt culpam: In tract. inſcr. pto *Theſis* inficiatur Deum impoſuiſſe Adæ præceptum aut Adam vel Æuam ex peccato innobedientiæ deliquiſſe, ſed luxuriæ præciſe excitatæ ex eſu pomi malefici &c. Sic tandem (vt vno omnium abſurdiſſimo claudat) ibidem fusè propugnat homines in ſtatu innocentiæ fore concipiendos ſine vlla generatione, *ſolum ex obumbrutione Spiritus Sancti vti Chriſtus in Virgine conceptus fuit*. Quis, quæſo, hæc non rideat, immo in Chriſtiano ſcriptore non plangat? & tamen hæc ea ſunt ex adeo inſigni & *illumiuata* de nouo *per viſiones* Archeorum Philoſophia ſuborta. Sed de his alibi fuſius ſcil. lib. 7. in Platonicam & Pythagoricam agendum erit.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

De ſecundo modo ponendi res ex Atomis ſcilicet excludente materiam primam & formam, non efficientem.

EXcluſo primo Atomiſtarum modo ſuccedit immediate ſecundus opinandi modus circa Phyſicas atomos, vt ſupra retulimus, circa quem ſingillatim hæc expendenda ſe offerunt. Primum an iſte modus ex auctoritate Eccleſiaſtica refutetur, ſecundo an ab inconuenientibus, tertio an ex ratione etiam naturali refellendus ſit.

ARTICVLVS PRIMVS

An modus ponendi res ex Atomis ſine materia prima & forma ſubſtantiali ex auctoritate Eccleſiaſtica Refutetur.

VIdetur quod non nedum adductis ſupra pro hoc modo dicendi, ſed etiam denuo Renato Carteſio prima & ſecunda parte principiorum, Gaſſendo ſect. 1. Phyſicæ lib. 3. c. 8. & lib. 5. 6. 7. & ſubſequentibus, Franciſco Caro in ſua philoſophia naturali parte prima edita Venetijs Anno 1667. fere per totam & alijs paſſim recentioribus, quos miror his annis turmatim prolabi in hanc ſententiam hiſce fortaſſe motiuis.

Primo nam Gregorius Niſſenus orat. 1. in Hexameron adeo in hac ſententia perpetuus eſſe videtur, vt ad quemlibet cap. 1. Geneſis verſum eandem fere accomodet philoſophiam. Nempe & atomos vt præexponat exemplo inquit, *ſi indiuidua ac cæca illa corpuſcula contueri quis quærit, is poterit aerem talibus particulis refertum aſpicere, quando radij ſolis per feneſtram apertam eam aeris partem clariorem rediderunt. hæc enim infinita corpuſculorum in aere volitantium multitudo, quæ in reliquo aeris ſpatio oculis cerni non poteſt, radiorum beneficio perſpicitur*, quo eodem omnino exemplo Ariſtoteles lib. de Anima 1. c. 2. pro Democriticis Atomis vtebatur. inde ad orbis Geneſim hæc Niſſenus adaptans inquit, *cum Deus omnia poſſit ſimul omnia contulit, leuitatem, grauitatem, denſitatem, raritatem, molitudinem, duritiem, humiditatem, ſicitatem, figuram &c. quæ quidem omnia ſunt quædam tenues nudæque notiones, nihil enim horum vnum per ſe materia eſt. ſed cunctis inter ſe concurrentibus materia fit*, & ſpecialius adhuc ad ſingularum rerum productionem in primo mundi ortu deſcendens, *ignis*, inquit, *qui vbique diſſeminatus erat obſcurus iacebat, materiaque impotentia ſuprimebatur: verum quoniam vis eius velox atque agilis eſt, ſimul atque à Deo motus principium & incitatio addibita eſt, ante illa omnia, quæ grauiora ſunt, exiliens lumine cuncta ſtatim illuſtrauit*, & iterum, *quia prius*, inquit, *ſplendor ignis, qui ſub materiæ particulis latitabat, nondum efluxerat*, & ne quis crederet ſolum id de primo rerum ortu dicendum, ſubiungit adhuc, *per ignem exſicatum in minutiſſimas*

& aſpectum noſtrum effugientes particulas, *& oleum commutari atque ita aerem petere*, *indeque deſiliens in terram decidere*, vt alia plura in eadem prima oratione legenda dimittam, ergo iam ab auctoritate Eccleſiaſtica ſaltem Gregorij Niſſeni non refutatur immo approbatur hæc atomorum philoſophia.

Secundo, inquit prædictus Franciſcus Carus diſput. 4. diſquiſitione 2. & D. Bernardus ſerm. 81. in Cantica loquens de compoſitione plantarum ex ex elementis hoc eodem modo philoſophatur, *neque enim*, inquit, *vnum ſimplex eſt quodque horum, ſed ex pluribus conſtans & propterea non redigitur in nichilum, ſed diſſilit in partes vt ad ſuum quodq; recurrat principium verbi gratia aer ad aerum ignis ad ignem & reliqua in hunc modum*, quo nec diſſimili loquendi modo pro atomis vtebatur Lucretius lib. 1. ſic canens.

Haud igitur redit ad nihilum res vlla ſed omnes
Diſſidio redeunt in corpora materiei.

ergo etiam ex Bernardo atomorum compoſitio comprobatur.

Tertio & Auguſtinus ne dum de igne lib. 21. de Ciuitate c. 4. eodem modo cum Niſſeno loquebatur dicens, *velut ergo expirante illa gleba diſcedens ignis, qui latebat, apparet*, ſed etiam vniuerſim de ſingulis productionibus rerum lib. 3. de Trinit. ſic aſſerebat, *omnium*, inquit, *quæ corporaliter viſibiliterque naſcũtur, occulta quædam ſemina in iſtis corporeis mundi huius elementis latent*, quibus & Dæmones quandoque vti non vero creare ſubiungit, *quia ſemina*, inquit, *rerum iſtarum nobis occultiora nouerunt*, *& ea per contemperationes elementorum latenter ſpargunt atque ita gignendarum rerum & accelerandorum incrementorum præbent occaſiones*, & iterum c. 9. *iſta quippe originaliter & primordialiter in quadam textura elementorum cuncta creata ſunt ſed acceptis opportunitatibus prodeunt, nam ſicuti matres grauidæ ſunt filijs, ſic ipſe mundus grauidus eſt cauſis naſcentium, quæ in illo non creantur niſi ab illa ſumma eſſentia*, & ad hanc fraſem reducitur tam modus loquendi Nazianzeni in carmine de Virginitate dicentis, *robur ignis latens in lapidibus*, tam Prudentij hymno X. aientis, *& ſemen ignis inter vndas quærere*.

Quarto addit idem Franciſcus Carus diſp. 4. diſquiſit. 2. etiam S. Thom. in li. de Gener. veluti aſſerentem, *particulas igneas quæ hoſpitantur in aere deferri per pluuias in terram*, addit & Clementem Alexandrinum, ſed nec verba, nec loca refert, vtique addam ego pro ipſo apparentius Philonem in in lib. quod mundus incorruptibilis, aſſerentem *homines ex quatuor elementis particulas quaſdam mutuari*, & infra ſubdentem, *generationē & corruptionem quatuor modis fieri per additionem, ſubtractionem, tranſpoſitionem & alterationem*, ſic & Anaxagoras tom. 8. Bibliotecæ in apologia pro Chriſtianis in fine aperte docet *res fieri ex minimis partibus elementorum*, & Nemeſius lib. de natura hominis c. 5. inquit, *fieri concretionem mixti ex elementis ſicut ex diuerſis portiunculis tetraſarmacum*, & demum colligunt aliqui ex illo Iob 10. *ſicut caſeum me coagulaſti*.

In oppoſitum tamen eſt quod niſi autoritate Eccleſiaſtica refelleretur, immo ab oppoſito approbaretur hic modus ponendi res ex Atomis, eſſe nō

recea-

receнſeretur nec ab Eccleſia vniuerſali permitteretur amplius recenſeri inter *hæreſes & errores antiquorum philoſophorum*; Sed de facto in directorio Inquiſitorum parte 2. qu. 4. nu. 12. *inter hæreſes & errores antiquorum philoſophorum* legitur hæc propoſitio vt iacet, *ſcilicet qualibet res ex atomis minutiſſimis corpuſculis conſtituitur & quando atomi diuiduntur res corrumpuntur quando vniuntur res generantur*, & hæc propoſitio ſeparatur ab alio errore poſito num. 11. de negatione prouidentiæ ex fortuito motu atomorum & conſequenter hæc propoſitio vix differre videtur ab hoc ſecundo modo ponendi res ex atomis; ergo & hic ſecundus modus ponendi res ex atomis ab Eccleſiaſtica auctoritate reprobari non verò approbari videtur.

Reſpondeo vtique videri poſſe hunc dicendi modum etiam ab Eccleſiaſtica autoritate reprobatum. Nam Baſilius homilia 1. in Hexameron relatis his, *qui minutiſſima quædam & impartibilia corpora moles item ac meatus naturam continere omnium, quæ oculis quaqua verſum ſubiacent, vecordi immaginatione deluſi aſtruxerunt*, concludit, *prorſus iſtius generis ſcriptores quid aliud dicas quam ſtamen flacidum araneoli prætexere? Dum pertenues adeo comminiſcuntur rerum cauſas, dum cæli terræ marique principia ſupponunt nuſpian conſiſtentia*. Inde Ambroſius lib. 1. pariter in Hexameron c. 2. aduertit *vir plenus prudentia, inquit, ſcil. Moyſes, quod viſibilium atque inuiſibilium ſubſtantiarum & cauſas rerum mens ſola diuina contineat, non, vt philoſophi diſputant, validiorem Atomorum complexione perſeuerantiæ iugis præſtare cauſam & iudicauit quod telam araneæ texerent, qui ſic minuta & inſubſtantiua principia cælo ac terris darent*, vbi vterque Pater hanc atomorum compoſitionem excludit ex eo quod ſine forma ſubſtantiali non ſufficiant ſtabiliter rem cõtinere, & ne credas Ambroſium incongrue hac texturæ ſimilitudine vſum, audias apud Ariſtotelem 2. de Gener. animalium c. 1. ex antiquis philoſophis relatam hanc fraſim, *ſcil. animal eſſe retis adinſtar implexum*, quod vtique Atomiſtæ in proprio ſenſu concedunt, Peripatetici autem irriderent, & pro ſimilitudine dumtaxat admitterent. Porro Aug. epiſt. 56. ad Dioſcorum loquens etiam de corpore incorruptibili Cæli, quod Deum eſſe apud Democritum & Epicurum præmiſerat, *quomodo*, inquit, *non veretur ne intereat, cum ſine vlla intermiſſione pulſetur agiteturque atomorum incurſione ſempiterna? Pulſari enim dicit illud corpus quod irruentibus atomis feriatur & agitari quod penetretur &c. in quibus omnibus deliramentis hæc opinantium illud præcipue dolendum eſt, quod non ſufficit ea narrari, vt nulla cuiuſquam diſputatione aduerſante reſpuantur, ſed acutiſſimorum hominum ingenia hoc etiam negotium ſuſceperunt, vt copioſe iſta refellerent, quæ ſtatim dicta etiam à tardiſſimis derideri abijcique debuerunt*, & infra, *rurſus nec ipſas atomos eſſe vllo modo concedendum eſt, quod ommiſſa ſubtilitate, quæ de diuiſione corporum à doctis traditur, vide quam facile ſecundum ipſorum opinionem poſſit oſtendi. quæro enim vtrum ab ipſis atomis etiam efluant immagines? ſi efluunt quomodo iam ſunt atomi, à quibus aliqua corpora ſeparantur? ſi non efluunt aut poteſt aliquid ſine immaginibus cogitari, quod vehementer nolunt, aut vnde norunt atomos, quas nec cogitare potuerunt? ſed iam pudet me iſta refellere, cum eos non puduerit*

rit iſta ſentire. Pudeat igitur iterum & Gaſſendum lib. 3. Phyſicæ ca. 8. aſpernantem potius quam diſſoluentem ſubſequentes iſtas obiectiones Lactantij lib. 3. c. 17. ſic validiſſime, vt infra patebit, contra atomos diſſerentis, *Cur igitur illa ſemina non ſentimus aut non cernimus? quia nec colorem habent, inquit Lucretius, nec calorem vllum, nec odorem; ſaporis quoque & humoris expertia ſunt & tam minuta vt ſecari, ac diuidi nequeant. ſic eum, quia in principio falſum ſuſceperat, conſequentium rerum neceſſitas ad delliramenta perduxit; vbi enim ſunt aut vnde iſta corpuſcula? cur illa nemo præter vnum Leuſippum ſomniauit, à quo Democritus eruditus hereditatem ſtultitiæ reliquit Epicuro; quæ ſi corpuſcula, & quidem ſolida vt dicuntur ſub oculos certe venire poſſent. ſi eadem eſt natura omnium, quomodo res varias efficiunt? vario, inquit, ordine ac poſitione conueniunt, ſicut litteræ quæ cum ſint paucæ varie tamen collocatæ innumerabilia verba conficiunt. at litteræ varias formas habent. ita, inquit, & hæc ipſa primordia. Iam ſunt aſpera, ſunt hamata, ſunt leuia: Secari ergo & diuidi poſſunt, ſi aliquid ineſt illis quod emineat. ſi autem leuia ſunt & humoris indigent, cohærere non poſſunt; hamata eſſe oportet, vt poſſint inuicem concatenari. cum verò tam minuta eſſe dicantur, vt nulla ferri acie diſijci valeant, quomodo hamos, aut angulos habent? quos quia extant neceſſe eſt poſſe diuelli: deinde quo fædere inter ſe qua mente conueniunt, vt ex his aliquid conſtituatur?* & infra iterum lib. de Ira Dei c. 10. *quis illa ſemina vidit vmquam? quis ſenſit? quis audiuitur? an ſolus Leuſippus oculos habuit, ſolus mentem, qui profecto ſolus omnium cæcus, & excors fuit: qui ea loqueretur, quæ nec æger quiſquam delirare nec dormiens poſſet ſomniare? quatuor elementis conſtare omnia philoſophi diſſerebant; ille noluit, ne alienis veſtigijs videretur inſiſtere: ſed ipſorum elementorum alia voluit eſſe primordia, quæ nec videri poſſent nec tangi nec vlla Corporis parte ſentiri. tam minuta ſunt, inquit, vt nulla ſit acies ferri tam ſubtilis, qua ſecari ac diuidi poſſint, vnde illis nomen impoſuit atomorum &c. quanto melius fuerat tacere, quam in vſus tam miſerabiles tam inanes habere linguam. & quidem vereor ne non minus delirare videatur, qui hæc putet refellenda. reſpondeamus tamen velut aliqua dicenti. ſi leuia ſunt & rotunda, vtique non poſſunt inuicem ſe aprehendere, vt aliquod corpus efficiant, vt ſi quis millium velit in vllam coagmentationem conſtringere leuitudo ipſa granorum in maſſam coire non ſinet, aſpera, inquit, & angulata ſunt, & hamata vt poſſint cohærere. diuidua ergo & ſecabilia ſunt. itaque amputari & diuelli poteſt, & videri poterit, & teneri corpuſculum. ſi ex illis omnia ſunt ipſa igitur vnde eſſe dicemus? ait enim omnia ex indiuiduis corpuſculis fieri. Si hoc ita eſſet nulla res vmquam ſui generis ſemine indigeret, ſine Ouis alites naſcerentur & oua ſine partu, item cætera viuentia ſine coitu, & quæ gignuntur è terra priora ſemina nõ haberent, quæ nos tractamus, & ſerimus. cur ſine terra ſine radicibus ſine humore, ſine ſemine non herba nõ arbor non fruges oriri aut generari nõ poſſent? quid quod duriſſimi rigoris materiæ ſi ictu vehementiore collidantur ignis excutitur? num in ferro aut ſilice atomi latent? quis incluſit? aut cur ſua ſponte non emicant, aut quomodo ſemina ignis in materia frigidiſſima permanere potuerunt? omitto ſilicem ac ferrum: orbem vitreum plenum aqua ſi tenueris in ſole de lumine quod ab a-*

qua

qua reſfulget, & ignis accenditur etiam in duriſſimo frigore: num etiam in aqua eſſe ignem credendum eſt? &c. quid ſenſus cogitatio, memoria ingenium, quibus ſeminibus quibus atomis coagmentari poſſunt? an ſi ſimulacrum homini, & ſtatuæ ratio & ars fingit, ipſum hominem de fruſtis temere concurrentibus fieri putabimus? num potuit humana ſolertia dare operi ſuum aut motum aliquem aut ſenſum? Hucuſque Lactantius, quæ ex inſtituto tranſcripſi, vt ex eiuſdem verbis noſtras probationes deſumere valeamus. cæteros hinc Patres tangendos alibi prætermitto, & curſim adhuc tantummodo refero Ireneum libr. 2. aduerſus hæreſes c. 19. damnantem *Anaxagoræ Irreligioſi ſemina*, Philonem lib. de mundo incorruptibili ad hoc abſurdum deducentem, *ſin autem*, inquit, *ſimilis incaſſum artifex nihil à paruulis pueriſque differt, quique in littore per luſum cumulum arenæ excitant moxque manibus eiſdem diruunt*, & demum Clementem Alexandrinum (qui ab aduerſarijs non relato loco citabatur) lib. 1. Stromatum contra eoſdem atomiſtas ſic concludentem, *principia ponunt indiuidua philoſophiæ nomen ſuſcipientes impij quidam homunculi & voluptati dedit ſcilicet Epicurei*, quod in Gaſſendi encomia fortaſſe aliquis detorqueret.

Secundo principaliter noſtra reſolutio probatur hoc argumento validiſſimo, ſi ſub hac forma proponatur, nimirum qui negat omnem materiam primam vt potentiam ſubſtantialem per ſe eſſentialiter talem diſtinctam à ſubiecto in actu vt potentia ſolum per accidens, conſequenter negat omnẽ omnino formam ſubſtantialem vt per ſe eſſentialiter actum, cum hæc duo inuicem correferantur, vt patet. ſed hic modus ponendi res ex atomis, vt aduerſarij fatentur, negat omnem materiam primam vt potentiam ſubſtãtialem per ſe eſſentialiter talem: ergo negat conſequenter omnem omnino formam ſubſtantialem vt per ſe eſſentialiter actum. Sed hoc negare reprobatur apertiſſime ab Eccleſiaſtica auctoritate ſcilicet Concilij Lateranenſis ſub Leone X. ſeſſione 8. & Concilij Vienenſis capite *firmiter de ſumma Trinitate* diffinientium contradictorium eiuſdem, ſc. dari aliquam *formam ſubſtantialem vt per ſe eſſentialiter actum ſcil.* animam rationalem, vt notum eſt, ergo & prædictus modus ponendi res ex atomis ab Eccleſiaſtica auctoritate reprobatus eſt. ſcio quid ſolent reſpondere Atomiſtæ huic difficultati propoſitæ ſub alia forma, nimirum aſſignando diſparitatem inter animam rationalem, quæ ſpiritualis forma eſt & completa, & ex nihilo creatur, & inter cæteras formas materiales non ita ſe habentes. Sed noſtro diſcurſui quid ſimilis euaſio obſtat? nam ſi ſemel admittitur aliqua vel vna forma ſubſtantialis per ſe eſſentialiter actus alicuius alterius, neceſſario ex regula corelatiuorum admittenda eſt in ordine ad talem actum & aliqua potentia ſubſtantialis; quæ pariter per ſe eſſentialiter potentia ſit. Sed talis per ſe eſſentialiter potentia ſubſtantialis (quocumque nomine nominetur) in re nil aliud eſſe poteſt quam materia prima Peripateticorum, ergo ſemel admiſſa prædicta forma ſubſtantiali, & materia prima Peripateticorum admittenda eſt, & conſequenter hic modus atomiſtarum eandem negans refellendus eſt; vnde de facto negata hac potentia ſubſtantiali per ſe eſſentialiter tali

nega-

negauit conſequenter Gaſſendus & animam eſſe per ſe formam ſubſtantialem, & vt refert Carteſius in epiſt. ad Patrem Dinet, publice hanc theſim propugnauit, *ex mente & corpore non fieri vnum per ſe ſed per accidens*, tum quia rurſus admiſſo ſemel generationem & corruptionem ſubſtantialem totius hominis non fieri niſi per introductionem vel ſeparationem formæ ſubſtantialis ſcilicet animæ & non per ſolam atomorum vnionem vel ſegregationē, à pari cogimur philoſophari quo ad hoc eodem modo & in cæteris, vt recte à paritate expendit ad hoc propoſitum Suarez diſp. 15. Meth. ſectione 1. adducens & illud Eccleſiaſtici 3. *vnus eſt interitus hominis & iumentorum & æqua vtriuſque conditio ſicut moritur homo, ita & illa moriuntur*, tum quia tandem ex hoc vnico fundamento hic atomiſtarum modus non ſolum impugnatur ab Abulenſi ex profeſſo in Exodum cap. 23. qu. 57. & alijs Dogmaticis in cap. 1. Geneſis, verum etiam damnatur, *vt abſurdus*, ab eodem Suarez diſput. 13. Methaphyſicorum ſectione 2. *vt poetica fabula*, ab Auerſa qu. 19. ſectione 2. *vt Erroneum aſſertum vel temerarium ſeu in fide periculoſum* qu. 20. ſectione 1. *vt non ſatis conſentaneum principijs fidei*, à Bartholameo Amico tractatu 2. de Generatione qu. 3. dub. 3. ar. 4. & ſub alijs cenſutis paſſim ab alijs, quibus nos ſupraſedemus, ne opinioni modo ab aliquibus introductæ cenſuram innurere videamur.

Tertio tamen principaliter nequeo non afferre cenſuram, quam meditatiſſime ac prudentiſſime ex his arbitrari licet in hunc atomiſtarum modum protuliſſe Vniuerſitatem integram Pariſijenſem anno 1624. relatam à Ioāne Launoi in ſuo libro inſcripto *de varia fortuna Ariſtotelis*, edito Pariſijs anno 1656. & mihi humaniſſime hiſce diebus comodato, dum in media huiuſce operis parte perſiſterem, ab Illuſtriſs. & Excellentiſs. D. Equite ac Senatore Veneto Baptiſta Nanno huiuſce noſtrę Vniuerſitatis doctiſs. Æque ac prudentiſſimo Reformatore Meritiſs. (cuius fauſtiſſimo nomini ex libris tum editis ab eodem, tum dicatis eidem ab alijs, non laudem mutuari ſed impertiri glorioſiſſimi moris eſt) in hoc inquam libello etiam ſi alias elaborato contra Ariſtotelis philoſophiam, adhuc id ſaltem denegari veritati non licuit, vt c. 16. hæc Vniuerſitatis cenſura refereretur, *cum nouiſſime*, inquit cenſura, *in his noſtris miſeris temporibus, in quibus ad omne curioſitatis & nouarum rerum Genus deprauatis & liberioribus ingenijs impune patet aditus, ſacræ facultati Theologiæ Pariſienſi quædam occuriſſent propoſitiones typis mandata palam, & publice agitandæ à quibuſdam, quo ſpiritu ductis dubitatur, quæ ex profeſſo contra doctrinam Ariſtotelis omnium philoſophorum ſine controuerſia principis communemque omnium academiaram conſenſum militabant & non nihil periculi aduerſus fidei principia inuoluere videbantur, quarum auctores de eorum fortaſis numero exiſtebant, de quibus olim cauendum ſcripſit Apoſtolus ad Collocenſes 11. videte ne quis vos decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam. ideo &c.* poſtmodum ſubijcitur in ordine hæc propoſitio 1. quæ ſic habebat.

Materia prima, quam pro principio tranſmutationis ſubiectiuo conſtituunt Peripatetici ſiue exiſtentiam habeat à ſe ſiue à forma commentitia prorſus eſt & ſine

Digitized by Google

vllo plane fundamento excogitata, in generationibus enim, quas ipſe Ariſtoteles in his inferioribus credidit, hallucinatus eſt, & cum eo cæteri, qui eius ſententiam amplectuntur. Inde ſubijcitur cenſura ſic dicens, *hæc prima propoſitio eſt temeraria & erronea in fide.*

Propoſitio 13. ſic ſcribebatur, *nihil eſt abſtruſius nihilque magis experientiæ repugnans tranſmutatione, quam inter elementa Peripatetici profitentur. vera enim terra eſt, nec vllo modo in aquam aut aliud quoduis elementum tranſmutabilis ſicut neque aqua in terram aut aer in ignem, quod item de cæteris principijs ſale, oleo, & ſpiritu dicendum eſſe aſſeueramus*, cenſura autem ira ſubiungit, *hæc propoſitio eſt falſa, temeraria, & erronea in fide*, hæc ibi, nec ſolum vniuerſitas cenſuram iuſſit, ſed vt ibidem de verbo ad verbum ex tabulis Regijs integra exſcribuntur edicta, etiam Senatus continuo cenſuram confirmauit & exilij pęna mulctauit tres earumdem aſſertionum pręcipuos deffenſores nominatos ibidem, qui neſcio an ijdem eſſent cum illis, quos pariter ob ſimilem aſſertionem proſcriptos eſſe recenſet Camerarius parte 2. qu. 1. præter alia decreta in nouatores huiuſmodi ac in fauorem Ariſtotelis antiquiora his, ſcil. ſæculi ſuperioris, à nobis adducta ſuperius lib. 1. qu. 2. art. 3. ex Iacobo Carpentario, & alia diſtincta adhuc ab eiſdem ſuperaddita à prædicto Launoi edita ſucceſſiue etiam per duos Cardinales Legatos, ex Pontificia etiam auctoritate, pro Ariſtotelis philoſophia eidem Pariſienſi accademiæ directa legenda in eodem à me hic tacta dumtaxat, vt cautius procedere quidam in arripiendis quibuſque in philoſophia abſurdiſſimis nouitatibus ex ſolo comptemptu Peripateticorum commoneſiant & diſcant.

Ad primum igitur de Niſſeno ſufficeret proteſtatio eiuſdem Niſſeni oratione eadem prima ſic exordientis, *antequam exordiar, inquit, illud teſtatum volo mihi certum eſſe nulla in re contradicere ijs, quæ à Baſilio in mundi procreationem conſcripta ſunt*, quam vero Baſilius atomos abhorruerit mox antea vidimus, inde pergit Niſſenus, *noſtra igitur quicumque hæc legerint & aliquid præter communem opinionem inuenerint, ſic accipiant, vt ſine vllius iniuria in dicendi exercitatione probabiliter diſputata. neque enim propoſitum eſt deffendere aut dogma conſtruere, ſed animum & cogitationem noſtram in hoc argumento dumtaxat exercere*, ſed quid amplius? audi atomos Epicuri reprobatas ibidem à Niſſeno mox infra dicente, *tertiam vero*, inquit, *interpretationem, vt ex Epicuri deprompt am philoſophia ſine conſideratione relinquendam exiſtimo, ſimile enim quiddam illa quoque declarat de primo rerum principio voces inanes effingens per eaſque nullam fuiſſe rerum non ſubſiſtentem naturam oſtendens, ſcil. non ſubſiſtentes atomos*, vti & Baſilius eius præceptor ſimiliter loquebatur, quid igitur, inquies, voluit intelligere in præadductis verbis ab arguente Niſſenus? id pure reſpondeo, quod voluit intelligere & Ariſtoteles in libr. de actionibus elementorum cap. 10. dicens, *dico autem Homonerea veluti Metalla, aurum æs &c. & quæcumque ex his fiunt per ſecretionem*, & 3. de Cælo cap. 3. iterum nominat *ſegregationem elementorum*, & ſimilia in Ariſtotele vocabula obuia ſunt vſurpata etiam à Niſſeno, & tamen conſtat Ariſto-

telem

telem non admiſiſſe atomos, quas immo ex propoſito refutauit, non minus ac ſi quis vellet me referre pro Atomiſtis, quibus nunc ex propoſito cõtradico; reſtat igitur tam Ariſtotelem, quam Niflenum, vtique admiſiſſe & & ipſos, vti nos agnoſcimus, aliquas minimas elemẽtorum particulas & aliorum etiam mixtorum ſparſas hinc inde adhuc in orbe, quæ tamen atomi nec dicantur, nec ſint, vt iterum infra quæſt. ſequenti dicemus, tum quia ex materia & forma ſubſtantiali compoſitæ ſunt, tum quia vna in aliam grandiorem vel æqualem alterius elementi vel mixti portionem ſubſtantialiter trãſformari poteſt, contra atomiſtas, & de iſtis plane Baſilius intelligebat, vti etiam hoc pacto Lactantius mox ante adductus viſus eſt Anaxagoræ & aliorum veterum elementa ab Epicuri & Democriti Atomis diſtinxiſſe, ex qua vna obſeruatione præmiſſa ad ſingula omnino atomiſtarum experimenta, leuiſſimas eorundem atomos diſlare licebit.

Ad ſecundum de Bernardo, primo arguens prætermiſit immediate contextum antecedentem, in quo Bernardus ſe hac parenteſi præmuniebat, *vt quidem multorum opinio eſt*, adeo vt hinc nobis oſtendat ſe ibi etiam aliorum vti philoſophica opinione voluiſſe, quatenus melius eiuſdem intento poterat deſeruire. Secundo adhuc opinio ibidem adhibita a D. Bernardo ſolummodo intendebat ſeparare eſſe à viuere & inde adhoc ſeparandum etiã in animalibus & arboribus refugiebat ad illud, quod iſta etiam antequam viuerent erant in elementis ſcil. in potentia materiæ & poſt corruptionem remanent in eiſdem remanente materia. Hæc plana verborum Bernardi intelligentia eſt, vt textum excurrenti patebit, ex qua nec verbum pro atomiſtarum ſententia colligitur.

Ad tertium de Auguſt. quo ad ignis exemplum conſtat ex dictis ad primum in fine, præſertim cum inter cætera natura conſtantia & habentia minimum. ideſt terminum paruitatis, ab aliquibus ignis ob apparentem Ariſtotelis ſenſum in ſecundo de anima exceptus ſit. de cæteris autem in orbe ſeminibus aut eadem doctrina adaptanda eſt congrua omnino cõtextibus, aut altera S. Thomæ expoſitio ſuperaddenda ſe offert p. p. qu. 115. ar. 2. vbi ex profeſſo perquirit, *vtrum in materia corporali ſint aliquæ rationes ſeminales rerum*, cum alias conſtet ex verbis adductis Auguſtinum omnino atomos abhorruiſſe, quod de Nazianzeno à nobis adiuncto ſubiungimus, & Prudentij traſis potius ex abſurdo atomiſtas impugnat.

Ad quartum de S. Thoma in nos adducto ridemus, cum nec locus determinate ſignetur, neque adducta verba, ſi eiuſdem eſſent, quid amplius vellet quam quod mox ante de Ariſtotele dicebamus, quorum vterque contra Atomiſtas & materiam primam cum forma ſubſtantiali cognouit, & ſimul atomos in lib. 1. de Generatione diffuſiſſime refutauit. quod idem de Platone ſubdendum eſt, cum materiam primam adeo recognouerit, vt etiam ingenitam ab æterno aſtruere videatur, & tamen in Timeo longe apparentius quam Ariſtoteles atomos ſubinuere apud aliquos exiſtimatum eſt, dum aiebat, *de his omnibus ita paruis ſic putandum eſt, quod ſi ſingula dumtaxat ſingulorum generum capiantur nullum eorum propter paruitatem cerni à nobis potuiſſe.*

terit, hæc enim ſubindicata à Platone minima potius naturalia ſunt, quam atomi proptie, vt quæſtione ſequenti de minimis repetetur. Ad Philonem autem Atenagoram & Nemeſium à nobis ſuperadditos addendum eſt. De Philone quidem diſtinguenda ſunt verba eiuſdem ſcil. ita vt illæ particulæ maneant formaliter quo ad ſuas formas in mixto, nego, virtualiter, concedo, quod eſt eſſe materiam tranſeuntem non permanentem, vt Suarez vbi ſupra dicebat, præterquamquod Philonem loqui in aliorum etiam ſententia nec decretorie colligitur ex eodem ſic concludente in fine libri, *hactenus, quæ de incorruptibilitate mundi accepi, vt potui, prodidi, quid autem ſingillatim contradici queat, alias demonſtrabitur*, de Atenagora dicendum eſt ipſum arguere ad hominem in ſententia philoſophorum, vt adhuc data illa ſententia probaret poſſibilem eſſe reſurrectionem contra eoſdem, vt ipſe ibidem expreſſe ſe explicat & legenti patebit. de Nemeſio notanda ſunt verba ſtatim ab ipſo ſubiuncta pro nobis, *ſicut*, inquit, *ex diuerſis portiunculis tetrafarmacum: non tamen eodem modo elementa per appoſitionem rerum tenuiſſimarum, vt tetrafarmacum, corpora efficiunt, ſed per mutationem & vnitatem*. Denum de verbis Iob lectorem remittere ſatis erit pro eiuſdem loci explicatione ad Gregorium Papam lib. 9. cap. 28. & Diuum Thomam ibidem, & ad verba eiuſdem Iob immediate antecedentia, *ſcilicet manus tuæ fecerunt me & plaſmauerunt me totum in circuitu*, vbi ly *totum* ſingularum etiam partium exprimit productionem, non vero atomorum ſolummodo congregationem, & hæc de his & ſimilibus argumentis à nobis potius contra nos, quam ab aliquo aduerſariorum, excogitatis & factis.

ARTICVLVS II.

An prædictus ſecundus modus Atomiſtarum etiam ab inconuenientibus refutetur.

VIdetur præcitatis quod non; immo ab inconuenientibus argumentantur ijdem contra nos.

Primo nam vt arguit Gaſſendus diffuſe lib. 7. Phyſicæ cap. 3. & inde repetit Franciſcus Carus diſp. 2. diſquiſit. 1. & poſt iſtos integrum fere volumen implet hiſce diebus hic pro impreſſione propoſitū Recentior quidam, Abſurdum eſt, inquiunt, naturaliter aliquid ex nihilo fieri, aliter vti & Lucretius arguebat, ſine vllo ſemine quælibet & vbilibet res naſcerentur, ſed negatis Atomis & admiſſa forma ſubſtantiali Peripatetica hæc naturaliter crearetur ex nihilo, cum de nouo ipſa fiat & antea nihil eiuſdem formæ præceſſerit, niſi materia, quæ nihil formæ eſt. Ergo negatis atomis incidemus in abſurdum, & conſequenter, vt illud euitemus, atomi admittendæ ſunt.

Secundo ex parte materiæ ſic quidam arguunt cum eodem Franciſco Caro diſput. 1. diſquiſit. pariter 1. quia abſurdum eſt compoſitum ſubſtantiale, Verbi gratia lapidem, in linea compoſiti ſubſtantialis conſtitui eſſen-

tialiter ex materia, quæ accidens ſit, ſed negatis atomis & admiſsa materia prima Ariſtotelica hoc ſequeretur, ſcilicet materiam accidens eſſe, cum nihil ſubſtantiale detur, quod ad differentiam accidentis non ſubſiſtat in ſe & per ſe, materia autem Ariſtotelis non niſi per formam ſit & ſubſiſtat, ergo abſurdum infertur ex atomorum negatione & conſequenter ab abſurdo probatur atomos admitti debere.

Tertio ex parte Compoſiti Corruptibilis ita arguit Griſoſtomus Magnenus diſp. 1. de atomis cap. 1. abſurdum eſt iuxta cauſas naturales mundum integrum conſummi poſſe, aliter & materia prima naturaliter annichilabilis eſſet, ne ſine omni forma maneret. ſed negatis atomis & admiſſa alteratione & tranſmutatione ſubſtantiali formarum Peripatetica hoc ſequeretur nimirum vnum elementum integre ab alio corrumpi poſſe & inde ablato ordine vniuerſi, & vniuerſum naturaliter corruptibile eſſe deberet, quod admiſſo viciſſim atomorum reditu euitatur. Ergo, vt hoc euitetur, iterum atomos contra Ariſtotelem concedendas eſſe ab abſurdo probatur.

In oppoſitum tamen eſt, quod longe abſurdius eſt euertere immo irridere terminos Theologicos in materia præcipue Sacramentorum & huiuſmodi; Sed ex conceſſione atomorum & negatione cuiuslibet formæ, præter alia innumera abſurda ſingillatim ſuo loco deducta vel deducenda, & hoc abſurdum infertur, euertendi ſcilicet immo irridendi terminos Theologicos in materia præſertim Sacramentorum, vti de facto Gaſſendus euertit lib. 1. aduerſus Ariſtotelicos exercitatione 3. ex atomorum aſſertione & negatione formæ ſubridens, *quod à Theologis in materia Sacramentorum verbi gratia Baptiſmi aqua nominetur materia & verba forma dicantur, vt quid enim*, inquit, *res ſacroſanctæ detorqueri debent ad huiuſmodi Ariſtotelicſmum?* vt in ſimili omnino loquebatur contra Patres Concilij Conſtantienſis hæreticus Vicleſ, vt ſupra ex Valdenſi referebamus. Ergo vt hæc & ſimilia abſurda euitentur atomi negandæ ſunt, & Peripatetica forma aſtruenda eſt.

Reſpondeo euidenter ab abſurdo conuinci refellendum eſſe hunc atomiſmum. nam abſurdiſſimum in primis eſt atomos ex ſui natura ſine nouo influxu cauſæ efficientis moueri, immo mediante hoc ſolo motu locali de ſe res naturales in vniuerſo componere, vt late in ſuperiori quæſtione probatum eſt contra primum modũ ponendi omnes res ex atomis eſſe. ſed hoc totum in re ſequitur, licet oretenus ab aduerſarijs denegetur, ex iſto ſecundo modo atomiſtarum, nempe exempli gratia in planta vt ſemen prolificum præparetur & decidat, & inde alia planta naſcatur, ſufficit, vt iſti dicunt, ex diuerſis eiuſdem plantæ particulis mollculas quaſdam inuicem cõglobari, ſemenque componi, quarum mollecularum ſeu atomorum motus, cum à nulla forma ſubſtantiali plantæ, vt principio intimo motus naturalis iuxta Ariſtotelem, inchoari ſupponatur, non niſi profecto in ipſas molleculas ſeu in ipſas atomos refundatur neceſſe eſt, vti de facto recte vidit Gaſſendus nec erubuit confiteri lib. 4. Phyſicæ cap. 4. per totum, immo & Cicero lib. 1. de finibus ideo inquiebat, *Democritus & Epicurus de materia diſſeruerunt & cauſam efficientem reliquerunt*, & infra, *ponit enim atomorum motum ſine cauſa.*

cauſa, quo Phyſico nihil turpius, ergo iam etiam ex hoc abſurdo atomi negandæ ſunt, quæ vtique erat ratiocionatio Lactantij lib. de Ira Dei cap. 10. aientis, *quomodo ergo corpuſcula ſine ratione coeuntia poſſunt aliquid efficere rationale? videmus enim nihil eſſe in omni mundo quod non habeat in ſe maximam mirabilemque rationem*, & idem dixerat lib. 3. inſtitutionum cap. 17. & proſequitur Aug. iam ſupra relatus ex epiſt. 56.

Secundo abſurdiſſimum eſt immo omnium abſurdorum fons & origo aſſerere Deum poſſe defacto producere in rerum natura Chimeram, vt hircocetuum & huiuſmodi, cum ideo hircocetuus chimera eſſe dicatur, quia ſupponitur impoſſibilis vt producatur. Sed ſemel admiſſo res naturales ex atomis congregatis eſſe, non eſt cur Deus non poſſit atomos pariter hirci & atomos cerui inuicem congerere & adunare, cum hic non obſtet iuxta aduerſariorios aliqua forma ſubſtantialis, vt patet, & alias atomos etiam natura contrarias Deus valeat vnitas optime continere, vti de facto tenuit Empedocles, & licet ex Epicuro Lucretius enitatur effugere, effugit tamen ad ſummum ſolum naturaliter id fieri non poſſe pro rationis effugij ſubiungens

Res ſic quoque ſuo ritu procedit, & omnes
Fœdere naturæ certo diſcrimina ſeruant.

non vero vitat quin ſaltem à Deo etiam illa vnio atomorum produci non poſſit. Ergo iterum ex hoc abſurdo omninm abſurdiſſimo atomi relinquendæ ſunt, vti vtitur etiam hoc fere fundamento Lactantius libr. de opificio Dei c. 6. aduerſus atomos Epicuri.

Tertio inde abſurdum eſt homines vel pleraque animalia è terra naſci, vt validiſſime probat etiam ex lumine naturali idem Lactantius lib. 2. inſtitutionum cap. 12. contra Epicuri deliria relata etiam à Cenſorino de die Natali cap. 2. & à Lipſio difuſius lib. 3. Phiſiologiæ diſſertatione 4. immo iterum abſurdum eſt viuentia ſeu animalia ſubſtantialiter poſſe ab Angelo vel Dæmonibus procreari, vt colligit Lorinus in ca. 1. in Geneſim nu. 4. & alij noſtri apertiſſime ex Concilio Bracharenſi 1. Can. 8. & 12. & Concilio Anſirano Canone Epiſcopi 26. quæſt. 5. & Leone Papa epiſt. 93. Aug. 3. de Trinitate c. 7. & 8. & alijs Patribus paſſim. Sed ſemel admiſſis atomis, quælibet animalia poſſent ex atomorum vnione etiam ex ſe è terra naſci, *vermiculorum more*, vt de hominibus etiam loquebatur Democritus apud Lactantium lib. 7. inſtitutionum c. 7. vel ad minus ſubſtantialiter per artem Magicam à Dæmonibus procreari collectis inuicem atomis, quas Dæmon optime nouit & localiter abſque dubio mouere poteſt; Ergo ex iſto iterum abſurdo atomos negare debemus, vti idem Lactantius ad hunc finem lib. de Ira Dei c. 10. arguebat, *an ſimulacrum*, inquit, *& ſtatuam ratio & ars fingit, & ipſum hominem de fruſtis temere cuncurentibus fieri putabimus? num potuit humana ſolertia dare operi ſuum aut motum aliquem aut ſenſum? ommitto ſenſum videndi, audiendi, odorandi, cæterorumque membrorum vel apparentium vel latentium mirabiles vtilitates. quis artifex potuit aut cor hominis aut vocem aut ipſam fabricari ſapientiam?*

Digitized by Google

omnium elementa quærere, aut habere putare ſuperuacaneum eſſet & non verum.

Quartodecimo cmmiſſis alijs ex eodem primo lib. Methaph. ab vnoquoque facilime colligendis, progredior ad ſeptimum eiuſdem primæ philoſophiæ cap. 6. vbi dicitur, *Impoſſibile enim ſubſtantiam ex ſubſtantijs eſſe inexiſtentibus vt actu*, ſed iuxta Helmont in homine v. g. daretur duplex forma ſubſtantialis in actu nimirum forma ſubſtantialis Archei & anima ipſa rationalis, ergo hoc impoſſibile eſt, vt ibi contra Platonis ideas Ariſtoteles arguebat.

Quintodecimo ex 1. poſt. tex. 33. & 34. ſi daretur iſte Archeus pro ſemine perſeuerans in re producta, vt ponit Helmont, idem eſſet generans & genitum & nutritioni magis & augmento aſſimilaretur potius quam generatio eſſet: Sed hoc abſurdum vt conſtat, ergo non datur Archeus iſte, vbi ex eodem Philoſopho diſcurrebat Sanctus Thomas p. p. qu. 118. art. 1. ad quartum.

Sextodecimo tandem hic aptari poſſunt omnia ea argumenta quibus probari ſolet contra Platonicos & Pythagoricos animas non prius ita exiſtere ante corpora, vt poſtea ſibi in corpore domicilia diſponant, vt inter cæteros probat S. Thomas p. p. qu. 118. ar. 3. & alijs omiſſis addendis lib. 7. infra hoc ſufficit ex Lucretij Carmine refutare libro tertio canentis, *at neque cur faciant ipſæ, quareue laborent, dicere ſuppeditat, neque enim ſine corpore cum ſint ſollicitæ volitant morbis algoque fameque; corpus enim magis his vitijs & ſine laborat &c. haud igitur faciunt animæ ſibi corpora & artus*, & id de ideis ſubſiſtentibus prius in ſe ex inde ad corpora excurrentibus replicamus.

Ad primum igitur admiſſis exemplis ab arguente aſſumptis conſequtio illata ex inæqualitate neganda eſt, nam vti reſpondet & monet Doctor Angelicus 3. p. qu. 13. art. 3. ad tertium eatenus ex intenſa & præualida immaginatione aliquoties ſuboritur etiam corporalis immo & ſubſtantialis mutatio in corpore genitricis aut fætus, quatenus virtus inferior etiam prolifica in eadem anima radicata ſimpatica quadam conexione vniformiter ſolet operari ad prævalidum nutum eiuſdem, aut illa commota quatenus corporali ſimul excuſſis naturalibus eiuſdem corporis qualitatibus, hæc iſtis imbuta & induta in fætus figuratione concordat. At quænam paritas inde ad inferendam in corpore, non immaginanti coniuncto, ſed longe diſſito, non accidentium diuerſorum temperiem ex accidentibus corporalibus phantaſiæ deriuatam, vt diximus, ſed ſubſtantialem ſimul ideam inuiſibilem & ſubſtantialem tot ſenſibilium nimis mirabilem productionem? profecto inquit eodem loco S. Thomas, *Illud fit eo quod ex immaginatione conſequenter natæ ſunt conſequi animæ paſſiones, ſecundum quas mouetur cor, & ſic per commotionem ſpirituum totum corpus alteratur. Aliæ vero diſpoſitiones corporales, quæ non habent naturalem ordinem ad immaginationem, non tranſmutantur ab immaginatione. quantumcumque ſit fortis, puta figura manus vel pedis vel aliquid ſimile*; hæc S. Thomas, ad quæ reduci poſſunt & ea, quæ Toſtatus obſer-

uat

uat in caput trigeſimum Geneſis qu. 10. & alia, quæ nos adduximus in primo eodem argamento, teſtimonia, præſertim mirabilia, quæ ſcribit Aug. li. 14. de Ciu. c. 24. & demum illa, quæ de ventorum etiam varietate iuuante ad variam fœtus generationem nos docet Philoſophus 4. de Generatione animalium c. 2. & lib. 6. cap. 9.

Ad ſecundum cum in præſenti non vacet afferre difuſius contrarias longe Sanctorum Patrum expoſitiones ad illum Geneſis locum, ſatis ſuperque eſt Auguſtini doctrina lib. 2. in Geneſim c. 1. & à S. Thoma non parum commendata p.p.q. 68. ar. 2. ad 1. nimirum, *Quemadmodum Deus inſtituit naturas rerum conuenit quærere non quid in eis ad miraculum ſuæ potentiæ voluerit operari*, quia vt Phyſic. 2. Ariſt. ipſe dicebat, *vnumquodque eo modo quo agitur natum eſt agi*, aliter integre & funditus naturalis Philoſophia euerteretur.

Ad tertiũ iã maior propoſitio de falſitate cõuicta eſt, cũ eſſe quid maius appareat propagari ideas ſubſtantiales Archeorum, quam accidentia intentionalia ſpecierum, difficilius illas ſuperindui materia non ſuperindui iſtas, illas proinde progerminare tot alias naturales ſubſtantias, non vero iſtas; vnde iſtis admiſſis adhuc iuremerito illud vt errori proximũ condemnauit S. Thomas contra Auicennam tum p.p.q. 117. ar. 3. tum 3. cont. Gentes c. 103. tum qu. 6. de potentia ar. 3. & in Comm. epiſt. ad Gallatas c. 3. lect. 1. cum Aug. lib. 3. de Trin. c. 8. & cæteris Patribus vt Ariſtotelem prætermittam 7. Meth. tex. 28. & 29.

Ad quartum pariter non negamus à generante, v.g. Planta, decidi in ſemine aliquid, quod *ſpiritus* valeat nominari, eo modo quo aer ob peculiarem ſibi ſubtilitatem *ſpiritus* etiam in ſcriptura nuncupatur, dummodo ſpiritus non ſumatur vt enti materiali & extenſo contrarium eſt, quo tamen ſecundo modo ſe ſumere Helmont in verbis poſtremo adductis profitebatur, quod directe cum Commentatore impugnat S. Tho. q. 3. de potentia ar. 9. ad 28. Primo autem modo virtus & illa accidentalis in ſemine non ſolum ſpiritus à Peripateticis dicitur, verum & idea, licet accidentalis, nominatur, vti loquebatur Hypocrates lib. de hominis natura patiformiter dicens, *Atque hoc vnum exiſtens mutare ideam, & potentiam*, & infra, *indeq; multæ ideæ morborum*, & Polybius, cuius libros Ariſtoteles ipſe citat lib. de ſemine, *ſunt vero*, inquit, *quatuor ideæ humidi ſanguinis &c. tot enim ideas habet connatas homo*, quinimo Ariſtoteles ipſe in 1. de Cælo c. 7. *neceſſe eſt*, inquit, *ideas ſimplicium corporum eſſe terminatas*, quod demum accutiſſime explicat ad inſtitutum noſter Angelicus p.p.q. 115. ar. 2. ad primum. Clareſcit igitur hinc nihil obeſſe poſtremam ibi obiectionem Helmont de accidente *cum Diplomate* ſubſtituto loco ſubſtãtiæ, cum immo & Archeus vt idea licet ſubſtantialis eſſentiæ generantis longe magis in vices eiuſdem apud Helmont *cum Diplomate* ſubſtitueretur.

Ad quintum Caietanus occurrit p. 2. q. 109. ar. 6. §. *allata autem* dicens, *Obiectio peccat in hoc quod numquam natura diſponeret vltima diſpoſitione ad animam intellectiuam niſi ageret in virtute animæ intellectiuæ hominis generantis, agit enim virtute naturæ humanæ, cuius eſſentialis & principalior pars eſt*

anima intellectiua, quam doctrinam edocuit ante Caietanum S. Th. p.p.qu. 118. ar. 1. ad 2. & ar. 2. ad 3. & 4. & clarius q. 3. de potent. ar. 9. ad 5. vbi etiã ad 9. hæc nouitas Helmont præuidetur omnino & validiſſime refutatur.

Ad ſextum tandem non ego ex illis ſum, quos redarguebat Plutarchus Sympoſ. lib. 5. q. 3. *Etenim*, inquit, *innumera ſunt, quorum cum ſubſtantia in aperto ſit, cauſæ tamen nos latent, vt philoſophiam quodammodo perimant, qui admirabilibus fidem detrahunt.* Hinc placuit ſemper pro conſimilibus naturæ arcanis expeditiſſima illa S. Tho. doctr. opuſ. 34. dicens, *Sicut virtus calefaciendi & infrigidandi eſt in igne & aqua conſequens proprias eorum formas, ita omnes virtutes & actiones mediorum corporum tranſcendentes virtutes elementares conſequuntur eorum proprias formas, vel reducuntur ſicut in altiora principia in virtutes corporum cæleſtium & adhuc altius in ſubſtantias ſeparatas.* Sic vtique curſim per conſimiles ſpeciales virtutes ſeu qualitates ſingulla illa (ſi ſemel ſingula vera ſint) naturæ arcana planiſſime poterunt explicari, at præter illas excurrere ad ſubſtantiales Archeos nec intelligibile vnquã eſt nec neceſſarium. Si autem cupiat Helmont me indigitare eidem vtilitatem, quam ex fictitijs Archeis hucuſque retulit Chriſtianorum ſapientia, audiat Lector miranda vtique imò abhorrẽda, me quidem iudice, corrollaria per eundem Helmont ex Archeorum doctrina deducta. Sic enim ipſe, præter ſupratacta, infert in tract. de *venatione ſcientiarum*, & infra pag. 170. nec animam noſtrã eſſe diſcurſiuam, vtique bruta diſcurrere, nec hominem eſſe animal rationale, vtique animam Angelis naturaliter eſſe præſtantiorem. Sic tract. inſcripto *Blas humanũ* Durãdi abſurdã ſent. exſuſitat (ſi Durandi fuit) de ſola virtute actiua primitus cauſis comunicata ſine vlteriori poſtea indigentia concurſus actualis Diuini. Sic pag. 74. opinatur Aſtra infallibiter præſignare futura contingentia, licet nec minimum quid cauſent in inferioribus. Sic in tract. de *Ortu formarum* deducit omnes fornas omnino creari ex nihilo, prædiſpoſita ſolum ab Archeo atomorum materia, & lumen ſolis & ipſum eſſe formam ſubſtantialem inextenſam & penetrabilem, aſſiſtentem corpori non informantem, quorum poſtremum etiam animæ rationali denegatur. Sic in tractatu inſcripto *Demens Imago* ſubinfert animam intellectiuam in vna corporis parte ſcil. pectoris nucleo reſidere, vt repetit de ſenſitiua in cap. nu. 17. Sic ibidem nu. 23. negat in Adam ante peccatum adfuiſſe animam ſenſitiuã, quinimo iſtam ſolum cum morte aduenisse poſt culpam: In tract. inſcr.pto *Theſis* inficiatur Deum impoſuiſſe Adæ præceptum aut Adam vel Æuam ex peccato innobedientiæ deliquiſſe, ſed luxuriæ præcise excitatæ ex eſu pomi malefici &c. Sic tandem (vt vno omnium abſurdiſſimo claudat) ibidem fuse propugnat homines in ſtatu innocentiæ fore concipiendos ſine vlla generatione, *ſolum ex obumbrutione Spiritus Sancti vti Chriſtus in Virgine conceptus fuit.* Quis, quæſo, hæc non rideat, immo in Chriſtiano ſcriptore non plangat? & tamen hæc ea ſunt ex adeo inſigni & *illuminata* de nouo *per viſiones* Archeorum Philoſophia ſuborta. Sed de his alibi fuſius ſcil. lib. 7. in Platonicam & Pythagoricam agendum erit.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

De ſecundo modo ponendi res ex Atomis ſcilicet excludente materiam primam & formam, non efficientem.

EXcluſo primo Atomiſtarum modo ſuccedit immediate ſecundus opinandi modus circa Phyſicas atomos, vt ſupra retulimus, circa quem ſingillatim hæc expendenda ſe offerunt. Primum an iſte modus ex auctoritate Eccleſiaſtica refutetur, ſecundo an ab inconuenientibus, tertio an ex ratione etiam naturali refellendus ſit.

ARTICVLVS PRIMVS

An modus ponendi res ex Atomis ſine materia prima & forma ſubſtantiali ex auctoritate Eccleſiaſtica Refutetur.

VIdetur quod non nedum adductis ſupra pro hoc modo dicendi, ſed etiam denuo Renato Carteſio prima & ſecunda parte principiorum, Gaſſendo ſect. 1. Phyſicæ lib. 3. c. 8. & lib. 5. 6. 7. & ſubſequentibus, Franciſco Caro in ſua philoſophia naturali parte prima edita Venetijs Anno 1667. fere per totam & alijs paſſim recentioribus, quos miror his annis turmatim prolabi in hanc ſententiam hiſce fortaſſe motiuis.

Primo nam Gregorius Niſſenus orat. 1. in Hexameron adeo in hac ſententia perpetuus eſſe videtur, vt ad quemlibet cap. 1. Geneſis verſum eandem fere accomodet philoſophiam. Nempe & atomos vt præexponat exemplo inquit, *ſi indiuidua ac cæca illa corpuſcula contueri quis quærit, is poterit aerem talibus particulis refertum aſpicere, quando radij ſolis per feneſtram apertam eam aeris partem clariorem rediderunt. hæc enim infinita corpuſculorum in aere volitantium multitudo, quæ in reliquo aeris ſpatio oculis cerni non poteſt, radiorum beneficio perſpicitur*, quo eodem omnino exemplo Ariſtoteles lib. de Anima 1. c. 2. pro Democriticis Atomis vtebatur. inde ad orbis Geneſim hæc Niſſenus adaptans inquit, *cum Deus omnia poſſit ſimul omnia contulit, leuitatem, grauitatem, denſitatem, raritatem, molitudinem, duritiem, humiditatem, ſiccitatem, figuram &c. quæ quidem omnia ſunt quædam tenues nudæque notiones, nihil enim horum vnum per ſe materia eſt. ſed cunctis inter ſe concurrentibus materia fit*, & ſpecialius adhuc ad ſingularum rerum productionem in primo mundi ortu deſcendens, *ignis*, inquit, *qui vbique diſſeminatus erat obſcurus iacebat, materiæque impotentia ſuprimebatur: verum quoniam vis eius velox atque agilis eſt, ſimul atque à Deo motus principium & incitatio addibita eſt, ante illa omnia, quæ grauiora ſunt, exiliens lumine cuncta ſtatim illuſtrauit*, & iterum, *quia prius*, inquit, *ſplendor ignis, qui ſub materiæ particulis latitabat, nondum effluxerat*, & ne quis crederet ſolum id de primo rerum ortu dicendum, ſubiungit adhuc, *per ignem exſiccatum in minutiſſimas*

& aſpectum noſtrum effugientes particulas, & oleum commutari atque ita aerem petere, indeque deſiliens in terram decidere, vt alia plura in eadem prima oratione legenda dimittam, ergo iam ab auctoritate Eccleſiaſtica ſaltem Gregorij Niſſeni non refutatur immo approbatur hæc atomorum philoſophia.

Secundo, inquit prædictus Franciſcus Carus diſput. 4. diſquiſitione 2.& D. Bernardus ſerm. 81. in Cantica loquens de compoſitione plantarum ex ex elementis hoc eodem modo philoſophatur, *neque enim*, inquit, *vnum ſimplex eſt quodque horum, ſed ex pluribus conſtans & propterea non redigitur in nichilum, ſed diſſilit in partes vt ad ſuum quodq; recurrat principium verbigratia aer ad aerem ignis ad ignem & reliqua in hunc modum*, quo nec diſſimili loquendi modo pro atomis vtebatur Lucretius lib. 1. ſic canens.

Haud igitur redit ad nihilum res vlla ſed omnes
Diſſidio redeunt in corpora materiei.

ergo etiam ex Bernardo atomorum compoſitio comprobatur.

Tertio & Auguſtinus ne dum de igne lib. 21. de Ciuitate c. 4. eodem modo cum Niſſeno loquebatur dicens, *velut ergo expirantę illa gleba diſcedens ignis, qui latebat, apparet*, ſed etiam vniuerſim de ſingulis productionibus rerum lib. 3. de Trinit. ſic aſſerebat, *omnium*, inquit, *quæ corporaliter viſibiliterque naſcũtur, occulta quædam ſemina in iſtis corporeis mundi huius elementis latent*, quibus & Dæmones quandoque vti non vero creare ſubiungit, *quia ſemina*, inquit, *rerum iſtarum nobis occultiora nouerunt, & ea per contemperationes elementorum latenter ſpargunt atque ita gignendarum rerum & accelerandorum incrementorum præbent occaſiones*, & iterum c. 9. *iſta quippe originaliter & primordialiter in quadam textura elementorum cuncta creata ſunt ſed acceptis opportunitatibus prodeunt, nam ſicuti matres grauidæ ſunt filijs, ſic ipſe mundus grauidus eſt cauſis naſcentium, quæ in illa non creantur niſi ab illa ſumma eſſentia*, & ad hanc fraſem reducitur tam modus loquendi Nazianzeni in carmine de Virginitate dicentis, *robur ignis latens in lapidibus*, tam Prudentij hymno X. aientis, *& ſemen ignis inter vndas quærere*.

Quarto addit idem Franciſcus Carus diſp. 4. diſquiſit. 2. etiam S. Thom. in li. de Gener. veluti aſſerentem, *particulas igneas quæ hoſpitantur in aere deferri per pluuias in terram*, addit & Clementem Alexandrinum, ſed nec verba, nec loca refert, vtique addam ego pro ipſo apparentius Philonem in in lib. quod mundus incorruptibilis, aſſerentem *homines ex quatuor elementis particulas quaſdam mutuari*, & infra ſubdentem, *generationẽ & corruptionem quatuor modis fieri per additionem, ſubtractionem, tranſpoſitionem & alterationem*, ſic & Anaxagoras tom. 8. Bibliotecæ in apologia pro Chriſtianis in fine aperte docet *res fieri ex minimis partibus elementorum*, & Nemeſius lib. de natura hominis c. 5. inquit, *fieri concretionem mixti ex elementis ſicut ex diuerſis portiunculis tetrafarmacum*, & demum colligunt aliqui ex illo Iob 10. *ſicut caſeum me coagulaſti*.

In oppoſitum tamen eſt quod niſi autoritate Eccleſiaſtica refelleretur, immo ab oppoſito approbaretur hic modus ponendi res ex Atomis, eſſe nõ

recea-

Digitized by Google

recenſeretur nec ab Eccleſia vniuerſali permitteretur amplius recenſeri inter *hæreſes & errores antiquorum philoſophorum*; Sed de facto in directorio Inquiſitorum parte 2. qu. 4. nu. 12. *inter hæreſes & errores antiquorum philoſophorum* legitur hæc propoſitio vt iacet, *ſcilicet qualibet res ex atomis minutiſſimis corpuſculis conſtituitur & quando atomi diuiduntur res corrumpuntur quando vniuntur res generantur*, & hæc propoſitio ſeparatur ab alio errore poſito num. 11. de negatione prouidentiæ ex fortuito motu atomorum & conſequenter hæc propoſitio vix differre videtur ab hoc ſecundo modo ponendi res ex atomis; ergo & hic ſecundus modus ponendi res ex atomis ab Eccleſiaſtica auctoritate reprobari non verò approbari videtur.

Reſpondeo vtique videri poſſe hunc dicendi modum etiam ab Eccleſiaſtica autoritate reprobatum. Nam Baſilius homilia 1. in Hexameron relatis his, *qui minutiſſima quædam & impartibilia corpora moles item ac meatus naturam continere omnium, quæ oculis quaqua verſum ſubiacent, vecordi immaginatione deluſi aſtruxerunt*, concludit, *prorſus iſtius generis ſcriptores quid aliud dicas quam ſtamen flacidum araneoli prætexere? Dum pertenues adeo comminiſcuntur rerum cauſas, dum cæli terræ marique principia ſupponunt nuſpian conſiſtentia*. Inde Ambroſius lib. 1. pariter in Hexameron c. 2. *aduertit vir plenus prudentia, inquit, ſcil. Moyſes, quod viſibilium atque inuiſibilium ſubſtantiarum & cauſas rerum mens ſola diuina contineat, non, vt philoſophi diſputant, validiorem Atomorum complexione perſeuerantiæ iugis præſtare cauſam & iudicauit quod telam araneæ texerent, qui ſic minuta & inſubſtantiua principia cælo ac terris darent*, vbi vterque Pater hanc atomorum compoſitionem excludit ex eo quod ſine forma ſubſtantiali non ſufficiant ſtabiliter rem cōtinere, & ne credas Ambroſium incongrue hac texturæ ſimilitudine vſum, audias apud Ariſtotelem 2. de Gener. animalium c. 1. ex antiquis philoſophis relatam hanc fraſim, *ſcil. animal eſſe retis adinſtar implexum*, quod vtique Atomiſtæ in proprio ſenſu concedunt, Peripatetici autem irriderent, & pro ſimilitudine dumtaxat admitterent. Porro Aug. epiſt. 56. ad Dioſcorum loquens etiam de corpore incorruptibili Cæli, quod Deum eſſe apud Democritum & Epicurum præmiſerat, *quomodo*, inquit, *non veretur ne intereat, cum ſine vlla intermiſſione pulſetur agiteturque atomorum incurſione ſempiterna? Pulſari enim dicit illud corpus quod irruentibus atomis feriatur & agitari quod penetretur &c. in quibus omnibus deliramentis hæc opinantium illud præcipue dolendum eſt, quod non ſufficit ea narrari, vt nulla cuiuſquam diſputatione aduerſante reſpuantur, ſed acutiſſimorum hominum ingenia hoc etiam negotium ſuſceperunt, vt copioſe iſta refellerent, quæ ſtatim dicta etiam à tardiſſimis derideri abijcique debuerunt*, & infra, *rurſus nec ipſas atomos eſſe vllo modo concedendum eſt, quod ommiſſa ſubtilitate, quæ de diuiſione corporum à doctis traditur, vide quam facile ſecundum ipſorum opinionem poſſit oſtendi. quæro enim vtrum ab ipſis atomis etiam efluant immagines? ſi efluunt quomodo iam ſunt atomi, à quibus aliqua corpora ſeparantur? ſi non efluunt aut poteſt aliquid ſine immaginibus cogitari, quod vehementer nolunt, aut vnde norunt atomos, quas nec cogitare potuerunt? ſed iam pudet me iſta refellere, cum eos non puduerit*

vit iſta ſentire. Pudeat igitur iterum & Gaſſendum lib. 3. Phyſicæ ca. 8. aſpernantem potius quam diſſoluentem ſubſequentes iſtas obiectiones Lactantij lib. 3. c. 17. ſic validiſſime, vt infra patebit, contra atomos differentis, *Cur igitur illa ſemina non ſentimus aut non cernimus? quia nec colorem habent, inquit Lucretius, nec calorem vllum, nec odorem; ſaporis quoque & humoris expertia ſunt & tam minuta vt ſecari, ac diuidi nequeant. ſic eum, quia in principio falſum ſuſceperat, conſequentium rerum neceſſitas ad delliramenta perduxit; vbi enim ſunt aut vnde iſta corpuſcula? cur illa nemo præter vnum Leuſippum ſomniauit, à quo Democritus eruditus hereditatem ſtultitiæ reliquit Epicuro; quæ ſi corpuſcula, & quidem ſolida vt dicuntur ſub oculos certe venire poſſent. ſi eadem eſt natura omnium, quomodo res varias efficiunt? vario, inquit, ordine ac poſitione conueniunt, ſicut litteræ quæ cum ſint paucæ varie tamen collocatæ innumerabilia verba conficiunt. at litteræ varias formas habent. ita, inquit, & hæc ipſa primordia. Iam ſunt aſpera, ſunt hamata, ſunt leuia: Secari ergo & diuidi poſſunt, ſi aliquid ineſt illis quod emineat. ſi autem leuia ſunt & humoris indigent, cohærere non poſſunt; hamata eſſe oportet, vt poſſint inuicem concatenari. cum verò tam minuta eſſe dicantur, vt nulla ferri acie diſijci valeant, quomodo hamos, aut angulos habent? quos quia extant neceſſe eſt poſſe diuelli: deinde quo fœdere inter ſe qua mente conueniunt, vt ex his aliquid conſtituatur?* & infra iterum lib. de Ira Dei c. 10. *quis illa ſemina vidit vmquam? quis ſenſit? quis audiuitur? an ſolus Leuſippus oculos habuit, ſolus mentem, qui profecto ſolus omnium cæcus, & excors fuit; qui ea loqueretur, quæ nec æger quiſquam delirare nec dormiens poſſet ſomniare? quatuor elementis conſtare omnia philoſophi diſſerebant; ille noluit, ne alienis veſtigijs videretur inſiſtere: ſed ipſorum elementorum alia voluit eſſe primordia, quæ nec videri poſſent nec tangi nec vlla corporis parte ſentiri. tam minuta ſunt, inquit, vt nulla ſit acies ferri tam ſubtilis, qua ſecari ac diuidi poſſint, vnde illis nomen impoſuit atomorum &c. quanto melius fuerat tacere, quam in vſus tam miſerabiles tam inanes habere linguam. & quidem vereor ne non minus delirare videatur, qui hæc putet refellenda. reſpondeamus tamen velut aliqua dicenti. ſi leuia ſunt & rotunda, vtique non poſſunt inuicem ſe apprehendere, vt aliquod corpus efficiant, vt ſi quis millium velit in vllam coagmentationem conſtringere leuitudo ipſa granorum in maſſam coire non ſinet, aſpera, inquit, & angulata ſunt, & hamata vt poſſint cohærere. diuidua ergo & ſecabilia ſunt. itaque amputari & diuelli poteſt, & videri poterit, & teneri corpuſculum. ſi ex illis omnia ſunt ipſa igitur vnde eſſe dicemus? ait enim omnia ex indiuiduis corpuſculis fieri. Si hoc ita eſſet nulla res vmquam ſui generis ſemine indigeret, ſine Ouis alites naſcerentur & oua ſine partu, item cætera viuentia ſine coitu, & quæ gignuntur è terra priora ſemina nō haberent, quæ nos tractamus, & ſerimus. cur ſine terra ſine radicibus ſine humore, ſine ſemine non herba nō arbor non fruges oriri aut generari nō poſſent? quid quod duriſſimi rigoris materiæ ſi ictu vehementiore collidantur ignis excutitur? num in ferro aut ſilice atomi latent? quis incluſit? aut cur ſua ſponte non emicant, aut quomodo ſemina ignis in materia frigidiſſima permanere potuerunt? omitto ſilicem ac ferrum: orbem vitreum plenum aquæ ſi tenueris in ſole de lumine quod ab a-*

qua

qua refulget, & ignis accenditur etiam in duriſſimo frigore: num etiam in aqua eſſe ignem credendum eſt? &c. quid ſenſus cogitatio, memoria ingenium, quibus ſeminibus quibus atomis coagmentari poſſunt? an ſi ſimulacrum homini, & ſtatuæ ratio & ars fingit, ipſum hominem de fruſtis temere concurentibus fieri putabimus? num potuit humana ſolertia dare operi ſuum aut motum aliquem aut ſenſum? Hucuſque Lactantius, quæ ex inſtituto tranſcripſi, vt ex eiuſdem verbis noſtras probationes deſumere valeamus. cæteros hinc Patres tangendos alibi prætermitto, & curſim adhuc tantummodo refero Ireneum libr. 2. aduerſus hæreſes c. 19. damnantem *Anaxagoræ Irreligioſi ſemina*, Philonem lib. de mundo incorruptibili ad hoc abſurdum deducentem, *ſin autem*, inquit, *ſimilis incaſſum artifex nihil à paruulis pueriſque differt, quique in littore per luſum cumulum arenæ excitant moxque manibus eiſdem diruunt*, & demum Clementem Alexandrinum (qui ab aduerſarijs non relato loco citabatur) lib. 1. Stromatum contra eoſdem atomiſtas ſic concludentem, *principia ponunt indiuidua philoſophiæ nomen ſuſcipientes impij quidam homunculi & voluptati dedit ſcilicet Epicurei*, quod in Gaſſendi encomia fortaſſe aliquis detorqueret.

Secundo principaliter noſtra reſolutio probatur hoc argumento validiſſimo, ſi ſub hac forma proponatur, nimirum qui negat omnem materiam primam vt potentiam ſubſtantialem per ſe eſſentialiter talem diſtinctam à ſubiecto in actu vt potentia ſolum per accidens, conſequenter negat omnē omnino formam ſubſtantialem vt per ſe eſſentialiter actum, cum hæc duo inuicem correferantur, vt patet. ſed hic modus ponendi res ex atomis, vt aduerſarij fatentur, negat omnem materiam primam vt potentiam ſubſtātialem per ſe eſſentialiter talem: ergo negat conſequenter omnem omnino formam ſubſtantialem vt per ſe eſſentialiter actum. Sed hoc negare reprobatur apertiſſime ab Eccleſiaſtica auctoritate ſcilicet Concilij Lateranenſis ſub Leone X. ſeſſione 8. & Concilij Vienenſis capite *firmiter de ſumma Trinitate* diffinientium contradictorium eiuſdem, ſc. dari aliquam *formam ſubſtantialem vt per ſe eſſentialiter actum ſcil.* animam rationalem, vt notum eſt, ergo & prædictus modus ponendi res ex atomis ab Eccleſiaſtica auctoritate reprobatus eſt. ſcio quid ſolent reſpondere Atomiſtæ huic difficultati propoſitæ ſub alia forma, nimirum aſſignando diſparitatem inter animam rationalem, quæ ſpiritualis forma eſt & completa, & ex nihilo creatur, & inter cæteras formas materiales non ita ſe habentes. Sed noſtro diſcurſui quid ſimilis euaſio obſtat? nam ſi ſemel admittitur aliqua vel vna forma ſubſtantialis per ſe eſſentialiter actus alicuius alterius, neceſſario ex regula corelatiuorum admittenda eſt in ordine ad talem actum & aliqua potentia ſubſtantialis; quæ pariter per ſe eſſentialiter potentia ſit. Sed talis per ſe eſſentialiter potentia ſubſtantialis (quocumque nomine nominetur) in re nil aliud eſſe poteſt quam materia prima Peripateticorum, ergo ſemel admiſſa prædicta forma ſubſtantiali, & materia prima Peripateticorum admittenda eſt, & conſequenter hic modus atomiſtarum eandem negans refellendus eſt; vnde de facto negata hac potentia ſubſtantiali per ſe eſſentialiter tali

nega-

negauit conſequenter Gaſſendus & animam eſſe per ſe formam ſubſtantialem, & vt refert Carteſius in epiſt. ad Patrem Dinet, publice hanc theſim propugnauit, *ex mente & corpore non fieri vnum per ſe ſed per accidens*, tum quia rurſus admiſſo ſemel generationem & corruptionem ſubſtantialem totius hominis non fieri niſi per introductionem vel ſeparationem formæ ſubſtantialis ſcilicet animæ & non per ſolam atomorum vnionem vel ſegregationẽ, à pari cogimur philoſophari quo ad hoc eodem modo & in cæteris, vt recte à paritate expendit ad hoc propoſitum Suarez diſp. 15. Meth. ſectione 1. adducens & illud Eccleſiaſtici 3. *vnus eſt interitus hominis & iumentorum & æqua vtriuſque conditio ſicut moritur homo, ita & illa moriuntur*, tum quia tandem ex hoc vnico fundamento hic atomiſtarum modus non ſolum impugnatur ab Abulenſi ex profeſſo in Exodum cap. 23. qu. 57. & alijs Dogmaticis in cap. 1. Geneſis, verum etiam damnatur, *vt abſurdus*, ab eodem Suarez diſput. 13. Methaphyſicorum ſectione 2. *vt poetica fabula*, ab Auerſa qu. 19. ſectione 2. *vt Erroneum aſſertum vel temerarium ſeu in fide periculoſum* qu. 20. ſectione 1. *vt non ſatis conſentaneum principijs fidei*, à Bartholameo Amico tractatu 2. de Generatione qu. 3. dub. 3. ar. 4. & ſub alijs cenſuris paſſim ab alijs, quibus nos ſupraſedemus, ne opinioni modo ab aliquibus introductæ cenſuram innurere videamur.

Tertio tamen principaliter nequeo non afferre cenſuram, quam meditatiſſime ac prudentiſſime ex his arbitrari licet in hunc atomiſtarum modum protuliſſe Vniuerſitatem integram Pariſijenſem anno 1624. relatam à Ioãne Launci in ſuo libro inſcripto *de varia fortuna Ariſtotelis*, edito Pariſijs anno 1656. & mihi humaniſſime hiſce diebus comodato, dum in media huiuſce operis parte perſiſterem, ab Illuſtriſs. & Excellentiſs. D. Equite ac Senatore Veneto Baptiſta Nanno huiuſce noſtrę Vniuerſitatis doctiſs. Æque ac prudentiſſimo Reformatore Meritiſs. (cuius fauſtiſſimo nomini ex libris tum editis ab eodem, tum dicatis eidem ab alijs, non laudem mutuari ſed impertiri glorioſiſſimi moris eſt) in hoc inquam libello etiam ſi alias elaborato contra Ariſtotelis philoſophiam, adhuc id ſaltem denegari veritati non licuit, vt c. 16. hæc Vniuerſitatis cenſura refereretur, *cum nouiſſime*, inquit cenſura, *in his noſtris miſeris temporibus, in quibus ad omne curioſitatis & nouarum rerum Genus deprauatis & liberioribus ingenijs impune patet aditus, ſacræ facultati Theologiæ Pariſienſi quædam occurriſſent propoſitiones typis mandata palam, & publice agitandæ à quibuſdam, quo ſpiritu ductis dubitatur, quæ ex profeſſo contra doctrinam Ariſtotelis omnium philoſophorum ſine controuerſia principis communemque omnium academiarum conſenſum militabant & non nihil periculi aduerſus fidei principia inuoluere videbantur, quarum auctores de eorum fortaſis numero exiſtebant, de quibus olim cauendum ſcripſit Apoſtolus ad Colloceſes 11. videte ne quis vos decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam. ideo &c.* poſtmodum ſubijcitur in ordine hæc propoſitio 1. quæ ſic habebat.

Materia prima, quam pro principio tranſmutationis ſubiectiuo conſtituunt Peripatetici ſiue exiſtentiam habeat à ſe ſiue à forma commentitia prorſus eſt & ſine

1 vllo

vllo plane fundamento excogitata . in generationibus enim, quas ipſe Ariſtoteles in his inferioribus credidit, hallucinatus eſt, & cum eo cæteri, qui eius ſententiam amplectuntur. Inde ſubijcitur cenſurâ ſic dicens, *hæc prima propoſitio eſt temeraria & erronea in fide.*

Propoſitio 13. ſic ſcribebatur, *nihil eſt abſtruſius nihilque magis experientiæ repugnans tranſmutatione, quam inter elementa Peripatetici profitentur. vera enim terra eſt, nec vllo modo in aquam aut aliud quoduis elementum tranſmutabilis ſicut neque aqua in terram aut aer in ignem, quod item de cæteris principijs ſale, oleo, & ſpiritu dicendum eſſe aſſeueramus*, cenſura autem ita ſubiungit, *hæc propoſitio eſt falſa, temeraria, & erronea in fide*, hæc ibi. nec ſolum vniuerſitas cenſuram iuuſſit, ſed vt ibidem de verbo ad verbum ex tabulis Regijs integra exſcribuntur edicta, etiam Senatus continuo cenſuram confirmauit & exilij pęna mulctauit tres earumdem aſſertionum pręcipuos deffenſores nominatos ibidem, qui neſcio an ijdem eſſent cum illis, quos pariter ob ſimilem aſſertionem proſcriptos eſſe recenſet Camerarius parte 2. qu. 1. præter alia decreta in nouatores huiuſmodi ac in fauorem Ariſtotelis antiquiora his, ſcil. ſæculi ſuperioris, à nobis adducta ſuperius lib. 1. qu. 2. art. 3. ex Iacobo Carpentario, & alia diſtincta adhuc ab eiſdem ſuperaddita à prædicto Launoi edita ſucceſſiue etiam per duos Cardinales Legatos, ex Pontificia etiam auctoritate, pro Ariſtotelis philoſophia eidem Pariſienſi accademiæ directa legenda in eodem à me hic tacta dumtaxat, vt cautius procedere quidam in arripiendis quibuſque in philoſophia abſurdiſſimis nouitatibus ex ſolo comptemptu Peripateticorum commoneſiant & diſcant.

Ad primum igitur de Niſſeno ſufficeret proteſtatio eiuſdem Niſſeni oratione eadem prima ſic exordientis, *antequam exordiar, inquit, illud teſtatum volo mihi certum eſſe nulla in re contradicere ijs, quæ à Baſilio in mundi procreationem conſcripta ſunt*, quam vero Baſilius atomos abhorruerit mox antea vidimus, inde pergit Niſſenus, *noſtra igitur quicumque hæc legerint & aliquid præter communem opinionem inuenerint, ſic accipiant, vt ſine vllius iniuria in dicendi exercitatione probabiliter diſputata. neque enim propoſitum eſt deffendere aut dogma conſtruere, ſed animum & cogitationem noſtram in hoc argumento dumtaxat exercere*, ſed quid amplius? audi atomos Epicuri reprobatas ibidem à Niſſeno mox infra dicente, *tertiam vero*, inquit, *interpretationem, vt ex Epicuri deprompta m philoſophia ſine conſideratione relinquendam exiſtimo, ſimile enim quiddam illa quoque declarat de primo rerum principio voces inanes effingens per eaſque nullam fuiſſe rerum non ſubſiſtentem naturam oſtendens, ſcil. non ſubſiſtentes atomos*, vti & Baſilius eius præceptor ſimiliter loquebatur, quid igitur, inquies, voluit intelligere in præadductis verbis ab arguente Niſſenus? id pure reſpondeo, quod voluit intelligere & Ariſtoteles in libr. de actionibus elementorum cap. 10. dicens, *dico autem Homonerea veluti Metalla aurum æs &c. & quacumque ex his fiunt per ſecretionem*, & 3. de Cælo cap. 3. iterum nominat *ſegregationem elementorum*, & ſimilia in Ariſtotele vocabula obuia ſunt vſurpata etiam à Niſſeno, & tamen conſtat Ariſto-

telem

telem non admiſiſſe atomos, quas immo ex propoſito refutauit, non minus ac ſi quis vellet me referre pro Atomiſtis, quibus nunc ex propoſito cõtradico; reſtat igitur tam Ariſtotelem, quam Niſlenum, vtique admiſiſſe & & ipſos, vti nos agnoſcimus, aliquas minimas elemẽtorum particulas & aliorum etiam mixtorum ſparſas hinc inde adhuc in orbe, quæ tamen atomi nec dicantur, nec ſint, vt iterum infra quæſt. ſequenti dicemus, tum quia ex materia & forma ſubſtantiali compoſitæ ſunt, tum quia vna in aliam grandiorem vel æqualem alterius elementi vel mixti portionem ſubſtantialiter trãſformari poteſt, contra atomiſtas, & de iſtis plane Baſilius intelligebat, vti etiam hoc pacto Lactantius mox ante adductus viſus eſt Anaxagoræ & aliorum veterum elementa ab Epicuri & Democriti Atomis diſtinxiſſe, ex qua vna obſeruatione præmiſſa ad ſingula omnino atomiſtarum experimenta, leuiſſimas eorundem atomos diſlare licebit.

Ad ſecundum de Bernardo, primo arguens prætermiſit immediate contextum antecedentem, in quo Bernardus ſe hac parenteſi præmuniebat, *vt quidem multorum opinio eſt*, adeo vt hinc nobis oſtendat ſe ibi etiam aliorum vti philoſophica opinione voluiſſe, quatenus melius eiuſdem intento poterat deſeruire. Secundo adhuc opinio ibidem adhibita a D. Bernardo ſolummodo intendebat ſeparare eſſe à viuere & inde adhoc ſeparandum etiã in animalibus & arboribus refugiebat ad illud, quod iſta etiam antequam viuerent erant in elementis ſcil. in potentia materiæ & poſt corruptionem remanent in eiſdem remanente materia. Hæc plana verborum Bernardi intelligentia eſt, vt textum excurrenti patebit, ex qua nec verbum pro atomiſtarum ſententia colligitur.

Ad tertium de Auguſt. quo ad ignis exemplum conſtat ex dictis ad primum in fine, præſertim cum inter cætera natura conſtantia & habentia minimum. ideſt terminum paruitatis, ab aliquibus ignis ob apparentem Ariſtotelis ſenſum in ſecundo de anima exceptus ſit. de cæteris autem in orbe ſeminibus aut eadem doctrina adaptanda eſt congrua omnino cõtextibus, aut altera S. Thomæ expoſitio ſuperaddenda ſe offert p.p. qu. 115. ar. 2. vbi ex profeſſo perquirit, *vtrum in materia corporali ſint aliquæ rationes ſeminales rerum*, cum alias conſtet ex verbis adductis Auguſtinum omnino atomos abhorruiſſe, quod de Nazianzeno à nobis adiuncto ſubiungimus, & Prudentij ſraſis potius ex abſurdo atomiſtas impugnat.

Ad quartum de S. Thoma in nos adducto ridemus, cum nec locus determinate ſignetur, neque adducta verba, ſi eiuſdem eſſent, quid amplius vellẽt quamquod mox ante de Ariſtotele dicebamus, quorum vterque contra Atomiſtas & materiam primam cum forma ſubſtantiali cognouit, & ſimul atomos in lib. 1. de Generatione diffuſiſſime refutauit. quod idem de Platone ſubdendum eſt, cum materiam primam adeo recognouerit, vt etiam ingenitam ab æterno aſtruere videatur, & tamen in Timeo longe apparentius quam Ariſtoteles atomos ſubinuere apud aliquos exiſtimatum eſt, dum aiebat, *de his omnibus ita paruis ſic putandum eſt, quod ſi ſingula dumtaxat ſingulorum generum capiantur nullum eorum propter paruitatem cerni à nobis potuit*.

terit, hæc enim ſubindicata à Platone minima potius naturalia ſunt, quam atomi proprie, vt quæſtione ſequenti de minimis reperetur. Ad Philonem autem Atenagoram & Nemeſium à nobis ſuperadditos addendum eſt. De Philone quidem diſtinguenda ſunt verba eiuſdem ſcil. ita vt illæ particulæ maneant formaliter quo ad ſuas formas in mixto, nego, virtualiter, concedo, quod eſt eſſe materiam tranſeuntem non permanentem, vt Suarez vbi ſupra dicebat, prærerquamquod Philonem loqui in aliorum etiam ſententia nec decretorie colligitur ex eodem ſic concludente in fine libri, *hactenus, quæ de incorruptibilitate mundi accepi, vt potui, prodidi, quid autem ſingillatim contradici queat, alias demonſtrabitur*, de Atenagora dicendum eſt ipſum arguere ad hominem in ſententia philoſophorum, vt adhuc data illa ſententia probaret poſſibilem eſſe reſurrectionem contra eoſdem, vt ipſe ibidem expreſſe ſe explicat & legenti patebit. de Nemeſio notanda ſunt verba ſtatim ab ipſo ſubiuncta pro nobis, *ſicut*, inquit, *ex diuerſis portiunculis tetrafarmacum: non tamen eodem modo elementa per appoſitionem rerum tenuiſſimarum, vt tetrafarmacum, corpora efficiunt, ſed per mutationem & vnitatem*. Demum de verbis Iob lectorem remittere ſatis erit pro eiuſdem loci explicatione ad Gregorium Papam lib. 9. cap. 28. & Diuum Thomam ibidem, & ad verba eiuſdem Iob immediate antecedentia, *ſcilicet manus tuæ fecerunt me & plaſmauerunt me totum in circuitu*, vbi ly *totum* ſingularum etiam partium exprimit productionem, non vero atomorum ſolummodo congregationem, & hæc de his & ſimilibus argumentis à nobis potius contra nos, quam ab aliquo aduerſariorum, excogitatis & factis.

ARTICVLVS II.

An prædictus ſecundus modus Atomiſtarum etiam ab inconuenientibus refutetur.

Videtur præcitatis quod non; immo ab inconuenientibus argumentantur ijdem contra nos.

Primo nam vt arguit Gaſſendus diffuſe lib. 7. Phyſicæ cap. 3. & inde repetit Franciſcus Carus diſp. 2. diſquiſit. 1. & poſt iſtos integrum fere volumen implet hiſce diebus hic pro impreſſione propoſitū Recentior quidam, Abſurdum eſt, inquiunt, naturaliter aliquid ex nihilo fieri, aliter vti & Lucretius arguebat, ſine vllo ſemine quælibet & vbilibet res naſcerentur, ſed negatis Atomis & admiſſa forma ſubſtantiali Peripatetica hæc naturaliter crearetur ex nihilo, cum de nouo ipſa fiat & antea nihil eiuſdem formæ præceſſerit, niſi materia, quæ nihil formæ eſt. Ergo negatis atomis incidemus in abſurdum, & conſequenter, vt illud euitemus, atomi admittendæ ſunt.

Secundo ex parte materiæ ſic quidam arguunt cum eodem Franciſco Caro diſput. 1. diſquiſit. pariter 1. quia abſurdum eſt compoſitum ſubſtantiale, Verbi gratia lapidem, in linea compoſiti ſubſtantialis conſtitui eſſen-

cauſa, *quo Phyſico nihil turpius*, ergo iam etiam ex hoc abſurdo atomi negandæ ſunt, quæ vtique erat ratiocionatio Lactantij lib. de Ira Dei cap. 10. aientis, *quomodo ergo corpuſcula ſine ratione coeuntia poſſunt aliquid efficere rationale? videmus enim nihil eſſe in omni mundo quod non habeat in ſe maximam mirabilemque rationem*, & idem dixerat lib. 3. inſtitutionum cap. 17. & proſequitur Aug. iam ſupra relatus ex epiſt. 56.

Secundo abſurdiſſimum eſt immo omnium abſurdorum fons & origo aſſerere Deum poſſe defacto producere in rerum natura Chimeram, vt hircoceruum & huiuſmodi, cum ideo hircoceruus chimera eſſe dicatur, quia ſupponitur impoſſibilis vt producatur. Sed ſemel admiſſo res naturales ex atomis congregatis eſſe, non eſt cur Deus non poſſit atomos pariter hirci & atomos cerui inuicem congerere & adunare, cum hic non obſtet iuxta aduerſariorios aliqua forma ſubſtantialis, vt patet, & alias atomos etiam natura contrarias Deus valeat vnitas optime continere, vti de facto tenuit Empedocles, & licet ex Epicuro Lucretius enitatur effugere, effugit tamen ad ſummum ſolum naturaliter id fieri non poſſe pro ratione effugij ſubiungens

Res ſic quoque ſuo ritu procedit, & omnes
Fædere naturæ certo diſcrimina ſeruant.

non vero vitat quin ſaltem à Deo etiam iſta vnio atomorum produci non poſſit. Ergo iterum ex hoc abſurdo omninm abſurdiſſimo atomi relinquendæ ſunt, vti vtitur etiam hoc fere fundamento Lactantius libr. de opificio Dei c. 6. aduerſus atomos Epicuri.

Tertio inde abſurdum eſt homines vel pleraqne animalia è terra naſci, vt validiſſime probat etiam ex lumine naturali idem Lactantius lib. 2. inſtitutionum cap. 12. contra Epicuri deliria relata etiam à Cenſorino de die Natali cap. 2. & à Lipſio difuſius lib. 3. Phiſiologiæ diſſertatione 4. immo iterum abſurdum eſt viuentia ſeu animalia ſubſtantialiter poſſe ab Angelo vel Dæmonibus procreari, vt colligit Lorinus in ca. 1. in Geneſim nu. 4. & alij noſtri apertiſſime ex Concilio Bracharenſi 1. Can. 8. & 12. & Concilio Anſirano Canone Epiſcopi 26. quæſt. 5. & Leone Papa epiſt. 93. Aug. 3. de Trinitate c. 7. & 8. & alijs Patribus paſſim. Sed ſemel admiſſis atomis, quælibet animalia poſſent ex atomorum vnione etiam ex ſe è terra naſci, *vermiculorum more*, vt de hominibus etiam loquebatur Democritus apud Lactantium lib. 7. inſtitutionum c. 7. vel ad minus ſubſtantialiter per artem Magicam à Dæmonibus procreari collectis inuicem atomis, quas Dæmon optime nouit & localiter abſque dubio mouere poteſt; Ergo ex iſto iterum abſurdo atomos negare debemus, vti idem Lactantius ad hunc finem lib. de Ira Dei c. 10. arguebat, *an ſimulacrum*, inquit, *& ſtatuam ratio & ars fingit, & ipſum hominem de fruſtis temere cuncurentibus fieri putabimus? num potuit humana ſolertia dare operi ſuum aut motum aliquem aut ſenſum? ommitto ſenſum videndi, audiendi, odorandi, cæterorumque membrorum vel apparentium vel latentium mirabiles vtilitates. quis artifex potuit aut cor hominis aut vocem aut ipſam fabricari ſapientiam?*

Quarto ex Aug. lib. 12. de Ciuit. Dei c. 13. abſurdum eſt aſſerere hominem (immo quod peius eſt Brutum vt obſeruat Ariſt. 1. de Anima tex. 41.) naturaliter iuxta cauſas naturales reſurgere poſſe, cum reſurrectio vnum ex præcipuis ac ſupernaturalibus fidei myſterijs ſit, nec cognoſcibile naturaliter, vt præter S. Thomam probat & Scotus in 4. diſt. 43. q. 2. ſed ſemel admiſſo compoſita fieri ex atomorum incurrētium vnione, poſt mortem hominis vel Bruti ſequitur atomos hinc inde diperſas naturaliter etiam iterum aliquando readunari poſſe, & conſequenter reintegrari compoſitum & reſurgere, vti de facto ex atomis inferebat Epicurus relatus a Plinio libr. 7. c. 55. & ex Varrone, Cornelio nepote, Zenofonte, Columella & alijs etiam Democritum ita ſenſiſſe probat Magnenus diſp. 2. c. 2. pag. mihi 185. & ad hoc addit & Hermolaum Gaſſendus li. 7. phyſicæ c. 4. Quid vltra? Franciſcus Carus diſp. 4. diſquiſit. 2. ſolummodo dicit, *reſurrectionem eſſe moraliter impoſſibilem, phyſice autem ſe non videre cur fieri nequeat*, quæ fateor quomodo ab eius Calamo potuerint excidere vel non capio vel obſtupeſco. Ergo iterum ex hoc magno abſurdo omnimode atomiſmum cauere debemus vti præmebat ad hoc Lactantius eodem lib. de Ira Dei c. 10. dicens, *denique ſi atomorum coicio & conglobatio efficeret omnia & in aere vniuerſa concreſcerent. ſiquidem per inane atomi volitarent. vnde apparet & nihil ex atomis fieri quandoquidem vnaquæque res habet & propriam certamque naturam ſeu formam, ſuum ſemen, ſuam legem ab exordio datam &c.*

Quinto abſurdum eſt contra Tridentinum aſſerere in Sacramento Euchariſtico remanere formam eſſentialem ſeu quidditatiuam panis, ſed ſi forma eſſentialis & quidditatiua compoſiti non eſſet illa forma Peripatetica compoſiti, immo eſſet illa atomorum alia ſc. penes atomiſtas atomorum ordo, qui accidens eſt, iam in Sacramento remanere deberet & forma eſſentialis ac quidditatiua panis, cum in Sacramento remaneant omnia *accidentia* ex eodem Tridentino; ergo, vt euitetur abſurdum, potius forma ſubſtantialis Peripatetica admittenda eſt, quam Ordo ille Democriticus atomorum, vti ad propoſitum ratiocinari videtur S. Thomas 3. par. qu. 75. ar. 6. in reſponſione ad primum, quod omnino eandem hanc difficultatem propouebat his verbis, *videtur quod facta conſecratione remaneat in hoc Sacramento forma ſubſtantialis panis. dictum eſt enim quod facta conſecratione remanent accidentia, ſed cum panis ſit quoddam artificiale per agregationem*, vti & atomiſtarum compoſita ſunt, *etiam forma eius eſt accidens, ergo remanet facta conſecratione*, cui argumento non aliter S. Thomas occurrere nos poſſe ſupponit niſi recurendo, vt ipſe facit, *ad formam ſubſtantialem &c.* contra ordinem Democriticum atomorum.

Sexto abſurdum eſt contra fidem negare Corpus Chriſti in Sacramento totum eſſe ſub tota & totum ſub qualibet parte quantumlibet minima Hoſtiæ, Sed admiſſis atomis & negata forma ſubſtantiali Peripatetica hoc totum infertur, in tantum enim ex diſcurſu S. Thomæ 3. par. qu. 76. art. 3. à Patribus etiam adhibito in Trident. Concil. Corpus Chriſti eſt totum ſub qualibet parte, in quantum ibi eſt ad modum non quantitatis, ſed ſubſtantiæ,

cuius

cuius forma ſubſtantialis de ſe innextenſa & indiuiſibilis ex ſua eſſentia eſt; quod iuxta atomiſtas negantes hanc formam ſaluari non poteſt. ergo iterum ex hoc abſurdo probatur atomos abſurde confingi, vti diſcurit etiam Comptonius in phyſica contra atomos Renati Carteſij & loco citato Theologi noſtri erudite diſcurrunt.

Septimo abſurdum eſt dicere cineres Martiris igne conſumpti non eſſe adorandas, vt tractatur 3. p. q. 45. ar. 6. vbi ex Concilijs & Patribus erudite noſter Naxaris excurri poteſt. Sed ex atomorum aſſertione hoc ſequeretur, eo quia vix quarta pars illarum cinerum dici poteſt eſſe aliquid Martiris nec magis quam humores excrementitij, qui per agregationem fuerunt in corpore eiuſdem Martiris, ergo &c. vti diſcurit Ariaga etiam diſp. 2. Phyſicæ ſectione 1. & à pari de Virgine adiungi poteſt in iſta Hipotheſi non ſaluari, quod communiter dicunt Theologi 3. p. q. 31. ar. 5. Chriſtum ex puriſſimo eiuſdem ſanguine ſubſtantiali conceptum eſſe, ſi ex atomis potius excurentibus ac volitantibus veluti in vtero conflatus eſſet; vt ommitam nec Chriſti mortem proprie ſubſtantialem in iſta hipotheſi ſuſtineri per ſolam atomorum diſgregationem, quod Gainitarum Hæreſi fauere poteſt adductæ ab Iſidoro citato etiam in decretalibus 24. qu. 3.

Octauo tandem, vt lectori fortaſſe iam faſtidienti prolixam hanc abſurdorum phararaginem indulgeamus, nouo placet ſed faceto abſurdo claudere: nimirum admiſſo res fieri ex atomis verbi gratia herbas enaſci ex quibuſdam molleculis in quędam ſemina adunatis aduocātibus inde ad ſe alias atomos ſimilares per ſimpatiam, vt mirabiliter Clarus exponit ex ſuo Lucretio & alijs, in hac inquam hypotheſi non apparet cur incluſis in comedentis pectore herbis earumque ſeminibus atomi pariter ibi ſicut & alibi aliquando atomos alias non aduocarent, vt herbæ in vtero adoleſcerent, immo & quandoque, vt hic rideamus, & granum ſinapis fieret arbor magna, ita vt venirent aues cæli & habitarent in ramis eius. Sed hoc abſurdiſſimum profecto eſt & ridiculum, ergo pariter & id, ex quo ſequitur. & ne hic ſtatim de hoc me ridentem irrideas, audi diſcurſum eundem non in Lucretio Epicureo (quem iſti enixe colunt paſſimque referunt) ſed in graniſſimo Æque & antiquiſſimo Eccleſiæ Patre Lactantio, quem nos perpetuo in hac materia citamus, nimirum libro de Ira Dei ca. 10. contra Epicuri atomos ſic inferente, *cur igitur ſine terra ſine radicibus ſine humore, non herba, non arbor, non fruges oriri, aut generari poſſent?* hæc ille, quæ planiſſime noſtra ſunt.

Ad primum igitur mirandum eſt hos Nouatores non aduertiſſe Ariſtotelem iam diu eandem omnino ex veteribus retuliſſe immo vbique repetijſſe dubitationem præſertim in 1. phyſicorum tex. 74. dicentem quod hanc diſtinctionem inter non ens, quod eſt nihil, & non ens quod eſt materia 1. in potentia ad actum, *illi non percipientes deliquerunt, & propter hanc ignorantiam in tantum ignorauerunt quod nihil opinati ſunt fieri; ad eos igitur*, ſic reſpondet poſtea in 4. Methaph. tex. 20. (*qui ex his ita exiſtimarunt, partim recte dicere, partim ignorare ipſos dicemus, ens enim dupliciter dicitur, eſt ergo*

quomo-

quomodo contingit fieri aliquid ex non ente, & eſt quomodo non potentia namque contingit, vt repetit etiam in 1. de Gener. tex. 12. & ſæpiſſime alibi & notiſſima æque ac ſolidiſſima peripateticorum ſolutio eſt explicata etiam à S. Thom. q. 3. de potentia ar. 8. ad 4. adeo vt mirer iterum quendam è recentioribus hic, cuius parata iam ſed adhuc impreſſa manuſcripta non video, in ſua illa naturali philoſophia aſſeruiſſe prædicto argumento exagerato ab eodem per plures integros libros eo vno contentos neminem adhuc *ſanam præſtitiſſe reſponſionem*, veluti ſana præadducta reſponſio non ſit danda neceſſario & ab ipſo, ſi velit iuxta Catholicos, vt ſupra vidimus, ſuſtinere actum volitionis in nobis etiam in ordine naturæ actiue libere à voluntate prodire de nouo & tamen non ex nihilo procul dubio creari, ſed ex potentia volitiua pariter eductione produci. immo vt acutiſſime intorquet Lactantius lib. de Ira Dei c. 10. contra Lucretium, dum Lucretius, quem iſti ſequuntur, ideo pro atomis aſtruendis aſſumit *ex nihilo nihil fieri*, ne aliter, inquit, *ex omnibus rebus omne genus naſci poſſet*, ſic, inquam, in ipſum Lactantius intorquet, *quis hunc putet*, inquit, *& habuiſſe cerebrum, cum hæc diceret, & non vidiſſe & ſibi eſſe contraria? nihil enim per atomos fieri ex inde apparet, quia ſemen cuiuſque rei certum eſt*, vt in 3. & 8. abſurdo diſcurebamus.

Ad ſecundum de materia prima ſimiliter dicendum eſt obiectionem eãdem atque difficultatem in veteribus præuidiſſe Ariſtotelem in 7. Methaph. tex. 8. dicentem, quod ex eorum vtique negatione formæ ſubſtantialis ſequebatur ſolam materiam integram ſubſtantiam eſſe, vti & atomiſtæ ſupponunt, *ex his ergo*, inquit, *ſpeculantibus accidit ſubſtantiam eſſe materiam*; ſed aduertiſſe debuiſſent iſti recentes quod incunctanter eodem loco ſubiungit, *ſed hoc impoſſibile*, inquit, *etenim ſeparabile atque hoc aliquid ineſſe videtur maxime ſubſtantiæ, quapropter ſpecies ſeu forma & ex ambobus ſubſtantia videbitur eſſe magis ſubſtantia quam materia*, dicendum igitur ex doctrina eiuſdem non repugnare ſubſtantiæ incompletæ, cuiuſmodi eſt materia, dependere in eſſe, non à ſubiecto vt accidens, ſed ab actu vt potentiam ſubſtantialem eſſentialiter ordinatam ad eundem, quæ neceſſario doctrina de aliquo ſubſtantiali incompleto adhuc in linea ſubſtantię dependente in eſſe ab altero in eodem genere ſubſtantiæ profecto etiam ab aduerſarijs acceptanda eſt, tum quia in Chriſto humanitas ſubſtantialis eſt, & tamen in eſſe, vt in Chriſto, à ſubſiſtentia dependet, tum quia permulti concedunt inter humanitatem & verbum, vti etiam inter partes eſſentialiter integrantes vt animam & corpus, modum ſubſtantialem vnionis de prædicamento ſubſtantiæ vtique & tamen inſeparabilem in eſſe ab extremis, tum quia adminus in atomis & Democritiſtæ recentes admitunt partes extenſas integrales, licet inſeperabiles naturaliter, & conſequenter earum ſingulæ quædam ſubſtantiæ incompletæ ſunt, licet naturaliter ad inuicem in vnione pẽdentes, cur ergo doctrinam eandem in Peripateticorum aſſerto capere vel acceptare recuſant?

Ad tertium Magneni argumentum, neceſſe eſt intueri Magnenum eundem inferius diſp. 2. de Atomis c. 4. pag. mihi 283. & apparebit ibidem omni-

omnino in eundem intorqueri difficultatem, quomodo ſcil. atomi vnius elementi actiuioris, vt ignis, non diſſipent & euertant atomos cæterorum elementorum inferiorum, vt inde turbato ordine vniuerſi, hoc ſit eadem ratione naturaliter corruptibile, nec poteſt aliter ab ipſo vel à nobis reſponderi quam recurrendo ad ordinem naturalem vniuerſi, ad quem recurrit S.Th. in 2. diſt. 19. qu. vnica ar. 2. ad 2. dicens, *elementa ad inuicem corrumpi ſecundum partes non in toto, eo quia ordo inferior corporum virtute ſuperiorum conſeruatur*, vt vidit & Seneca lib. 1. qu. naturalium c. 10. cum alias elemēta quo ad partes inuicem generari & corrumpi aduerſus eorundem atomiſtarum ſuppoſitum colligatur ex illo ſapientiæ 19. *elementa dum in ſe inuicem conuertuntur &c.*

ARTICVLVS III.

An prædictus iterum ſecundus modus Atomiſtarum etiam ex naturali diſcurſu reprobetur.

VIdetur quod non ne dum ſupra relatis ſed quibuſdam alijs, qui adhuc ſua ſcripta non vulgant & nimis, vt video, hiſce temporibus philoſophicis nouitatibus adhæreſcunt.

Primo nam ex his res mixtę verbi gratia in generatione componuntur, in quæ reſoluuntur per corruptionem. Sed per corruptionem experimur reſolui prius in minimas quaſdam particulas diuerſæ inuicem ſpeciei, & inde in atomos inſenſibiles, ergo ex eiſdem componuntur in generatione. minorem probat Magnenus diſp. 1. c. 1. ab experimento tum *terræ remanentis in cineribus, quæ nullo igne flamma fiunt, tum aquæ in vaporibus denuo in guttas reformatis, & huiuſmodi*, & Carus lib. 1. philoſophiæ naturalis diſput. vltima diſquiſit. 1. ex mixtorum ſublimationibus in elambico ſecernentibus inuicem particulas aqueas à terreis & ab iſtis igneas ſpirituoſiores & lib. 3. diſput. 4. diſqu. 1. proſequitur ex euaporationibus vel afflatibus & efluxibus corporum, quæ omnia opinatur eſſe eiaculationes atomorum ſeu minimarum partium diuerſæ rationis & lib. 4. diſp. 1. diſquiſit. 1. addit etiam productiones chimicas & concretiones metheorologicas & huiuſmodi plura, quæ ſolent ab atomiſtis recenſeri.

Secundo in eodem lib. 1. diſp. vltima diſqui. 1. idem Carus præuidit obuiam ad hæc omnia reſponſionem aientem, in corruptione mixtorum hæc remanere, ſed generata de nouo formaliter ex corruptione eorundem mixtorum, in quibus ſolum virtualiter continebantur, ideo vt excludat hanc reſponſionem adhibet ignis experimentum, quo comburente lignum manet cinis ignis aqua vapor exhalatio &c. & inquirit, *cur ignis*, inquit, *qui comburit, varias gignit ſubſtantias, cum ille vnus ſit, & ſemper idem? quomodo per calorem terra generatur, quæ naturaliter quærit frigus? quomodo aqua humida, & frigida producitur contrario calido & ſicco? quare ſubſtantiam vapidam ſubtilem feruidamque foras educit, quæ ſuper iniecta manu ſentitur? quid*

reſ-

reſpondes? an quod lignum diſpoſitiones habet varias ad cinerem ad aquam ad exhalationes, quibus dum ignis accomodat ſe, tum diuerſa producit; at immo lignum eaſdem vbique habet diſpoſitiones, vbique homogeneum eſt, vbique ſimile, vbique eiuſdem temperamenti, nam vbicumque forma ligni eſt, eadem quærit accidentia, ſine quibus haud quaquam induci potuiſſet, rurſus idem ignis cum eadem vi, & etiam maiori, ſi agat in aquam & cineres, nihil ex eis producit, cum tamen aqua & cinis habeant quoque diſpoſitiones ad aliquid. ergo neque primo ſubſtantias de nouo produxit neque ex præadducta ligni diſpoſitione diuerſas, ſed mere particulas ſegregauit & diſperſit.

Tertio repetit Magnenus loco citato alio modo experientiam eiuſdem Ignis. *corruptio etenim tota ignis*, inquit, *non poteſt fieri in inſtanti, cum prærequiratur alteratio ſucceſſiua contrariarum qualitatum iuxta Ariſtotelem. ſed extinctio ignis fit in iſtanti, exſuflata enim vel ſuffocata candela ſtatim ignis extinguitur, quod nec aquæ aut aeri contingit; ergo extinctio ignis non eſt eius corruptio, vt Peripatetici ſuppoſuerunt, immo potius ſola atomorum eiuſdem maxime agibilium inſtantanea diſſipatio*, ergo ex diſcurſu naturali, qui in Phyſicis innititur experimento, conuincitur res ex atomis eſſe.

In oppoſitum tamen eſt quod de Democriticis his atomiſtis Ariſtoteles ipſe in primo Phyſicorum text. 74. inquiebat, *propter ignorantiam in tantum ignorauerunt*, & iterum in primo de ortu & interitu text. 10. *id ipſum eſt, in quo prorſus errant*, ſed his opinionibus, pro quibus ad minus diſcurſus naturalis vrgere ſolet, non ſolet Ariſtoteles ſimilem notam erroris aut ignorantiæ cenſuram innurere, ergo ſignum euidēs eſt pro Democriticis his atomiſtis non ita vrgere, vt ſupponitur, luminis naturæ diſcurſum.

Reſpondeo ex lumine naturali etiam euinci falſitatis ſecundum hunc modum atomiſtarum. Nam vt aſſumit validiſſime idem Philoſophus in eodem 1. de Gen. tex. 6. *videtur omnibus pene aliud eſſe generationem & alterationem*, vti & Democritus admittebat relatus ibidem & dicens, *generari quidem & corrumpi congregata & diſgregata, alterari autem translatis paſſionibus*, ideſt *translato ordine ac ſitu atomorum*, vt ibidem per omnia aſſumit Philoſophus; ſubſumo, vt ſubſumit idem Philoſophus infra text. 10. eiuſdem libr. *ſed vere ſimplex & perfecta generatio congregatione & ſegregatione determinata non eſt*, ideſt non inde ab alteratione vel alijs motibus accidentalibus diferre poteſt penes ſolam atomorum congregationem, cum & in iſtis per artem congregentur & ſegregentur partes ſubſtantiales, vt patet in domo, inquit alibi Ariſtoteles, *quæ ex lateribus arte conſtruitur*. ergo ex lumine naturali conuincitur generationem rerum & corruptionem non in congregatione vel diſgregatione atomorum reponi, vnde iterum lib. 2. de generatione cap. 4. Ariſtoteles idem concludebat, *quamobrem qui ita vt Democritus aiunt exteriora primum animalis diſcerni, tum interiora, quaſi lapideum aut ligneum animal ideſt artificiale condant, non recte dicunt*. Occurrent tamen ſtatim atomiſtæ ex ipſo eodem Philoſopho lib. 1. de Gene. tex. 23. perperam intellecto & immerito deducto in ſenſum ſuum, ſcilicet in hoc diferre generationem ſubſtantialem à productione accidentali

tali

tali artis & huiuſmodi, quod in illa partes, quæ congregantur, inſenſibiles eſſe præſuponuntur vt atomi, in hac vero partes ſenſibiles ſunt, vt cemẽta; ſed hæc reſponſio, cui adeo fidere video recentiores, euidentiſſime refutatur, tum quia iuxta hanc reſponſionẽ ſolum in ordine ad ſenſum noſtrũ differret generatio ſubſtantialis naturæ ab accidentali artis & conſequenter res different ſolum in ordine ad nos, vti ſtolidiſſime aiebat Protagoras refutatus ab Ariſtotele in 4. Meth. tex. 19. tum quia hanc eandem omnino ex antiquis euaſionem affert & reprobat idem Ariſtoteles in eodem lib. 1. de Gener. ca. 3. ſic dicens, *cum ad ſenſibilem materiam mutatio fieret tum gigni quidpiam aiebant, cum ad eam, quæ ſubſenſu non cadit corrumpi : quandoquidem ens & non ens ſentiendo & non ſentiendo deffiniebant*; tum quia longe apparentius in hoc Democritus ſaltem non ex parte noſtrę cognitionis dumtaxat ſed ex parte etiam rerum conatus eſt aſſignare aliquod diſcrimen inter generationem & alterationem dicens, *illam fieri congregatione atomorum hanc vero ſola earundem atomorum tranſpoſitione*, vt refert eodem lib. Ariſtoteles tex. 6. tum quia vt per gradus acutiſſime ſubordinat Ioannes Gramaticus in lib. contra Proclum, natura eſt quid medium in agendo inter Deum & Artificem creatum. Sed ita Deus eſt quid ſupremum in hoc ordine & artifex creatus quid infimum, vt ille neque formam neque materiam neceſſario præſupponat, immo totum etiam ex nihilo comproducat, iſte vero neceſſario præſupponat vtrumque & ſolum vnum ens actu vel compoſitum valeat alteri copulare, ergo natura vt quid medium inter vtrumque, debet vtique præſuponere materiam, vt agat, ad differentiam Dei, tamen ſimul educere formam ſubſtantialem, vt ſimul ab artifice creato diſtincta ſit; tum quia tandem in præallegato pro aduerſarijs text. 23. Philoſophus vtique refugit pro differentia generationis & alterationis ad inſenſibilitatem ſubiecti, ſed qualis eſt inſenſibilitas potentiæ materiæ, non qualis eſt inſenſibilitas corpuſculi in actu atomorum &c. non ergo valet atomiſtarum præadducta reſponſio.

Secundo probatur ratione naturali meo videri demonſtratiua Ariſtotelis eiuſdem in 1. de Gener. tex. 72. quia quæ differunt natura ſeu ſpecie, & non numero ſolum, ea differunt forma & non ſola materia, cum à forma natura & ſpecies rei, à materia vero multiplicatio numerica deſumatur, vt ex Methaphyſica ipſe probatum eſſe ſupponit & neceſſario videtur dicendum eſſe, vt naturalis ſaltem ratio aſſignetur, cur iuxta omnes defacto ſaltem non dentur plura indiuidua ſub vna ſpecie Angelorum, vti ſub ſpecie hominis experimur; Sed iſtæ atomi Democriticæ poſitæ ab iſtis recentioribus eſſentialiter ac ſpecie differunt ad inuicem non ſolo numero, vt cum Democrito ijdem paſſim probant ex profeſſo & denuo in Franciſco Caro videre eſt lib. 1. diſputat. vltima diſquiſit. 2. Ergo implicat poſtea negare has atomos eſſe ex materia & forma compoſitas; vnde philoſophus concludebat, *amplius differentia in natura vtique facient &c.* vt S. Thomas ibidem proſequitur explicare, & hoc modo intelligo ego rationem illam Lactantij li. de Ira Dei c. 10. a Gaſſendo intellectam de cauſa efficiente dum-

taxat, cum de formali etiam me iudice intelligatur, cum ſcilicet Lactantius arguebat, *vnde nam ſint iſta ſemina aut quæ ſit ipſorum origo? ſi ex ipſis ſunt omnia, ipſa igitur vnde eſſe dicemus?* id eſt ſi penes ipſas atomos cætera omnia ſpecie differunt, vnde interſe atomi differre poſſunt?

Tertio hinc iterum hæc alia probatio deduci poteſt cum S. Thoma p. p. qu. 66. art. 2. *quia*, inquit, *ſi corpus non habens formam, quod eſt componi ex forma & ſubiecto formæ, ſequitur quod ſit totum forma & actus, ſed omne tale eſt intellectum in actu, quod de prædicto corpore vel corpuſculo dici non poteſt*. aliter rediret illa inſania Democriti, qua, vt ait Auguſtinus epiſt. 56. ad Dioſcorum, *ſentiebat ineſſe concurſioni atomorum vim quandam animalem & ſpiritualem*, ergo corpus hoc ſeu corpuſculum atomorum nequit eſſe non habens formam ſeu non compoſitum ex forma & materia, vt Democritici præſupponunt.

Quarto quia minimum corpuſculum, ſi ſemel Mathematice diuiſibile eſt, licet non phyſice, id eſt ſi partes extenſas habet & à fortiori ſi diuerſimode figuratas, vt hamatas tridentatas & huiuſmodi, licet nequeat diuidi naturaliter in duas partes ſeparatim per ſe permanentes, poteſt tamen altera eiuſdem pars diuelli ab ipſo & vniri alteri corpuſculo eiuſdem rationis. Sed atomorum corpuſcula ita ſe habent, ergo in concurſu & tactu ad inuicem, poterunt ita proſcindi &c. ergo non erunt atomi corpuſcula inſecabilia & impartibilia, vt à Democrito & ſectarijs conficta ſunt. ita per omnia ad hominem arguebat Lactantius lib. 3. cap. 17. *quomodo hamos*, inquit, *& angulos habent? quos quia extant neceſſe eſt poſſe diuelli. ſecari igitur & diuelli poſſunt, ſi aliquid ineſt illis, quod emineat*, neque ſolus Lactantius ſic opponebat, vt ſuponitur à Gaſſendo, ſed etiam Cicero in 1. academicarum, *cum nihil minimum ſit, inquit, in rerum natura, quod diuidi non queat*, & clare magis Plutarchus lib. de Placitis c. 3. *quippe*, inquam, *hæ atomorum figuræ ſunt faciles fractu, cum dicantur atomi vt paſſionis ita & fractionis expertes*, vnde Carteſius de facto inter atomiſtas admiſit ab atomis rudera quędã & fragmenta diuelli, ſed in conſequenter meo videri ad rationem atomi & principiorum, vt ex Plutarcho mox vrgebatur.

Quinto intantum atomorum diuiſio naturaliter non fieri diceretur, inquantum atomi inſenſibiles ſunt; Sed pariter oculi internaque viſcera formicularum vel culicum quid inſenſibile ſunt, ſeu inuiſibile, & tamen cum ſint partes organicæ, pariter corruptibiles etiam per diuiſionem ſunt. ergo à pari & atomi eſſent, etiam ſi inſenſibiles admitterentur, ad quod appoſite Plinius lib. 11. c. 1. & 2. has inſenſibiles animalculorum particulas mirabatur, *in his*, inquit, *tam paruis atque tam nullis &c. vbi tot ſenſus collocauit in culice? ſunt alia dictu minora &c.* quæ prolixe ibidem & pulchre videri poſſunt vti etiam in Baſilio epiſt. 168. immo & in Lucretio lib. 4. canente,

Animalia tantum ſunt, iam partim tantula corum
tertia pars nulla, vt poſſit ratione videri.
Horum inteſtinum quoduis, quale eſſe putandum eſt?
quid cordis globus aut oculi? quid membra? quid artus.

mitto

mitto corpuſcula iſta in iſta hypotheſi fore perceptibilia ſi nõ à viſu ſal tem à tactu,qui in illa aliquando impingeret, cum tamen,inquit Lactantius libr. de Ira Dei c. 10. *quis illa vidit vnquam? quis ſenſit? quis audiuit?* ex quo adducta ratio firmatur.

Sexto probatur alia ratione eiuſdem Ariſtoteles in 1. de Gener. tex. 66. & alibi, quia contraria nequeunt inuicẽ contineri in vno compoſito niſi per formam aliquam veluti ſuperiorem continentem in nexu ad inuicem partes eiuſdem compoſiti, quo vſque ſaltem naturæ corruptibilium & contrariorum alterationi permittitur. Sed iſtæ atomi etiam ab aduerſarijs aliquo modo contrariæ pronuntur, ergo nequeunt in vno nexu compoſiti verbi gratia Leonis vel Elefantis naturaliter multo annorum ſpatio contineri, niſi per formam veluti ſuperiorem continentem diu in nexu partes quo magis poteſt. vnde inferebat ibidem Ariſtoteles, *& fieri non poteſt vt quæ talia ſunt mutuo à ſe non patiantur &c. neq; vna eſſet aliqua natura ipſorum &c.* & hæc erat Baſilij & Ambroſij probatio in Hexam. contra eaſdem atomos, vt ſupra eorundem verba relata ſunt, & eodem modo intelligi poteſt Lactantius lib. de Ira Dei c. 10. negans atomis vniri poſſe, *vt ſi quis*, inquit, *millium velit in vnam coagmentationem conſtringere*, nec valet Franciſci Cari reſponſio non huic ſed ſimili argumento, ſcil. ex atomis igneas tamquam ſpirituoſiores gerere vicem formæ; non valet, inquam, cum ridiculum videatur quærenti medium nectens inter contraria, recurrere ad alterutrum contrariorum alteri contrario reluctans, vt procul dubio atomus ignea cæteris aquæ & huiuſmodi contraria eſt.

Septimo inde altera rurſus ratiocinatio deſumi poteſt;nam differt profecto ens per ſe, vt Leo, ab ente per accidens vt granorum cumulo vel arenarum; Sed iuxta ponentes atomos non differet, cum neutrobique forma vna per ſe conectens adeſſet, ſed pura particularum agregatio & contactus,ergo poſitio atomorum iſta repugnat: *quapropter*, inquit Ariſtoteles 1. de Gener. tex. 9. *non eſt aggregatio nec diſgregatio in atomis & ex atomis, multa enim impoſſibilia contingunt,neque vt diuiſio fiat vbique,ſi enim eſſet contiguum punctum puncto hoc vtique eſſet*, nec valet effugium recentiorum deducibile ex his, quæ noſtræ primæ probationi dicebant, ſcil. diferre ex hoc, quod in ente per ſe congregatio ſit etiam particularum inſenſibilium, in ente vero per accidens ſolum ſenſibiles partes de nouo vniri dicuntur, quomodo ſolent pariter differentiam aſſignare inter ſolida & fluuida, homogenea & eterogenea ſcil. in illis ſolas particulas inſenſibiles non vero ſenſibiles eſſe facile mobiles & diuerſæ rationis, in iſtis vero etiam ſenſibiles & facile adhuc mobiles eſſe & diſſimilares; non valet, inquam, vt ibidem & ex Ariſtotele replicabamus, hoc eſt enim refugere ſolum ad differentiam rerum in ordine ad cognitionem & apparentiam & non in ordine ad rerum naturam in ſe, quod præter alia ibidem adducta lepide iterum Ariſtoteles irridebat in 1. de Elementis c. 7. dicens, *Empedocles & Democritus latent ipſi ſe ipſos, generationem non ex entibus ad inuicem facientes, ſed apparentem generationem. in exiſtens enim vnumquodque ſecerni aiunt tamquam ex vaſe generatio ſit.*

tio ſit. Ommitto oppoſitas ex rebus naturalibus experientias loco citato congeſtas à Lactantio ad probandum aliqua ex alijs fieri, in quibus factorum aromi non poterant præſupponi, vt atomi ignis è ſilice & aqua, cum tamen ex cera ſola non ſoleat ignis adhuc à ſole excitari,& huiuſmodi plura legenda in eodem, vt etiam ommitto alteram Senecæ probationem ex ventorum aflatu deprompt am legendam in ipſo aduerſus atomos Democriti lib. 5. qu. naturalium c. 3. & 4. & demum ommitto & vrgentiſſimas alias probationes, quas memini me vidiſſe in Thoma noſtro Campanella lib. 2. Meth. c. 5. ar. 2. contra Democriticos & ar. 5. contra Anaxagoram & Paracelſiſtas (ſed modo hic liber præſto mihi non adeſt) ommitto, inquam, hæc & ſimilia quam plura, ne cum adducta ſufficiant videar inde in atomorum examine Ariſtophanis Comici dicterium promereri, qui Chærofontis ſimilem curioſitatem irriſit dicens, *& Chærephon qui pulicum veſtigia nouit*.

Ad primum igitur vno verbo occurrere poſſumus aut mixtorum poris aliquando innexiſtere minima quædam naturalia aliorum elementorum mixtorumque etiam, non atomos, aut ex ipſis in reſolutione generari de nouo & in eorum generatione corrumpi, vt vno verbo reſpondet omnia præuidens in propoſito Ariſtoteles ſcil. in 1. de Gener. tex. 9. ſic dicens, *quapropter eſt congregatio aut diſgregatio ſed neque in atomos & ex atomis, ſed in parua & minima eſt congregatio & ſegregatio ex minimis*, & inde tex. 10. *oſtendit*, inquit S.Thomas ibidem, *ad quid verificetur dictum Democriti*. quomodo ſcil. ex minimis naturalibus Democritus pro atomis occaſionem ſuæ opinionis arripuerit, *Segregata enim*, inquit Ariſtoteles, *& congregata leuiter corruptibilia ſunt ſcil. minima naturalia. ſi enim in paruiſſimas aquas aqua diuidatur, citius aer generatur, ſi autem congregetur tardius &c.* hæc Ariſtoteles, quæ ſola ſufficiunt, vt etiam ſupra prætangebamus, ad occurrendum ſingulis atomiſtarum experimentis, in quibus illi pro atomis hæc minima naturalia interprætati ſunt, quæ tamen, vt in ſequenti quæſtione ex hoc etiam Ariſtotelis loco dicemus, atomi vere non ſunt, cum iſta quo minora ſunt eo magis, vt hic inquit Ariſtoteles, tendant ad corruptionem, atomi vero quo minores, eo magis à Democriticis paſſionis expertes ac diuiſionis præſupponantur.

Ad ſecundum inde, vt mox data philoſophi reſponſio & veritas deffendatur, negandum eſt argumenti ſuppoſitum, in ligno ſcil. non adeſſe etiam præter poros partes inuicem diuerſimode diſpoſitas, cum immo appareant & in ligno ſuæ partes organicæ, quas quælibet viuentium anima neceſſario ſupponit, vt ex animæ deffinitione clareſcit, ſcil. *anima eſt actus corporis phyſici organici &c.* quæ diſpoſitiones non adſunt amplius in aqua vel cinere, vt ex eiſdem ignis ſimilia valeat generare.

Ad tertium de igne pariter admitti poteſt prius minima ignis inuicem aflatu veluti inſtantaneo diſgregari, dum tamen poſtea concedatur & iſta minima naturalia corrumpi, vt mox antea etiam de minimis aquæ in guttis & euaporationibus & huiuſmodi non iterum congregatis Ariſtoteles diſcure-

Digitized by Google

ſcurebat. quinimo ſi in ignis exemplo volumus permanere, ex eo magis quam cæteris elementis atomiſtarum opinio refutatur, quomodo enim, ſi ad componendum ignem vna atomus ignis aduocat cæteras, quomodo, inquam, ſine nouo pabulo paruus ignis ex ſe innumeras non atrahet atomos, vt maior fiat? quænam ratio naturalis afferri poteſt, cur vna atomus potius quam altera inter tot exiſtentes in medio compoſitionem ingrediatur, cur pauciores atomi & non plures aduocantur & veniunt, ſi iam nulla adeſt forma naturalis conſtituens terminos magnitudinis rei? quomodo ex atomis paucißimi pulueris tormentarij tam ampla ignis sfera conſurgit, niſi & præter puluerem aer ambiens in ignem conuerteretur? quomodo in cuniculis puluere tormentario repletis vel atomi ignis in puluere dormiebant ante ſcintillæ ingreſſum, vel per foramen anguſtum tot denuo atomi ingrædiuntur, vt immanem rupem in occulorum ictu ſubuertant? cur ſicuti ex concuſionis motu excitantur è ſilice ignis atomi non excitarentur pariter ex motu flabelli in aere potius, quam refrigerans aer ſentiretur? & huiuſmodi plura, quæ poſt adducta ſuperfluunt.

QVÆSTIO V.

De tertio modo ponendi atomos admiſſa ſimul cauſa efficiente, forma, & materia prima.

HOc poſtremum latibulum eſt, in quo atomiſtarum aliqui ſe ipſos, (vt experiri mihi Bononiæ contigit) cum inuiſibilibus ſuis atomis aliorum oculis ſubduxerunt, veluti Democriti transfugæ, ac Peripateticorum milites infideles, Contra quem vltimum modum duo breuiter expedit diffinire. Primum an Peripatetica minima naturalia vere & proprie atomi ſint. Secundo an abſolute minima naturalia elementorum formaliter mixtis inexiſtere dicenda ſint.

ARTICVLVS PRIMVS

An ex conceſſione minimorum naturalium, conſequatur res ex atomis eſſe.

VIdetur quod ſic Senerto in Epitome phyſicæ li. 3. ca. 2. referenti etiam Auicennam & Scalilegerum, vt ſequitur & Camerarius referens Gomeſium Fräciſcum Patricium & Capitium, vt inde obiter conſtet nec inuentoris nomine comendandum eſſe præfatum illum Bononiæ recentiorem.

Probatur autem primo, quia omne corpuſculum minimum ex dictis atomus eſt. Sed dantur corpuſcula minima omnium rerum naturalium ex Ariſtotele 1. Phyſicorum cap. 4. dicente, *dari minimam carnem, minimum os & huiuſmodi*, & ex D. Thoma ibidem, & iterum in 2. diſt. 30. qu. 2. ar. 2. & diſt. 14. q. 1. ar. 1. ad 4. ergo dantur atomi omnium rerum naturalium, ſed

ſed ex his omnes res naturales componuntur, ergo res omnes naturales ex atomis compoſitæ ſunt.

Secundo quia ſicuti minima naturalia Peripatetica ſunt quædam corpora integra in ſe licet exigua, ita pariter erant minima inſecabilia Democritica & pariter figurata non minus ac illa, vt teſtatur Plutarchus libr. 1. de Placitis cap. 2. & 4. & Ariſtoteles in 1. de Gener. tex. 5. & 8. & Lucretius paſſim proſequitur præſertim lib. 2. dicens

Percipe multigenis quam ſint variata figuris.

vnde & Stoici apud Ciceronem 4. academicarum, *nullum inquiunt eſſe pilum omnibus rebus talem qualis ſit pilus alius*, ſed iſta ab antiquis atomi vocabantur, ergo pariter & illa ſcil. minima naturalia Peripatetica atomi dici poſſunt.

Tertio quia ad rationem atomi nihil aliud expoſtulatur niſi eſſe corpuſculum phyſice impartibile, inexiſtens formaliter in re conſtituta & permanens in reſolutione poſt ipſam, ſed minima naturalia elementorum verbi gratia terræ, ignis &c. inexiſtunt formaliter in mixto & permanent in reſolutione eiuſdem, vt ex pluribus experimentis præſertim chimicis proſequitur & Magnenus diſp. 1. cap. 1. Ergo nil deeſt minimis illis naturalibus, vt vere atomi ſint.

In oppoſitum tamen eſt auctoritas expreſſa philoſophi 1. de ortu & interitu tex. 9. aperte ſeiungentis ac diſtinguentis minima naturalia ab atomis & ita dicentis, *quapropter eſt congregatio aut diſgregatio ſed neque in atomis & ex atomis, ſed in parua & minima eſt congregatio & ſegregatio ex minimis*, ergo ex philoſopho (quem non ita iſti refugere profitentur) admiſſis adhuc minimis naturalibus atomi vere concedendæ non ſunt.

Reſpondeo conceſſis minimis naturalibus negandum eſſe res naturales ex atomis conſtare debere. Probatur primo, nam vt Ariſtoteles 1. Phyſicorum inquit tex. 34. *atomi ſunt propter paruitatem ex inſenſibilibus nobis*, ſed ex eo quod dantur de facto minima naturalia, vt *minima caro* & huiuſmodi ſequitur non dari aliqua *propter paruitatem ex inſenſibilibus nobis*, vt idem Ariſtoteles ſtatim probat tex 36. ergo admiſſis minimis naturalibus non ſequitur concedendas immo negandas atomos eſſe.

Secundo quia atomus proprie eſt prima pars per ſe ordinata ad componendum totum & per conſequens non per ſe totum. ſed minima naturalia non ſunt per ſe partes ad aliud totum, immo ſunt per ſe totum, vt patet de minima planta & à fortiori de minimo animali & huiuſmodi, ergo non proprie ſed impropriiſſime atomi nuncupantur.

Tertio in omnium conſenſu atomus eſt quoddam corpuſculum non per ſe directe, ſed redductiue contentum ſub ſpecie, vt diuerſarum ſpecierum principium, ſed minimum quodlibet naturale directe proprie eſt ſub propria ſpecie, vt minima aqua ſub ſpecie aquæ & huiuſmodi, ergo non proprie ſed improprie atomus appellatur,

Quarto quia in tantum atomus ponitur in quantum quilibet proceſſus realis in infinitum abſolute intenditur auferri, vt patet ex epiſt. Epicuri ad Hero-

Digitized by Google

Herodotum apud Laertium lib. 10. ſed minimum naturale non tollit omnem proceſſum realem in infinitum, cum Mathematice diuiſibile in infinitum ſupponatur penes partes extenſas, ex quibus realiter integratur, immo phyſice, vt mox ſubiungimus, ſaltem ab Angelo diuidi poſſit, ergo iterum ex conceſſione minimi naturalis non conceditur immo atomus reprobatur.

Quinto quia vt recte notat Ianellus 1. Phyſicorum qu. 19. etiam Angelus accepta minima aqua poteſt diuidere in duas medietates, non quidem ſeparatim per ſe conſeruabiles, ſed vnibiles alijs duabus aquis; ſed ab oppoſito atomus omnis diuiſionis expers eſſe debet, Ergo minima aqua adhuc atomus eſſe non poteſt, vt recte vidit Plutarchus libr. 1. de Placitis cap. 3. *dicitur enim atomus non quod minima ſit ſed quod non poſſit diuidi cum ſit patiendi incapax & iniurię expers.*

Sexto ab oppoſito quia ad minus abſurdum eſt Deum non poſſe, ſi velit, corpus cubitale verbi gratia aquæ diuidere in duas æquales medietates ſeu ſemicubitos vt partes. Sed, ſi minima naturalia eſſent atomi impartibiles, hoc ſequeretur, nempe in caſu quod illa aqua eſſet ex minimis inæqualibus verbi gratia ex ſeptem minimis, vel nouem & huiuſmodi, iam in duas medietates æquales ſecare non poſſet, Ergo abſurdum &c. vt videtur innuere & Ariſtoteles 1. de Gener. tex. 9. dicens, *multa enim impoſſibilia contingunt neque vt diuiſio fiat vbique &c.*

Septimo quia atomus proprie eſt id, in quod vltimo totum neceſſario reſoluitur. Sed tota aqua compoſita ex minimis aquis non eſt neceſſe reſolui in iſtas duas, cum paulatim prius diminui poſſit, vt patet, ergo duæ illæ minimæ aquæ atomi eſſe non poſſunt.

Octauo quia atomi ita ſe habent, vt ex ipſis quælibet res naturalis compoſita eſſe dicatur. Sed non ſic ex minimis naturalibus quælibet res naturalis componitur, cum immo minima planta res naturalis ſit, & tamen non componatur ex minimis, immo naturale minimum ſit, ergo iterum minimum naturale atomus proprie nominari non poteſt; Immo ex Caietano p. p. qu. 7. ar. 3. *§. ad ea vero,* nullum compoſitum naturale ſi ex duobus minimis naturalibus conſtet poteſt eſſe ens per ſe, ſed per accidens.

Nono tandem quia, vt ſupra etiam arguebamus cum Ariſtotele Atomi proprie ponebantur, vt ſubſtantialiter inuicem intranſmutabiles idest ingenerabiles & incorruptibiles ſicut principijs conuenit & proportionaliter ab Ariſtotele materiæ primæ tribuitur, ſed minima hæc naturalia inuicem ſunt ſubſtantialiter tranſmutabilia. Ergo incongrue omnino atomi nominantur.

Ad primum igitur diſtinguenda eſt maior iuxta prædicta, ſcil. atomus eſt corpuſculum indiuiſibile, & quod ſit per ſe pars & quod ſit ſubſtantialiter intraſmutabile, Concedo, aliter, nego, præterquam & minor ſubſumpta falſitate non caret, vt mox antea dicebatur.

Ad ſecundum eodem modo reſpondendum eſt, ſicut ad primum, pariter ad tertium etiam ſi admitteretur ibi citata ſententia de permanentia for-

mali elementorum in mixto, & adhuc inde negari deberet illatio ſcil. hinc res naturales ex atomis proprie conſtitutas eſſe, vt hucuſque probatum eſt Attamen ad abundantiam, vt dici ſolet, nunc in ſequenti art. eadem ſententia expendenda eſt.

ARTICVLVS II.

An in mixto remancant actu formaliter minima naturalia elementorum.

Videtur quod ſic inter cæteros recentiſſime Franciſco Caro in ſua prima parte Philoſophiæ lib. 4. diſp. 2. diſqu. 2. per totam. Et probatur primo auctoritate non ſolum veterum, qui ante Ariſtotelem floruerunt, ſed etiam eorum, qui ſequuti ſunt ſcilicet Teophraſti, qui fuit Ariſtotelis auditor, Aphrodiſei, Philoponi, Temiſtij, Auerrois, Auicennæ, vno verbo Arabum, & Græcorum. Accedunt, inquit, Latini, Albertus, Aureolus, Iandunus, Zimara, Zabarella, Teleſius, qui oppoſitam ſententiam putat abſurdam & portentoſam; vltimo fauent, inquit, Auguſtinus & Ariſtoteles, ille tomo 6. lib. vno ad Oroſium contra Præſilianiſtas cap. 8, iſte, omiſſis cæteris pluribus locis, præſertim 7. Methaph. in fine concludens, *elementum eſt, in quod exiſtens diuiditur compoſitum vt materiam, vt puta ſyllabæ inſunt A & B*, ergo ſicut A & B actu formaliter inexiſtunt ſyllabæ per ipſas conflatæ ſic in præſenti &c.

Secundo à ratione quia cum ex philoſopho mixtio ſit miſcibilium alteratorum vnio, hæc alteratio ad ſummum dicit corrumpi accidentia, non ſubſtantias, ergo elementa ſubſtantialiter manent; probat antecedens, nam ſi ſubſtantiæ corrumpuntur, vel hoc faciunt inter ſe, vel ſit ab alio: non ſecundum, quia in mixtione aliud non eſt, à quo fieri poſſit corruptio; non primum, alioquin debet aſſignari elementum, quod corrumpat cætera, iſque vtpote validius præualeat. hoc autem non habet ſuperius, à quo deſtrui poſſit, ergo ipſum in mixto manet.

Tertio confirmatur, inquit, præcedens ratio ſuopoſito prædominari in mixto, verbi gratia lapide, aliquod elementum verbi gratia terram quia videlicet materia plus retinet in ſe de terræ qualitatibus, quo dato, inquit, ſupponamus, quod in inſtanti B. fieri debeat lapis: in inſtanti A præcedenti erant adhuc formæ ignis, aeris & aquæ. rogo, inquit, cum quoto gradu qualitatis? certe cum vltimo eoque tenuiſſimo; nam in inſtanti B ſequenti corrumpi debent, ergo in inſtanti B forma terræ non corrumpetur, probat conſequentiam, in inſtanti A præcedenti forma iguis verbi gratia conſeruabatur cum vltimo gradu ſuæ qualitatis. Sed in inſtanti B forma terræ multo plures habet gradus frigoris & ſicitatis (prædominatur enim cæteris) ergo ſi prima cum vnico manebat, hæc multo magis conſeruabitur, præſertim quia non habet aliud elementum, à quo in mixtione patiatur.

Quarto aut elementa, dum inter ſe pugnant, omnino deperdunt quali-

Digitized by Google

tates vel tantummodo debillitant, remittuntue, ſi primum ergo elementa non ſolum ſubſtantialiter non manent in mixto, ſed neque virtualiter & quo ad accidentia, quod eſt contra nos. ſi ſecundum, ergo elementa non deſtruuntur, illa enim de facto conſeruantur cum paucioribus accidentibus extramixtum, vt patet in aqua feruente comburente & ebuliente. & tamen retinente formam aquæ & pariter in terra proiecta in vas feruentiſſimum aquæ, ergo &c.

Quinto & vltimo efficaciſſime, inquit, quia mixtum reſoluitur in elementa, vt patet ab experientijs alibi repertis &c.

In oppotum tamen eſt, quod Ariſtoteles antequam ſcriberet librum de Gener. ſilicet 3. de Cælo tex. 31. propoſuerat hanc dubitationem, *an elementum intus exiſtens ſit in potentia aut actu, hoc enim vtroque modo dubitabile eſt*, deinde reſolutorie poſtea in lib. 1. de Gener. tex. 84. ſuam tandem ſententiam expreſſit his verbis, *elementa manere non actu in mixto, ſed potentia & virtute*, vbi S. Thomas lect. 25. *mixtio igitur*, inquit, *eſt miſcibilium alteratorum & ſecundum formam corruptorum vnio*, & iterum infra lib. 2. de Gener. c. 5. idem philoſophus concludebat, *nam ſi aer*, inquit, *remaneret non generatio, ſed alteratio foret*, ergo iam ex Ariſtotele immo & ex ratione eiuſdem nequeunt in mixto minima naturalia elementorum actu formaliter remanere.

Reſpondeo vtique non remanere. Et probatur primo Generaliter, quia plures formæ ſubſtantiales ſimul in eadem materia vel compoſito ſunt impoſſibiles, vt ex profeſſo probauimus libr. 2. phyſicorum & ibidem noſtri Thomiſtæ demonſtrant, immo & ſunt ſuperfluæ, vt probauimus 2. de anima & poteſt videri Suarez diſp. 15. Methaph. ſectione 10. Sed ſi elementa manerent formaliter ſecundum ſuas formas ſubſtantiales in mixto iam in eadem materia & compoſito darentur plures formæ ſubſtantiales. Ergo hoc eſt ſuperfluum & impoſſibile.

Secundo probatur cum Banez qu. 35. de Gener. quia ex 8. Phyſicornm c. 3. & 4. quæ differunt ſpecie nequeunt ad inuicem continuari, præſertim ſi diuerſas formas ſubſtantiales habeant & non ſolum diuerſos gradus, ſed in iſta ſententia partes mixti differunt ſpecie & habent diuerſas formas ſubſtantiales, vt admitrit tertius modus atomiſtarum vt diſtinctus à ſecundo, quem in ſuperiori quæſtione refellimus, ergo mixtum non eſſet vnum totum continuum & per ſe, ſed pure aggregatum per accidens ex iſtis minimis &c.

Tertio probatur ratione Ouiedi, quam ego deſumo ex Ariſtotele 1. de Gener. text. 73. quia in hoc differt mixtum inanimatum vt lapis vel aurum à mixto animato, verbi gratia animali, quod in illo partes omnes integrales ſunt eiuſdem rationis ſpecificæ ſeu homogeneæ, in iſto vero ſunt diuerſæ rationis ſpecificæ penes diuerſos gradus eiuſdem formæ, vt ex animæ diffinitione colligitur. Sed in iſta ſententia in mixto innanimato etiam partes eſſent diuerſæ rationis immo magis quam in animali, ſcil. penes diuerſas formas elementorum & non ſolum pænes diuerſos gradus eiuſdem formæ,

ergo iſta ſententia ſuſtineri nequit &c. neque hic valet effugium ad partes ſenſibiles vel inſenſibiles, quod non ſemel ſupra refutatum eſt, & iterum refellit Ariſtoteles in 1. de Gener. tex. 88. dicens, *manifeſtum eſt quod neque ſecundum parua ſaluata oportet ea, quæ miſcentur, dicere mixta eſſe, compoſitio enim erit & non temperamentum, nec mixtio, neque habebit eandem rationem cum toto pars, vt oportet. Si autem ſecundum parua compoſitio fuerit mixtio, nil continget horum, ſed ſolum quidem mixta ad ſenſum, ſi non inſpexerit quis acute, Linceo autem nil mixtum.*

Quarto probatur ratione Maſtrij diſp. 6. de Gener. qu. 1. quam ego deſumo iterum ex Ariſtotele lib. 1. Metheororum cap. 3. & 1. de Gener. 66. quia ſi in mixto, verbi gratia in monte, exiſterent iſtæ atomi ignis & aliorum elementorum actu, non eſſet ratio cur ſiluæ ex ſeipſis non exardeſcerent, ſed hoc eſt abſurdiſſimum contra experientiam; ergo; neq; hic pariter valet illud aliud effugium negandi ſequelam, quia inquiunt, ignis non agit, niſi in debita quantitate & ſenſibili per ſe ſubſiſtat, vnde Sympoſius in ſilice de minimis ignis incluſis aiebat, *nec lignis, vt viuat, eget, nec, vt occidat, vndis*, non valet, inquam, tum quia immo omnia minima naturalia ſenſibilia ſunt, iuxta Ariſtotelem 1. Phyſic. tex. 36. tum quia minimum naturale ſicuti ſufficientem quantitatem habet, ita & propriam operationem habere poteſt, vti præuidit etiam Lucretius lib. 1. contra ſimilem opinionem Empedoclis ponentis minimorum naturalium aggregationem, contra quam pariter idem Lucretius vrgebat.

Quod ſi facta foret ſiluis abſcondita flamma
non poſſent vllum tempus cælarier ignes
conficerent vulgo ſiluas arbuſta cremarent.

Quinto probatur ratione eiuſdem Ariſtotelis in eodem 1. de Gener. mox citato, quia in iſta ſententia nutritio viuentis fieret per iuxta poſitionem prædictorum minimorum ſicut fit nutritio ignis vel fluminis & aliorum, & non per intus ſumptionem, rurſus fieret ſolum ex ea parte, cui apponitur elementum, vt in igne, non autem proportionaliter in ſingulis partibus, ſed hæc omnia abſurda ſunt vt patet, ergo abſurdum pariter id, ex quo ſequitur. Ommitto cætera transcurenda aut in Bannez & Suarez vbi ſupra, aut in Bartholomæo Amico in lib. 1. de Gener. diſp. 5. de mixt. qu. 1. & cæteris paſſim Peripateticis.

Ad primum igitur primo plerique Auerroiſtæ relati ibidem aduerſario fauere non poſſunt, cum illi ponant formas ſubſtantiales elementorum remiſſas in mixto, vbi iſte omnem formam ſubſtantialē negat, & quatenus aliqui ex aduerſarijs hanc admitunt, non tamen adhuc intendi & remitti concedunt. Secundo ex quadam diſtinctione ſubtilis noſtri magiſtri Ioannis de S.Thoma qu. 1. de anima ar. 5. non pauci auctores adducti pro aduerſaria ſententia cum noſtra poterunt concordari; nimirum formas elementorum dupliciter dici poſſe remanere in mixto ſolum virtualiter, primo virtualitate pure accidentali per ſolam permanentiam accidentium. Secundo virtualitate etiam ſubſtantiali continentiæ radicalis formæ ſubſtantialis, & e-

uacu-

mentaris virtualiter in forma ſubſtātiali mixti, quę ſecunda virtualitas,cum ſit maior quam prima,comparatiue ad eandem, non abſolute, etiam formalis dici poteſt & de iſta ſecunda nō pauci ex adductis intellexerunt. Hinc ad Auguſtinum,textum legenti patebit nec ipſum aliter intellexiſſe, nam, poſtquam dixerat, *inſunt homini ex omnibus huius corporei mundi elementis quædam particulæ ad temperiem valetudinis*, ſtatim hoc explicat ratione prædictæ virtualitatis ſubſtantialis & qualitatum accidentalium dicens, *nam & calore membra vegetantur, qui eſt ab igne, cuius etiam lux ab oculis emicat, & aere venarum diſcurſus, quos arterias vocant, atque ſpiramenta pulmonis implentur, & humor niſi eſſet nulla ſputamenta confluerent vitamque abſumeret ſiccitas*; pariter de Ariſtotele dubitari non poſſe iam conſtat; vt innumeras expendunt auctoritates Suarez & Bannez,& præadducta ab aduerſario,quo ad illam paritatem, etiam ab eodem ſoluenda eſt. Nam in ſyllaba litteræ partes ſenſibiles ſunt non minus ac tota ſyllaba, partes autem elementares in mixto etiam in ſententia aduerſarij ſingillatim inſenſibiles ſunt, ergo paritas adducta ab Ariſtotele inter prędicta,etiam ſi valeat quo ad includi in toto, non tamen quo ad modum incluſionis. Sufficit ergo currere paritatem tum quod vtrobique ſit vnum per ſe non per accidens ſeu *cumulus*,ſicut loquebatur Ariſtoteles in contextu ibidem immediate antecedenti, tum quo ad hoc,quod etiam elementorum materia maneat formaliter in mixto & virtualiter forma cum accidentibus elementaribus, cum alias corpora ipſa elementaria non niſi improprie ſint elementum, vbi magis proprie materia 1. elementum eſt ex Auerroe 5. Metaph. comm. 4.

Ad ſecundum, quod impugnat potius mixtionem vt ſic, quam modum Peripateticum mixtionis, vt pariter impugnabant etiam antiqui relati à philoſopho 1. de Gener. c. 10. ideo neceſſario etiam ab aduerſario ſoluendum eſt. nam & ipſe concedit ſingillatim proprias partes elementorum prius ſenſibiles in inſenſibiles diſperdi præcedente ad inuicem alteratione, vt inde ſenſibiles partes mixti componant. quodnam igitur agens hanc diſperſionem efficiet? an ipſa ad inuicem vel aliud tertium? & ſic in terminis redit aduerſarij argumentum; Cui nos occurrimus ex doctrina Complutenſium 1. de Gener. diſp. 9. de mixtione qu. 1. ad 1. & 2. ſcil. poſt actionem & reactionem vtriuſq; elementi ad inuicem per maiorem actiuitatem in vno & maiorem inuicem reſiſtentiam paſſiuam in alio (vt Fuſius explicauerant ijdem Complutenſes diſp. 8. qu. 3. concluſione 2.& ad vltimum) inde penes diuerſas partes alterutrum poſſe inuicem corrumpere alterum, & rurſus etiam vtrumque corrumpi à cauſa ęquiuoca ſuperiori cæleſti, pręter alia,quæ habet Magiſter noſter Ioannes à S. Thoma qu. 5. ibidem ar. 4. in fine videnda.

Ad tertium ex dictis mox poteſt negari ſuppoſitum argumenti, ſcilicet elementa corrumpi in mixtione ſolum per hoc quod qualitas vnius ſuperet in gradu qualitatem alterius,& rurſus quod prædominium vnius elementi in mixto ex hoc ſolo ſumatur, cum aliunde etiam ducat originem, ſcilicet ex maiori multitudine partium vnius elementi cōcurrentium in mixti compoſi-

poſitionem, vt alibi fuſius explicatum eſt, neque hic tempus aut operis ſeries amplius me immorari permittit.

Ad Quartum electa ſecunda parte dilemmatis conſequentia negatur, neque eiuſdem probatio conuincit, tum quia proprietas aquæ eſt humiditas potius quam frigus, vt Complutenſes oſtendunt, tum quia nunquam omnimode ſubſtantiam aquæ ſpoliari frigore Caietanus aduertit, tum quia tandem ſtatus ille ſubſtantiæ aquæ violentus eſt, & niſi paruo tempore duret, paulatim etiam forma aquæ corrumpitur, vbi partes elementares in mixto non ita ſe habent, & conſequenter ſi elementi formam ſubſtantialem haberent, non tam diu naturaliter ſine qualitatibus proprijs remanerent.

Ad vltimum tandem ab experientijs iam ſupra cum Ariſtotele reſponſum eſt, & fuſius expendit ſingulas Amicus loco citato legendus. Et demum pro Medicinæ ſtudioſis, inter quos plures apparet ex auctoritate Galeni deduci in aduerſarium ſententiam, pro iſtis, inquam, concludendum eſt, neque Galenum opinioni aduerſariæ fauere ſed noſtræ, vt Suarez euincit ex ipſo Galeno lib. 1. methodi cap. 2. & lib. 8. de Placitis & politiores Medici ſequuti ſunt, vt Valleſius lib. 1. controu. c. 1. Segarra lib. 1. de natura hominis comm. 4. Thomas de Garuo in ſumma tractatu 1. cap. 1. Petrus Garcia lib. 1. ſuper Fen. diſp. 7. cap. 3. qui ſimul conqueruntur Galenum pro oppoſita ſententia referri.

QVÆSTIO VI.

De materia prima contrapoſita Atomis Democritiſtarum.

TVm vt contrarijs contraria curentur, tum vt præcipua aduerſariorum argumenta euaneſcant ideo ponentium atomos eo quod materia prima nec detur, nec conceptibilis ſit, immo, vt inquit Magnenus diſp. 1. cap. 1. (nobilis quædam fabula ſit ab Ægyptijs ad Græcos per Ariſtotelem deriuata) ideo ſimul hic breuiter de materia prima contrapoſita atomis agendum eſt, & primo videndum an auctoritati ſacrorum etiam conformior ſit materiæ primæ poſitio. Secundo an conceptibilis ſit hæc pura potentia materiæ omni actu etiam entitatiuo deſtituta, quod nec antiqui atomiſtæ capere voluerunt, nec capiunt adhuc aliqui pauci Ariſtotelici, manus in hoc præbentes in re Democriticis & Atomiſtis. Tertio ſubinde, an etiam actu Methaphyſico careat. Quarto an ens imperfectiſſimum omnium ſit.

AR-

ARTICVLVS PRIMVS.

An auctoritati Sacrorum etiam conformior ſit materiæ primæ poſitio.

VIdetur quod non ſingulis præadductis Democritiſtis, inter quos recentior videri poteſt Franciſcus Carus p. p. philoſophiæ naturalis libr. 1. diſp. 1. & probatur. Primo quia aperte materiam primam impugnant ſeu non dari contendunt Iuſtinus Martir in li. contra dogmata Ariſtotelis, Teodoretus lib. de origine decretorum, titulo de materia, Anſelmus in Monologio cap. 6. Anaſtaſius Sinaita tom. 1. Bibliotecæ lib. 1. Anagogicarum & alij, ergo poſitio materiæ primæ non poteſt ab oppoſito ex Sacrorum auctoritate comprobari.

Secundo ſi hæc ſubſtantia adeſt in compoſito, & non corrumpitur vtpote ingenerabilis & incorruptibilis remanens poſt corruptionenem, ergo, inquit Carus pag. 92. *debet videri quemadmodum ignis, aqua &c.* in reſolutione compoſiti. Sed adhuc viſa non eſt nec videri poteſt; ergo non datur, vnde Democritici ſolent in peripateticos hoc inculcare, experientiæ nobis ſtandum eſſe in rerum phyſicarum cognitione, non vero chimericis quibuſdam contemplationibus, vti materia prima videtur.

Tertio quia omne ens reale phyſicum, immo & Methaphyſicum, vel eſt corpus vel ſpiritus vel ſubſtantia vel accidens & ſuum aliquod exiſtere habet & plura huiuſmodi petit. Sed materia prima nullum ex his habet, cum ex Ariſtotele 7. Methaph. tex. 6. (nec ſit quid nec quale nec cæterorum prædicamentorum) & inde nullum dicatur habere actum vel exiſtere & huiuſmodi, vt late exagerat idem Carus ibidem, veluti antiquitus eadem hucuſque ſemper repetita non fine, ergo vere ens reale phyſicum nec Methaphyſicum eſſe poteſt.

In oppoſitum tamen eſt quod pręter adducta ſuperius ex Launoi Camerarius iterum atteſtatur parte 2. q. 1. Pariſijs fuiſſe proſcriptos Clauium, Vildonium, & Bitelium & alios eo quod publice materiæ primæ negationem introducere conarentur, ſed hoc non eſſet niſi materiæ primæ poſitio ſacrorum etiam auctoritati conformaretur, ergo ſic vere conformari dicenda eſt.

Reſpondeo vtique cõformiorem eſſe ſacrorum auctoritati materiæ primæ poſitionem. nam vt Beſarion etiam adnotauit lib. 2. contra calumniatorem Platonis cap. 5. materiæ primæ poſitio etiam *capiti primo Geneſis conformis eſt.* Quod ego pro Beſſarione confirmo, nimirum non paucos Sanctos Patres illa Geneſis verba, *terra autem erat inanis & Vacua*, de materia prima fuiſſe interpræstatos, vt inter cæteros Auguſtinus lib. ſuper geneſim ad litteram cap. 4. & cap. 15. & de Geneſi contra Manicheos libr. 1. cap. 7. repetit, *hanc autem adhuc informem materiam etiam terram inuiſibilem atque in compoſitam Moyſes voluit appellare.* Eucherius libr. 1. commen-

mentariorum in Geneſim ca. 1. *terra*, inquit, *erat inuiſilis incompoſita ideſt adhuc informis erat ipſa materia*, Gloſa ordinaria ad eundem textum, *terra corporalis*, inquit, *materies adhuc imperfecta*, Beda in Commentarijs ad primum ca. Geneſis, *quibus verbis*, inquit, *videtur ſignificare informitatem materiæ corporalis*, Lipomanus ibidem, *Hæbreorum non nulli, inquit, dicunt quod Thou ſit res omni forma carens vt eſt materia prima*, interquos Rabi Dauid apud Luſitanum, *Sapientes noſtri, inquit, dixerunt quod Thou eſt res informis apta ad recipiendam omnem formam, quam Græci Hylem vocant id eſt materiã*, inde D. Philaſtrius Epiſcopus Brixienſis in hæreſum Cathalogo hæreſi 63. *ignorant*, inquit, *quod alia eſt terra, quæ veluti matrix eſt omnium rerum vniuerſaque continet. quæ quaſi Hyle id eſt materia reperitur in ſcripturis, quæ eſt inuiſibilis & incompoſita, quæ à Deo facta eſt prima Die*, & Beatus noſter Albertus Magnus parte ſecunda de quatuor Coæquenis qu. 12. art. 9. *ſecundum omnium Sanctorum expoſitionem, inquit, terra pro materia informi accipitur*, vt proſequuntur Alenſis in ſumma qu. 45. membro 3. D. Bonauentura in 2. diſt. 12. in textu & cum Magiſtro ibidem Theologi paſſim.

Secundo probatur quia ad idem caput Geneſis Sãcti Patres ex illo, *Creauit Deus Cælum & terram*, deducunt etiam materiam primam creatam eſſe à Deo non vero fuiſſe ingenitam ante mundum, vt voluit Plato alijque adducti ſuperius Hæretici ſubſequuti ſunt. Sed hoc nil aliud eſt, quam ex ſcriptura ſupponere etiam materiæ primæ poſitionem. ergo. Probo maiorem, nam ita arguit Auguſtinus libr. 1. de Geneſi ad litteram cap. 15. & 12. confeſionum cap. 29. ſic Beda in lib. quæſtionum in Geneſim; ſic Tertullianus in lib. aduerſus Hermogenem cap. 27. ſic Ambroſius lib. 1. Hexameron cap. 7. ſic Teodoretus qu. 4. in Geneſim, ſic Procopius in Commentarijs ad caput 1. Geneſis, ſic demum Baſilius, quem perperam ſolent aduerſarij contra materiam primam Ariſtotelis inculcare, eo quod homilia 2. Hexameron dixerit, *veritatis deprauatores non ſuam mentem accomodantes ſcripturæ ſed ad ſuam voluntatem ſcripturarum mentem trahentes, ac peruertentes, materiam hiſce verbis innui dicunt*. Sic immo, inquam, Baſilius ibidem ſtatim ſe refutare ſolummodo materiam vt poſitam in ſe increatam in Platonicorum ſenſu ſubiungit, *ſi igitur*, inquit, *ingenita eſt terra, nec vlla prorſus ipſius extat origo, primus quidem peræque ac Deo tribuendus illi venit honor eximiæ dignitatis. Terram inquam ipſam qualitatis omnis expertem, forma penitus carentem & extremam informitatem &c.* quam & mox inde non ſen el materiæ nomine noncupauit.

Tertio probatur ex alio ſcripturæ loco ſcilicet ſapientiæ 11. dicente, *manus tua creauit orbem terrarum ex materia inuiſa*, ſed hoc nil aliud eſt quam prius Deũ produxiſſe materiam primam, & ex illa ſimul produxiſſe orbem, vt Patres exponunt; ergo ex ſcriptura etiam materiæ primæ poſitio magis ſaltem quam atomorum comprobari poteſt. Minorem probo, ſic enim vrget hunc locum & explicat Hieronymus Commentarijs in Iob cap. 38. dicens, *duas enim partes mundi magnas cælum & terram Deus ex nihilo fecit & ima earum de materia informi*, Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Autholicum,

licum, *hoc in primis,* inquit, *Sacra Scriptura agit & monet vt doceat materiam à Deo eſſe quodammodo factam, ex qua mundum conſtituit*, Tatianus oratione contra Græcos, *vniuerſam*, inquit, *machinam & quidquid in ea conditum extat è materia conſtitutum eſſe patet, ipſam vero materiam à Deo productam ita vt partim rudis & informis intelligatur antequam diſcerneretur, partim conformata & digeſta poſt per actam eius diſcretionem*, vt repetit etiam Gregorius Magnus commentarijs in Iob lib. 32. & ſubdit Alcuinus q. 19. in Geneſim *ex materia informi*, inquit, *qui viuit in æternum creauit omnia ſimul*, Auguſtinus lib. 1. de Geneſi ad litteram ca. 14. *de qua materia*, inquit, *dicit etiam quædam ſcriptura, qui feciſti mundum ex materiæ informi.* Vgo Carenſis in poſtillas ad Geneſim, *creauit cælum & terram id eſt vtriuſque materiem informem, materia vero de nihilo facta eſt, ſed mundus de materia informi*, Eucherius Commentarijs in Geneſim lib. 1. cap. 1. *terræ autem nomine materiam illam informem inſinuat, ex qua viſibile hoc cælum & terra & vniuerſa moles huius mundi formata eſt, de qua ſcribitur, qui feciſti mundum de materia informi*, Beda in cap. 1. Geneſis eandem afferens auctoritatem, *vtrumque igitur*, inquit; *Fecit Deus materiam & formam. ſcriptura enim ait, qui feciſti mundum de materia informi. Sed materia facta eſt de nihilo, mundi vero ſpecies de informi materia*, idem habet & aprobat Nemeſius de natura hominis cap. 5. & eadem verba repetit cum eadem auctoritate ſapientiæ etiam Gloſa ordinaria ad idem ca. Geneſis, vnde noſter Catherinus Enarratione in idem caput Geneſis concludit, *quid diutius moror? ſcriptura ipſa ſancta hoc manifeſte probat, vt mirer quoſpiam diſputantium minus conſideraſſe. ait enim ſapiens manus tua fecit orbem terrarum ex materia inuiſa; ſeu vt Auguſtinus citat, informi materia.*

Ad primum igitur planiſſima reſponſio eſt ex Theologis p. p. qu. 44. ar. 2. nimirum aliquos Sanctos Patres refutare materiam primam, non abſolute, ſed pro vt poſitam à Platonicis, ſcilicet ingenitam & increatam, ex quorum diſcurſibus immo deducitur euidenter alias materiam primam agnouiſſe, dum eandem à Deo creatam eſſe demonſtrant, vt mox antea in ſecunda noſtra probatione expendebamus.

Ad ſecundum retorquetur omnino Argumentum in Atomiſtas, qui ſæpe fatentur atomos inſenſibiles eſſe, & tamen non inde negandas, vti Lucretius lib. 1. ſic dicens

Neque forte tamen cæptes diffidere dictis.
quod nequeunt oculis rerum primordia cerni.

quod pluribus exemplis ibidem comprobare conatur in fine concludens:

corporibus cacis igitur natura gerit res.

reſpondeat igitur merito à pari & Plato de materia prima in Timeo ſic dicens, *nunc vero ratio videtur cogere arduam & obſcuram ſpeciem conari ſermonibus manifeſtare, quam ergo habens potentiam & naturam ipſum putandum? talem maxime omnis eſſe generationis ſuſcepaculum veluti nutricem*, & infra, *& ipſum cum inſenſibilitate tactile ratiocinio quodam notho vix credibile &c.* plura ibidem ex Platone videri poſſunt etiam in Patricio tomo 3. lib. 6. per

totum,

totum, iuxta quæ & Auguſtinus libr. 12. Confeſſ. cap. 6. fatetur ſe per intellectum ſupra ſenſum inueſtigaſſe cognitionem materię ex tranſitu rerum, cui aliquod ſubiectum ſubijci debet, vt arguit & philoſophus in 1. Phyſicorum.

Ad tertium reſpondet ſæpiſſime Ariſtoteles præſertim 1. Phyſicorum cap. 8. dicens ſufficere entitati materiæ, quod ſit ens non quidem actus ſed ens, quod ſubiectiua potentia eſt, vnde & 8. Methaph. tex. 4. concedit, *quod vere ſubſtantia eſt materia*, vti & 1. Phyſicorum tex. 66. & 69. vt explicat S. Thomas 7. Methaph. lectione 2. & Auguſtinus mox infra referendus aiebat, *non quidem materiam eſſe nihil, ſed prope nihil*, quia inquit, *vtcumque erat, vt ſpecies caperet iſtas & viſibiles & inuiſibiles*, ſed de his in ſequentibus magis, vt conſtet hæc duo non implicare, ſicut aduerſarij ſupponunt, materiam aliquid vere eſſe & tamen ſimul puram potentiam eſſe.

ARTICVLVS II.

An cum hoc, quod materia prima ſit realiter ens, ſimul ſtet eſſe puram potentiam omni actu etiam entitatiuo carentem.

Videtur quod non, non ſolum omnibus Democriticis, ſed paucis etiam aliquibus ex Peripateticis ne dum extraneis ſed etiam noſtris, inter quos Manca 1 phyſicorum qu. 4. dubio 8. pro actu entitatiuo materiæ referens Cabreram 3. parte & Maſium in 1. phyſicorum qu. 6. concluſione 3. vti pariter ſolent recenſeri Lerma ibidem, Arauco in 8. Methaph. qu. 1. art. 1. & Bieſcas p. p. qu. 5. art. 3. dubio 1. & alij, ſed minus vere hi poſtremi referuntur, cum non de actu entitatiuo phyſico, de quo hic, ſed de Meth. ſeu Logico, ſcil. differentia, loquantur, de quo articulo ſubſequenti dicemus. In præſenti autem hæc argumenta præcipua afferri ſolent.

Primo nam quælibet potentia debet expleri per actum, ſed materia prima ratione ſuæ eſſentiæ & entitatis realis explet potentiam obiectiuam, ex qua educitur per creationem, ergo per aliquem actum debet illam expleſſe, & in idem redit aiendo, quod tot modis dicitur actus quot modis potentia contra poſita eidem. Sed duplex eſt potentia obiectiua & ſubiectiua, ergo duplex actus entitatiuus ſcilicet terminans potentiam obiectiuam & actus formalis terminans ſeu actuans potentiam ſubiectiuam.

Secundo quia materia poſtquam producta eſt verè eſt actu in noſtra ſententia & nunquam deſiuit eſſe actu. Sed quod actu eſt, ad minus habet actum entitatiuum, ergo materia in noſtra ſententia admittente eandem vere habet actum entitatiuum.

Tertio quia quod ita potentia eſt, vt nullo modo habeat actum, nihil eſt, ſed materia prima poſt primam concreationem ex nihilo, non amplius eſt nihil, vti nos dicimus contra Democriticos, vnde etiam ſubiectiue ſuſcipit exiſtentiam, ergo non ita potentia eſt vt nullo modo habeat actum ſaltem entitatiuum.

Quarto

Quarto (omiſſis alijs tangendis infra) quia hinc S. Thomas p. p. q. 1. 5. art. 2. inquit, *omne ens in quantum ens eſt in actu & perfectum*, ſed materia prima contra Democriticos vere eſt ens, ergo & actum habet contra nos, vel ſi non habet actum neque hoc vllum vere ens eſt, vt Democritici contendebant.

In oppoſitum tamen eſt, quod, vt mox dicemus, antiqui Democritiſtæ nil aliud nomine atomorum intelligebãt niſi portiunculas quaſdam in actu inſenſibiles vt ſubiectum in actu motus vel mutationis &c. Sed ſi ponamus materiam primam eſſe aliquod ens in actu, cum alias corporea ſit & plures portiones habere dicatur, hoc totum ſequi videtur, ergo ponendo materiam habere aliquem actum, iam atomi Democritiſtarum conceduntur in re, licet atomi non nominentur. Sed hoc non eſt dicendum, vt vidimus; ergo neque dicendum eſt aliquem actum habere materiam &c.

Reſpondeo materiam primam ita ens reale ſed pure potentiale eſſe, vt omni actu etiam entitatiuo carere inmerito aſſeratur, nam Ariſtoteles vt ſupra vidimus tum in 1. phyſicorum tex 74. tum in 1. de Gener. refert ideo veteres philoſophantes fuiſſe deceptos, quia non valebant intelligere materiam eſſe potentiam non actum. Sed pariter in propoſito aduerſarij in tantum ponunt in materia prima aliquem actum entitatiuum, vt ipſi loquuntur, in quantum nequeunt intelligere materiam eſſe potentiam ipſam ad omnem actum, ergo pariter in propoſito iſti eodem vitio ab Ariſtotele refutato laborant, & contra hos omnes non ſolum in locis adductis ſed iterum in 2. de Anima cap. 1. Stagerita vno verbo conclamat dicens, *materia poteſtas, ſeu potentia, ſpecies actus ſeu perfectio eſt*, & ex ipſo Commentator Auerroes in lib. de ſubſtantia Orbis in initio ſubiungit, *materiam per nihil aliud conſtitui vel ſubſtantiari niſi per hoc ſcilicet per poſſe omnia eſſe*, vt repetit etiam in 2. Phyſicorum Commento 12. Confirmo nam Ariſtoteles idem ad redarguendam hanc veterum imaginationem de materia concepta vt quodam actu diſerte lib. 7. Methaph. text. 49. ſic opponebat, *impoſſibile eſt, inquit, ſubſtantiam ex ſubſtantijs eſſe, quæ ſic inſunt vt actu, quæ enim duo ſic actu ſunt, nunquam vnum actu ſunt*, igitur deducit infra hanc conſequentiam, *ſi ſubſtantia vnum non eſſet ex ſubſtantijs*, ſcilicet dicentibus actum, ſed in aduerſariorum ſententia (dico ego) iam ſubſtantia compoſita per ſe vna, vt homo, iam eſſet ex ſubſtantijs dicentibus actum ſcilicet ex forma, quæ actus eſt, & ex materia, quæ pariter actum entitatiuum haberet, ergo iam non poteſt per ſe vna ſubſtantia eſſe, vt ſupponitur. Confirmo ſecundo, nam vt arguebat idem philoſophus in 1. de Gener. tex. 23. ſaluari debet ratio diſcriminis inter generationem ſubſtantialem & alterationem, quod iſta fiat ex ſubiecto in actu, illa vero ex ſubiecto in potentia non actu, ſed ſemel admiſſo aliquo actu entitatiuo in materia, hæc diſcriminis ratio deſtruitur, immo valida ratio adduci non poteſt, cur ex materia iam actum habente dicatur fieri ignis & non potius ignitum, vt ex corpore dum calefit producitur calidum, ergo admitti non poteſt actus entitatiuus in potentiali eſſentia materiæ, audi integrum diſcurſum iſtum in S. Thoma opuſculo 13. ca.

7. ita dicente, *vbi ponitur materia ens actu nihil differt dicere materiam & ſubſtantantiam rei. ſic enim antiqui naturales, qui ponebant materiam primam ens actu, dicebant materiam eſſe omnium rerum ſubſtantiam*. at ſcio quid valeant & ſoleant plerumque ad illa reſpondere recentes, nempe ex Ariſtotelis auctoritate eiuſdemque diſcurſibus contra priſcos illos philoſophantes euinci neutiquam materiam ex ſe habere actum aliquem formalem vt ſit, bene tamen habere poſſe actum entitatiuum præciſe, qui denuo potentia ſit ad vlteriorem formalem actum. Sed quis non videat id, quod præuidit Angelicus ſcilicet opuſc. 45. ita diſcurrens? *infirmari ſaltem rationem philoſophi, qua oſtendit in 5. Phyſicorum generationem non eſſe motum, quia non eſt in ſubiecto in actu, ſi materia ens in actu ſaltem incompleto ponatur*, hæc S. Thomas apposite, ex quo ſic poſſumus contra prædictum effugium prææallegatos philoſophi vrgere diſcurſus: nam iuxta philoſophum in primo loco ex hoc quod veteres non valebant apræhendere materiam ſub ratione potentiæ cogebantur aſſerere in actu formali materiam, ſed iuxta mox dicta à recentibus illa illatio philoſophi non valeret, cum poſſit adhuc, vt iſti dicunt, concipi materia vt in actu & tamen non in actu formali; ergo mox dicta à recentibus illi diſcurſui Ariſtotelis conformia non ſunt. Pariter circa ſecundum, ſicuti iſti recentes dicunt quod ex forma & ex alio actu materiæ, ſi completus eſſet, non fieret vnum per ſe, bene ſi actus entitatiuus incompletus ſit, vt ipſi reſpondent, ita veteres potuerunt reſpondere philoſopho in ſecundo loco, quod ex forma ſubſtantiali & ex actu formali materiæ non fieret vna ſubſtantia per ſe, ſi actus formalis materiæ completus eſſet atque perfectus, non vero ſi actus formalis incompletus ſit ac perfectibilis. Sed hoc ſecundum eſſet adhuc contra Ariſtotelem, vti & neoterici iſti fatentur, ergo pariter abſurdum & illud primum contra Ariſtotelis diſcurſum eſt, & ſi non deſtruit, eneruat ſaltem probationem eiuſdem, vt Doctor Angelicus aduertebat. Demum in tertio non minus loco euerti valeret ratiocinatio philoſophi, ſi veteres illi dixiſſent in ſubiecto in actu formali & completo fieri motum, at in ſubiecto in actu formali ſed incompleto fieri mutationem generationis ſubſtantialis, vti recentes iſti diſtinguunt de actu entitatiuo incompleto & huiuſmodi. Sed hoc iterum abſurdeſt & Ariſtotelis doctrinæ contrarium, ergo pariter recentiorum ſolutio Ariſtotelis rationi difformis.

Secundo principaliter aſſertio noſtra probatur ex eiuſdem doctrina philoſophi, quia, vti colligitur ex ipſo Ariſtotele in 1. phyſic. tex. 56. *ita ſe habet materia ad totum genus naturalium, ſicut æs vel lignum ad totum genus artificialium*; ſed æs vel lignum de ſe adeo denudatum eſt à toto genere actuũ artificialium, vt nullum actum artificialem etiam entitatiuum habere dicatur, ſed eſt præciſſe in potentia ſubiectiua ad omnem actum artificialem, ergo & materia de ſe adeo erit denudata à toto genere naturalium actuum vt nullum actum naturalem etiam entitatiuum valeat obtinere, ſed pura potentia erit ad quemlibet actum: qui totus diſcurſus ex Ariſtotele ſumptus innititur etiam axiomati Commentatoris 2. de anima Comm. 67. dicentis,

omne

omne recipiens debere eſſe denudatum à natura recepti, & in Platonis doctrina fundatur in Thimeo, quam referunt etiam & explicant Ficinus li. 10. Theologiæ Platonicæ c. 13. & Plotinus Æneade ſecunda lib. 5. cap. 4. Plato quidem ſic inquiens, *materiam omnium expertem eſſe non ſecus ac mollia omni figura exui debent, omnique odore liquores, vt quocumque odore liquores imbui poſſint omnique figura mollia exornari*, Plotinus etiam vbi ſupra ſubiungens, *materiam ipſam quam eſſe omnia entia in potentia iudicamus, quanam conditione eſſe actu entium aliquod poſſumus indicare? Alioquin non iam entia cuncta in potentia foret*, hucuſque ex Platone Plotinus cum Stegiaritæ præadducto diſcurſu conueniens, ex quo Capreolus noſter Thomiſtarum Princeps in 2. diſt. 13. qu. 1. art. 3. ad 4. Gregorij ſcitiſſime admonebat *Sequelam noſtram clariſſimam eſſe apud quemcumque intelligentem quid nominis materiæ primæ per hoc enim nomen intelligitur pura potentia ad omnem actum, ponere autem puram potentiam ad omnem actum eſſe actum eſt ponere puram potentiã non eſſe pure potentiam & ſic materiam non eſſe materiam*. Confirmo ex his Capreoli verbis hoc modo, quia etiam in aduerſariorum ſententia materia prima dicitur pura potentia, vt Suarez nobis oppoſitus confitetur diſp. 13. Methaph. ſectione 5. conclu. 3. propter adducta Ariſtotelis & Commentatoris teſtimonia & iterum ex 8. Methaph. tex. 3. & 13. & 16. Sed ea dicitur pura potentia, quæ nullum omnino actum includit, vti ab oppoſito ille dicitur purus actus, vt Deus, qui nulli omnino potentiæ permixtus eſt; Ergo ex iam conceſſis etiam ab aduerſarijs fatendum eſt, nullum omnino actum etiam entitatiuum materiam habere, quam paritatem obſeruat & vrget noſter Angelicus in p. p. qu. 115. ar. 1. ad 2. Confirmo ſecundo contra aduerſariorum effugia, quia non minus pura potentia ſuſceptiua vt ſic conſtituitur per excluſionem omnis actus vt ſic, ac conſtituatur actus purus per excluſionem potentiæ ſuſceptiuæ ad quemlibet actum vt ſic. Sed nullus actus dicitur purus actus, ſi ſolum excludat à ſe potentiam ſuſceptiuam alterius actus formalis ſubſtantialis, aliter quælibet forma ſubſtantialis actus purus eſſet; ergo neque vlla potentia dicitur pura potentia ſuſceptiua, vt materia nominatur, ſi ſolum excludat à ſe actum omnem formalem ſubſtancialem, vt iſti contendunt. Confirmo tandem, quia ad hoc vt aliqua pura potentia ſuſceptiua faciat vnum per ſe cum aliquo actu non ſufficit eſſe puram potẽtiam in vno ordine poſteriori & in alio priore ordine actum eſſe, aliter & potentia intellectiua noſtra, quæ in ordine intelligibilium pura potentia eſt, etiam ſi actus ſit in alio ordine priori entis, faceret vnum per ſe cum ſpecie intelligibili adhuc in ordine entium, quod abſurdum eſt, & ſic de potentia viſiua ad ſpecies viſibiles, de ære ſeu ligno ad formas omnes artificiales & huiuſmodi. Sed iuxta aduerſarios etiam materia facit vnum per ſe cum forma in quolibet ordine quantumcumque priori ſcilicet entis vt ſic. ergo debet eſſe pura potentia nedum in ordine poſteriori ſcilicet actus formalis, vt dicunt, ſed etiam in priori ordine entis vt ſic.

Tertio præcipuum iterum ſic noſtrum extruitur fundamentum, nam quidquid ſit, an materia dicatur intrinſecæ actus abſolute in ſe, adhuc tamẽ

nemo aduerſariorum admiſit poſſe dici actum formaliter reduplicatiue in ordine ad formam, ita vt in ordine ad ipſam, à qua actuatur, exerceat formaliter hoc munus actus, vt patet, cum ſuſcipere potius & actuari potentiæ ſit; Sed ſemel admiſſo eo, quod iſti deffendunt nempe materiam habere de ſe eſſe actum entitatiuum, euincitur etiam &, velint nolint, impelluntur aſſere hoc ipſum abſurdum, quod materia formaliter etiam in ordine ad formam exerceat hoc munus actus; ergo ſignum euidens eſt abſurdam eſſe poſitionem eorum, minor, quæ ſola indigeret probatione, probatur nam omnis actus intrinſece talis aut eſt actus per ſe ſubſiſtens, vt Deus, aut eſt actus alterius à ſe diſtincti, vt forma materiæ, natura ſuppoſiti & huiuſmodi; Sed iſte actus entitatiuus materiæ neque poſſet eſſe per ſe omnino ſubſiſtẽs vt Deus, aliter Deus eſſet & conſequenter excluderet etiam à priori potentialitatem ad vlteriores actus: neque poteſt eſſe actus actuatiuus eiuſdem eſſentiæ materiæ, quæ nec realiter nec etiam formaliter ex natura rei ab eodem actu diſtinguitur, ergo remanet hunc actum fore formaliter actũ in ordine ad ipſamet formam, quam materia ſuſciperet. Confirmo primo quia actus formaliter irreceptus in alio perfectior eſt actu, qui in alio recipitur, vt patet tum exemplariter in Angelo reſpectu noſtri, tum à priori quia remoto recipiente limitatio remouetur & finitas, ſed iſte actus materiæ eſſet actus irreceptus in alio realiter, vbi forma ſubſtantialis actus eſſet & in alio receptus, licet vterque reciperet alia; ergo iam actus iſte materiæ longe perfectior eſſet & ipſo actu ſubſtantiali formæ, quod iterum abſurdiſſimum eſſet. Confirmo ſecundo, quia perfectior eſt actus vt quod, quam pure vt quo, & actus ingenerabilis ſimul & incorruptibilis, quam corruptibilis & Generabilis. Sed materia prima, ſi ſemel eſt actus entitatiuus, non eſt actus vt quo forma ſit actus nec conſequenter compoſitum, immo eſſet actus entitatiuus vt quod, forma vero ſolum vt quo, & rurſus illa ingenerabilis & incorruptibilis, non iſta, ergo illa eſſet actus perfectior quam iſta, quod quis non videat abſonum apparere? vnde concludit merito S. Thomas p. p. qu. 66. art. 2. *cum impoſſibile ſit ponere aliquod ens actu quin vel ipſum totum ſit actus & forma, vt Deus vel Angelus, vel habeat actum ſeu formam, vt compoſitum, ſequitur quod ſi aliquod ens actu non eſt habens formam, ſit totum forma & actus, omne autem tale eſt intellectum in actu.* Hæc S. Thomas.

Quarto tandem ſic probatur, nam in hoc diſtinguitur actus entitatiuus Phyſicus à Meth. quod actus entitatinus phyſicus dicitur ille, qui immediate ordinatur ad eſſe ſeu exiſtere non vero immediate ad aliam eſſentiam vel entitatem, mediante qua fiat in actu entitatiue & conſequenter obtineat exiſtentiam ab alio, ſed materia non ordinatur immediate ad exiſtentiam, immo immediate ordinatur ad ipſummet actum entitatiuum ac eſſentialem formæ, mediante quo poſtea exiſtens euadit, ergo materia non debet dici actus entitatiuus, ſed potius vere potentia ad actum entitatiuum ipſum vt actum ſuſcipiendum & inde ad exiſtere mediante actu entitatiuo ſuſcepto, minor alibi ex propoſito probata eſt & conceditur à præadductis, cum

quibus

quibus hic diſputamus, maior vero probatur, quia ens vt ſic & eſſentia dicuntur per ordinem ad eſſe ſeu exiſtere, ergo & actus entitatiuus proprius entis deſumetur in ordine ad eſſe ſeu exiſtere, ſed nullo alio modo poteſt deſumi vel explicari actus entitatiuus vt ſic formaliter à potentia entitatiua diſtinctus niſi per hoc, quod iſta ordinetur ad eſſe ſeu exiſtere mediante alio ſcilicet actu entitatiuo, actus vero entitatiuus immediante ratione ſui, ergo vera maior. Confirmo hinc primo, quia ex 9. Meth. actus & potentia ſunt in eodem genere & conſequenter, vt dicitur ibidem cap. 1. etiam in eodem genere entis vt ſic datur ens, quod eſt potentia, & ens, quod eſt actus, ſed ens, quod eſt potentia in genere entis vt ſic, nil aliud eſt quam potentia entitatiua ſuſceptiua actus entitatiui vt ſic, cum iam vtrumque in genere entitatiuo ſupponantur, ergo iam dari neceſſe eſt potentiam entitatiuam ab actu entitatiuo diſtinctam, cuiuſmodi profecto materia eſt. Confirmatur hinc tandem & aperitur aditus ad argumenta ſoluenda, in tantum materia prima dicitur ab aduerſarijs de ſe actum entitatiuum habere inquantum vere ens reale ſubiectiue eſt, ſed ad hoc ſufficit eſſe potentiam entitatiuam ex 9. Meth. cap. 1. vbi etiam admittente Suarez ens ſumptum in ſe ſubiectiue diuiditur in potentiam & actum, nec de potentia obiectiua intelligitur, vt idem Suarez aduertit & probat, ergo adhuc non eſt neceſſe materiam de ſe actum entitatiuum habere, vt dicebatur.

Ad primum igitur diſtinguenda eſt maior, quælibet potentia proprie talis, vti eſt potentia ſubiectiua, concedo, potentia, quæ ſolum Methaphorice potentia dicitur, vti eſt obiectiua, negatur: hanc enim ſolum eſſe Methaphorice potentiam docet aperte philoſophus in 5. Meth. tex. 17. de potentia obiectiua in Geometriæ obiecto ſic dicens, *ſecundum metaphorā, quæ in Geometria dicitur potentia*, & ideo iſta obiectiua potentia, cum nil aliud ſit in ſe ſubiectiue extra diuinam eſſentiam quam negatio repugnantiæ ad eſſendū, tunc ſolum expleri debet per actum, quando eſt negatio repugnantiæ ad hoc vt res actus ſit, & tunc per potentiam ſubiectiuam, quando eſt negatio repugnantiæ ad hoc vt res potentia ſubiectiua ſit, aliter illud, quod eſt poſſibile, vt fiat potentia ſubiectiua, numquam à parte rei reponi valeret, immo numquam vere à parte rei compoſitum vere componeretur ex potentia ſubiectiua & actu, ſi potentia ſolum vt ſic in potentia obiectiua remaneret, neque vt potentia eſt extrahi ex potentia obiectiua permitteretur.

Ad ſecundum primo retorquetur, quia materia eſt etiam in actu formali nec vmquam ſine ipſo eſt, ergo pariter ſequeretur materiam de ſe actum formalem habere, quod nec aduerſarij concedunt: ſecundo igitur diſtinguo maiorem eſt actu adiectiue, ideſt ſit in actu & actualis, concedo, eſt actu ſubſtantiue nimirum eſt vel ſit ipſemet actus, nego, vnde ſolum ſequitur numquam vtique ſeparari ab actu entitatiuo immo formali hanc potentiam entitatiuam, non vero fieri vel eſſe ipſum actum entitatiuum, à quo ſicut diſtinguitur & contra ponitur in ſtatu potentiæ obiectiuæ ita debet diſtingui & contraponi etiam in ſtatu productionis, aliter ſtatus iſte non

per-

perficeret ſed peruerteret eſſentias rerum, vnde appoſite S. Thomas in 8. Meth. lect. 1. inquiebat, *quod materia eſt ens & ſubſtantia potentia non ens & ſubſtantia actus, vnde non poteſt intellegi niſi ut ens in potentia ad formam.*

Ad tertium reſpondetur illud fuiſſe argumentum antiquorum philoſophantium adductum in 1. de Gener. apud S. Thomam lect. 6. his verbis, *quod ſi materia eſt nihil actu, ſed potentia ens, ſequitur id, quod timebant priores philoſophi, quod aliquid generetur ex nullo præexiſtente, quod enim non eſt actu nihil eſt*, reſpondet autem S. Thomas ibidem & alibi, ſcilicet opuſc. 15. ca. 8. diſtinguens ſi ita eſt in potentia, vt tamen ſit ſubiectiue capax actus & ſuſcipiendi actum, nego, ſi neque hoc habeat, concedo, vnde inquit S. Thomas, *vocat Ariſtoteles materiam remota forma non ens ſuſceptiuum tamen formæ, quæ eſt participatiua vltimi actus, qui eſt exiſtentia.*

Ad quartum reſpondet etiam Iauellus diſtinguendo maiorem loquendo de ente participialiter, concedo, nominaliter, nego, vel nominaliter ſubdiſtingo, de omni complecto, concedo, de omni etiam incomplecto, nego, vel demum de incomplecto ſubdiſtinguo, eſt in actu adiectiue id eſt habens actum, concedo, ſubſtantiue id eſt ipſe actus, nego.

ARTICVLVS III.

An ſaltem materia prima habeat actum Methaphyſicum, id eſt, proprie differentiam.

Videtur quod ſic inter cæteros etiam ex noſtris Maſio, Arauco, Bieſcas, Lermæ & Chabreræ, locis in articulo ſuperiori relatis, & poteſt ſatis probabiliter hæc ſententia perſuaderi ſic.

Primo nam ex 7. Methaph. tex. 49. actus eſt, qui diſtinguit, ſi non actus phiſicus adminus Methaph. vt differentia; Sed iam materia cæleſtis diſtinguitur à materia ſublunari, vt tractat S. Thomas p. p. qu. 67. ar. 2. immo & materiæ cæleſtes ad inuicem, ergo materia ad minus actum Matheph. ſcilicet differẽtiam eſſentialem ſpecificam habere debet. & ne quis reccurrat ad ſolutionem Caietani p. p. qu. 66. ar. 1. reſpondentis ad ſecundum Ægydij ex doctrina S. Thomæ ibidem ad quartum, hanc diſtinctionem inter materias ſumi dumtaxat ex actibus, ad quos, non ex actu, qui ipſæ ſint.

Secundo principaliter contra hoc effugium ita argui poteſt, quia ex modo data S. Thomæ doctrina ita diuerſa potentialis eſſentia materiæ cæleſtis ac ſublunaris diſtincta eſt ad diuerſos actus formales ſicut potentia viſus & auditus ad obiecta diuerſa ex S. Thom. ibidem. Sed ex Caietano etiam p. p. qu. 77. ar. 3. in potentia viſus & auditus, licet obiecta extrinſeca ſint, ordo tamen & differentia ſunt quid intrinſecum ipſis; ergo pariter in materia ſublunari & Cæleſti licet formæ connotentur extrinſecè, ordo tamen & differentia quid intrinſecum erit, ergo adhuc materia propriam differentiam & actum Methaph. intrinſecum habere debet.

Tertio quia ſicut materia prima eſt quid ſimplex non compoſitum, ita & ſub

& ſubſtantia prædicamentalis vt ſic abſtrahens à ſpirituali & corporea, & ſicut in quolibet conceptu proprio materiæ includitur tranſendentaliter eadem eſſentia materiæ vel ens, ita & in quolibet conceptu ſubſtantiæ prædicamentalis vt ſic includitur tranſendentaliter eſſentia ſubſtantiæ non minus ac ens, ſed non obſtante hoc ſecundo adhuc conceptus proprius ſubſtantię prædicamentalis, vt ſic, dicitur quædam actualitas Methaph. contrahens aliqualiter & actuans Methaph. conceptum entis vt ſic, ergo pariter non obſtante primo conceptus proprius materię primæ dicetur actualitas quædam Methaph. contrahens & actuans Methaph. rationem entis.

Quarto quia vt colligitur ex 8. Meth. text. 10. & ex Porphirio cap. de differētia, quodlibet contrahens aliquod commune vt ſic ſe habet vt actualitas illius ſaltem Methaphyſice actuans potentialitatem aliquam contrahibilem eiuſdem, vnde dicitur prædicari in quale quid. Sed iam conceptus proprius materiæ ſublunaris ex vna parte, vel Cæleſtis ex alia, contrahit conceptum communem materiæ vt ſic, ergo ſe habet vt actualitas ſaltem Meth. actuans potentialitatem materiæ vt ſic ad modum prædicabilis in quale quid.

Quinto quia ſicut materia eſt potentia Phyſica ita & forma eſt Phyſicus actus, ſed non obſtante quod forma vere ſit phyſicus actus componitur adhuc ex potentialitate methaphiſica generis in ordine ad differentiam, ergo pariter non obſtante quod materia ſit potentia phyſica componi poterit adhuc ex Meth. actualitate in ordine ad genus.

Sexto, vt inquit S. Thomas qu. 3. de veritate art. 5. ad 1. *licet materia prima ſit informis id eſt ſine forma tamen ineſt ei immitatio primæ formæ quantumcumque enim debile eſſe habeat illud tamen eſt immitatio primi entis*. Sed non poteſt materia eſſe imitatio primi entis ratione puræ potentiæ, cum ab oppoſito in Deo nulla potentia detur, ergo remanet eſſe imitationem primi entis ad minus ratione cuiuſdam Methaph. actualitatis.

Septimo tandem quia intantum materia careret omni etiam Methaphyſica actualitate ſicut Deus omni potentialitate etiam Meth. caret, in quantum materia eſſet ens omnium imperfectiſſimum ſicut Deus perfectiſſimū omnium: Sed ex S. Th. p. p. q. 49. ar. 3. licet detur ſummum in genere boni & perfecti, non tamen in genere mali ſeu imperfecti. ergo ratio addicta non valet & conſequenter materia poterit actualitatem Methaphyſicam obtinere &c.

In oppoſitum tamen eſt quia quidquid habet proprie differentiam eſt aliquod ex his, quæ actu in decem prædicamentis reponuntur, vbi ab oppoſito Deus ſicut ex genere & differentia non conſtat ita in prædicamento non eſt. Sed ex Ariſtotele 7. Meth. tex. 8. materia non eſt actu aliquod ex decem prædicamentis, *ſed potentia omnia*, vt notabat & vrgebat etiam cum S. Thoma Caietanus p. p. qu. 66. art. 1. ergó materia prima neque actualitatem Meth. ſcilicet proprie differentiam habet, vt de facto conſentiunt cum Caietano, Soncinas in 7. Meth. qu. 17. Fararienſis in 1. Phyſicorum qu. 11.

Soto

Soto qu. 6. art. 1. & dubio 6. & 3. præter Complutenſes, Prado, & huiuſmodi recentiores ac politiores Thomiſtas.

Reſpondeo materiam primam neque proprie Methaphyſicam actualitatem ſeu proprie differentiam habere. In primis enim, vt notat S. Thomas in 5. de ente & eſſentia ex Commentatore & Ariſtotele 3. de Anima tex. 14. *vti intellectus potentialis animæ noſtræ comparatur vt infimus in genere intellectuũ ad formas intelligibiles ita materia prima tenet vltimum gradum in eſſe ſenſibili, ad formas ſenſibiles*, vnde ſicut ille dicitur pura potentia in genere intelligibilium, ita iſta dicitur pura potentia in genere entium naturalium vt ſic, ſed ex primo intellectus noſter poſſibilis in genere intelligibilium nullam de ſe habet actualitatem adhuc Methaphyſicam immo omnem actum Methaphyſicum in genere intelligibilium expectat & accipit ex ſuperaddita ſpecie intelligibili obiectorum, ergo pariformiter ex ſecundo materia in genere entium naturalium vt ſic nullam de ſe habebit actualitatem adhuc Methaphyſicam immo omnem proprie differentiam expectabit ac ſuperinducet ex ſuperaddita forma ſubſtantiali, à qua accipit ſpeciem & eſſe. Confirmo quia, vt inquiebat idem S. Thomas in eodem opuſculo de ente & eſſentia cap. 6. ex Auicenna in 5. ſuæ Meth. tex. 56. *differentia dicitur eſſe ipſa forma rei, quia forma eſt principium omnis differentiæ*. Sed ex conceſſis & certis materia de ſe nullam habet formam, ergo materia de ſe nullam habere poterit ſaltem proprie differentiam.

Secundo principaliter probatur ex diſcurſu S. Thomæ p. p. qu. 115. art. 1. ad ſecundum, vbi ex eo quod detur primum ens purè mouens infert etiam dari debere infimum ens pure patiens ſcilicet materiam, vt repetit etiam 1. contra Gentes cap. 43. & qu. 8. de veritate ar. 6. ex quibus hæc ratio formatur, eo proportionali modo materia eſt pura potentia in ſe ſubiectiue, quo Deus in ſe ſubiectiue eſt actus purus. Sed ex eo quod Deus in ſe ſubiectiue actus purus eſt nequit obiectiue componi proprie ex potentialitate adhuc Methaph. Generis, vt ſupra vidimus lib. 3. ergo ex eo quod materia eſt ex ſe ſubiectiue pura potentia non poterit componi proprie ex actualitate adhuc Methaphyſica ſeu differentia. Confirmo nam ſicuti ſemel admiſſa propria compoſitione generis & differentię in Deo proximum & immediatum genus ad Deum eſſet ipſum ens, vt p. p. qu. 3. art. 5. S. Thomas obſeruat, ita ſemel admiſſa propria compoſitione generis & differentiæ in materia proximum & immediatum genus ad materiam eſſet potentia. Sed ſicuti de ente repugnat ex 3. Meth. quod genus ſit, eo quod tranſcendenter imbibitur in differentijs omnium entium, ita de potentia repugnat quod genus ſit, ex eo quod pariter vt quid tranſendẽs includitur in qualibet propria ratione materiæ; ergo ſicuti hinc negatur à pleriſque propria generis compoſitio & differentiæ in Deo, ità hinc negari eadem debet in materia prima. Confirmo ſecundo quia quidquid habet ex ſe differentiam proprie talem habet & proprium eſſe vel ſaltem immediate eſt capax eſſendi, cum differentia ducat ad eſſe; ſed eſſentia potentialis materiæ iam ex dictis nullum habet proprium eſſe neque eiuſdem immediate capax eſt, ergo neque

que habet de ſe propriam differentiam.

Tertio principaliter ſic probatur, nam quælibet vera compoſitio adhuc Meth. fundatur in aliqua phyſica vel ex materia & forma vel ex eſſentia & eſſe, vt cap. 5. de ente & eſſentia S. Thomas obſeruat. Sed materia prima omnimode phyſice incompoſita eſt, vt primum principium compoſitionis eiuſdem, ergo & Meth. incompoſita erit. Confirmo, quia ex S. Thoma q. 7. primæ partis ar. 1. ſicut Deus eſt infinitus negatiue per exceſſum, ſic materia eſt infinita priuatiue per defectum ſcilicet ab actu, ſed ex primo Deus ſuperexcedit omnem potentialitatem etiam Methaphyſicam, ergo pariter ex ſecundo materia ab omni etiam Methaph. actualitate deficiet. Confirmo ſecundo, nam eo proportionali modo in 9. Meth. ens reale in ſe ſubiectiue diuiditur in potentiam & actum, quo in ſubſtantiam & accidens, ſed quod phyſice pure ſubſtantia eſt nec Meth. ex accidente componitur, ergo quod phyſice pure potentia eſt nec Methaphyſica actualitate conſtitui poteſt.

Quarto tandem iterum principaliter, nam genus proprie & differentia diſtinguuntur ad inuicem virtualiter intrinſece ne dum penes explicitum, vt diffinitio & diffinitum, ſed etiam penes excluſum adæquate vt animal à rationali & huiuſmodi; Sed conceptus materiæ vt ſic & conceptus materiæ talis verbi gratia cæleſtis licet diſtinguantur primo modo non tamen ſecundo, ergo non comparantur proprie vt genus & differentia. Confirmo quia proprie Methaph. differentia à genere diſtingui debet intrinſece etiam ex parte rei conceptæ & non pure conotatiue extrinſece ex parte modi concipiendi, vt diſtinguuntur Deus & Deitas & huiuſmodi. Sed in propoſito, vt Caietanus aduertebat, materia vt ſic & materia talis non diſtinguuntur primo modo ſed ſecundo in ordine ſcilicet ad diuerſam formam conuotatam, ergo idem quod prius. Confirmo tandem nam differentia proprie Methaphyſica licet generi identificetur non tamen formaliter idem eſt, vt rationale & animal; Sed, vt inquit Caietanus loco citato, *in materia cæleſti intrinſeca commenſuratio ad talem formam cæleſtem eſt non ſolum identice ſed formaliter etiam ipſa eſſentia pura potentiæ*, ergo non comparantur ad inuicem proprie vt genus & differentia, quod eſt directe proprie non differre materias ſed eſſe primo diuerſas, vt loquebatur S. Thomas in 2. diſt. 12. ar. 1. ad 3. dicens, *diuerſæ materiæ ſe ipſis diſtinguuntur ſecundum analogiam ad diuerſos actus pro vt in ipſis diuerſa ratio poſſibilitatis inuenitur*.

Ad primum igitur optima eſt reſponſio citata ibidem ex S. Thoma & repetita mox ante, & iterum tradita ab eodem quodlibeto 9. art. 6. ad tertiū, *ſi definiatur*, inquit, *materia in deffinitione materiæ debet poni loco differentiæ ordo ipſius ad formam*, vt dicit etiam in cap. 7. de ente & eſſentia & ſubtiliſſime explicat Caietanus loco citato primæ partis quæſt. 66. art. 1. omnino videndus.

Ad ſecundum, quo hæc reſponſio impugnabatur, diſtinguo maiorem, ſi intelligatur paritas quo ad ordinari ad extrinſecum, concedo, quoad modum eiuſdem ordinis, nego, nam in potentia viſus vel auditus ita datur

commenſuratio ad obiecta, vt cum illæ actus accidentales ſint iſta pariter commenſuratio intrinſeca ipſis actualitas Methaphyſica ſit, ab oppoſito cum materia ſit pura potentia nec commenſuratio intrinſeca ipſi actualitas eſſe poteſt; ſicuti quia relatio in diuinis vt ſic non exprimit perfectionem, ita nec realitas intrinſeca eidem, nec paternitas includens vtramque pro vt ſic perfectionem explicite dicit; rurſus in illis commenſurationes intrinſecæ diſtinguuntur à ratione ſuperiori vt ſic etiam pænes excluſum, in materia vero pænes explicitum, vt fuſius in quarta noſtra probatione præmiſſum eſt.

Ad tertium pariter diſtinguenda eſt maior & aſſignanda diſparitas inter conceptum ſubſtantiæ vt ſic & materiæ, quod ille non importat rationem puræ potentiæ, vti ſignificat conceptus iſtius, neque in illo inferiora ſunt primo diuerſa, ſicut in iſto.

Ad quartum diſtinguo maiorem, ſi ſit contrahens proprie & ſimpliciter & diſtinctum à ſuperiori ex parte rei cõceptæ & penes excluſum vt rationale ab animali, concedo, ſi ſit contrahens ſecundum quid & diſtinctum ſolum penes explicitum vel ex parte modi concipiendi ad extrinſeca conotata, nego, vt patet tum de Deo contrahente ens vt ſic, tum de ſubſtantia vt ſic contracta ad eundem Deum quæ aliter in eodem Deo potentialitatem Methaphyſicam generis importaret.

Ad quintum diſtinguo minorem, in quantum forma licet ſit actus phyſicus eſſentialis, eſt tamen potentia paſſiua vere perfectibilis ab exiſtentia, concedo, ſi hoc non eſſet, nego, & negatur conſequentia, quia materia prima ita eſt phyſice pura potentia vt nullo modo phyſicus actus ſit, & ideo in forma permittitur adhuc Methaph. potentialitas generis, vt obſeruat S. Thomas dicto cap. 5. de ente & eſſentia, non ſic in materia Methaphyſica actualitas.

Ad ſextum admiſſa maiori diſtinguo minorem, *materia non eſt participatio entis ratione ſuæ potentiæ*, ſumpta potentia quo ad id, quod potentia dicit in recto, tranſeat, quo ad id, quod conotat in obliquo ſcilicet eſſe ſeu quo ad ordinem ad actum, nego, vt diſtinguit idem S. Thomas in q. 3. de potentia art. 1. ad 12. his verbis, *materia prima habet ſimilitudinem cum Deo in quantum participat de ente, ſicut etiam lapis eſt ſimilis Deo in quantum ens, licet non in quantum Deus eſt intellectualis, ita materia prima habet ſimilitudinem cum Deo inquantum ens non inquantum ens actu, cum ens commune ſit quodammodo potentiæ & actui*, hæc S. Thomas.

Ad ſeptimum diſtinguo minorem, nequit dari ſummum malum per excluſionem etiam ordinis intrinſece potentialis ad bonitatem actualem formæ, concedo, ſummum malum per ſolam excluſionem totius actualitatis intrinſecæ de ſe, nego, vnde S. Thom. 3. contra Gentes c. 20. & p. p. q. 5. ar. 1. ad 3. aiebat materiam quodammodo bonum eſſe in quantum eſt in potentia ad formam, an vero poſſit dari de potentia abſoluta creatura imperfectior materia prima, quæ datur, in ſequenti diſcutimus &c.

A R.

ARTICVLVS IV.

An materia, quæ datur, ita imperfecta ſit vt ſit impoſſibilis alia creatura imperfectior.

VIdetur aliquibus poſſe de potentia abſoluta vel aliam materiam vel aliam rem poſſibilem eſſe imperfectiorem materia, quæ datur, vt inter cæteros tenet Linceus lib. 2. ſuæ philoſophiæ cap. 3. referens & Conimbricenſes Teleſium & alios, & hæc argumenta militant pro eodem. Primo nam materia prima de facto exiſtens inchoat etiam ens perfectiſſimum ſcilicet cælum incorruptibile, vel hominem rationalem, forma autem cadauerica exempli gratia inchoat ens imperfectiſſimum tendens ad corruptionem, illa eſt ingenerabilis & incorruptibilis, non iſta, illa eſt magis diffuſiua ſui ad plura compoſita componenda, non iſta, illa eſt ſuſceptiua ſi non actiua infinitarum pene operationum, hæc ſolum earum operationum productiua eſt, quæ ad ſpeciem determinatam conſequi poſſunt, illa non recipitur in alio, iſta recipitur, immo in eſſe dependet ab altero. Sed hæc omnia ſatis eſſe videntur ad hoc vt materia de facto exiſtens non ſit ſimpliciter imperfectior forma etiam, immo è contra; ergo falſum eſt materiam primam eſſe ens imperfectiſſimum Omnium.

Secundo ex Ariſtotele 7. Methaph. tex. 4. ſubſtantia vt ſic eſt perfectior quolibet accidente. Sed ſubſtantia dicitur etiam de materia, vt ſtatim ſubiungit ibidem tex. 7. ergo & materia erit ſimpliciter perfectior quolibet accidente, ergo non eſt ita potentialis eſſentia vt ea nihil imperfectius detur.

Tertio vt Linceus opponit, quælibet eſſentia eſt adminus perfectior proprietatibus conſequentibus ad ipſam vt cauſa ſuis effectibus. Sed ad materiam ſequuntur plures proprietates accidentales, vt inter cæteras quantitas dici ſolet ad materiam ſequi & inde vbicatio circumſcriptiua & huiuſmodi, ergo eſſentia materiæ ad minus iſtis accidentalibus formis perfectior erit, non vero iſtæ erunt imperfectiores eadem.

Quarto iuxta dicta à Thomiſtis in Methaph. nihil poteſt eſſentialiter diſtingui ab altero quin differentia vnius ſit imperfectior differentia alterius. Sed iam materia ſublunaris & Cæleſtis eſſentialiter diſtinguuntur ad inuicem, ergo differentia vnius eſt imperfectior differentia alterius, non obſtante quod ambæ puræ potentiæ ſint, ergo pariter hoc non obſtante dari poterit alia pura potentia adhuc imperfectior iſta, quæ datur.

Quinto quia ſicuti ex Caietano p. p. qu. 66. art. 1. materia cæleſtis & ſublunaris diſtinguuntur ex hoc quod illa eſt ad vnitatem ſpecificam atomam ſuæ formæ cæleſtis, iſta vero ad vnitatem genericam ſubalternam formæ corruptibilis vt ſic, ita & aliquis dicere poſſet eſſe poſſibilem aliam materiam ſublunarem determinatam ad vnitatem ſpecificam atomam alicuius formæ ſublunaris. Sed hæc profecto imperfectior eſſet. Ergo alia ma-

tetia imperfectior produci poteſt.

Sexto nam ſicuti infinita immitibilitas Dei relucet in eo, vt qualibet producta creatura perfecta nunquam aſcendendo inueniatur ſuprema, qua perfectior produci non poſſit, ex p. p. qu. 25. art. 6. ita eadem infinita immitabilitas Dei videtur & in eo relucere debere, vt quantumcumque aliqua creatura recedat à perfectione Dei deſcendendo non poſſit imperfectiſſima reperiri, qua non ſit poſſibilis imperfectior vlterius. Sed hoc ſecundum non verificaretur, ſi dari nequiret ens imperfectius quam materia ſit, ergo admittendum eſt ens imperfectius adhuc poſſibile eſſe.

Septimo quia ex Auguſtino 6. de Trinitate id, quod in quantitate molis facit maius vel minus, in quantitate virtutis facit melius vel peius, & conſequenter in modo augumenti vel decrementi videtur quātitas virtutis adaptari quantitati molis. Sed in quantitate molis de ſe verſus minimum deſcendendo datur diuiſibilitas ſemper in infinitum & ne dum augumentabilitas in infinitum aſcendendo in quantitate vt quantitas eſt, ergo proportionaliter in quantitate virtutis ſeu in gradu perfectionis eſſentiarum creatarum vt ſic ne dum dabitur proceſſus infinitus in aſcendendo ſemper ad perfectionem, ſed etiam in deſcendendo ad imperfectionem, ibi per acceſſum ad infinitam perfectionem Dei, hic per receſſum ab eadem.

In oppoſitum tamen eſt quod materia prima modo nuncupata eſt à Porphirio in lib. de orationibus cap. 11. *defectus totius entis ac ludus*, modo ab Ægyptijs apud Maſium in 1. Phyſic. ſectione 2. cap. 9. *tenebræ vel vmbra primæ eſſentiæ ſeu ſex primæ vitæ*, modo à Platone in Thimæo, *id, quod gignitur quidem numquam autem eſt*, modo a Commentatore 7. Methaph. tex. 8. *ſubſtantia accidentaliter ſeu per accidens*, modo in 1. Phyſic. cap. 9. *quid medium inter ens actu & non ens*, modo ab Auguſtino 12. Confeſſionum cap. 7. *ens prope nihil*, & cap. 6. *ſi dici poteſt, nihil aliquid eſt & non eſt*. Sed hæc omnia de materia prima, quæ datur, oſtendunt ens omnium imperfectiſſimum eſſe, ergo ita eſſe de facto dicendum eſt.

Reſpondeo materiam adeo imperfectam eſſe, vt neque de potentia abſoluta imperfectior materia vel res aliqua creata produci poſſit. Nam vt ex adducta mox Auguſtini auctoritate colligitur, eo, quod eſt prope nihil, non poteſt aliud imperfectius dari niſi ipſum nihil, ſicuti Incarnatione vel maternitate Dei quia ſunt prope Deum in linea infinitatis extrinſecæ non poteſt adhuc de abſoluta potentia produci aliquid perfectius ipſis, ex prima parte q. 25. at. 6. ad 4. Sed materia prima licet non ſit nihil, eſt tamen prope nihil, cum vti nihil eſt terminus à quo in actione creatiua Dei, ita materia ſit terminus ex quo in quacumque actione generatiua naturæ; ergo materia prima non poteſt adhuc de potentia abſoluta aliqua imperfectior creatura creari. Audi nunc hunc ferè in Auguſtino diſcurſum, *duo quædam fecisti Domine*, inquit, *vnum prope te, alterum prope nihil*, ſcil. materiam, en conſequentiam, *vnum, quo ſuperior tu eſſes, alterum, quo inferius nihil eſſet*, hæc Auguſtinus pro nobis appoſite.

Secundo probatur ex ſupra allata doctrina philoſophi ex 8. Meth. tex. 10. ſim il

10. ſimul cum Pithagoricis & Platonicis aſſerẽte gradus eſſentiales rerum congrue numeris aſſimilari, vt aſſimilat etiam Dioniſius in libr. de Diuinis nominibus inferẽs inde, quod ſicuti in numeris prima vnitas omnium principium eſt, & ex ſola maiori diffuſione vnitatis numerorum ſpecies augeri poſſunt in infinitum, ita & Deus, qui eſt prima vnitas, eſt principium omnium eſſentiarum præter ipſum & ex maiori & maiori eiuſdem diffuſione ſeu participatione vna ſemper ſuperior produci poteſt & perfectior altera. Subſumo, ſed in numeris iam datur vnus minimus numerus, etiam ſi maximus dari non poſſit, nempe datur numerus binarius, quo minor dari vel fingi nequit. ergo pariter dabitur minima ſeu infima rerum eſſentia, etiam ſi maxima ſeu ſuprema dari non poſſit. Sed iſta minima creatura vel eſsẽtia, qua minor dari nequeat, nulla alia profecto dici poteſt niſi hæc ipſa materia prima dicatur. Ergo ita de facto materia adeo minima omnium eſſentiarum erit, vt nequeat etiam de abſoluta potentia produci minor eadem. Audi nunc Philonem in lib. allegoriarum ſic apposite concludentem, *binarius igitur*, inquit, *eſt immago materiæ, quæ diuiditur ſecaturque ſicut mortalis*, vt repetunt etiam Plotinus Æneida 5. & Marſilius Ficinus in Commentarijs ibidem; quod ſcil. materia dualitas dicatur in linea entium, quia ex ſolo duplici conceptu ſeu gradu imperfectiſſimo conſtat ſcil. ratione entis & potentiæ, vt numerus binarius, nec ideo vnitatis perfectionem habet, ſed multitudinis, & alias vlteriorem numeri perfectionem habere non poteſt quam infimam, vt binarius, qui minimus numerorum dicitur, & etiamſi ſimplicior dicatur tamen ad componendos cæteros ordinatur, vti & materia licet incompoſita ſit ad componenda tamen cætera inſtituta eſt.

Tertio probatur à priori ratione ex Peripateticorum doctrina deprompta. quia vt dicitur 10. Methaph. tex. 2. primum in vnoquoque genere eſt menſura cæterorum & conſequenter quod menſura cæterorum & primum in eo genere eſſe debet. Sed materia in genere imperfectorum ex conſenſu omnium eſt menſura cæterorum, ergo in hoc genere imperfectorum quid primum eſt. Sed primo implicat dari prius, ergo implicat aliquod imperfectius materia prima. Minor, quæ ſola probari expoſtulat, ſic probatur, tum quia in ordine entium omnes gradus ſuperiores viuentium ſubordinantur penes excedere & ſupergredi imperfectionem materię, tum quia in genere cognoſcibilium ex 6. Methaph. ſcientiæ gradatim inuicem ſolent ſubordinari per abſtractionem à materia, ergo materia in linea imperfectionis, quam ſingula prædicta ſuperant, prima omnium menſura eſt.

Quarto probatur ex alio diſcurſu S. Thomæ p. p. qu. 4. ar. 1. quia ſicuti genus cauſæ efficientis vel finalis vel formalis cauſat in quantum in actu & conſequenter vt quid perfectum, vel perfectio, ita genus cauſæ materialis cauſat in quantum in potentia & conſequenter vt quid imperfectum. Sed in ſingulis illis generibus datur vnum perfectiſſimum primum ſcil. efficiens, quo prius nequeat dari etiam de potentia abſoluta, & vnus perfectiſſimus vltimus finis, quo vlterior dari non poſſit, & vna perfectiſſima actualitas, qua

forma-

formalior vel actualior neque de potentia abſoluta poſſit eſſe vel fingi: ergo & in iſto genere cauſæ materialis dari debet vna imperfectiſſima & infima cauſa materialis, qua nequeat etiam de potentia abſoluta dari inferior ſeu imperfectior. Sed iſta nulla alia eſſe poteſt quam materia prima, ergo. Audi nunc S. Thomam, *primum principium, inquit, materiale imperfectiſſimum eſt, cum enim materia in quantum huiuſmodi ſit in potentia oportet quod primum principium materiale ſit maxime in potentia & ita maxime imperfectum, vt Deus è contra ponitur primum principium non materiale ſed in genere cauſæ efficientis & hoc oportet eſſe perfectiſſimum, ſicut enim materia in quantum huiuſmodi eſt in potentia, ita agens in quantum huiuſmodi eſt in actu, vnde primum principium actiuum oportet maxime eſſe in actu & per conſequens maxime eſſe perfectum*, hæc S. Thomas oportuniſſime ad intentum noſtrum.

Quinto iterum ex Auguſtino in 6. de Trinitate comparante, vt antea refſert etiam S. Thomas p. p. q. 7. de Infinitate Dei, comparante, inquam, quantitatem virtutis propriam ſpecierum & quantitatem molis propriam corporum, ſub qua comparatione ſubſumo, ſed in quantitate molis, etiam ſi ſpecifica natura quantitatis nulla detur quantitas completa, quæ vlterius in infinitum diuiſibilis ſemper non ſit in minores & minores partes, datur tamen adhuc quantitas incompleta ſeu reductiue talis vt punctum in linea vel inſtans in tempore, quod vlterius in minora ipſo diuidi nequit adhuc de abſoluta potentia. ergo proportionaliter etiam in quantitate virtutis etiam ſi data quacumque natura imperfecta, ſed completa, poſſit adhuc deſcendendo ſemper dari imperfectior ipſa, dabitur tamen adhuc eſſentia quædam incompleta ſpectans reductiue ad ſubſtantiam, vti ſpectat materia, quæ ita infime imperfecta erit, vt eadem imperfectior etiam deſcendendo de abſoluta potentia creari non poſſit.

Sexto probaret fortaſſe aliquis ex noua quadam Antonij Perez Doctrina in p. p. diſput. 1. de voluntate Dei cap. 4. ſic diſcurrentis, quia Deus de facto produxit in hoc vniuerſo illa omnia, quæ naturaliter exigebantur ab appetitu innato rerum ſeu rerum naturæ debita erant, aliter vniuerſum in perpetuo ſtatu violento remaneret & imperfectum eſſet, ſed quælibet res vniuerſi naturaliter appetit & exigit productionem omnium ſpecierum ſibimet inferiorum poſſibilium, vt expleat naturalem eam inclinationem, quam quælibet res obtinet à natura ad exercendam ſuperioritatem, quam erga cætera habere poteſt, ergo ſi eſſet poſſibilis alia natura diſtincta vel creatura inferior ad iſtam materiam, quæ de facto eſt, iam & illa de facto producta eſſet, ſed non eſt de facto producta, vt omnes admittunt; ergo nec eſt poſſibilis. hæc ex Perezio, qui ſibi valde complacet & applaudit in illo diſcurſu vt aptiſſimo ad plura alia. Sed nec mihi nec alijs ſiue ad alias materias, ſiue ad præſentem vndequaque potuit allata ratiocinatio placere, tum quia vti intra circulum maiorem & concentricum minorem, inquiunt Mathematici, diuidi poſſe in infinitum alios circulos inæquales in infinitum ob infinitam diuiſibilitatem quantitatis molis, ita etiam inter ſupremum Angelum, verbi gratia exiſtentem & infimum brutum, inquiunt grauiores

Theo-

Theologi & Methaphyſici, eſſe poſſibiles in infinitum inferiores & inferiores ſpecies ſubſtantiales intermedias ob infinitatem quantitatis virtutis in Deo etiam ſubſtantialiter participabilis. Sed iuxta allatum Perezij diſcurſum, aut iſtæ inferiores ſpecies intermediæ non eſſent poſſibiles aut omnes etiam de facto darentur etiamſi infinitæ, quorum vtrumque abſurdum eſt; ergo pariter abſurdum eſſe videtur id, ex quo ſequitur ſcilicet ratiocinium adductum; tum quia vti Angelus ſupremus habet in ſententia Perez appetitum innatum exercendi ſuperioritatem ſuper omnes ſpecies poſſibiles ipſo inferiores, ita & tota vniuerſi natura à fortiori hunc ſuperioritatis immo & continentiæ appetitum innatum haberet. Sed non obſtante hoc ſecundo non dantur adhuc de facto intra vniuerſum omnes ſpecies poſſibiles in eodem ex prima parte q. 25. ar. 6. ad 3. ergo pariter non obſtante primo non darentur adhuc omnes ſpecies poſſibiles inferiores ad ſupremum Angelum & conſequenter à fortiori neque inferiores ad materiam etiamſi poſſibiles eſſent; tum quia ſicuti creatura ſuperior naturaliter appeteret exercitium ſuperioritatis ad inferiores, ita & inferior exercitium inferioritatis ad ſuperiorem, cum & inferior perficiatur ex coniunctione ad ſuperiorem per Dionyſium de Cæleſti Hierarchia. Sed non obſtante hoc ſecundo non dantur adhuc de facto in ſententia Perez omnes Angeli poſſibiles ſuperiores ad ſupremum Angelum exiſtentem, ergo pariter non obſtante primo non darentur adhuc de facto omnes ſpecies poſſibiles inferiores etiamſi poſſibiles eſſent, tum quia demum non valet effugium Perez recurrendo ad hoc, quod ideo hic appetitus ſecundus non expletur, quia ex procederet infinitum in actu ſcil. poſitionem omnium ſpecierum poſſibilium ſurſum aſcendendo vſque in infinitum ſincategorematice, non valet, inquam, effugium hoc, quia & deſcenſus deorſum in imperfectione poſſibilium, vt diximus, eſt infinitus proceſſus ſincategorematice quo ad naturas completas, & alias ex infinitate termini appetitus dignoſcitur ficticium eſſe hunc appetitum ſcil. productionis omnium poſſibilium ſiue inferiorum ſiue ſuperiorum, cum quælibet natura ſpecifica ſolum ſit principium motus eius in quo eſt, & conſequenter ſolum connexorum cum eius ſpecie, non vero appetitum ſpecierum pure poſſibilium, vt ſupponebat Perez; ſtandum igitur eſt in probationibus, quæ à nobis adductæ ſunt.

Ad primum igitur diſtinguo minorem. *Sed ex illis comparationibus materia eſt perfectior forma*, ſaltem ſecundum quid ſcil. in aliquibus ſecundarijs & acceſſorijs, concedo; ſimpliciter, ſcil. in primaria differentia entis penes potentiam & actum, nego, aliter inde omnino probaretur etiam materiam eſſe ſimpliciter perfectiorem toto compoſito, vt applicanti patebit, cum tamen Ariſtoteles 7. Methaph. tex. 9. concludat, *qua propter*, inquit, *ſpecies & ex ambobus ſubſtantia videbitur eſſe magis quam materia*, quid clarius & euidentius contra Linceum?

Ad ſecundum reſpondet Nazzarius p. p. q. 10. art. 5. controuerſia 3. paragrafo *vnde quamuis* diſtinguendo maiorem & conſequens, loquendo præciſe in ratione communi ſubſtantiæ, concedo, etiam in alia ratione pro-

pria

pria veluti ſpecifica potentiæ, vt eſt materia, nego, ſicuti ex S. Thoma 2. 2. qu. 66. art. 3. virtutes morales in ratione communi virtutis ſunt perfectiores intellectualibus, non tamen in ratione ſpecifica ſemper talis virtutis, ſed è contra. Addo poſſe diſtingui ex Auerroe in 7. Metaph. tex. 9. iterum maiorem, loquendo de ſubſtantia, quæ per ſe ſubſtantia eſt, vt eſt forma vel totum, concedo, loquendo de ſubſtantia, quæ eſt ſubſtantia veluti per accidens, nego, vt ibi de materia loquitur Commentator & repetit 1. Phyſic. cap. 9. *materiam ſcilicet non eſſe ſubſtantiam ſed prope ſubſtantialem*, vnde & hic poſſet adaptari illa Caietani doctrina de ſpecie intelligibili, quæ per ſe formaliter eſt imago, per accidens vero ſubſtantia vel accidens, ita materia prima per ſe pura potentia eſt, per accidens autem ſeu ratione alterius ſcilicet ordinis ad formam eſt ſubſtantia vt totum ſubſtantiale componat.

Ad tertium diſtinguenda eſt maior, ſi proprietas ſequatur ad eſſentiam tanquam ad principium formale vel actiuum radicale, concedo, ſi pure vt ad principium materiale & in potentia, nego, vti in propoſito quantitas ſequitur ad materiam, immo vt notabat S. Thoma in 6. de ente & eſſentia & Caietanus ibidem, non conſequitur niſi mediante gradu præſuppoſito corporeitatis potentiali Methaph. ad gradus ſubſequentes, & conſequēter nullum accidens adhuc eſt ſimpliciter imperfectius materia, quia vt inquit S. Thomas p. p. qu. 66. ar. 1. ad 3. *accidens cum ſit forma, actus quidam eſt, materia vero ſecundum id, quod eſt, eſt ens in potentia*.

Ad quartum diſtinguo maiorem loquendo de differētia in rebus importantibus perfectionem, concedo, formaliter præſcindentibus ab eadem, nego, vt alibi de diuinis relationibus explicatum eſt, & in propoſito proſequitur Caietanus eadem qu. 66. art. 1. *ex hoc*, inquit, *vna pura potentia eſt altera pura potentia minus ab actu diſtans, vt cæleſtis minus quam ſublunaris, quia eſt capacitas perfectioris actus. Sed hic ne fallaris, inquit, ſophiſmate conſequentis ſeu figura dictionis à pura potentia ad puram potentiam ad talem actum, quia habet latitudinem propter actus reſpectos*, id eſt totus exceſſus perfectionis eſt ex parte actus extrinſece conotati, non ex parte potentiæ conotantis quo ad id, quod dicit intrinſece in recto.

Ad quintum negatur ſequela maioris, quia materia ſublunaris, vt ſic, quatenus à cæleſti diſtinguitur, ita eſt ad formam corruptibilem, vt ad plures indifferenter corruptibiles formas debeat ordinari, propter quod Caietanus ibidem de ſublunari concludebat, *nulla*, inquit, *niſi hæc commenſurata infimo actui ſcil. in genere ſublunarium vt ſic eſt maxime diſtans ab actu & prope nihil*.

Ad ſextum prætermiſſa maiori diſtinguo minorem, non verificaretur ſi non poſſet produci imperfectior creatura ſaltem in ordine completorum, concedo, etiam incompletorum, nego, vti de quantitate a pari omnino in quinta noſtra probatione explicabamus.

Ad ſeptimum pariter ex mox data diſtinctione minor diſtinguenda eſt, datur diuiſibilitas infinita deſcendendo in quantitate directe tali vt lineæ, concedo, reductiue tali vt puncto, nego, materia autem prima ſolum re-

ductiue

ductique ſubſtantia eſt,& conſequẽter licet inter ipſam vt infimam & Deum vt ſupremum infinitæ ſpecies completæ poſſibiles ſint tam aſcendẽdo quam deſcendendo, non tamen aliquid imperfectius vel inferius materia prima imaginabile eſt. Neque hic dicas, vt mihi opponebat hic noſter publ. primariæ Theologicæ Cathedræ Moderator Magiſter Michael Archangelus Riuetta Vir inter primos noſtræ Scholæ vinentes extenſione & acumine ſuſpiciendus,ne, inquam,opponas me nunc ponere infinitum incluſum intra duos terminos cum Ariaga communiter in phyſicis refutatum: occurram enim tum retorſione, quia etiam in eiuſdem & aliorum ſententia intra Deum & ſupremum Angelum infinitę adhuc ſpecies perfectiores multiplicabiles ſunt,& tamen Angelus & Deus non dicuntur vt termini claudere infinitum, immo & intra duo puncta datur diuiſibilitas infinita lineæ &c. tùm demum reſponſione,quod & in propoſito materia eſt terminus extrinſecus non intrinſecus ad ſpecies completas multiplicabiles in infinitum, & rurſus iſta eſt infinitas ſincategorematica,quæ intra terminos claudi poteſt, non Categorematica, de qua vltro Ariaga loquebatur &c.

QVÆSTIO VII.

De lumine & ſpeciebus ſenſibilibus, an atomi ſint.

POſt atomos ſubſtantiales & materiam primam contrariam eiſdem etiã aliquid de atomis accidentalibus, ſed breuiter, addendum eſt, ſuppoſitis iis, quæ de aliorum accidentium diſtinctione à ſubſtantia lib. 3. afferebamus, præter quæ duo dumtaxat huic loco ſuperſunt, alterum de luce ac lumine an corpuſcula ſeu atomi ſint, vt Democritici opinantur, alterum de ſpeciebus intentionalibus ſenſuum verbi gratias viſus auditus &c. an pariter atomorum corpuſcula dici poſſint.

ARTICVLVS PRIMVS

An lumen vel lux ſit efluxus Atomorum ſeu corpuſculorum ab illuminante.

VIdetur quod ſic inter cæteros Sebaſtiano Baſſono lib. 2. de Cœlo, quem referens in hoc propoſito Thomas Hurthado diſput. 1. de anima ſenſitiua controu. 1. membro 5. §. 8. *Hæreticum* nominat,& tamen Franciſcus Carus 2. part. philoſophiæ naturalis lib. 2. diſput. 2. Anteſignanum *inter Clariſſimos recentiores, qui hanc ſententiam ad lucem reuocarunt*, recenſet ac ſequitur, cum Gaſſendo lib. 6. phyſicæ cap. 9. Reſta ac Grimaldo, quos ipſe citat præter Leuſippum, Democritum, Epicurum & Lucretium.

Probatur autem primo auctoritate, quia vt refert Proclus in Commento Thimæi etiam Plato dixit, *Calorem eſſe flamulam efluentem*,& in eodem Thimæo repetebat, *lumen eſſe ſpeciem ignis*, vt notat Picolomineus lib. de ſenſu

viſus cap. 6. referens etiam Ariſtotelem in parte 11. problematum 33. inquirentem, cur ſonus magis nocte ſentiatur, recurriſſe ad abſentiam luminis in Aere & addidiſſe, *radios autem corpora eſſe dixeris*, vbi Philalteus apertius infert, *lumen eſſe corpus*, nec reprobat Simplicius in 6. Phyſic. tex. 13. vnde etiam ex Patribus Teodoretus in Geneſim q. 7. inquit, *lumen ſubſtantia eſt, & ſubſiſtit, & cum occiderit rurſus oritur & cum abierit reuertitur*, & Auguſtinus & Damaſcenus ab Auerſa referuntur qu. 54. ſect. 2. ergo iam auctoritate non caret hæc Democritiſtarum ſententia de luce.

Secundo ſic à ratione ſubiungunt, quia radij habent proprietates corporum ſcilicet rarefieri, condenſari, progredi, retrocedere, impingi, infrangi, & huiuſmodi, inde vniri in ſpeculo Vſtorio, ſternutationem ingerere in intuente ſolem, retardare egreſſum fumi ex illo camini hiatu, quem radius ingreditur, minus ſenſibiles efficere ſonos die, quam nocte, variare influxus iuxta varias quantitates angulorum in planetis, à quibus efluunt &c. ad quę reducuntur ſingula argumenta Cari ommiſſo dumtaxat experimento vacui in tubo, in quo vacuo, ſicut ille ſupponit lumen ſine ſubiecto remanere, ita nos negamus ex hoc eodem abſurdo etiam vacuum in eodem tubo reperiri.

Tertio ſolent intorquere recentes in Peripateticos abſurda quædam, vt ab abſurdis allatis contra eoſdem apparentiori ſolutione liberentur, nempe, inquiunt, ſi lumen accidens eſt eductione de potentia ſubiecti productum, iam & in cælo eductio daretur & conſequenter alteratio, vt inquit Carus, contra Peripateticos, & non minus difficile captu eſſet in puncto temporis à ſole denuo erumpente in terras vſque per immane ſpatium illuminata vna parte poſt aliam ſimul tot lumina partialia produci, quam imperceptibili tempore luminis Atomos, vt aiunt Democritiſtæ, velociſſime à Sole motu locali deſcendere. Ergo neque ex abſurdo refutatur ſed comprobatur Democritiſtarum ſententia, quod lux ac lumen corpuſcula ſint.

In oppoſitum tamen eſt quod hanc ſententiam ſcil. lumen vel lucem corpus eſſe non minus ac ſint ignis, aqua, aer & ventus, refert & refellit vt Placitum Manichæorum Auguſtinus in lib. contra Epiſtolam fundamenti cap. 32. & hæreſi 46. ergo iſta ſententia ſuſpecta alicui videri poteſt.

Reſpondeo lumen aut lucem neque atomos, neque corpuſcula eſſe poſſe, vti reſpondet ex profeſſo Ariſtot. 2. de Anima & S. Th. p. p. qu. 67. ar. 2. per totum id tribus vel quatuor argumentis probantes, quæ contra recentiorū effugia promouenda ſunt. Primum, nam ſi in aere vel vitro illuminato de nouo lumen inexiſtens corpus eſſet, duo corpora naturaliter eſſent in eodem loco; Sed hoc repugnat, cum contigua correquirant diſtinctionem in ſitu, ergo. Reſpondent vno verbo recentes negando maiorem, quia inquiūt luminis atomi ſeu corpuſcula in poris ac meatibus vacuis licet imperceptibilibus etiam viſu recipiuntur. Sed contra, tum quia Democritiſtæ, vt probent dari vacuum recurrunt ad tubum vitreum ſupponentes in vitro non dari poros, per quos aer ingredi poſſit ad replendum vacuum, ergo inconſequen-

ſequenter hic poſtea tot corpuſcula recipientes in vitro contendunt poros adeſſe; tum quia gratis pro nunc admiſſis his vacuis adhuc in vitro v. g. ad minus apparent magis partes plenæ quam pori, vt iſti concedunt obtutui, ergo cum ſolum in poris lumen reciperetur magis appareret vitrum carens lumine adhuc in ſole quam illuminatum contra notiſſimam experientiam, tum quia ſaltem intra cælum hi pori vel iſtæ vacuitates non admittuntur & tamen & in ipſo de nouo lumen aſpicitur,tum quia adminus vitrum vel Calips minores poros vel meatus habet ac ſpongia, vt experimur,& conſequeter minus explicatos ad inuicem rectaue linea condiſtinctos,ergo vitrum vel Calips minus lumen reciperet quam ſpongia, quod experientiæ repugnat,tum quia tandem ſi lumen meatus impleret in aere quo aer magis illuminaretur eo denſior fieret ex repletione meatuum,ſed hoc falſum,cum immo magnum lumen in aere& raritatem ſimul cum calore maiorem inducat, ergo vndequaque reſponſio refellitur & remanet Ariſtotelem recte & S.Th. deduxiſſe illud abſurdum,ſcilicet fore corporum penetrationem naturaliter vt inferebat etiam Plutarchus in lib. contra Stoicos, *corpus ſcilicet corporis eſſe locum & corpus penetrare per corpus*.

Secundum Argumentum Ariſtotelis inde & S.Thomæ erat, quia illuminatio in inſtanti fit, vt experimur. Sed nullus motus localis corporum in inſtanti fieri poteſt, ergo illuminatio non eſt motus localis corpuſculorum ſeu atomorum, vti volunt Democritiſtæ. Occurrunt pariter ijdem hic diſtinguendo maiorem, id eſt in tempore breuiſſimo & in perceptibili, quod punctum Morale dici poteſt, concedo, vere in puncto phyſico ſeu Mathematico, nego, vnde vbi Epicurus in epiſt. ad Herodotum aiebat, *tempore inexcogitabiliter breui cogitabile quod vis ſpatium conficere*, Lucretius loquens de puncto morali ſubdebat.

In memorabile per ſpatium tranſcurrere poſſe
temporis in puncto &c.

Sed contra hanc reſpõſionem etiam ex Democrito recitatam & refutatam ab Ariſtotile in tex. 2. de Anima obſtat, tum quia quantumcumque motus velox ſit, ſemper percipitur ſucceſſio eiuſdem niſi breue ſpatium ſit,vt cum velociter moto in girum baculo ignito ignea rota conſpicitur, aut ſi ſpatiũ magnum eſt diſtantia videntis impediat ſenſationem,vt motus velociſſimus ſolis in orbem. Sed in propoſito ſpatium incomparabile eſt ab Oriente ad Occidentem & huiuſmodi, & alias penes nos etiam hic motus fieret, ergo neceſſario eius ſucceſſio perceptibilis eſſet; tum quia cum corpuſcula luminis à ſole defluerent & ab eodem motus velocitatem obtinerẽt non poſſent in motus velocitate ſuperare eundem. Sed neque Sol adeo velocem motum habet, quin in omnem diſtantiam non remaneat eius ſucceſſio perceptibilis, vt patet, ergo à fortiori & atomorum iſtarum ſucceſſio perceptibilis remaneret, tum quia ſicuti cætera corpora ſaltem motum habent determinatum, vt Sol licet inter corpora perfectiſſimum, ita & hæc corpuſcula habere deberent,ſed lux ſeu lumen indeterminate diffunditur in omnem partem, ergo non importat iſta corpuſcula vt dicebatur, tum quia ingruẽte tam ſu-

bito per totum aerem tam immani corpuſculorum multitudine non eſſet cur ſaltem ſonitus non audiretur longe magis quam cum ventus irruit aut cum vel muſcarum turba conuolitat. Sed hoc eſt contra experientiam, ergo & id, ex quo ſequitur, tum quia, vt inquit Porecta noſter in prædictum art. S. Thomæ, ſcriptura proprie intelligi debet niſi euidẽter abſurdum ſubinferatur, ſed dum in actibus Apoſtolorum cap. 9. & 22. dicitur, *ſubito circumfulſit eum lux de Cælo*, ſenſus proprius eſt factam fuiſſe illuminationem vere in inſtanti etiam Phyſice ſeu Mathematice, vt alibi etiam ſupponit Ambroſius ſcilicet in Hexameron lib. 1. c. 9. & nullum inde ſequitur abſurdum vt ex ſolutione conuincitur, ergo in inſtanti etiam phyſico fieri illuminationem contra prædictos iuxta ſcripturam remanet intelligendum, tum quia ex hoc eodem loco ſcripturæ, inquit Porecta, virtualiter habetur non fieri illuminationem per corpuſculorum effluxum, nam circundantibus vndique atomis ſeu radiorum corpuſculis Apoſtolum non potuiſſet ipſe ſimul à corpore aeris circundari, & conſequenter ſine reſpiratione remanens naturaliter mori debuiſſet; Sed hoc abſurdum, inquit Porecta, ergo abſurdum pariter eſt fieri illuminationem per atomorum effluxum.

Tertium argumentum erat, quia abſcedente Sole ratio non eſſet, cur hæc corpuſcula lucis in aere non remanerent. Sed hoc abſurdum, ne etiam nox ſicut dies naturaliter illuminata remaneat, ergo. Reſpondent negando maiorem, eo quia natura radij eſt habere partes in recta linea diſpoſitas ad illuminans &c. qua diſpoſitione remota & radius abſcedit. Sed contra vel ita abſcedit, vt circunducatur recta linea cum ſole abſcedente, vel de ſe alibi auolat. Si primum inquit S.Tho. *quid dici poterit de hoc, quod ad interpoſitionem corporis alicuius circa candelam tota domus obſcuratur? nec enim videtur quod lumen congregetur circa candelam, quia non apparet ibi maior claritas quam antea*: ſi ſecundum in quo antro, in quo orbis angulo tot atomorum corpuſcula occupantia mox antea integrum hoc hemiſferium poterunt, vt olim venti in pectarum vtre concludi? quouſque iterum Sol redeat ecarcere euocaturus? Euge quis iſta non videat, vt concludit ibidem S. Thomas, *omnia non ſolum rationi ſed ſenſui repugnare?*

Quarto aliunde ego denuo ſic argumentor, nam eadem eſt lux, quæ erat in hoſtia ante conſecrationem ac poſt, ſicut idem color eadem quantitas cæteraque accidentia eiuſdem, ſed in hoſtia poſt conſecrationem non poteſt affirmari remanere corpuſculum aliquod ſubſtantiale lucis ex pane relictum iuxta diffinitionem Tridentini, *de conuerſione totius ſubſtantiæ &c. remanentibus dumtaxat ſpeciebus*, ergo neque antea in hoſtia vel pane lux aliquod corpuſculum ſubſtantiale erat.

Quinto arguo ex abſurdo, nimirum ſi à ſole verbi gratia pereniter orbem illuminante profluerent tot luminis corpuſcula deciſa ab eodem, iam diu ſol conſumptus eſſet, ſed hoc abſurdum, ergo. Reſpondet Caro negando ſequelam maioris, quia, inquit, *quidquid à ſole manat eo fortaſſe temporis proceſſu redit*, vt reſpondebat etiam Lucretius lib. 5. de ſole ſic dicens.

Conflnit ex vno capite hic vt profluat ardor.

Sed

Sed contra eſt, tum quia hoc illud profecto ridiculum Stoicorum Paradoxum fuit aſtra à terra nutriri, vt in Seneca videre eſt lib. 2. qu. naturalium c. 5. Plinio lib. 2. c. 68. Cicerone lib. 2. de natura Deorum & Macrobio in ſomnium Scipionis 1. & in alijs, tum quia inde naturaliter adhuc cæli ruina timeri deberet, vt merito replicat cum Cicerone Auguſtinus epiſtola 56. ad Dioſcorum, *quomodo*, inquit, *non vereatur ne intereat, cum ſine vlla intermiſſione pulſetur agiteturque atomorum incurſione ſempiterna? pulſari enim dicit illud corpus quod irruentibus Atomis feriatur & agitari quod penetretur*, tum quia hoc eodem modo etiam quælibet ſublunaria non minus æterna ſeu incorruptibilia dici poſſent ac cælum, vt arguit iterum cum Cicerone Auguſtinus ibidem, *cum enim*, inquit, *ita diſcedant quædam corpuſcula vt alia ſuccedant & diſſolui illa eadem ſucceſſione non ſinant: omnia ergo æterna eſſent, quia nulli deeſſet iſta innumerabilitas atomorum, quæ perpetuas ruinas ſub inde ſuppleret.*

Sexto arguit noſter B. Albertus Magnus lib. 2. de anima tractatu 3. c. 7. præter alia pulcherima conſulenda in eodem, hoc argumento Auicennæ, quia vel hæc corpuſcula luminis eſſent Diafana, vel lucida ac denſa, vt Sol vel Candela, ſi primum non illuminarent, vt ſupponitur, ſed illuminari adhuc indigerent vt vitrum; ſi ſecundum vnum inferius ſuppoſitum alteri viſiorem impediret alterius ſuperioris, vt Luna impedit & tegit Solem in Eclipſi & conſequenter nec aerem ſuperiorem nec Solem, nec orbes nec ſydera aſpiceremus, ergo cum hæc omnia abſurda ſint, abſurda pariter hæc ſententia à S. Thoma iuremerito mox antea dicebatur.

Ad primum igitur de Ariſtotele, de cuius mente ex ſecundo de anima dubitari nequit, reſpondet S. Thomas qu. 67. citata art. 2. ad ſecundum, *dicendum*, inquit, *quod Ariſtoteles lumen nominat ignem in propria materia ſicut ignis in materia aerea dicitur flãma & in materia terræ dicitur carbo, non tamen eſt multum curandum de exemplis, quæ Ariſtoteles inducit, quia inducit ea vt probabilia ſecundum opinionem aliorum*, hæc S. Thomas, cuius interpretatio etiam ex alijs antiquis Peripateticis approbatur à Picolomineo eodem loco citato & comprobatur ex eo, quod ibidem Ariſtoteles ſtatim aliam rationem adiungit (vt aduertit Zumel ad p. p. q. 67. ar. 2.) cur die minus audiamus, quia pluribus homo intentus eſt, vbi altera illa ratio recurrens ad Atomos, erat alterius Boetij, vt referet ex Plutarco in Simphociacis Rodighinus lib. 5. cap. 10. & demum addimus nos libros Problematum maxime dubios eſſe, vt Patricius oſtendit tom. 1. libr. 4. pag 44. de Platone, Auguſtino, Damaſceno, Teodoreto, & huiuſmodi vnica S. Thomæ ſufficit interpretatio planiſſima in eodem loco ad primum aientis, *dicendum quod Auguſtinus accipit lumen pro corpore lucido in actu ſcilicet pro igne quod inter quatuorelementa nobiliſſimum eſt*, vt colligitur ex eodem Auguſtino libr. 4. ſuper Geneſim ad litteram cap. 22. & alias Damaſcenus ipſe lib. 1. de Fide cap. 9. & lib. 2. c. 7. inquit, *lumen eſſe quandam qualitatem*, præterquam quod Valentia referens adducta verba Teodoreti ſubiungit aliquos ex patribus tenuiſſe in prima rerum creatione lucem fuiſſe accidens à Deo ſine

ſubie-

ſubiecto mirabiliter productum & conſeruatum, vti & Valdenſis aduertit tom. 2. cap. 73.

Ad ſecundum pariter à S. Thoma relatum miror aut non aduertiſſe aut non impugnaſſe recentes ibidem S. Thomæ reſponſionem ſic ad tertium aientis, *dicendum quod omnia illa atribuuntur lumini methaphorice ſicut etiam poſſunt atribui calori, quia enim motus localis eſt naturaliter primus motuum vt probatur 8. Phyſicorum, ideo vtimur nominibus pertinentibus ad motum localem etiam in alteratione & in omnibus motibus, ſicut etiam nomen diſtantiæ deriuatum eſt à loco ad omnia contraria vt dicitur* 10. *Methaph. text.* 15. ſicut etiam, addo ego, nomine motus notiſſimo nobis cætera omnia in actu nominare ſolemus, vt dicitur 9. Methaphyſicorum tex. 6. immo & vmbræ tribuimus moueri, reflecti, frangi, & tamen vmbra corpus ſine dubio non eſt, vt recte intorquet Albertus vbi ſupra. Experientiæ autem argumento coniunctæ demonſtrant ſolum ex lumine iuxta ſubiecti diſpoſitionem aliquãdo ſimul & alias qualitates conſequenter immiſceri proinde illos producentes effectus, vt in ſpeculo denſo ex denſitate ſic lumen intenditur, vt ignẽ exſuſcitet, in planetis ex diuerſa quantitate extenditur vel reſtringitur ita, vt varietur influxus, in aere talem ingerit raritatem, vt directa via magis renitente aura fumi occurſus retardetur & huiuſmodi.

Ad tertium demum ex doctrina eiuſdem S. Thomæ qu. 67. citata art. 3. ad ſecundum & alibi ſæpe dicentis cum Ariſtotele, lucem non habere contrarium, conſtat nec proprie eductione phyſica ſed Methaphyſica produci, conſequenter cælo incorruptibili non repugnare, vbi longe amplius atomorum deciſio contrariaretur, neque ſpatij extenſio pertranſibilis ſola productione poteſt inſtantaneam illuminationem retardare, quia ſicut productio actiua effectus conſequentis, vt lucis in ſole, poteſt eſſe in eodem inſtanti temporis cum prima creatione paſſiua eiuſdem ſolis, ita vna productio lucis ab altera luce producta procedens, & ſic de alijs, poteſt ſimul non obſtante medij extenſione eſſe in eodem inſtanti, vt Peripatetici dicunt, non vero ſic motus localis atomorum, vt Democritici reſpondebant.

ARTICVLVS II.

An ſpecies intentionales Verbi gratia viſibiles ſint atomi ſeu corpuſcula.

VIdetur quod ſic cum Leuſippo Democrito & Epicuro, ipſi Gaſſendo lib. 6. phyſicæ cap. 13. per totum & de more fauet Franciſcus Catus 3. part. ſuæ Philoſophiæ de ſenſu viſus. Probat Gaſſendus primo, quia vti de lumine dicebatur ita & ſpeciebus conueniunt proprietates corporum, vt moueri impingi in corpus, & ab eo repelli, dillatatius fieri & anguſtius, quæque iſtis aſſinia ſunt, ergo vere corpuſcula eſſe à poſteriori dignoſci poteſt.

Secundo quia non apparet, inquit, quomodo corpus viſibile, quod tam perſpi-

perſpicuè manet immotum tales ſpecies in ſpatio producere poſſit: an idem facit in aere quod pictor in tabula raſa aliunde nimirum accipens colores? quippe & Pictor nihil ex ſe quod in picturam tranſeat emittit; & non ne ergo Marpeſia cautes erit Appelle ingenioſior? eſto id vero detur obiectum primam ſpeciem producere, iſta tamen ſpecies quomodo tam cito abſoluit Tyrocinium, vt ſcite adeo penicillũ vſurpet ac imaginem ſibi adeo ſimilem exprimat? tertia vero & decima & milleſima & centies millies milleſima ab obiecto, quomodo nihil eorum obliuiſcitur, quæ antecedenter omnes egerunt, ſed exprimit ita ad vnguem? &c.

Tertio ex parte eductionis, cum ſpecies ex nihilo non creentur; omiſſis alibi oppoſitis in eductionem, ſic inquirit, *quænam eſſe poſſit adeo expedita aeris potentia quænam diſpoſitio adeo comparata ad omnem prorſus ſpeciem? quonam modo vno eodemque momento ex eadem parte aeris educi poſſit ſpecies non modo ſolis & lapidis hominis & ſtipitis, capitis & pedis, verum etiam picis, & nimis?* ergo reſtat, infert, ſpecies non eſſe accidentia producta de nouo, vt Peripatetici volunt, ſed aduenientes localiter atomos, vt voluere Democritiſtæ.

In oppoſitum tamen eſt quod ſimiles ſententiæ, vt refert etiam Thomas Hurthado controuerſia 1. de anima ſenſitiua membro 5. paragrafo 1. ab hæreticis magnò plauſu exceptæ ſunt, vt inter cæteros à Tobia Adamo cap. 11. phiſiologorum adhoc vt inde Apparentius contra Euchariſtica accidẽtia ſine ſubiecto ex abſurdis etiã infra tangendis debachari liceret, ergo mihi videri hæc etiam ſententia cauenda eſt.

Reſpondeo non vtique ſpecies verbi gratia viſibiles atomos eſſe. Et primo probo contra præcitatos, qui catholici ſunt, quia ab hoſtia conſecrata emitti experimur ſpecies viſibiles cæteraſque ſenſibiles vti ab alijs coloratis & ſenſibilibus emituntur. Sed iſtæ nequeunt eſſe corpuſcula decisa ab hoſtia, cum in hoſtia conſecrata nulla intima ſubſtantia remanſerit poſt conſecrationem, ergo.

Secundo quælibet pars deciſa ab hoſtia Conſecrata etiam ſi minima, retinet ſub ſe Sacramentaliter Corpus Chriſti, vti certiſſimum eſt. Sed iſta corpuſcula ſpecierum quædam partes eſſent deciſæ ab hoſtia; ergo ſub ſe retinerent Sacramentaliter Corpus Chriſti, dum adhuc oculum peccatoris infidelis, immo & bruti ingredere ntur, quo quid abſurdius?

Tertio à pari dum corpus Chriſti hic in mundo adeſſet immo etiam dum modo in Cælo empireo corporaliter Beatis apparet aut apparebit; profecto ſpecies viſibiles emiſſæ ab ipſo in iſta ſententia corpuſcula eſſent deciſa à ſubſtantia eiuſdem, ergo vel retinerent adhuc hipoſtaticam vnionem cum verbo, vel quod aſſumpſit pereniter adhuc dimittere non ceſſaret, quod communiter a Theologis reprobatur.

Quarto vt arguit Auguſtinus epiſt. 56. ad Dioſcorum immo & Alexander Aphodiſeus lib. de ſenſu & ſenſato cap. 3. Corpus quodlibet viſibile, vt ſol & huiuſmodi, ex perpetua dicſſione corpuſculorum, dum pereniter & quaqua verſum aſpicitur, procul dubio citiſſime conſumeretur, ſed hoc abſurdum.

ſurdum, ergo: neque hic effugere valet, aut deperditum reſtaurari per regreſſum aliarum atomorum aut adeo tenues eſſe egredientes atomos, vt diminutio inſenſibilis remaneret. Etenim quis ignoret Auarum in iſta hypotheſi iure merito nō permiſſurum vnquam nummos aureos externe videri, ne ex prædicta eiaculatione atomorum tam ampla & repetita, nec redeuntibus profecto ex aere corpuſculis aureis (quod ille excuperet) acuratiſſimo poſtmodum auratiæ libellæ examini deficere inuenirentur? quis iſta vel auarorum deliria vel potius philoſophorum non irrideret?

Quinto quia corpuſculum quodlibet quantumcumque minimum, ſi indiuiſibile Mathematicum non eſt, aliquem locum occupat, & conſequenter vnum è ſitu expellit alterum. Sed iſtæ ſpecies ſenſibiles inuicem non ſe expellunt in ſenſu, ergo corpuſcula quantum que minima eſſe non poſſunt, nec licet effugere cum Gaſſendo, ſcilicet ſingula hæc corpuſcula in cuſpidem piramidalem indiuiſibilem deſinere, & ita in puncto indiuiſibili pupillæ ſimul ſe tangere poſſe. non valet, inquam, quia quid inde dicet de ſenſibus internis, in quibus non penes cuſpidem ſe tangunt ſolum, ſed integræ innumeræ ſpecies innexiſtunt? vt recte arguit idem Auguſtinus in citata epiſt. 56. ad Dioſcorum, *miror*, inquit, *non admonuiſſe Democritum vel hæc ipſa falſa eſſe quæ dicit, quia venientes tam magnæ immagines in tam breuem animum noſtrum ſi corporeus, vt ipſi volunt, ſeu in corporeum ſenſum tam paruo tempore includentur totæ illum tangere non poſſunt*, & ſimilia ante Auguſtinum refert & irridet etiam Tertullianus in lib. de anima, immo & Plutarchus aduerſus Stoicos, *abſurdum nimis*, inquit, *phantaſias & affectus & appetitiones, aſſenſiones, corpora cum faciant in nullo ea dicere poſita eſſe ac ſubſiſtere; locum dumtaxat iis vnum in corde exiguum, qui puncti inſtar ſit, relinquere, vbi animi principale eſt*.

Sexto ita ſubtiliter iſtos redarguit Auguſtinus ibidem, *quæro*, inquit, *vtrum etiam ab ipſis atomis efluant immagines? ſi efluunt quomodo iam ſunt atomi id eſt indiuiſibiles, à quibus aliqua corpora ſeparantur? ſi non efluant aut poteſt aliquid ſine imaginibus cogitari, quod vehementer nolunt, aut vnde norunt atomos, quas nec cogitare potuerunt?*

Septimo ita ex eodē argui poteſt, nam quoad hoc quod eſt rapræſentare vel inherere cognoſcenti vel fieri de nouo & huiuſmodi, conueniunt ſpecies ſenſibiles corporum cum ſpeciebus intelligibilibus ſpiritualium, ſed iſtæ profecto adhuc in anima noſtra accidentia ſunt non corpuſcula ſubſtantialia, ergo quo ad iſtas rationes, quibus tamen aduerſarij anniti ſolent, nec illæ atomi ſunt, vnde inquit eodem loco Auguſtinus, *quaſi non multa ac prope innumerabilia cogitentur incorporabiliter atque intellelligibiliter ab eis, qui talia cogitare nouerunt, ſicut ipſa ſapientia & veritas, quam ſi iſti non cogitant, miror quomodo illa vtcumque diſputent. Si autem cogitent, vellem mihi dicerent, vel de quo corpore, vel qualis in eorum animos veniat imago veritatis*.

Octauo ſi ſpecies viſibilis eſt corpuſculum ab auro vel argento vel ligno deciſum, cum & in nocte hæc omnia remanere poſſint, non eſſet ratio cur ſingula non apparerent, præſertim cum ſubſtantialem profecto deciſionem

pari-

partium ſeu corpuſculorum & abſque lumine fieri certum ſit, ſed hæc omnia abſurda ſunt, vt experimur, ergo.

Ad primum igitur reſpondetur ea omnia ſaluari in ſpecie intentionali non per ſe ratione ſui ſed per accidens ratione corporum, quibus inhæret etiam extenſiue per accidens, vt de ſpecie albedinis inquiebat S. Thomas p. p. qu. 76. art. 8.

Ad ſecundum ea ſingula retorquentur in aduerſarios cum procul dubio quid longe amplius ſit corpuſcula ſubſtantialia ſic ample & ordinate progerminari, quam ſic ex illa iſta ſpecierum accidentia produci, & ſicuti Carthesius parte 3. principiorum (quem ſequitur Franciſcus Carus 2. parte philoſophiæ lib. 2. diſput. 2. in fine) adhoc vtitur ſimilitudine baculi, quo Cæcus ſentit lapidem, in quem baculi cuſpide impingit coutinuo aſcendente tremore per baculum, cur non continuo poterunt ab obiecto ſenſibiles ſpecies deriuari? vti applicatur de facto ſimilitudo à Simplicio in 2. de anima 7. vbi Philoponus etiam alio exemplo chordæ protractæ & ex vna parte percuſſæ vtebatur. Merito igitur Aphrodiſeus in lib. de ſenſu & ſenſato cap. 3. ſingula hæc potius in atomos Democriticas intorquebat, *quomodo, inquit, parietes leues, in quibus nihil eminet aut deprimitur, ſimulacra reddere cum figuratione apparente poſſunt? quomodo ſpecula & aquæ cum in ipſis quoque ſit lauior? quomodo poſſunt ex ſimulacro exiſtente in ſpeculo tot rurſus alia defluere? quomodo illud adeo eſt craſſum, vt tanto defluxui ſufficiat?* modo ſubdit Macrobius 7. Saturnalium 14. *& quamdiu ſimulacra coherentia permanent nullo coagulo cincta ad permanendum?* quomodo pergit Mazonius in ſua methodo vitæ contemplatiuæ, *tranſuerſis atque etiam aduerſis ventis non auferentur? cum non ita facile ſicut de accidentibus intentionalibus Peripatetici reſpondent, hæc corpuſcula ſemel diflata reſtituantur? quomodo obiecta etiam à tergo eo modo, quo in ſimulacro ſpeculi fit, per hæc ſimulacra ſimilia non apparerent?* Quomodo, cum ſubiecto non indigerent, hæc corpuſcula ſpecierum immo, & luminis per ſpatia imaginaria etiam extra vniuerſum non excurrerent, non vagarentur? Quomodo, ſi ſentire nil aliud eſt quam ab incurrentibus & pulſantibus atomis paſſiue titillari, & ligna & lapides iuxta Manicheorum immo Democritiſtarum deliria non ſentirent? Mitto quo has & conſimiles intorſiones, & ſolum mihi directa ſufficit S. Thomæ reſponſio aſſignans modum, quo ſpecies intentionales à corporibus producantur ex participatione ſubſtantiarum ſeparatarum legenda omnino in eodem q. 5. de potentia ar. 8. ad quem ſimul cum reſponſione ad tertium remittimus arguentem, vt celerius iſta expedientes cum Auguſtino citata epiſtola concludamus, *iam pudet nos iſta refellere, cum eos non puduerit iſta ſentire.*

Libri Quarti & Tomi primi Finis.

NOTÆ AD QVÆDAM BREVIVS SVPRADICTA *vel tacta.*

AD Librum primum qu. 2. ar. 3. occurrit ex lib. Iacobi Carpentarij edito Pariſis 1573. digreſione prima in Alcinoum per totam latius exribēda narratio damnationis librorum Petri Rami profitentis tunc temporis euertere Ariſtotelis philoſophiam, ex quo Ramo ſe profeciſſe contra Ariſtotelem Nouatores profitentur, vt nominatim Gaſſendus in Præfatione ad ſuas exercitationes paradoxicas aduerſus Ariſtoteleos.

Ramus igitur hic (vt refert dictus Carpentarius pag. mihi 107.) in libr. inſcripto, *animaduerſiones in Ariſtotelem* fol. 30. pag. 2. Ariſtotelem nominabat, *Deum Amentium*, fol. 43. pag. 1. *crudelem & immanem ſtudiorum humanorum carnificem* fol. 46. pag. 1. *Suorum crudelem tortorem* fol. 52. pag. 2. *fabulatorem & inauditæ fabulæ parentem, & cuius doctrina initiati è poteſtate mentis exeunt, & protinus furore Ariſtotelico correpti ſaltatorium Orbem ſaltare incipiunt*, & ne mores vel vitam Ariſtotilis intactos relinqueret fol. 20. pag. 2. ſubiungebat, *hunc Hermiæ Concubinam tam miſere deperiiſſe vt promiſſam ſibi duceret vxorem. & ei cupiditatis ardore geſtiens immolaret, vt Athenienſes Eleuſinæ Cereri immolabant*, ex quo deinde fol. 42. pag. 1. appellabat, *Idolatram, & quidem Meretricis*, hæc Rami encomia in Ariſtotilem, cum quibus an Gaſſendi aliorumque ſimilium exercitationes aduerſus Ariſtoteleos apprime conueniant æquus lector poterit iudicare. Contra hunc à pag. 78. incipit ſcribere Carpentarius, & primo cur ipſum in alio ſuo opuſculo ſub Theſſali nomine repræhenderit præoſtendit, nempe ex ſimilitudine inter eundem Ramum audentem contra Ariſtotilem, & Theſſalum olim conantem Hypocratis ſimul & Ariſtotelis euellere diſſiplinas, cui ideo Carpentarius pag. 84. reponit verba Galleni in Theſſalum ironicè ſic perorantis. *Theſſalo omnes himnos cantent ſcribantque victoriæ Carmina. Publicum orbis Theatrum conſtituatur, acceditoque aliquis, qui canat eum, qui viciſſe Fabium, Ciceronem, Platonem, Ariſtotilem, Euclidem, cæteroque oratores, Philoſophos, Mathematicos: palmam denique omnibus eripuiſſe*. Inde pag. 87. Ioannis Siluij, Fernellij, Fleſſelij, & aliorum vota recenſet contra præmiſſam Rami audaciſſimam Philoſophiam, & quia Ramus adhuc decreta publica edita contra ipſum diſſimulare vel temerare nitebatur, à pag. 89. vſque ad 104. eadem decreta aliorumque vota recenſet & integram narrat hiſtoriā hic iure meritò tranſcribendam. Ego, inquit, doctrinam tuam (nam de hac mihi tecum, non de religione quæſtio eſt) Regis edicto iam pridem damnatam eſſe dico. Negas? En profero quæ ad ſempiternam nominis tui memoriam, in commentarijs Rectoratus Guilelmi Montuellij, ante annos viginti deſcripta ſunt. Ea iam fideliter recitentur: ne poſthac negare audeas.

GVIL.

neſcio quo genio malo irrumpente in Academiam, ingens facta eſt ſtudiorum omnium de repentè perturbatio, edito recens libello, cuius titulus erat Animaduerſiones Ariſtotelis, compoſito ad extinguendam in totum doctrinam vnius Ariſtotelis, omnium philoſophorum facilè principis. Cui ſanè morbo non leuiter graſſanti & mentibus puerorum ad quiduis quod nouum ſit & inauditum, facilè ſequacium, paulatim ſeſe inſinuant, maturè & conſulto eſt occurſum. Partim decreto iudicum, qui prudenter librum illum ſtatim ſuppreſſerunt & ne diuenderetur publicè inhibuerunt: partim editis breui aliquot libris pro Ariſtotele, quibus authoris libelli iſtius calumniarum & mendaciorum pleni, interclufæ ſunt furiæ. Poſtremo tandem Chriſtianiſſimi Regis conſilio, cum ſuperiora omnia non viderentur eſſe ſatis ad tantum ignem, qui quotidie magis flagrabat, reſtinguendum, delecti ſunt tres in omni linguarum & literarum genere exercitatiſſimi. Qui cum libellum illum & alterum eiuſdem authoris, propius penitiuſque inſpexiſſent, & libellorum authorem iuxta Regis decretum præſentem, pro ſe dicentem, præſentes ipſi audiſſent: ex æquo & bono iudicantes, magnam incluſam eſſe libellis impudentiam & ignorantiam Regi declararunt. Qui pro ſua in academiam ſolita beneuolentia, confectis & regio ſigillo notatis literis, omnibus regni partibus fugiendam hanc peſtem, ſignificandum cenſuit. Vis etiam hoc loco in eandem ſententiam audire literas regias: quarum exemplar vt eſſet immortale, ætis publicis academiæ noſtræ eſt incluſum? Lubentiſſime ſanè tibi, hac in parte præſertim, gratificabimur: vt omnes intelligant quanta cum ſua gloria potentiſſimus Rex literarumque amantiſſimus Franciſcus, profeſſionem tuam exiſtimauerit eſſe coniunctam. Hunc igitur ſuo ſermone (ne quid in eo latinè reddendo, à nobis immutatum criminari poſſis,) de te tuaque doctrina ſtatuentem audiamus.

FRANCOIS PAR LA GRACE DE DIEV ROY DE FRANCE, A tous ceux qui ces preſentes lettres verront, ſalut: Comme entre les autres ſolicitudes que nous auons touſiours eues de bien ordonner & eſtablir la choſe publicque de noſtre Royaulme, Nous auons mis toute la peine que poſſible nous a eſté de l'accroiſtre & enrichir da toutes bonnes lettres & ſciences, à l'honneur & gloire de noſtre Seigneur, & au ſalut des hommes. Et puis n'agueres aduerty du trouble aduenu à noſtre chere & aymée fille L'vniuerſité de Paris, à cauſe de deux liures faictz per maiſtre Pierre Ramus, intitulez l'vn DIALECTICÆ INSTITVTIONES. & l'autre ARISTOTELICÆ ANIMADVERSIONES. & des preces & differens qui eſtoyent pendant en nouſtre court de Parlement audict lieu, entre elle & ledict Ramus pour raiſons deſdictz liures, nous les euſſions euoquez à nous, pour ſommairement & promptement y pourueoir, A ceſte fin euſſions ordonné que maiſtre Anthoine de Gouea, qui s'eſtoit preſenté à impugner & debatre leſdictz liures, & ledict Ramus qui les ſouſtenoit & defendoit, eſliroyent & nommeroyent de chacun coſté, deux bons & notables perſonnages cognoiſſans les langues Grecques & Latines, ſcauantz & experimentez en philoſophie, & que nous eſlirions & nommerions vn cinquieſme pour viſiter leſdictz

liures, oyr leſdictz de Gouea & Ramus en leurs diſputes & debatz, & ſur le tout nous donner leur aduis, Suyuant laquelle noſtre ordonnance euſt ledict de Gouea eſleu & nomme maiſtres Pierre Danes, & Francois à Vicomercato: & ledict Ramus maiſtres Iehan Quentin docteur en decret, & Iehan de Bomont docteur en medecine: & nous pour le cinquieſme euſſions nomme & ordonne noſtre cher & bien aymè maiſtre Iehan de Salignac docteur en theologie, par deuant leſquelz leſdictz de Gouea & Ramus euſſent eſte oys en leur diſpute & debatz, iuſques à ce que pour entrerompre l'affaire, iceluy Ramus ſe ſeroit portè pour appellant deſdictz Cenſeurs, dont nous aduertis euſſions decernè noz lettres a noſtre Preuoſt de Paris ou à ſon Lieutenant, pour contraindre leſdictz de Gouea & Ramus à parfaire leur diſpute, à fin que par leſdictz Cenſeurs nous fuſt donnè ledict aduis, non obſtant ledict appel & autres appellations quelconques. Suyuant leſquelles noz lettres euſſent leſdictz de Gouea & Ramus derechef comparu par deuant leſdictz Cenſeurs: & voyant que par iceluy Ramus leſdictz liures ne ſe pouuoyent ſouſtenir, euſt declarè n'en vouloir plus diſputer, & qu'il ſe ſubmettoit à la cenſure des deſſuſdictz: & comme l'on y vouloit proceder, leſdictz Quentin & Bomont l'vn apres l'autre, euſſent declarè ne s'en vouloir plus entremettre: Au moyen dequoy euſt iceluy Ramus eſtè ſommè & requis d'en eslire & nommer deux autres, ce qu'il n'euſt vouln faire, & ſe fuſt du tout ſubmis aux trois autres deſſuſnommez: leſquelz apres auoir le tout veu & conſiderè euſſent eſtè d'aduis que ledict RAMVS AVOIT ESTE TEMERAIRE, arrogant & impudent, d'auoir reprouuè & condamnè le traint & art de Logicque receu de toutes nations, que luy meſme ignoroit: & que par ce qu'en ſon liure des Animaduerſions il reprenoit Ariſtote, eſtoit euidemment cogneue & manifeſtèe ſon ignorance, voire qu'il auoit mauuaiſe volontè, en tant qu'il blaſmoit pluſieurs choſes qui ſont bonnes & veritables, & qu'il mettoit ſus à Ariſtote pluſieurs choſes auſquelles il ne penſa oncques: & en ſomme ne contenoit ſondict liure des Animaduerſions que tous menſonges, & vna maniere de meſdire. Tellement qu'il leur ſembloit eſtre le grand bien & proffict des lettres & ſciences que ledict liure fuſt du tout ſupprimè. Semblablement & l'autre deſſuſdict intitulè DIALECTICÆ INSTITVTIONES, comme contenant auſſi pluſieurs choſes faulces & eſtranges.

SCAVOIR FAISONS, que veu par nous ledict aduis, & eu ſur ce autres aduis & deliberations de pluſieurs ſcauantz & notables perſonnages eſtants lez, nous auons condamnè, ſupprimè & aboly, condamnons, ſupprimons & aboliſſons leſdictz deux liures, l'vn intitulè Dialecticæ Inſtitutiones, *& l'autre* Ariſtotelicæ Animaduerſiones, *& auons faict & faiſons inhibitions & defenſes à tous Imprimeurs & Libraires de noſtre Royaume, pays, terres & ſeigneuries, & à tous autres noz ſubiectz de quelque eſtat ou condition qu'ilz ſoyent, que ilz n'ayent plus à imprimer ou faire imprimer leſdictz liures, ne publier ne debiter en noſdictz Royaulme, pays, terres & ſeigneuries, ſur peine de confiſcation deſdictz liures & de punition corporelle. Soit qu'ilz ſoyent imprimez en iceux noz Royaulme, pays, terres, & ſeigneuries, ou autres lieux non eſtans de noſtre obeyſſance: Et ſemblablement audict Ramus, de ne plus lire leſdictz liures, ne les faire eſcrire ou copier, publier, ne ſemer en aucune maniere: ne lire en Dialectique,*

ne

Digitized by Google

ne Philoſophie, en quelque maniere que ce ſoit, ſans noſtre expreſſe permiſsion: Auſſi de ne plus vſer de telles mediſances & inuectiues contre Ariſtote né autres autheurs anciens & approuuez: ne contre noſtre dicte fille L'vniuerſité & ſuppoſt d'icelle, ſoubz les peines que deſſus. Si donnons en mandement & commandons par ces preſentes à noſtre Preuoſt de Paris, ou à ſon Lieutenant Conſeruateur des priuileges par nous & noz predeceſſeurs Roys donnez & octroyez à noſtre fille L'vniuerſité, que noſtre preſent iugement & ordonnance il mette ou face mettre à deue & entiere execution, ſelon ſa forme & teneur: Et à ce faire ſouffrir & obeyr, contraigne & face contraindre, tous ceux qu'il appartiendra: & pour ce feront à contraindre par toutes voyes & manieres deues & raiſonnables, non obſtant oppoſitions & appellations quelconques: pour leſquelles ne voulons eſtre differe. Et pour ce qu'il eſt beſoin faire notifier noz dictes defences en pluſieurs lieux de noſtre Royaume, terres, & ſeigneuries, à fin de les faire obſeruer, nous voulons que au vidimus d'icelles faict ſoubz ſeel Royal, ou ſigné par collation par l'vn de noz aymez & feaulx Notaires & Secretaires, ſoit adiouſtée foy comme au preſent original. Mandons en oultre a tous noz autres iuſticiers & officiers & à chacun d'eux ſi comme à luy appartiendra, que noz dictes defenſes & inionctions ilz facent obſeruer en procedant par eulx contre les infracteurs d'icelles, ſi aucuns en y a, par les peines cy deſſus indictes, & autres qu'ilz verront eſtre à faire par raiſon. Teſmoing de ce nous auons faict mettre noſtre ſeel à ceſdictes preſentes. Donné à Paris le x. iour de Mars, l'an de grace 1543. & de noſtre regne le 30. Ainſi ſigné ſus le reply, Par le Roy, vous preſent, la Cheſnaye, & ſeellé du grand ſeel ſur double queue de cire iaune.

I. nunc, Theſſale, & dicito te tot annos, liberales artes tanta bonorum omnium vtilitate & lætitia, tanta regis tui non ſolum liberalitate, ſed gloria profiteri. An etiam coges de ſenatuſconſultis, quibus doctrina tua tam ſæpe damnata eſt, hoc loco dicere? Vnum tibi indicabo, quod antecedentis actionis celebritate, atque præſentia illuſtriſſimi Cardinalis & Principis à Lotharingia, vſque adeo nobilitatum eſt, vt adhuc eius memoria recens ſit in animis hominum. Anno 1550. nobis Rectoribus, de Præleis, id eſt tuis philoſophiæ profeſſoribus & auditoribus, quæſitum eſt in philoſophorum ordine primum, deinde in Academia. Quod illi in docendo, contra noſtras leges, pro Ariſtotele poetas & oratores ſuis expoſuiſſent. De quo cum quidam ex tuis (quem non neceſſe eſt nominari) à philoſophicis cenſoribus interrogaretur, palam dicere auſus eſt (quod ab Actuario noſtro ex eius ore fideliter exceptum, adhuc habemus in manibus) toto illo tempore ab Academia ad philoſophandum definito, ſe vt doctrinæ Ariſtotelicæ vſum, ſi dijs placet, commodius illuſtrare poſſet, Ariſtotelis quidem libros in pauciſſima breuiſſimaq; capita contraxiſſe, ampliſſimas verò philoſophias oſtentaſſe in accurata interpretatione Elegiarum Ouidij de Ponto, Artis poeticæ Horatij: Itemque in Virgilij Georgicis, Ciceronis actionibus in Verrem, eiuſdemque Philippicis, libris de Oratione, de Officijs, & dialogo de amicitia. Qui cum te auctore hoc etiam adieciſſet, melius ex iſtiuſmodi poetis & Oratoribus, quam ex ipſo Ariſtotele, philoſophiæ partes

omnes poſſe repeti;factum damnatum eſt à philoſophorum ordine primùm
deinde ab Academiā, ad quam cum tuis profeſſoribus prouocaueras:atque
ita damnatum, vt auditores, quorum ſimplicitati ſcholæ tuæ fucus illuſerat,
philoſophiæ magiſterio, ad quod aſpirabant, non excluderentur, ſed eui
doctores poſtea cogerentur, ſi Academiæ præmijs frui vellent, in Ariſto-
tele melioribus horis ſuos exercere. Humaniſſima profectò ſententia, ſed
hoc ipſo tibi grauiſſima, quod eum philoſophiæ principem à tuis haberi
vellet, in cuius euerſionem iampridem iuraueras. Itaque ſecuta eſt altera
tua prouocatio ad ſenatum, ad hancque inſtruendam à te edita illa præcla-
ra oratio, PRO PHILOSOPHICA PARISIENSIS ACADE-
MIÆ DISCIPLINA. Sic enim, quanquam verbis ſophiſtas ſemper
inſectaris, tamen neſcio quo ſophiſmate, aut vano ſomnio, fingebas & in-
telligentiſſimis hominibus perſuadere volebas, te eius Academiæ cauſam
agere, à cuius ſententia prouocaueras: aut vmbram eſſe Academiæ quæ te
damnauerat:germanam vero huius ſapientiam in tuo cerebro reſidere. Imo
verò ad perorandam cauſam, Academiæ patronos iſto nomine tibi impe-
traueras. Quis ab eo tempore in varijs contentionibus, quæ de religione
ſunt exortæ, videre non potuit ex quo ludo illæ argutiolæ eſſent profectæ?
Et tamen nonnullis impudentiam tuam hoc ipſo initio damnantibus, alijs
ſtolidum acumen ridentibus, prius quam de prouocationis iure diceretur,
diſceptādum fuit, eſſet ne ea Pariſienſis Academia, quæ Theſſalum damnaſ-
ſe dicebatur. An vero nos, qui cum illius auctoritate & publica fide obſi-
gnatis literis aderamus, in Theſſalo, qui Academiæ princeps videri volebat,
ſuſtinendo, contra Academiam ageremus. De eo ſenatores rogantur. Vni
omnium ſententia decretum eſt, tuo nomine cōtra Academiam, iſtam cau-
ſam eſſe perorandam: tibique priuatim temerariæ prouocationis periculū
eſſe ſubeundum. Atque quoniam Academiæ in illo ampliſſimo ſenatu ver-
ſanti, locus honoris ergo ad dicendum ſemper fuit conſtitutus, is ex quo
principium in Gallia patroni, ſi quando illi in iudicio verſantur, cauſas pe-
rorare ſolent: cum tu illum prior occupauiſſes noſque excluſiſſes(O ſingu-
larem hominis impudentiam!) eadem ſententia cedere es coactus, & cum
tuo patrono in aduerſam partem abire. Quod tuæ victoriæ valde glorio-
ſum fuit exordium. Nobilis cauſa, ad quam factus erat concurſus ex om-
nibus Academiæ partibus, vtrinque per nobiliſſimos patronos nobiliſſime
peroratur. Tuus, poetas in cælum laudibus effert, atque efficere conatur
nullum eſſe locum in philoſophia in quo pertractando, illi Ariſtotelem lon-
go interuallo non ſuperauerint. Idem, in Ariſtotelis philoſophiam inue-
hitur paulo acerbius. Non quod eam odiſſet (qui enim odiſſe poterat, a
qua ipſe excultus & valdè ornatus, hodie cum maxima omnium admiratio-
ne vniuerſi ſenatus quaſi clauum tenet?) ſed vt cauſæ ſeruiret & hanc natu-
ra deteriorem patribuſque parum gratam, leniret orationis ſuauitate, qua
apud omnes plurimum poterat. Noſter vero, contra, poetarum muſas
non aſpernatur: ſed aliud eſſe docet cum ijs amœnioribus velle ludere, aliud
in Ariſtotele & Platone ſerio philoſophari: recreandoſque philoſophorum
aui

animos poetarum lectione, non ex poetis philoſophiam eſſe petendam. Atque etiam illud addit, de ſuperioribus diſciplinis actum eſſe: niſi hæc Theſſalica philoſophandi ratio, ſeueriore aliquo iudicio in magiſtro coerceatur. Præſertim cum omnis harum dignitas, Ariſtotelis philoſophia cenſeatur: & quantum quiſque ex hac ad illas capeſſendas adiumenti attulit, tantum in eiſdem ornamenti poſtea ſit conſequutus. Quibus auditis, cum ſenatorum omnium animos in rem noſtram propenſos facilè animaduerteres: atque metueres ne illi ad ignominioſam doctrinæ tuæ damnationem, temerariæ quoque prouocationis pęnam adijcerent, vt tui commiſerationem aliquam excitares, ipſe pro te inclinata voce dicere cepiſti, atque cauſari, non Ariſtotelem à tuis omnino neglectum, ſed eorum quæ hic de diſſerendo multis libris præcepit, viſum in poetis & oratoribus eſſe quæſitum. Ego verò cum pro eo quod mihi tum Rectoria dignitate nuper defuncto, vniuerſa Academia cómmiſerat, magna animi alacritate, quaſi iam victoriam præſentiens, de artis diſſerendi vſu in philoſophis potius quàm in poetis quærendo, nonnulla dixiſſem, atque adieciſſem duas partes eſſe exercitationis philoſophicæ, quas ab Ariſtotile accepimus, vnam in dicendo de theſi perpetua oratione, alteram in conciſa diſputatione, quarum vtraque in philoſophorum ſcriptis eſſet perfecta, in poetis & oratoribus vix adumbrata: factum eſt ſenatuſdecretum in hanc ſententiam, Tibi tuiſue ne poſthac liceret in philoſophia docenda quicquam innouare, vel ab Ariſt. (cuius ſcripta de puncto in punctum explicari noſtra lex iubet) recedere, aut pro illis, tuas nugas, imo neque poetarum neque oratorum amœniores muſas proponere: Quod eſſet verendum ne harum ſuauitate quaſi Syrenum cantibus, plerique à ſolidiore philoſophorum doctrina reuocati, ad eaſdem quaſi ad ſaxa adhæreſcerent: denique ne philoſophiæ profeſſoribus in ijs amplius quicquam liceret, quàm ſucciſiuis temporibus nonnunquam ludere, & hoc totum ad doctrinæ peripateticæ illuſtrationem referre, non in eo philoſophici ſtudij partem vllam ponere. Qui contra faceret, is in legem peccare videretur, & hoc ipſo omnibus Academiæ muneribus priuaretur. Annon hæc grauiſſima tuæ doctrinæ damnatio? Quæ ſi verum fateri vis, tibi tam moleſta fuit, vt ex eo tempore philoſophiæ profeſſionem, à tuo prælo releganre omnino malueris, quàm te illis legibus addicere. Quid ergo contra doctrinam tuam hac in parte dictum eſt, quod ab vlla animi immoderatione profectum videri poſſit? Pergis vero eodem ore, cum ſcribis non modeſtiæ ſolum, ſed communem penè ſenſum in eo mihi defuiſſe, quod ad ſenatuſconſulta auſus ſum adijcere, commentis tuis omnino cõtrarias doctiſſimorum hominum ſententias. Imo verò communis ſenſus omnino eſſem expers, niſi hoc de illis iampridem ſenſiſſem. Quid enim, Theſſale, tantáne ſtupidus es vt hanc doctrinæ tuæ, vel potius fatuitatis, damnationem nondum ſenſeris? Deum Immortalem! quid non auderes ſi contra alios tibi eſſet agendum: cum tu eum tam ſis impudens, quem non ignoras poſſe teſtibus infinitis iſtam tuam impudentiam reuincere? Doctiſſimorum hominum ſententijs non es damnatus! Dic mihi, quatuor Academiæ noſtræ ordines,

num.

num doctiſſimos viros continent? Si negas, patriæ es valdè iniurius. At illi vno conſenſu millies tuas nugas damnauerunt, & in illis venditandis, tuam inſolentiam ſeueriore aliquo iudicio coercendam exiſtimauerunt. idque vt facere liceret, apud ſenatum, apud regem, apud primarios huius conſiliarios, per literas, per legatos ſuos frequenter egerunt. Quod ſi poſthac negaueris, atque mihi amplius ſtomachum moueris, dabitur aliquando ab actuarijs noſtris eruere exempla eorum, quæ de tua doctrina decreta ſunt, & literarum quæ contra te ſcriptæ, illaque omnia edere: vt exteri atque poſteri intelligant quo hic apud omnes bonos & doctos ſemper fueris loco. Verum vt aſtutè nonnullos excipias, homines iſtos doctiſſimos intelligere me ſcribis mei ſimiles, & logica mihi pares: id eſt, vt ais, ſophiſtas. Atqui Theſſale, in illis ſunt non ſolum doctores Theologi, quos ſcio tibi eſſe odioſos, ſed etiam medici: quorum doctrinam in hac ipſa diſputatione de methodo, merito admirares. An igitur etiam hos, quia te damnarunt, ſophiſtas fuiſſe clamabis? Ego profecto cum vtroque ordine atque adeo cum vniuerſa Academia, ſophiſta haberi malo: quàm in Theſſalica ſapientia principatum obtinere. Sed age, Academiam noſtram nihil niſi ſophiſmata noſſe fateamur: atque hoc etiam concedamus, nullos in ea ſapientes de tua doctrina ſententiam tuliſſe: nec idcirco te doctiſſimorum hominum ſententijs eſſe damnatum, quod illa ab omnibus Academiæ ordinibus iampridem ſit exploſa. Doctos, credo, fuiſſe non negabis eos quos Chriſtianiſſimus & literarum amantiſs. Rex Franciſcus ad cognitionem cauſæ tuæ ante annos viginti delegerat. Vis verò audire horum de te tuiſque libris præclarum iudicium? Atqui ad ſempiternam admirabilis doctrinæ tuæ memoriã cum eiuſmodi inſcriptione ab illis eſt editum.

IVDICIVM LIBRORVM PETRI RAMI, à Iudicibus, tum à principe, tum à partibus delectis factum. Lutetiæ anno M. D. xliiij. Calend. Mart.

Cum chriſtianiſſimus rex noſter, pro ſuo in philoſophiam & recta ſtudia animo, nobis id oneris impoſuerit, vt librum quendam P. Rami, quem is Animaduerſionum Ariſt. nomine inſcriptum, aduerſus Ariſtotelem edidit, accuratè legeremus, & quæ de illo ſententia noſtra eſſet exponeremus: nos diligenter perlecto libro & ſingulis eius animaduerſis & ponderatis ſententijs, ita cenſuimus. Ramum temerè, arroganter & impudenter feciſſe: qui receptam apud omnes nationes logicæ artis rationem, quam ipſe præſertim non teneret, damnare & improbare voluerit. Ea autem quæ in Ariſt. repræhendat eiuſmodi eſſe, vt hominis cum Ignorantiam & ſtuporem, tum verò improbitatem & malitiam arguant: cum & multa quæ veriſſima ſunt, criminetur, & plæraque tribuat Ariſtoteli quæ is nunquam ſenſit: denique toto eo libro præter mera mendacia & ſcurrilem quandam maledicentiam nihil contineatur. Vt reipubl. literariæ plurimum noſtra ſententia, intereſſe videatur, librum omni ratione ſupprimi, vnaque librum

alte-

alterum Dialecticarum Inſtitutionum: quod is quoque aliena multa & falſa contineat. Quid hic potes comminiſci, Theſſale? An doctorum virorum iudicium fuiſſe negabis? Id ſi feceris iam cum tribus ornatiſſimis & magnarum artium cognitione clariſſimis, Salignaſſeo, Daneſio & Vicomercato, qui adhuc viuunt, non mecum tibi res erit. Quid ſi tibi opponerem Ioachimum Perionium, vel Antonium? Num horum ſcripta fatuitatis tuæ locupletiſſima teſtimonia ſuppeditare poſſent? Quorum fides ſi fortè hac in re ſuſpecta eſſe poteſt, audi iam alterum teſtem omni exceptione maiorem. Tu in tua oratione poſt reditum, P. Montaureum eruditiſſimum prædicas, eiuſque vigilijs decimum librum Euclidis præclarè explicatum & illuſtratum fateris, nec ſane ſine cauſa. Eſt enim ille doctiſſimus & viri meliori etiam dignus elogio, Atqui eo ipſo libro, vis audire quid de te ſentiat? *Ergo, inquit, repertus eſt, ſi diis placet, qui cum bellum nefarium omnibus bonis artibus indixiſſet & ſapientiæ fructum iam planè maxima bonorum omnium gratulatione renaſcentis, nobis inuideret, Lutetiæ in luce atque oculis non modo Galliæ, ſed totius Europæ, caſtra figeret ignorantiæ: & vniuerſæ philoſophiæ vitæque adeo è philoſophia conſtituendæ auctorem Ariſt. oppugnatum, palam etiam accederet, nihilque in Dialecticis, nihil in phyſicis, nihil vſquam veri vidiſſe, aut tradidiſſe argueret. Audax negotium, dicerem & impudens, niſi verborum omnium acerbitatem rei ipſius per ſe inauditæ, neque iam audiendæ, indignitas ſuperaret. O Imperitos maiores noſtros, qui nunquam quiuerunt iſtud intelligere! Quid eſt quod profectum eſſe dicam recenti ſophiſtarum clade atq; exilio, ſi ſophiſtas alios aſciſcimus? Quaſi verò non iam miſerrimam rerum omnium ignorationem deprecemur, ſed mutationem tantum in ipſis ignorantiæ magiſtris expetamus. At certè totum illud eiuſmodi eſt, vt cenſoria magis animaduerſione, quam cuiuſquam omnino contra diſputantis oratione reprimendum ſit. Neque vero de hac ipſa re verbum vllum facturus eram, ſi moderatius inſaniendum ſibi putaſſet: ſuaque ipſe contentus, iuuentutis credulæ & rerum imperitæ non augeret ignauiam. Nam de ipſo quidem leuior omnino iactura fuerat. Impune eſſe cuilibet debet, periculo ſuo inſanire: ſed cum ad aliorum perniciem morbus animi conuertitur, id verò ferendum non eſt. Huic certè malo niſi maturis conſilijs obuiam eatur, atque audaciſſimos impetus diligentia continueris magiſtratuum, næ præclara illa ſtudiorum nobis promiſſa compendia permagno conſtiterint iuuentuti: cum grauiſſima mercede totius temporis iactura didicerit, nihil è nouis illis, ſed non ſatis eruditis magiſtris, interea niſi arrogantis cuiuſdam & confidentis ignorãtiæ ignauiæque præcepta didiciſſe*. Non ſentis quam magnificè de te loquatur, & quos fructus polliceatur credulæ iuuentuti, arrogantis neſcio cuius fatuitatis magiſtrum ſectanti? An non erunt hæc ſatis ad efficiendum vt intelligatur te doctorum virorum ſententijs eſſe damnatum? Age, nolo adhuc his credatur: nec cauſam dico quin pœnam impoſtori debitam feram, niſi idipſum quod propoſui luce claris efficiatur. Iam verò de te tuaque doctrina collegas tuos, profeſſores regios audiamus. Erunt fortaſſe hi in te humaniores, atque etiam ſi in illa quædam peccata ſint, diſſimulabunt tamen vel occultabunt, ne tu nobiliſſimo ordini dedecori fuiſſe videaris. A quo igitur vis incipiam?

An à Franciſco Vicomercato? Hic apud nos nunquam de te eſt locutus, niſi vt de homine in philoſophia omnium indoctiſſimo, & in illius principes furente: nec dubito, quin vbicumque terrarum ſit, nobis adſit fideliſſimus teſtis fatuitatis tuæ. Vis à Leodegatio à Quercu, viro ſuo ordine digniſſimo, nec vnquam in quenquam niſi publico nomine, commoto? Is quodam loco in tuam laudem ſic præfatur. *Cum hiſce temporibus in hac ſchola, vniuerſi terrarum orbis principe, infelix neſcio quis Ramus extitiſſet, qui arbori matri ſuæ vim afferre cupiens, in eius parentes, Quintilianum, Ciceronem & Ariſtotelem ita petulanter & propemodum furioſè debacchatus eſſet vt non ſe minus ignorantem eſſe, quàm calumniatorem oſtenderet: cum doctis & probis viris quamplurimis ſic commotus & concitatus ſum, vt ſi me iudice tanta temeritas animaduertenda fuiſſet, culleum aliquem literarium, cui inſutus perpetuo mulctaretur, ei paraturus fuerim.* Cætera tibi nota ſunt. Vis poſt illos in P. Gallendij iudicio acquieſcamus? Video te in illius nomine palleſcere, futurumque vt exanimeris, ſi paulo vehementius vrgeam. Quid enim eius illa præclariſſima oratio contra nouam tuam Academiam? Equidem vt ab illuſtriſſimo Cardinali Bellaio, cum eam legiſſet, dictum memini.

Aperit Ramum qui veſte latebat.

Iam igitur quid dices, aut cauſaberis? Illos doctos fuiſſe negabis? Credo. Qui enim docti tibi eſſe poſſent, cuius Plato Cicero, Fabius, Ariſt. Galenus, Euclides non ſapiunt ſatis? Sed bona fide dic mihi, Theſſale, de Adriano Turnebo modeſtiſſimo homine, & in bonis literis omnium, quos tulit noſtra ætas doctiſſimo, quid ſentis? Huncne in illa cauſa teſtem recuſare audebis, aut eius fidem tibi ſuſpectam dicere? Vide quid agas, & caue ne hunc tibi aduerſarium reddas: quem non ignoras ad diſputationem de methodo, ſicut ad alias omnes, contra te eſſe inſtructiſſimum. Nam ſi is teſtis recuſatus, ad hanc cauſam mihi patronus acceſſerit, quas ruinas edet? hoc ſi fit, profecto de te actum eſt, perijſti. Quanquam nihil potes in eo teſte excipere, cuius integerrimos mores, cum ſolida doctrina, omnes boni & docti merito admirantur, & quem ipſe ſæpe, atque nouiſſimè in poſtrema tua oratione pleniſſimo ore laudaſti. Ergo huic credamus, & quod de tua doctrina ſtatuerit, id ratum habeamus. Omitto cætera, quibus ille in diſputatione de legibus & de fato, ſuis coloribus depingit Theſſalum, qui, vt ait, non ſolum logicus eſſe, ſed Dialecticus haberi vult: locum vnum ex illo deſcribam, in quo pulchrè concludere & perorare videtur, quod antea Leodegarius à Quercu eſt præfatus. *Tantum admonebo te, inquit, ne poſthac tantum tibi in dialectica ſumas, vt rudem eius vetuſtatem, te prudentiſſimum cenſeas: hoc enim vnum mihi videris toto tuo commentario agere, hoc docere velle, te non modo Chryppo & Diodoro, verum etiam Cicerone meliorem diſputatorem eſſe. Si enim quandocumque in eos diſſeris, ita pueriliter laberis, vt non modo non diſputandi ſcientiam, ſed ne intelligendi quidem mediocrem prudentiam præ te ferre videaris, ab illa præſtantia, quam opinionis errore tibi finxiſti, ita longè profecto diſtas, vt non tam in dialectica tibi laus vlla expectanda ſit, quam veniæ deprecatio quærenda. Ne philoſophiam quidem & eloquentiam poſthac, ſi mihi credis,*

tibi

tibi arrogabis. Eſt inuidioſum, eſt ſuperbum: etiam vt verè dicam, ridiculum. Itaq; homines vulgo diſſimulatorem tibi aliquem qualis Socrates fuit, deſiderāt, qui ſibi inſignes iſtos titulos detrahat, de induſtria tibi illudēs tribuat: qui te ſummis laudibus in cœlum efferat, vt olim ille Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, reliquos ſophiſtas: quorum imaginem nullam haberemus, ſi te amiſiſſemus. Sed & nonnulli aiunt expectare te debuiſſe dum hominum iudicio & ſuffragijs iſto honore afficereris. Verecundi enim hominis fuiſſe non a ſe prædicari, ſed tanquam per præconē, vt qui in Olympicis ludis victores declarabantur, pronuntiari. Quanquam tu à victoria longiſſimè ſemper abfuiſti, in omni contentione & pugna ſemper ſuperatus atque triumphatus.

Ac quoties eſſes victus & à quibus, memorarem, niſi etiam nunc in hominum mente, triumphalium illorum memoria hæreret, ad quorum nomen ſemper exhorreſcere, ſemper expalleſcere ſoles. Sed tamen ſi tu toties victus, toties ludibrio habitus veriſque cenſorum animaduerſionibus atque iudicijs notatus, audes ea de te prædicare, quæ illi quibus de te opima ſpolia parta ſunt, nec agnoſcerent & recuſarent: quid feciſſes ſi eum aduerſarium habuiſſes, qui aut imbecillitate ingenij, aut fraude præuaricationis, tibi in diſputando ceſſiſſet? Cuius enim nunc velut militis glorioſi ſpiritus vix ferimus, victoris inſolentis & exultantis inſanam ſine modo & modeſtia, gloriam quomodo ferre poſſemus? Vtinam grauitatem ſine arrogantia, dignitatem cum verecundia ſequereris, exemplumque noſtræ iuuentuti proderes non ſtultæ oſtentationis, ſed modeſtiæ liberalis (hæc enim virtus illam ætatem potiſſimum commendat) non ambitioſæ leuitatis, ſed grauis conſtantiæ. Me tibi inimicum eſſe queri non debes: nihil ad contumeliam loquor: ab inanitate ad veritatem, ab ambitione fucata ad veram laudem, ab adumbrata ſpecie ad expreſſam imaginem, à ſophiſtarum captione ad philoſophorum diſciplinam te reuoco. Itaque tuorum familiarium nemo tibi melius vnquam voluit, nemo prolixius & magis ex animo fauit. Illi morbum volunt tuum & inſaniam fouent: ego tibi ſemper mentem ſanam optaui: quo nullum à dijs immortalibus maius precari bonum poſſumus. Quod vtinam tibi tam facilè eſſet ad te, quam ad tuos domumque redire: non ſolum exiſtimationi tuæ conſuleres, iſta arrogantia tollenda: negligenda enim tibi bonorum & prudētium opinio non eſt, qui quid de te ſentiant paſſim audimus: tu gloria impeditus non exaudis. Erubeſceres enim. Verumetiam ſi quando in ſcriptoribus explicandis libriſque ſcribendis errares, æquiora hominū iudicia experireris. Nunc enim nulli tuo errori venia impetrari poteſt, cum pro Phidiæ quodam ſigno tanquam in arce Mineruæ, in auguſtiſſimo eloquentiæ & Philoſophiæ templo, velut vtriuſque alumnus & contubernalis vnus poſt hominū memoriam, tuo ſuffragio, tua tabella te conſecraris. Nam cum homines tuis titulis commiti eam in te ab ſolutionem requirant, quam in nullius vnquam artificis ſigno viderunt: pro eloquentia tamen inanem verborum profluentiam: pro philoſophiæ modeſtia arrogantiam, ſuperbiam, intolerantiam non ferendam: pro literarū ſcientia, earum ignorantiam: pro philoſophiæ cognitione, inſcitiam quadam leuitate ſophiſtarum, & ambitione inſoleſcentem: in ſcriptis tuis & commentarijs pro eruditione, vberrimam errorum meſſem: cum denique in his nihil ingenij, nihil iudicij, nihil doctrinæ reperiant: nulli delicto tuo veniam dare poſſunt: inſimu-

lare procacitatem & intemperantiam tuam, mores & ignorantiam damnare
poſſunt. Satis inſaniſti, ſatis pueriliter & iuueniliter laſciuiſti: hæc tua ætas alios
mores poſtulat. Sit ille datus ætati tuæ ſuperior ludus: omitte puerilem iſtam in-
ſaniam: deſine etiam nobis verba dare, eloquentiamque & philoſophiam, quam
iuuenili ambitione tibi aſſumpſiſti, aut vſurpare noli, aut etiam factis & exemplis
vtranque præſtato, vtranque in te eſſe comprobato. Quod ſi te tuo vitio indulge-
re iuuat, nihilque mereas vt faſtum & ambitionem deponas: vide tamen ne no-
men & famam huius Academiæ ignominia & infamia, cuius in gremio & ſinu,
vt prædicas, creuiſti, quamque pro matre chariſſima ſemper habuiſti, tibi compa-
res. Nam ei quam apud exteras nationes ignominioſum futurum eſt, te in eum
perueniſſe locum in quo duabus ampliſſimis & nobiliſſimis artibus præſis, quem
tamen neque dicendi facultate, neque copia ſcientiæ conſecutus ſis, ſed procacibus
in ſcriptores conuitijs, effrenata maledicendi libidine, cum impudentiæ & igno-
rantiæ vitio coniuncta, promeritus ſis? Hoc fere triennio vir quidam doctiſſimus,
qui ampliſſimo regis Luſitaniæ honorario Conimbricæ profeſſor, in Galliam dece-
dens, cum per Salmanticam iter haberet, homines eruditos, qui in ea vrbe erant,
ſalutauit: quibus cum ſe Lutetiam redire dixiſſet, ſi quid vellent ad notos & fa-
miliares, quos hic fortè haberent, mirari ſe dixerunt quod primaria conditione &
regia relicta, huius vrbis deſiderio teneretur, ex qua literæ & eruditio exularēt:
quarum ſi quis eſſet in ea reſpectus, non tibi locum docendi vllum futurum, qui ad
maledicta & ignorationem natus viderere. Quod vbi intellexi, etſi antea cauſæ
tuæ non fauebam, tanto tamen tui odio tum flagrare cæpi, vt pro publico huius A-
cademiæ opprobrio & dedecore odiſſe te cæperim. Cuius enim nomen olim vltimis
in terris omni laude celebrabatur, nunc vile & cōtemptum tuo magiſterio tuaque
profeſſione vix hominum iniuriam & contumeliam à ſe deprecatur. Vt enim ſi
parentem meum qui huic corpori vitam lucemque dedit, aliquo ſcelere violaſſes,
iuſtiſſimam haberem offenſionis & inimicitiarum aduerſum te cauſam: ſic cum
hanc parentem, quæ quantulumcunque in me eſt ingenij tanquam procreauit & al-
uit, inſania tua & auctores inſectandi maledicendique intemperantia acerbiſſimè
vulneraris, ignorantia & inſciētia apud exteros omni probro affeceris (quod enim
tu peccas, in eius redundat vituperationem) vt deſipientibus ætate patribus &
male rem gerentibus bonis interdicitur: ſic eam à diſciplina maiorum & profeſ-
ſione literarum remouere tentaueris, vt anuum ætate delirantem: & nouam quan-
dam docendi rationem præclarus auctor inſtituere conatus ſis: nonne pro hoc ſa-
crilegio & parricidio tuo quicquid odij poſſum, meritiſſime in te expromere debeo?
Hac ratione quam inſtituiſti, admirationem, cui ſtudes, aliquam conſequi potes, ſed
cum publico bonarum omnium odio coniunctam. Sic monſtra, quæ natura in ſuo
opere labente gignuntur, pariter & admirari & auerſari ſolemus. Sed neſcio
quo ſtudio laudum tuarum ex fideliſſimo Turnebi teſtimonio recitādarum,
longius prouehor quam fortaſſe deceat: nec tamen dubito quin pro ea vo-
luptate quam ex illis cœpiſti, mihi facile ignoſcas. An verò etiam nondum
agnoſcis Theſſale, melius tibi fuiſſe diſſimulare quod de doctrinę damnatio-
ne dixeram, quam per Oſſatum tuum id impudenter negando, me ad eiuſ-
modi probationem adigere? At, inquies, domeſtica ſunt hæc teſtimonia
nostro-

noſtrorum ciuium & æqualium, cum quibus mihi de profeſſionis gloria frequens fuit contentio. De nobis autem exteri ſine inuidia melius iudicant. Ecquem de ijs doctum virum nominare potes, qui ſine aſſentationis ſuſpicione, philoſophicam doctrinam, quam in te inſectamur, probauerit? Nos verò tibi opponimus Germanos omnes & Italos qui ſerio philoſophantur, non in hoc genere ſtudij leuia conſectantur, atque nominatim Anth. Bernardum Mirandulanum, à quo te læſum ſenſiſti, ideoque eum Animaduerſionibus tuis, in ſophiſtarum numerum, ſicut & nos, retuliſti: & Bernardinum Lauredanum, qui Agrarias tuas tam ſeuere multis locis animaduertit, Philippum Philoſophum Germanum (de hoc & huiuſmodi verba fiunt, antequam hæreſi fædaretur) qui quia te indignum arbitratur cum quo diſputet, quodam loco ab omnibus eruditis poſtulat, vt iſtum Gallum in Ariſtotelem inſanientem (ſic enim te nominat) ſinant ſuo frui ſomnio. Nicolaum Hemingium, qui in diſputatione de methodo, quam nuper edidit, te nominatim reprehendit quod hanc vnicam eſſe velis. Cornelium Gemmam, qui libro 2. artis Cyclognomicæ, in eadem quæſtione, tua opinione damnata, nobis id nominatim attribuit, quod vix audeo agnoſcere. Quid? Iulium Cæſarem Scaligerum, principem philoſophorum noſtræ ætatis, noſti? Illum, inquam, Iulium Cæſarem qui tam ſubtiliter contra Cardani libros de ſubtilitate diſputat, noſti? Scis quam magnifice de te ſentiat. Habeo apud me eius manu ſcriptam epiſtolam ad doctorem tuum in Mathematicis, Magnanieum: quam tibi oſtendam cum voles. Docta ſanè eſt & animaduerſiones multas in Arithmeticam tuam continet, quibus per me vti poteris, cum nouam eius editionem adornabis. In ea, ſcire vis, quomodo de te loquatur? Fideliter duos locos deſcribam & ea lege vt per quoſuis cum quibus ego illam, ſi opus ſit, communicabo, poſſis in ijs meam fidem experiri. Prior eſt eiuſmodi: *Perlibaui, potius quam legi, Rami Arithmetica elementa, quibus profectò non poſſum ſatis demirari hominis tum imperitiam, tum audaciam, denique ſycophantiam adoleſcentibus pernicioſiſſimam. Quid enim aliud molitur hæc illa totius Academiæ pernicies, quam vt optimos quoſque auctores vna cum ſuo cadauere Talæo, Harpyarum inſtar fœdent & corrumpant, & purioribus omnibus diſciplinis internecionem afferre omni ſtudio laborent? Profectò cum tu homine vtaris familiariter, non arbitror te ad eiuſmodi ſcelera (ſic enim appellare licet) conniuere. Videtur is nunquam Euclidis conſilium intellexiſſe in ſcribenda στοιχείωσει. At quæſo quomodo intelligeret, cum animo coniurato, ne dicam vlcerato, ad cuiuſque optimi auctoris lectionem ſe paret, quo famam hinc captet nequiſſimus & inertiſſimus ſycophanta: illius fortaſſe imitatus exemplum, qui Dianæ Epheſiæ templum deuſſit. Sed hæc, dices, στομαχικώτερα quam decet. At verò eo ſum à natura ingenio comparatus, vt laruas eiuſmodi nullo modo ferre poſſim quæ ex optimi cuiuſque ruina ſibi laudem & triumphum (ſed illum quidem inanem, imò verò putidum, & qui magno damno credulæ iuuentutis conſtet) moliuntur. Legiſti, opinor, præfationem infantiæ plenam (omitto ſolæcos qui Ciceronianum dedecent) atque adeo ipſum exiſtimo nunquam percepiſſe veram demonſtrandi methodum. Omitto quam ineptiſſimè coagmentet Euclidis theoremata*

Digitized by Google

ſtata, nouo quodam ordine: quum tamen neſcio quem magnum methodi artificem ſe iactet apud ſuos. E quibus ſi qui huc aliquando videndi, ſeu potius rimandi, ridendi, ſatagendi, & calumniandi ſtudio aduolent, nullam vnquam maiorem peſtem agnouimus. Neque enim quicquam ſibi intactum relinquunt audaciſſimi & indoctiſſimi omnium nebulones. Atque adeò futurum ſpero vt Ramus iſte (niſi maturè in meliorem viam ſingulari dei beneficio reducatur) ne religionem quidem intactam prætereat, & venenum, quod forte iam ab aliquot annis concoquit, tandem nolens euomat. Deus Opt. Max. faxit, non dicam vt mentis ſanitati reſtituatur, cum in eo nihil vnquam ὑγιὲς bene doctus vllus, ne dicam prius, offenderit: ſed vt ſe perniciem communem iuuentutis agnoſcat, & non modo (licet iam caneſcens, vt de ſe idem ſcribit) ad meliora, verumetiam ad ſolidiora & vtiliora ſtudia ſe paret, & melioribus inſtitutis iudicium ſibi formet. Hic ſi quid eſt in te dictum paulo acerbius, de tua religione præſertim, mihi ignoſce, & Scaligerum, non Carpentarium ſic loqui exiſtima. Locum alterum videamus, erit fortaſſe in te humanior. Is poſtquam ignorationis tuæ in Mathematicis argumenta multa recenſuit, de methodo, in qua rex quidam videri vis, ita concludit. *Denique ſui oblitus non perpetuo ſequitur egregius hic methodi artifex, naturæ illum ordinem, quem tantoque affectat: neque intelligit, opinor, alium eſſe ordinem in tradendis principijs diſciplinarum & alium demonſtrationis. Profecto mihi videtur ἀναλφάβητος vel etiam in tenuiſſima philoſophiæ parte, vt me pigeat quicquam vnquam huius hominis legiſſe. Longum eſſet omnia recenſere, quæ tibi vel notiſſima eſſe exiſtimo. Sed hæc ad te ſcribo vt intelligas me nullo modo probare huius Alazonis & Sycophantæ ingenium: qui meo iudicio bonis omnibus diſciplinis perniciem molitur, quo ſuæ nugæ & fumi in pretio tandem habeantur.* Vis etiam his exterorum & domeſticorum de tua doctrina teſtimonijs, nonnihil amplius adijciam? Iacobus Schegkius inter Germanos noſtra ætate nobiliſſimus philoſophus, te toto opere ſuo de demonſtratione, Pariſienſis Academiæ ſophiſtam paſſim nominat. Ac libro 1. hæc laudis tuæ elogia ad verbum recenſet. *Studium deprauandi præcepta artis, inquit, ſummum in Petro Ramo fuiſſe animaduerto: qui veterem artem tanquam inutilem & obſoletam è medio remouens, totam propemodum innouauerit, vt vix eius artis agnoſcatur priſtina ſpecies & dignitas. Sed qua impudentia auſus ille fuit præſtantiſſima artis fundamenta conuellere, eadem fuit auſus etiam principem eius artis doctorem Ariſtotelem, ſummum philoſophum, homuncio inſcientiſſimus philoſophiæ, iniurioſiſſimis animaduerſionibus flagellare, ſummo ſuo dedecore, & Scholarum (ſi quæ ipſius nugis delectantur) maximo detrimento: vt qui non intellectum authorem illum, Scholis contemnendum, non diſcendum, vt par erat, propoſuerit. Quid autem aliud eſt reprehendere & exagitare non intellecta, quã ſuam inſcitiam cum impudentia coniunctam, cum ſumma leuitate & ſcurrilitate morum ridendam doctis & modeſtis exhibere?* Nec verò idem hanc in te vehementiam ſcriptis ſuis terminauit, ſed ſuperioribus bellis ciuilibus, cum propter ingenium tuum non minus in religione quam in philoſophia turbulentum, ab Vrbe & patria (ne quid dicam grauius) abeſſe cogereris: hic qui fortaſſe tua calamitate literarum nomine nonnihil commoueri debuit, non

modo

modo te per Germaniam peregrinantem, nullis humanitatis officijs complexus eſt, ſed rebus afflictis, in illa natione nouam docendi prouinciam affectantem, quibus modis potuit, prohibuit: imo hoc ipſum docendi munus in quibuſdam eius partibus aggreſſum, ipſa cathedra ſtatim tandemque vniuerſa Germania expulit. Atque ex eo tempore ea contra te tuaſque philoſophicas nugas edidit, in quibus nullam teſtis fidem amplius afferre poteſt: quoniam perſonam induit grauiſſimi, & potentiſſimi aduerſarij. In qua ſicut ille ad noſtram cauſam multis partibus accedit, eoque gratiſſimus eſt, quod perfecit vt Scholarum, quæ ſunt in eadem Germania multæ & celeberrimæ, eadem fuerit ſententia de tua doctrina, quæ fuit conſtans & perpetua Academiæ noſtræ ab annis triginta: ſic nos noſtro Commentario deſcriptionem artis diſſerendi, quem nunc habemus in manibus, ea diligentia tuas animaduerſiones aliquando excutiemus, in qua idem fortaſſe ſentiet apud nos nunquam defuiſſe qui iſtius fatuitatis tuæ fucos viderint atq; oderint. Sed illum omittamus hoc tempore. Vis vero de tua philoſophica doctrina in eorum iudicio acquieſcamus, qui tibi multis de cauſis amiciores ſemper extiterunt, & tales ſe ipſi in ſuis ſcriptis profiteutur? Simon Simonius Lucenſis vbicunque terrarum ſit, quam tibi amicus eſſe debeat omnes ſciunt qui meminerunt eum à te in hanc Academiam allectum, Regiæque profeſſionis expectatione lactatum, imo regiæ cathedræ vſura ad dies aliquot tuo beneficio ornatum: cum tu interea neſcie quid monſtri hic aleres, quod ex eo tempore cœpit in apertum erumpere. At audi quid idem de te ſtatuat, eo ipſo loco quo ſe tibi amicum profitetur. Libro primo eorum, quæ ſcripſit contra eundem Schagkium, dum ſe de eo purgare vult quod tecum in doctrina philoſophica communicare diceretur, *Reſpondeo, inquit, primum me Petri Rami amici mei Animaduerſiones in Ariſtotelica ſcripta, in pleriſque & fere in omnibus non probare: quod aut ſeipſis leues ſint, aut ſi quid ponderis habeant, non bene percepta mente, vel arte Ariſtotelis afferantur; aut etiam quod nulla ratione circunſtantiarum habita, ſummo quodam iuris rigore, omnia perſequi tum Ramus voluerit, cum non debuit.* Et paulo poſt.

Quo animo ſcripſerit animaduerſiones ſuas nouaque etiam Logices author videri voluerit, neſcio, neque etiam vt ſciam laboro. Ille mihi ſcriptis primum, deinde facie, tandem etiam conſuetudine notus fuit. Admiror acutiem eius ingenij, eloquentiam, multiplicem eruditionem multaque alia dona quæ dominus in illo collocauit: probo eius mores, ac præter cæteros, comitatem ac in loquendo modeſtiam. Id non probo, quod dum in optimum quemque ſcriptorem ac præſertim Ariſtotelem, non bene illius mente ac philoſophandi ratione percepta, inuehi ſe neſcio quibus, argutis quidem, ſed vanis rationibus, poſſe putauit, incautam & ineruditam iuuentutem, ab vtiliſſima planeque neceſſaria lectione auocare conatur. Nemo enim eſt qui de ſcriptis Ariſtotelis ac tota eius philoſophia, optimè ſentire ac loqui, ſummum eius ingenij acumen ac dexteritatem admirari ſtudium, Methodum, ordinem ſummis laudibus celebrare, inuenta traditaque ab eo, ſtudioſis omnibus cuiuſuis generis diſciplinarum quaſi pernæceſſaria proponere, eoſdemque ad vnius illius inter philoſophos lectionem hortari, publicè priuatimque omnibus modis non debeat.

Hæc

Digitized by Google

Hæc ſcribit vel refert Carpentarius hucuſque à nobis etiam non immerito confirmanda ex alijs decretis tum anterioribus tum poſterioribus exſcribendis nunc ex Ioanne Launoì in libello edito Pariſijs anno 1656. inſcripto de varia fortuna Ariſtotelis, in quo cap. 4. pag. 32. legitur hoc decretum editum Pariſijs anno 1215. *R. Seruus Crucis Chriſti diuina miſeratione tituli Sancti Stephani in Cælio monte Præsbiter Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Legatus, vniuerſis Magiſtris & Scholaribus Pariſijs ſalutem in Domino. Nouerint vniuerſi, quod cum Domini Papæ ſpeciale habuiſſemum mandatum &c. ordinamus & ſtatuimus in hunc modum &c. Legant libros Ariſtotelis de Dialectica tam de veteri quam de noua in ſcholis ordinarie & ad curſum &c.* & in fine, *vt autem iſta inuiolabiliter obſeruentur, omnes, qui contumaciter contra hæc ſtatuta noſtra venire præſumpſerint, niſi &c. curauerint emendare, Legationis, qua fungimur, auctoritate, vinculo excommunicationis innodamus*; Hæc ibi. Vtique verum eſt ſimul ibi prohiberi illos 14. libros *de Methaphyſica vel miſtica Theologia* inſcriptos, Ariſtoteli attributos, quos & Synodus Pariſienſis damnauerat, vt ex Chronologia Roberti refert idem Launoì cap. 1. Sed Ariſtotelis hos non fuiſſe probauimus iam lib. 1. qu. 2. ar. 2. ad 4. cuius denuo euidentiſſimum ſignum eſt, quia aliter nec S. Thom. nec B. Albertus Magnus, nec D. Bonauentura poſt illa tempora ſtatim illuſtraſſent ſuis commentarijs omnes Ariſtotelis veros libros, ſi & veri Ariſt. libri *de naturali philoſophia vel Methaphiſica* fuiſſent ita rigide condemnati vel proſcripti, vt immerito ſuſpicatur de Sanctiſſimis Æque ac Doctiſſimis viris Launoì ca. 5. ex ſolo ſuppoſito falſo mox refutato.

Acceſſit inde huic decreto Cardinalis Legati mox ante exſcripto idem omnino de verbo ad verbum repetitum decretum confirmatorium præcedentis ſub anno 1265. promulgatum *à Simone tituli S. Cæciliæ Præsbiteri Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato*, relatum pariter & exſcriptum in Ioanne de Launoì cap. 8. per totum; quod nos dimittimus, vt eadem verba continens cum præcedente.

Anno 1366. ſub Vrbano V. qui etiam ſcripſit Bullam notiſſimam ad Toloſanos in commendationem ſequelæ Doctrinæ S. Thomæ, duo Inde Cardinales Legati (vt ex Archiuio Academiæ Pariſienſis tranſcribit Launoì ca. 9.) iterum hoc generalius decretum his verbis ediderunt, *Miſeratione diuina Ioannes titul. Sancti Marci, & Ægydius tit. Sancti Martini in Montibus Præſbiteri Cardinales commiſſarij ad infraſcripta à Sanctiſſimo in Chriſto Patre & Domino noſtro Domino Vrbano diuina prouidentia Papa V. ſpecialiter deputati &c.* Inde relata Bulla Vrbani V. quod valde ad inſtitutum iuuat, pergunt ſic. *Statuimus eadem auctoritate quod ſcholares antequam admittantur ad determinandum &c. audiuerint veterem artem totam, librum Topicorum potiſſime quoad quatuor libros, & libros Elenchorum, Priorum & Poſteriorum completo etiam librum de anima in toto vel in parte*, & infra, *& librum Phyſicorum, de generatione & corruptione, de Cælo & mundo, parua naturalia, librum Methaphyſicæ &c.* & in fine. *Prædicta autem omnia & ſingula auctoritate prædicta mandamus &c. inuiolabiliter obſeruari non obſtantibus &c.*

Anno

Annò 1452. auctoritate etiam Caroli VII. regis Cardinalis Totauillæus repetit fere de verbo ad verbum idem decretum vlterius etiam adiungens libros Ethicorum, vt refert idem Launoi cap. 11.

Anno 1545. Nicolaus V. vt refert Cardinalis Beſſarion in epiſtola dedicatoria ſuæ tranſlationis librorum Methaphyſicorum ad Alphõſum Regem Aragoniæ, *viros elegit vtriuſque linguæ peritos, qui omnes fere Ariſtotelis libros in Latinam verterent orationem*. Hæc Beſſarion. In Concilio Florentino (cui idem Beſſarion interfuit) ſeſſ. 4. Epiſcopus Rhodienſis Ariſtotelis philoſophia vſus eſt dicens, *primo quidem aio teſtem nobis eſſe Ariſtotelem &c.*

Sub hoc eodem ſæculo ſcil. anno 1521. Facultas Pariſienſis damnauit geminas propoſitiones Lutheri proſcribentis philoſophiã Ariſtotelis, & Carpentis ſcholaſticos, eo quod eadem vterentur, vt tranſcribit vtramque idem Launoi in fine libelli ſimul cum cenſuris Academiæ.

Anno 1601. ex Launoi cap. 15. Pro eadem Academia Pariſienſi iterum firmatæ ſunt regulæ legendi Ariſtotelis libros, & hæ ne fallor illæ ſunt, quas Carpentarius recenſebat poſt damnationem Rami ſequutam anno 1543.

Anno 1624. contigit iterum alia cenſura Pariſienſis in euertentes Ariſtotelis philoſophiam exſcripta his verbis ex tabulis Academiæ per eundem Launoi cap. 16. nimirum.

In Ariſtotelis oppugnatores Pariſienſium Theologorum cenſura.

Sic autem ſe habet cenſura. *Anno Domini* M. DC XXIV. *die prima menſis Septembris ſacra Theologiæ Facultas Pariſienſis poſt miſſam de Spiritu Sancto more ſolito celebratam, ordinaria habuit comitia in aula Collegij Sorbonæ, In quibus magiſter Petrus de Beſſe Syndicus expoſuit quaſdam theſes evulgatas per Ioannem Bitaudum, Antonium de Villon, & Stephanum de Claves contra doctrinam Ariſtotelis communiter receptam, quas ſupremus Senatus iudicio Facultatis examinandas commiſerat, antequam ſententiam auctores ferret, quibus iam antea agitatis & examinatis, nec non peculiari cenſura notatis per eiuſdem Facultatis deputatos, iteratò communibus aſſidentium ſuffragijs cum ſua præfatione comprobari petijt, antequam ſupremo Senatui offerretur.*

Facultas autem iterum poſt meridiem priuata comitia indixit, vt conficeretur cenſura generalis theſeon Ioannis Bitaudi, Antonij de Villon & Stephani de Claues, quæ ſingularum propoſitionum qualificationibus præponeretur, antequam ſupremo Senatui offerrentur.

Sequitur cenſura quarundam propoſitionum publicatarum aduerſus principia Ariſtotelica, Paracelſica & Cabaliſtica per Ioannem Bitaudũ Sanctonenſem, Antonium de Villon & Stephanum de Claues evulgatum: de quibus dictus Bitaudus ſub moderamine de Villon erat reſponſurus, tertius verò arte chymica illarum veritates experientijs oſtenſurus, niſi ſupremus Senatus ad poſtulationem ſacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis illis ſilentium impoſuiſſet. Nihil planè in Republica Chriſtiana periculoſius, nihilque communi ſanctorum Patrum indicio ca-

 uen-

nendum diligentius, quàm rerum nouitas, ea præſertim, quæ veræ ſciētiæ, ſacræque doctrinæ manifeſtè dignoſcitur aduerſari. Sic à primis Eccleſiæ temporibus ipſe veritatis auctor Spiritus ſanctus monuit, ſancto Apoſtolo atteſtante, qui toties nouas & peregrinas hominum in facto doctrinæ opiniones omni ſtudio & diligentia fugiendas commendauit. Vt primæ epiſtolæ ad Timotheum cap. VI. dicitur: O Timothee depoſitum cuſtodi, deuitans profanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. ad Epheſios cap. IV. Vt iam non ſimus paruuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris. Et primæ ad Timotheum 4. Spiritus autem manifeſtè dicit, quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinæ dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conſcientiam. Et ad Hebræos XIII. Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci. Quapropter omni cura & ſtudio prouidendum, ne quid in corruptelam morum, ſcandalum populorum, labefactationem religionis & perniciē animarum euulgetur, vel ſi contingat in lucem prodire, vt ſtatim è medio tollatur, & omnibus cenſuræ notis damnatum longè lateque profligetur. Cum ergo nouiſſimè in his noſtris miſeris temporibus, in quibus ad omne curioſitatis & nouarum rerum genus deprauatis & liberioribus ingenijs impunè patet aditus, ſacræ facultati Theologiæ Pariſienſis quædam occurriſſent propoſitiones typis mandatæ, palam & publicè à quibuſdam, quo ſpiritu ductis dubitatur, agitandæ, quæ ex profeſſo contra doctrinam Ariſtotelis omnium Philoſophorum ſine controuerſia principis, communemque omnium Academiarum conſenſum & vſum militabant, & nonnihil periculi aduerſus fidei principia inuoluere videbantur: quarum auctores de eorum fortaſſis numero exiſtebant, de quibus olim cauendum ſcripſit Apoſtolus ad Coloſſenſes II. Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam; poſtquam à pluribus eiuſdem Facultatis Doctoribus ſpecialiter deputatis diligenter examinatæ, & diſcuſſæ fuiſſent in priuatis ædibus Facultatis, tandem die II. menſis Septembris 1624. poſt miſſam de Sancto Spiritu ſolito more celebratam in generali congregatione collectis ſingulorum magiſtrorum ſententijs cenſuit poſitiones iſtas eſſe valde periculoſas, non modò ratione veræ Philoſophiæ, quæ à multis ſæculis communi omnium Academiarum conſenſu recepta eſt, ſed etiam quæ non parum aduerſus principia fidei & religionis pugnare deprehendantur. Ex quibus nonnullæ inſtar aliarum peculiari cenſura ſunt notatæ.

Sequitur autem eiuſmodi Theſeon tenor.

Poſitiones publicæ contra dogmata Ariſtotelica, Paracelſica & Cabaliſtica, immortalitati ſacræ.

I.

Materia prima, quam pro principio transmutationis ſubiectiuo conſtituunt Peripatetici, ſiue exiſtentiam habeat à ſe, ſiue à forma, commentitia prorſus eſt, & ſine vllo planè fundamento excogitata. In generationibus enim, quas ipſe Ariſtoteles in his inferioribus credidit, hallucinatus eſt, & cum eo cæteri, qui eius ſententiam amplectuntur.

Hæc propoſitio prima eſt temeraria & erronea in fide.

II. For-

II.

Formæ item omnes ſubſtantiales, excepta rationali, non minus abſurdè defenduntur ab Ariſtotelicis, quam materia, cum per eas intelligunt ſubſtantias quaſdam incompletas, vnum per ſe cum materia ſubſtantiale compoſitum conſtituentes. Materia enim è naturali compoſito ſublata, & formas ſaltem materiales tolli neceſſe eſt.

Hæc propoſitio eſt temeraria, erronea & hæreſi proxima.

III.

In tranſmutationibus naturalibus quocunq; modo intelligantur aduenire, quia motus ſunt, priuationem pro principio ſeu termino à quo ponunt Ariſtotelici, ſed malè, cum eorum etiam in ſententia, qui materiam & formam pro alijs duobus principiis admittunt, generatio ſit poſſibilis, nulla præexiſtenti priuatione in materia, vt perquirenti facilè innoteſcet.

IV.

Elementorum numerũ malè aſſignant Peripatetici, ſiue per ea partes integrantes mundi ſublunaris intelligant, ſiue corpora, ex quibus mixta componantur, & in quæ reſoluuntur. Paucioribus enim quatuor mundus hic conſtituitur; mixtum pluribus, quod vtrumque experientiæ, rationi, & omnium mixtorum anatomia adſtipulatur.

V.

Mixtum namque quinque corporibus ſimplicibus, ſeu elementis actu & formaliter in eo exiſtentibus conſtituitur; terra videlicet, aqua, ſale, ſulfure, ſeu oleo & mercurio, ſeu ſpiritu acido. Quæ vera & ſola principia naturalia cenſenda ſunt, vtpote quæ neque ex ſe inuicem, nec ex aliis, ſed ex ipſis omnia compoſita phyſica conficiuntur.

VI.

Hæc principia ingenerabilia & incorruptilia ſunt, eiuſdemque ſpeciei infimæ in omnibus mixtis, quicquid imperitum Chymiſticum vulgus cum Paracelſo reclamet. Diuerſitas enim ſalium, ſulphurum & mercuriorum ſi qua apparet in variis mixtorum reſolutionibus, depuratione & ſeparatione heterogeneorum ad homogeneitatem à peritis tandem reducitur.

De prædictis quatuor propoſitionibus nihil dixit Facultas, quia ſunt purè Phyſicæ, vel Chymicæ.

VII.

Ex diuerſa nihilominus mutatione & contemperatione iſtorum quinq; principiorum ſecundum quantitatem, oritur omnis varietas, quæ reperitur in compoſitis purè materialibus, ſiue ea generica ſit, ſiue indiuidualis; cum ex ſola vnione & mixtione eorum, ſine productione nouæ cuiuſdam entitatis omnia compoſita humano excepto conſtituantur.

VIII.

Ex diuerſitate mixtionis & contemperatione principiorum emanat omnis actio, & motus ſaltem corporeus, qui in quolibet compoſito ſenſibili reperitur, non aliter ab agente illo & ſpiritu vniuerſali, igne videlicet, quem aliqui pro anima mundi & principio omnium actionum dormiendo excogitarunt, & multis huius

ciuitatis primatibus pro arcano maximo tradiderunt.

IX.

Mundus autem hic ſublunaris duobus dumtaxat elementis, terra & aqua, tam quam partibus integrantibus conſtituitur: aer enim ab aqua eſſentialiter non diſcrepat, nec ignis elementaris in concauo Lunæ reponendus, cum à cœlo Empyreo non diſtinguatur. Quæ omnia etſi à Philoſophia communi aliena videantur, demonſtrationibus tamen comprobare non erit multum difficile.

Hæ duæ propoſitiones ad Philoſophos remiſſæ ſunt, vt ad ſequentes gradus fieret, quæ ſunt alicuius momenti.

X.

Somniarunt Peripatetici, dum parum congruè de naturis locuti dixerunt, veras & phyſicas alterationes fieri per introductionem nouæ & ſolius entitatis alicuius accidentalis ſubiecto inuariato quoad ſubſtantiam manente. Cum tamen nulla vnquam ſine additione aut detractione principiorum, aut eorum multiplici mixtione accidere queat.

Hæc propoſitio eſt falſa, temeraria, ſcandaloſa, & aliquo modo impugnat ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum.

XI.

Errarunt inſuper Ariſtotelici, dum igni ſiccitatem in excellenti gradu attribuerunt. Eſt enim corporum omnium humidiſſimus, & exſicatio, quam illi Philoſophorum vulgus competere exiſtimat, commentitia, ſicut & grauitas terræ maxima, quæ in vera Philoſophia leuior aqua exiſtit, etſi prima fronte ſub illa delitеſcere deprehendatur. Sed & hoc mixtioni & heterogeneitati adſcribendum.

Hæc propoſitio eſt falſa, & ſenſui communi repugnat.

XII.

Qualitates virtuales primarum productrices ſine fundamento admittunt Ariſtotelici, cum omnia experimenta, quæ ipſi pro ſua ſententia iactitant facere per ſubſtantias actu & formaliter in corporibus tales actiones producentibus exiſtentes, ſoluantur, vt & ſubtiliore talium effectuum perquiſitione cuilibet vel parum in rebus naturalibus erudito innoteſcere poteſt.

Hæc propoſitio eſt falſa & temeraria.

XIII.

Nihil aſtruſius, nihilque magis experientiæ repugnans tranſmutatione, quam inter elementa profitentur. Vera enim ſemper terra eſt, nec vllo modo in aquam, aut aliud quiduis elementum tranſmutabilis, ſicut nec aqua in terram, aut aer in ignem: quod item de cæteris principijs, ſale, oleo, & ſpiritu dicendum aſſeueramus.

Hæc propoſitio eſt falſa, temeraria & erronea in fide.

XIV.

Ex his omnibus manifeſtiſſimum eſt ignoranter, aut potius malitioſè irriſa, & ſugillata ab Ariſtotele duo antiquorum dicta, omnia ſcilicet eſſe in omnibus, & omnia componi ex atomis ſeu indiuiſibilibus. Quod vtrumque, quia rationi veræ Philoſophiæ, & corporum anatomiæ conforme eſt, mordicus defendimus, & intrepidi ſuſtinemus.

Hæc

Hæc propoſitio eſt falſa, temeraria, & in fide erronea.

Ad calcem harum Theſeon continebantur ea, quæ ſequuntur mutato charactere.

Cætera, quæ de qualitatibus & mixtione elementorum, Metheororũ generatione & alteratione, calorumque natura & proprietatibus Ariſtoteles, Paracelſus, totaque antiquorum Cabala contra veram philoſophandi rationem nobis tradiderunt, proximis Theſibus euertenda reſeruantur. & infra.

Harum propoſitionum inexpugnabilem veritatem tuebitur Deo dante Ioannes Bitaudus Sactonenſis; arbiter & præſes ſedebit Antonius de Villon, alias miles Philoſophus, & in Vniuerſitate Pariſienſi Profeſſor Peripateticus.

Item minuſculis literis.

Atque vt maiori omnia ſint oblectamento, aſſidebit Stephanus de Claues Doctor Medicus, qui propria nixus experientia, aſſiduaque, & profunda rerum naturalium meditatione ſuffultus, pro hac iamdiu à ſe detecta aduerſus Ariſtotelis & Paracelſi ſectatores elementorum veritate, vbi opus erit, verba faciet, vt abhinc die Lunæ proxima initiantibus experientijs, atque iteratis rationibus ita ſua dicta comprobet, omniumque oculis tam aperte ſubijciat, vt omnes adſtantes veriſſima hæc omnia, vno ſimul die fateantur.

Tum demum hæc clauſula ſequebatur.

Die Sabbati proxima & Dominica 24. & 25. menſis Auguſti toto pomeridiano tempore, Lutetiæ Pariſiorum in Palatio reginæ Margaretæ.

Hactenus ex tabulario Facultatis Theologiæ: nunc referendum eſt Senatuſconſultum, quod his concipitur verbis.

PARISIENSIS SENATVS DECRETVM.

Veu par la Cour la Requeſte preſentée le 18. Aouſt 1624. par les Doyen, Syndic & Docteurs de la Faculté de Theologie en l'Vniuerſité de Paris, tendant à ce que les nommez Villon, Bitaud, & de Claues comparoiſtroient en perſonne, pour recōnoiſtre, aduouer, ou deſauoüer les Theſes par eux publiées, & ouir leur declaration, eſtre procedé contre eux ainſi que de raiſon: cependant permis faire ſaiſir leſdites Theſes, & deffenſes faites de les diſputer, copies imprimées deſdites Theſes pour eſtre agitées en public le 25. Aouſt. Arreſt du 29. dudit mois, par lequel ladite Cour auroit ordonné, que leſdites Theſes ſeroient communiquées aux Docteurs de la Faculté de Theologie, pour donner aduis ſur icelles. D'aduis de ladite Faculté du 2. Septembre, contenant la Cenſure des propoſitions contenues eſdites Theſes. Le procés verbal de Caſſault Huiſſier, du 3. Septembre, contenant la propoſition faite dudit Villon; ledit de Claues ouy: Concluſions du Procureur General du Roy, & tout conſideré. La Cour aprés que ledit de Claues a eſté admoneſté, ordonne, que leſdits Theſes ſeront déchirées en ſa preſence, & que commandement ſera fait par l'vn des Huiſſiers de ladite Cour auſdits de Claues, Villon & Bitaud, de ſortir dans 24. heures de cette Ville de Paris, auec deffenſes de ſe retirer dans les villes & lieux du reſſort de cette Cour, enſeigner la Philoſophie en aucune des Vniuerſitez d'iceluy, & à toutes perſonnes de quelque qualité &

condition qu'ils ſoient, mettre en diſpute leſdites propoſitions contenues esdits Theſes, les faire publier & vendre ou debiter, à peine de punition corporelle, ſoit qu'elles ſoient imprimées en ce Royaume ou ailleurs. Fait deffenſes à toutes perſonnes à peine de la vie, de tenir ny enſeigner aucunes maximes contre les anciens Autheurs & approuvez, ny faire aucunes diſputes, que celles qui ſeront approuuées par les Docteurs de ladite Faculté de Theologie. Ordonné, que ledit Arreſt ſera leu en l'aſſemblée de ladite Faculté en Sorbonne, mis & tranſcrit en leurs Regiſtres, & outre copies collationées d'iceluy, baillées au Recteur de l'Vniuerſité, pour eſtre diſtribuées par les Colleges, à ce qu'aucun n'en pretende cauſe d'ignorance. Fait en Parlement, & prononcé le 4. iour de Septembre 1624. Ledit iour ledit de Claues a eſté mandé, & leſdits Theſes ont eſté déchirées en ſa preſence.

PERGVNT NOTÆ NOSTRÆ.

Ad eundem libr. 1. quæſt. 3. art. 4. aduerſum Platonis quædam impia dogmata & mores legi vlterius poſſunt Lactantius lib. 3. cap. 21. & 22. Euſebius lib. 13. præparat. Euangelicæ cap. 8. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. contra Iulianum, Griſoſtomus hom. 7. in epiſt. 1. ad Corinth. c. 1. & hom. 3. in epiſt. ad Romanos Auguſtinus libr. 8. de Ciuit. c. 12. & lib. 10. ca. 3. Iuſtinus Martir orat. paranet ad Gentes, Tertullianus lib. de anima ca. 23. Naziazenus orat. 33. Origenes lib. 1. contra Celſum, Theodoretus lib. 12. de vita actiua, Theophilus Antiochenus ad Antholyc. Hieronymus epiſt. ad Heliodorum, S. Thom. autem 2. 2. qu. 152. ar. 2. ad 3. pertranſit ſolum Platonem in cælibatur vixiſſe, *vt legitur*, inquit, non vero omnino caſtimoniam ſeruauiſſe firmiter opinatur, vel credit. Ab oppoſito pro Ariſtotele Origenes libr. 1. contra Celſum verſus finem loquens de Chriſti monito Math. 10. *cum vos perſequuti fuerint in vna Ciuitate fugite in aliam*, inquit, *huic Ieſu diſcipulorumque calumnioſæ inſectationi ſimile eſt, quod refertur de Ariſtotele. Is cum intellexiſſet parari ſibi iudicium vt impio propter quædam dogmata ipſius ſuſpecta impietatis Athenienſibus*, nempe de vnitate Dei, propter quam aſſertam & Socrates ab eiſdem damnatus fuerat, *digreſſus apud Chalcidem ſcholam habuit dicens diſcedamus Athenis, ne præbeamus Athenienſibus ſecundam occaſionem &c.*

Ad eundem librum primum q. 4. ar. 1. ſi quis legere cupit in alijs ante Gaſſendum obiectiones contra Ariſt. dogmata congeſtas à Gaſſendo in libro ſuarum exercitationum, præter Franciſcum Patticium in ſuis diſcuſſionibus Peripateticis, adeat Sextum Empiricum ex profeſſo in libris inſcriptis aduerſus Mathematicos, cui & Picus in libris examinis vanitatis doctrinæ gentium non parum ſimilis apparebit.

Ad eundem librum primum q. 6. ar. 2. congruit optimè decretum Pariſienſis Academiæ confirmatum poſtea à Cardinali Lotaringo ex Carpentario pag. 114. hic tranſcribendum. *Cum ad Ariſtotelis doctrinam*, inquit, *ventum eſſet conuenit inter omnes, huius ſcil. Ariſt. ſcripta eiuſmodi eſſe vt non ſolum complectantur germanam illius ſententiam ſed contra aliorum opinionem diſpu-*

diſputationes pleraſque accutiſſimas quidem ſed prolixitate & obſcuritate, bominibus etiam in philoſophando conſtantiſſimis, plerumq; moleſtas. Quæ faciunt vt nõ modo permulti auditores ab eius ſtudio reuocentur, ſed etiam doctores omnino labore frangantur, aut dum illis quantum poſſunt indulgent totum tempus ad philoſophandum noſtris legibus deffinitum, in leuioribus partibus traducant; non attingant quæ omnium ſunt præſtantiſſima. Itaque ſic à nobis eſt conſtitutum &c. poſſe Ariſtotelem integrum priuatis cuiuſque ſtudijs quaſi in commentarijs relinqui ex illo vero amputatis eiuſmodi diſputationibus, aut omnino, aut magna ex parte, per eruditos viros Seligi quæ rata eſſe vult, eaq; viua Magiſtrorum voce doceri. Laudatum hoc omnium eorum, qui tum aderant, vno conſenſu, quæ & noſtra reſolutio erat.

Ad librum ſecundum q. 1. ar. 2. De differentijs inter Academicos & Scepticos ex profeſſo videndus Sextus Empiricus lib. 1. Hypoth. Pyrrhon. ca. 33. per totum.

Ad eundem lib. 2. qu. 3. ar. 3. quomodo ex Academica regula probabiliſtarum quamplures populi enormiſſima etiam crimina immunia à culpa crediderint narrat ampliſſime & curioſiſſime Sextus Empiricus li. 3. hypothe. Pyrrhon. c. 24. vſque in finem.

Ad librum tertium qu. 3. ar. 2. Vlterius aliquis obijcere poteſt pro Carteſio ex quibuſdam Patribus à Petauio relatis, ſimilem fere modum loquẽquendi repetentibus, nempe apud Cirillum lib. 1. contra Iulianum Orphæus inquit, *Vnus ex ſe ipſo genitus Deus*. Lactantius lib. 1. cap. 8. *Conſequens eſt*, inquit, *vt quando nihil ante ipſum fuit ipſe ante omnia ex ſe ipſo ſit procreatus*, & ad hoc idem adiungit, tum Apolinis oraculum. *Ex ſe ortus &c.* tum verba Senecæ aientis. *Deus ipſe ſe fecit*. Item lib. 2. ca. 8. *ex ſe ipſo eſt*, inquit, inde Hilarius lib. 2. de Trin. *id quod eſt ex ſe atque in ſe continens*. Inde Hieronymus in ca. 3. Epiſt. ad Eph. *ipſe ſui origo eſt ſuaque cauſa ſubſtantiæ*, Zeno Veron. ſerm. 1. *ex ſe ipſo, inquit, dedit ſibi eſſe principium*, Anſelmus in Monologio cap. 44. *à nullo habet eſſentiam niſi à ſe ipſo*. Alcuinus in quæſt. de Trinit. *Ab alio non eſt niſi à ſe ipſo*, vt omittam Zacariam Mitilenæum tom. 1. Bibliothecæ Vet. P.P. repetentem, *quod habet Deus ex ſe ipſo eſſe id quod eſt*, Ratthamnum Monacum Corbrienſem lib. 3. contra Græcos aiẽtem, *Sui namque principium eſt ex ſeſe conſiſtens*. Igitur locutio Renati de Cartes, *quod Deus ſit à ſe ipſo poſitiue etiam quodammodo effectiue*, non videtur repellenda, vt à nobis actum eſt. Plana tamen ad hæc omnia reſponſio eſt, pleraque ex his intelligi de *eſſe à ſe* non poſitiuè ſed negatiuè, ideſt, *non ab alio*, vt euidenter exprimunt verba Anſelmi, Alcuini, Lactantij & aliorum, aut ſi pauca quædam ex præadductis poſitiuè ſumantur adhuc non in genere efficientis, vt intendebat Carteſius, Sed ſolum in genere formæ quodammodo, ſeu rationis formalis accipienda ſunt, vt S. Thomas exponit; vnde iterum primum modum poſitiuum excludunt tum Hillarius libr. 2. de Trinitate id probans, *quia nemo ſibi ipſe & munerator & munus eſt*, tum Nazianzenus oratione 29. *non enim aliunde, inquit, nec à ſe ipſo eſſe habet*; Tum Bernardus & alij à nobis eodem loco citati. Aliter in ſenſu proprio

infer-

inferreretur Methaphorica illa locutio Syneſij hymno 3. appellantis Patrem *Filium ſui met ipſius*, quam tamen impropriam locutionem proſcribit Nazianzenus orat. 23.& 35. Vnde & Danæus quidam Hereticus Caluiniſta apud Petauium tom. 2. lib. 6. cap. 12. ex conſimilibus Sanctorum PP. auctoritatibus contra Cathólicos probare conabatur Filium etiam in Diuinis, cum & ipſe Deus ſit, non à Patre ſed à ſe ipſo poſitiuè eſſe, cum Melanctone, Pezelio & allis Caluiniſtis imo cum ipſo Caluino libr. inſtitutionum cap. 13. Et tandem in præadducto ſenſu ſcilicet rationis formalis non efficientis exponenda venit & ea apparenter pro Perezio fraſis Anaſtaſii Synaitę dicentis. *Naturam cauſam & generatricem eſſe hypoſtaſeon quæ inſunt ipſi &c.* ne pater iterum proprie Verbum diceretur, vt volebat Euuomius Hæreticus relatus & impugnatus apud Cirillum lib. 1. in Ioannem cap. 4. vt etiam impugnat Aug. lib. 6. de Trinit. c. 2. cum alijs.

Ad eundum lib. 3. ar. 3. iterum aliquis pro Gaſſendo & Nominalibus de conceptu generis & differentiæ in Deo obijcere poteſt ex Prudentio in Hamartigenia de Diuinis Perſonis aiente,

Genuſque vnum.

quod Deus eſt &c.

Ex Hilario lib. 7. de Trinit. *non affert, inquit, externi generis ſubſtantiam*, & lib. 8. *neque alterius generis Deus eſt*. Inde Atanaſius lib. de diffinitionibus. *Natura, & vſia, & genus & forma vnum ſunt*. Emiſſenus homil. 1. de Simbolo, *Tres Perſonæ videntur in diſtinctione, ſed vnum probantur in genere.* Ambroſius lib. 2. Hexameron cap. 5. *Nihil in illo ſcilicet Verbo naturæ degeneris inuenitur* & huiuſmodi alij.

Facillima tamen expoſitio ſe offert iuxta diuerſas generis acceptiones apud Porphirium cap. de genere, præter genus prædicabile, de quo ſolo nos loquebamur, & de quo adhuc conſtat aliud eſſe negare aliqua plura diuerſi generis eſſe, aliud affirmare ſub eodem genere contineri, cum primum latius pateat quam ſecundum, vnde admiſſo primo, vt adducti PP. loquuntur, adhuc ex PP. vere ſecundum negandum eſſe nos docent Cirillus Alexandrinus in Dialogo 2. de Trinit. *Genus*, inquit, *certe in Deo vllum nominare abienum à recta ratione eſt quandoquidem nulla res omnino cum ipſo eſt aut anteipſum*, & lib. 31. Theſauri, *Videmus id omne, quod differentiam recipit eſſe compoſitum non ſimplex, quare cum ſimplex minimeque compoſitus Deus omnium conſenſione ſit, non poteſt ingenitum illius eſſe differentia*, Maximus apud Euthimium titulo 3. *In Deo*, inquit, *qui eſt, & bonus, & Deus, & opifex & eſſentia præſtantior, & infinitas, & immortalitas, & quæ his ſimilia ſunt, non dicuntur à nobis eſſe diffentiæ eſſentiam conſtituentes ne ipſum ex his compoſitum aſſeramus*, & plura ſimilia etiam in Ioanne Cypariſiota decade X. c. 8. legenda & repetitita à Nazianzeno orat. 34. Pariter Clemens Alexandr. lib. 5. Stromat. inquit, *Deum neque genus eſſe neque differentiam, neque ſpeciem, neque Indiuiduum neque accidens vllum, neque id cui accidat, quippiam*, Anſelmus in Monologio c. 16. *Cum aliquis homo dicitur corpus, & rationalis, & homo, non vno modo vel conſideratione, hæc tria dicitur: ſe-*

cun-

cundum aliud enim eſt corpus, & ſecundum aliud rationale & ſingulum horum non eſt totum id quod eſt homo. Illa vero ſumma eſſentia nullo modo ſic eſt aliquid vt illud idem ſecundum alium modum, aut ſecundum aliam conſiderationem non ſit &c. Euagrius inter veteres PP. apud Socratem lib. 3. cap. 7. probat hoc idem, *Eo quòd ſimplex eſt Deus, quæ autem deffiniuntur compoſita ſunt.* Ruſticus Diaconus in tom. 4. Bibliothecæ relatus colum. 804. *Si verum eſt,* inquit, *quoniam quorum diuerſa ſunt genera, non eadem ſunt, & quæ ſub generibus diſtinguntur, ſimiliterque ea, quæ hijs ſubſunt; Si igitur deus nec genus habet, nec eam ſpeciem, quæ ſupponitur generi, habere vero hæc inuenitur humanitas, multo magis in vna natura coadunari non poſſe demonſtratur;* Vnde Theodorus Abucata opuſculo 2. pag. 396. concludebat *Deus ſub genere non collocatur,* & ſic de aliorum PP. teſtimoniis in Bibliotheca legendis, allatis etiam à Petauio tom. ſuorum dogmatum Theologicorum, præter Boetium, Damaſceuum, Auguſtinum, Bernardum, & alios à nobis iam præadductos ibidem.

Ad librum 4. qu. 6. art. 2. pro puritate potentiæ materiæ aſſertæ ab Ariſtotele & deriſæ a recentioribus Democriticis adſunt etiam ante Ariſt. præter Platonem iam adductum Timæus Locrus in lib. de anima vocans, *informem per ſe & infiguratam, ſuſcipientem tamen omnem formam*, Ocellus Lucanus, cum eodem Timæo auditor Pytagoræ, in libello de natura cap. 2. vocans, *Potentiam omnia in hoc ante generationem*, & infra, *ſuſceptiuam omnium, commune enim ſubiectum ſubijcitur omnibus*. Linus inde Orphæi præceptor Ariſtotelem antecedens annis 1100, dicebat, *materiam primo turpium datricem omnium*, vti & Zoroaſter eodem Lino vetuſtior pluſquam 800. annis, vt inquit Patricius agnoſcebat, *mala materiæ germina*, & alii plurimi antiqui, quorum diuerſas appellationes materiæ congeſſit & Maſius noſter in 1. Phyſicorum, præter hic modo adductos.

FINIS.

Digitized by Google

PRINCIPALIA ERRATA SIC CORRIGE.

In dedicatoria in fine (conceptas (præſidum		(conceptus (præſidium
In Præfatione in fine (ſeſſ. 6.		ſeſſ. 8.
Pag. 1 v. 35	Philoſophiam iuxta ſcriptuta.	Philoſophia iuxta ſcripturam
16 v. 28	pertranſibant	pertranſibunt
21 v. 3	fauentibus	fauentes
26 v. 13	magni	magiſtri
37 v. 30	Anſelmu	Anſelmus
56 v. 2	de natura Chtiſti	de gratia Chriſti
57 & 59	in titulo Articulus I.	Articulus II.
57 v. 1	bono	bonos
62 v. 38	riſtingit	reſtringit
63 v. 1	alij	alijs
70 v. 15	ijſdem	ijdem
71 v. 3	repit	reperit
72 v. 37	naturales	ſupernaturales
83 v. 18	oris	ori
101 v. 34	à Leone	Leonem
145 v. 36	ſignifica	ſignificat
Ibid. v. 9	traſcurrant	tranſcurrant
148 v. 44	philoſophicam	philoſophicum
155 v. 9	reſtingimus, & in oppoſitas	reſtringimus & in oppoſitum
156 v. 14	vdere	videre
158 v. 28	non	ratio
162 v. 25	Mauellinus	Marcellinus
178 v. 23	ita vtramque partem	in vtramque partem
Ibid. v. 24	quæ videatur	quæ videntur
195 v. 35	Cap. 15.	Cap. 75.
203 v. 4	æquim	æquum
205 v. 15	damnatus	damnatas
209 v. 28	Cutanuelos	Caramuelis
218 v. 17	quieſit	quieſcit
234 v. 34	conteutu	contextu
238 v. 13	auctoritate	auctoritate
241 v. 2	non abſit	non obſit
255 v. 11	Colorem	Colorem
261 v. 31	in quattum	inquantum
265 v. 24	conſequentes	conſequenter
263 v. 44	proportionem	propoſitionem
269 v. 27	Lucæ 10.	Lucæ 1.
245 v 24	procere	procedere
277 v. 34	deus	deum
278 v. 18	ob alio	ab alio
268 v. 14	actualites	actualitates
306 v. 36	matera	materia
307 v. 40	hanc	hunc
308 v. 5	calor	color
318 v. 38	à fortioris	à fortiori
319 v. 24	ſuſtentatis	ſuſtentantis
323 v. 24	ſtarenr	ſtarent
326 v. 34	Patruum	Patrùm
330 v. 17	lucubetionibus	lucubrationibus

334 v. 18	quo ad præſentiã	quoad præſentiam
337 v. 38	periunctante	percunctante
338 v. 6	philoſophim	philoſophijs
326 v. 5	Cap. 17.	Cap. 7.
339 v. 45	nunque	nunquam
346 v. 13	conſurtionibus	concurſionibus
Ibid. v. 15.	cohiduntur	collidunt
355 v. 15	de oratione hominis.	de conditione hominis
357 v. 44	& tenebris.	à tenebris
362 v. 21	trucum.	truncum.
362 v. 44	Patribus	Patricius
367 v. 17	progignent	progigneret
372 v. 38	Anaxagoras	Athenagoras
375 v. 15	homunucli & voluptati dedit	homunculi & voluptati dediti
374 v. 22	audiuitur	audiuit
382 v. 7	diperſas.	diſperſas
389 v. 5	Ariſtoteles	Ariſtotelis
398 v. 14	aduerſarium.	aduerſariam.
427 v. 36.	Mitto qua	Mitto ergo.

A21 145325.

Digitized by Google

ſtata, nouo quodam ordine: quum tamen neſcio quem magnum methodi artificem ſe iactet apud ſuos. E quibus ſi qui huc aliquando videndi, ſeu potius rimandi, ridendi, ſatagendi, & calumniandi ſtudio aduolent, nullam vnquam maiorem peſtem agnouimus. Neque enim quicquam ſibi intactum relinquunt audaciſſimi & indoctiſſimi omnium nebulones. Atque adeò futurum ſpero vt Ramus iſte (niſi maturè in meliorem viam ſingulari dei beneficio reducatur) ne religionem quidem intactam prætereat, & venenum, quod forte iam ab aliquot annis concoquit, tandem nolens euomat. Deus Opt. Max. faxit, non dicam vt mentis ſanitati reſtituatur, cum in eo nihil vnquam ὑγιὴς bene doctus vllus, ne dicam prius, offenderit: ſed vt ſe perniciem communem iuuentutis agnoſcat, & non modo (licet iam caneſcens, vt de ſe idem ſcribit) ad meliora, verumetiam ad ſolidiora & vtiliora ſtudia ſe paret, & melioribus inſtitutis iudicium ſibi formet. Hic ſi quid eſt in te dictum paulo acerbius, de tua religione præſertim, mihi ignoſce, & Scaligerum, non Carpentarium ſic loqui exiſtima. Locum alterum videamus, erit fortaſſe in te humanior. Is poſtquam ignorationis tuæ in Mathematicis argumenta multa recenſuit, de methodo, in qua rex quidam videri vis, ita concludit. *Denique ſui oblitus non perpetuo ſequitur egregius hic methodi artifex, naturæ illum ordinem, quem tantoque affectat: neque intelligit, opinor, alium eſſe ordinem in tradendis principijs diſciplinarum & alium demonſtrationis. Profecto mihi videtur ἀναλφάβητος vel etiam in tenuiſſima philoſophiæ parte. vt me pigeat quicquam vnquam huius hominis legiſſe. Longum eſſet omnia recenſere, quæ tibi vel notiſſima eſſe exiſtimo. Sed hæc ad te ſcribo vt intelligas me nullo modo probare huius Alazonis & Sycophantæ ingenium: qui meo iudicio bonis omnibus diſciplinis perniciem molitur, quo ſuæ nugæ & fumi in pretio tandem habeantur.* Vis etiam his exterorum & domeſticorum de tua doctrina teſtimonijs, nonnihil amplius adijciam? Iacobus Schegkius inter Germanos noſtra ætate nobiliſſimus philoſophus, te toto opere ſuo de demonſtratione, Pariſienſis Academiæ ſophiſtam paſſim nominat. Ac libro 1. hæc laudis tuæ elogia ad verbum recenſet. *Studium deprauandi præcepta artis, inquit, ſummum in Petro Ramo fuiſſe animaduerto: qui veterem artem tanquam inutilem & obſoletam è medio remouens, totam propemodum innouauerit, vt vix eius artis agnoſcatur priſtina ſpecies & dignitas. Sed qua impudentia auſus ille fuit præſtantiſſima artis fundamenta conuellere, eadem fuit auſus etiam principem eius artis doctorem Ariſtotelem, ſummum philoſophum, homuncio inſcientiſſimus philoſophiæ, iniurioſiſſimis animaduerſionibus flagellare, ſummo ſuo dedecore, & Scholarum (ſi quæ ipſius nugis delectantur) maximo detrimento: vt qui non intellectum authorem illum, Scholis contemnendum, non diſcendum, vt par erat, propoſuerit. Quid autem aliud eſt reprehendere & exagitare non intellecta, quã ſuam inſcitiam cum impudentia coniunctam, cum ſumma leuitate & ſcurrilitate morum ridendam doctis & modeſtis exhibere?* Nec verò idem hanc in te vehementiam ſcriptis ſuis terminauit, ſed ſuperioribus bellis ciuilibus, cum propter ingenium tuum non minus in religione quam in philoſophia turbulentum, ab Vrbe & patria (ne quid dicam grauius) abeſſe cogereris: hic qui fortaſſe tua calamitate literarum nomine nonnihil commoueri debuit, non

modo

modo te per Germaniam peregrinantem, nullis humanitatis officijs complexus eſt, ſed rebus afflictis, in illa natione nouam docendi prouinciam affectantem, quibus modis potuit, prohibuit: imo hoc ipſum docendi munus in quibuſdam eius partibus aggreſſum, ipſa cathedra ſtatim tandemque vniuerſa Germania expulit. Atque ex eo tempore ea contra te tuaſque philoſophicas nugas edidit, in quibus nullam teſtis fidem amplius afferre poteſt: quoniam perſonam induit grauiſſimi, & potentiſſimi aduerſarij. In qua ſicut ille ad noſtram cauſam multis partibus accedit, eoque gratiſſimus eſt, quod perfecit vt Scholarum, quæ ſunt in eadem Germania multæ & celeberrimæ, eadem fuerit ſententia de tua doctrina, quæ fuit conſtans & perpetua Academiæ noſtræ ab annis triginta: ſic nos noſtro Commentario deſcriptionem artis diſſerendi, quem nunc habemus in manibus, ea diligentia tuas animaduerſiones aliquando excutiemus, in qua idem fortaſſe ſentiet apud nos nunquam defuiſſe qui iſtius fatuitatis tuæ fucos viderint atq; oderint. Sed illum omittamus hoc tempore. Vis vero de tua philoſophica doctrina in eorum iudicio acquieſcamus, qui tibi multis de cauſis amiciores ſemper extiterunt, & tales ſe ipſi in ſuis ſcriptis profitentur? Simon Simonius Lucenſis vbicunque terrarum ſit, quam tibi amicus eſſe debeat omnes ſciunt qui meminerunt eum à te in hanc Academiam allectum, Regiæque profeſſionis expectatione lactatum, imo regiæ cathedræ vſura ad dies aliquot tuo beneficio ornatum: cum tu interea neſcic quid monſtri hic aleres, quod ex eo tempore cœpit in apertum erumpere. At audi quid idem de te ſtatuat, eo ipſo loco quo ſe tibi amicum profitetur. Libro primo eorum, quæ ſcripſit contra eundem Schagkium, dum ſe de eo purgare vult quod tecum in doctrina philoſophica communicare diceretur, *Reſpondeo, inquit, primum me Petri Rami amici mei Animaduerſiones in Ariſtotelica ſcripta, in pleriſque & fere in omnibus non probare: quod aut ſeipſis leues ſint, aut ſi quid ponderis habeant, non bene percepta mente, vel arte Ariſtotelis afferantur; aut etiam quod nulla ratione circunſtantiarum habita, ſummo quodam iuris rigore, omnia perſequi tum Ramus voluerit, cum non debuit.* Et paulo poſt.

Quo animo ſcripſerit animaduerſiones ſuas nouaeque etiam Logices author videri voluerit, neſcio, neque etiam vt ſciam laboro. Ille mihi ſcriptis primum, deinde facie, tandem etiam conſuetudine notus fuit. Admiror acutiem eius ingenij, eloquentiam, multiplicem eruditionem multaque alia dona quæ dominus in illo collocauit: probo eius mores, ac præter cæteros, comitatem ac in loquendo modeſtiam. Id non probo, quod dum in optimum quemque ſcriptorem ac præſertim Ariſtotelem, non bene illius mente ac philoſophandi ratione percepta, inuehi ſe neſcio quibus, argutis quidem, ſed vanis rationibus, poſſe putauit, incautam & ineruditam iuuentutem, ab vtiliſſima planeque neceſſaria lectione auocare conatur. Nemo enim eſt qui de ſcriptis Ariſtotelis ac tota eius philoſophia, optimè ſentire ac loqui, ſummum eius ingenij acumen ac dexteritatem admirari ſtudium, Methodum, ordinem ſummis laudibus celebrare, inuenta traditaque ab eo, ſtudioſis omnibus cuiuſuis generis diſciplinarum quaſi perneceſſaria proponere, eoſdemque ad vnius illius inter philoſophos lectionem hortari, publicè priuatimque omnibus modis non debeat.

Hæc

Hæc ſcribit vel refert Carpentarius hucuſque à nobis etiam non immerito confirmanda ex alijs decretis tum anterioribus tum poſterioribus exſcribendis nunc ex Ioanne Launoi in libello edito Pariſijs anno 1656. inſcripto de varia fortuna Ariſtotelis, in quo cap. 4. pag. 32. legitur hoc decretum editum Pariſijs anno 1215. *R. Seruus Crucis Chriſti diuina miſeratione tituli Sancti Stephani in Cælio monte Præsbiter Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Legatus, vniuerſis Magiſtris & Scholaribus Pariſijs ſalutem in Domino. Nouerint vniuerſi, quod cum Domini Papæ ſpeciale habuiſſemus mandatum &c. ordinamus & ſtatuimus in hunc modum &c. Legant libros Ariſtotelis de Dialectica tam de veteri quam de noua in ſcholis ordinarie & ad curſum &c.* & in fine, *vt autem iſta inuiolabiliter obſeruentur, omnes, qui contumaciter contra has ſtatuta noſtra venire præſumpſerint, niſi &c. curauerint emendare, Legationis, qua fungimur, auctoritate, vinculo excommunicationis innodamus*; Hæc ibi. Vtique verum eſt ſimul ibi prohiberi illos 14. libros *de Methaphyſica vel miſtica Theologia* inſcriptos, Ariſtoteli attributos, quos & Synodus Pariſienſis damnauerat vt ex Chronologia Roberti refert idem Launoi cap. 1. Sed Ariſtotelis hos non fuiſſe probauimus iam lib. 1. qu. 2. ar. 2. ad 4. cuius denuo euidentiſſimum ſignum eſt, quia aliter nec S. Thom. nec B. Albertus Magnus, nec D. Bonauentura poſt illa tempora ſtatim illuſtraſſent ſuis commentarijs omnes Ariſtotelis veros libros, ſi & veri Ariſt. libri *de naturali philoſophia vel Methaphiſica* fuiſſent ita rigide condemnati vel proſcripti, vt immerito ſuſpicatur de Sanctiſſimis Æque ac Doctiſſimis viris Launoi ca. 5. ex ſolo ſuppoſito falſo mox refutato.

Acceſſit inde huic decreto Cardinalis Legati mox ante exſcripto idem omnino de verbo ad verbum repetitum decretum confirmatorium præcedentis ſub anno 1265. promulgatum *à Simone tituli S. Cæciliæ Præsbiteri Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato*, relatum pariter & exſcriptum in Ioanne de Launoi cap. 8. per totum; quod nos dimittimus, vt eadem verba continens cum præcedente.

Anno 1366. ſub Vrbano V. qui etiam ſcripſit Bullam notiſſimam ad Toloſanos in commendationem ſequelæ Doctrinæ S. Thomæ, duo Inde Cardinales Legati (vt ex Archiuio Academiæ Pariſienſis tranſcribit Launoi ca. 9.) iterum hoc generalius decretum his verbis ediderunt, *Miſeratione diuina Ioannes titul. Sancti Marci, & Ægydius tit. Sancti Martini in Montibus Præſbiteri Cardinales commiſſarij ad infraſcripta à Sanctiſſimo in Chriſto Patre & Domino noſtro Domino Vrbano diuina prouidentia Papa V. ſpecialiter deputati &c.* Inde relata Bulla Vrbani V. quod valde ad inſtitutum iuuat, pergunt ſic. *Statuimus eadem auctoritate quod ſcholares antequam admittantur ad determinandum &c. audiuerint veterem artem totam, librum Topicorum potiſſime quoad quatuor libros, & libros Elenchorum, Priorum & Poſteriorum complete, etiam librum de anima in toto vel in parte*, & infra, *& librum Phyſicorum, de generatione & corruptione, de Cælo & mundo, parua naturalia, librum Methaphyſicæ &c.* & in fine. *Prædicta autem omnia & ſingula auctoritate prædicta mandamus &c. inuiolabiliter obſeruari non obſtantibus &c.*

Anno

Annò 1452. auctoritate etiam Caroli VII. regis Cardinalis Totauillæus repetit fere de verbo ad verbum idem decretum vlterius etiam adiungens libros Ethicorum, vt refert idem Launoi cap. 11.

Anno 1545. Nicolaus V. vt refert Cardinalis Beſſarion in epiſtola dedicatoria ſuæ tranſlationis librorum Methaphyſicorum ad Alphōſum Regem Aragoniæ, *viros elegit vtriuſque linguæ peritos, qui omnes fere Ariſtotelis libros in Latinam verterent orationem*. Hæc Beſſarion. In Concilio Florentino (cui idem Beſſarion interfuit) ſeſſ. 4. Epiſcopus Rhodienſis Ariſtotelis philoſophia vſus eſt dicens, *primo quidem aio teſtem nobis eſſe Ariſtotelem &c.*

Sub hoc eodem ſæculo ſcil. anno 1521. Facultas Pariſienſis damnauit geminas propoſitiones Lutheri proſcribentis philoſophiā Ariſtotelis, & Carpentis ſcholaſticos, eo quod eadem vterentur, vt tranſcribit vtramque idem Launoi in fine libelli ſimul cum cenſuris Academiæ.

Anno 1601. ex Launoi cap. 15. Pro eadem Academia Pariſienſi iterum firmatæ ſunt regulæ legendi Ariſtotelis libros, & hæ ne fallor illæ ſunt, quas Carpentarius recenſebat poſt damnationem Rami ſequutam anno 1543.

Anno 1624. contigit iterum alia cenſura Pariſienſis in euertentes Ariſtotelis philoſophiam exſcripta his verbis ex tabulis Academiæ per eundem Launoi cap. 16. nimirum.

In Ariſtotelis oppugnatores Pariſienſium Theologorum cenſura.

Sic autem ſe habet cenſura. *Anno Domini* M. DC XXIV. *die prima menſis Septembris ſacra Theologia Facultas Pariſienſis poſt miſſam de Spiritu Sancto more ſolito celebratam, ordinaria habuit comitia in aula Collegij Sorbonæ, in quibus magiſter Petrus de Beſſe Syndicus expoſuit quaſdam theſes evulgatas per Ioannem Bitaudum, Antonium de Villon, & Stephanum de Claves contra doctrinam Ariſtotelis communiter receptam, quas ſupremus Senatus iudicio Facultatis examinandas commiſerat, antequam ſententiam auctores ferret, quibus iam antea agitatis & examinatis, nec non peculiari cenſura notatis per eiuſdem Facultatis deputatos, iteratò communibus aſſidentium ſuffragijs cum ſua præfatione comprobari petijt, antequam ſupremo Senatui offerretur.*

Facultas autem iterum poſt meridiem priuata comitia indixit, vt conficeretur cenſura generalis theſeon Ioannis Bitaudi, Antonij de Villon & Stephani de Claues, quæ ſingularum propoſitionum qualificationibus præponeretur, antequam ſupremo Senatui offerrentur.

Sequitur cenſura quarundam propoſitionum publicatarum aduerſus principia Ariſtotelica, Paracelſica & Cabaliſtica per Ioannem Bitaudū Sanctonenſem, Antonium de Villon & Stephanum de Claues evulgatum: de quibus dictus Bitaudus ſub moderamine de Villon erat reſponſurus, tertius verò arte chymica illarum veritates experientijs oſtenſurus, niſi ſupremus Senatus ad poſtulationem ſacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis illis ſilentium impoſuiſſet. Nihil planè in Republica Chriſtiana perilosius, nihilque communi ſanctorum Patrum iudicio ca-

 uen-

uendum diligentius, quàm rerum nouitas, ea præſertim, quæ veræ ſciẽtiæ, ſacræque doctrinæ manifeſtè dignoſcitur aduerſari. Sic à primis Eccleſiæ temporibus ipſe veritatis auctor Spiritus ſanctus monuit, ſancto Apoſtolo atteſtante, qui toties nouas & peregrinas hominum in facto doctrinæ opiniones omni ſtudio & diligentia fugiendas commendauit. Vt primæ epiſtolæ ad Timotheum cap. VI. dicitur: O Timothee depoſitum cuſtodi, deuitans profanas vocum nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. ad Epheſios cap. IV. Vt iam non ſimus parvuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris. Et primæ ad Timotheum 4. Spiritus autem manifeſtè dicit, quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinæ dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conſcientiam. Et ad Hebræos XIII. Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci. Quapropter omni cura & ſtudio prouidendum, ne quid in corruptelam morum, ſcandalum populorum, labefactationem religionis & perniciẽ animarum evulgetur, vel ſi contingat in lucem prodire, vt ſtatim è medio tollatur, & omnibus cenſuræ notis damnatum longè lateque profligetur. Cum ergo nouiſſimè in his noſtris miſeris temporibus, in quibus ad omne curioſitatis & nouarum rerum genus deprauatis & liberioribus ingenijs impunè patet aditus, ſacræ facultati Theologiæ Pariſienſis quædam occurriſſent propoſitiones typis mandatæ, palam & publicè à quibuſdam, quo ſpiritu ductis dubitatur, agitandæ, quæ ex profeſſo contra doctrinam Ariſtotelis omnium Philoſophorum ſine controuerſia principis, communemque omnium Academiarum conſenſum & vſum militabant, & nonnihil periculi aduerſus fidei principia inuoluere videbantur: quarum auctores de eorum fortaſſis numero exiſtebant, de quibus olim cauendum ſcripſit Apoſtolus ad Coloſſenſes II. Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam; poſtquam à pluribus eiuſdem Facultatis Doctoribus ſpecialiter deputatis diligenter examinatæ, & diſcuſſæ fuiſſent in priuatis ædibus Facultatis, tandem die II. menſis Septembris 1624. poſt miſſam de Sancto Spiritu ſolito more celebratam in generali congregatione collectis ſingulorum magiſtrorum ſententijs cenſuit poſitiones iſtas eſſe valde periculoſas, non modò ratione veræ Philoſophiæ, quæ à multis ſæculis communi omnium Academiarum conſenſu recepta eſt, ſed etiam quæ non parum aduerſus principia fidei & religionis pugnare deprehendantur. Ex quibus nonnullæ inſtar aliarum peculiari cenſura ſunt notatæ.

Sequitur autem eiuſmodi Theſeon tenor.

Poſitiones publicæ contra dogmata Ariſtotelica, Paracelſica & Cabaliſtica, immortalitati ſacræ.

I.

Materia prima, quam pro principio tranſmutationis ſubiectiuo conſtituunt Peripatetici, ſiue exiſtentiam habeat à ſe, ſiue à forma, commentitia prorſus eſt, & ſine vllo planè fundamento excogitata. In generationibus enim, quas ipſe Ariſtoteles in his inferioribus credidit, hallucinatus eſt, & cum eo cæteri, qui eius ſententiam amplectuntur.

Hæc propoſitio prima eſt temeraria & erronea in fide.

II. For-

II.

Formæ item omnes ſubſtantiales, excepta rationali, non minus abſurdè defenduntur ab Ariſtotelicis, quam materia, cum per eas intelligunt ſubſtantias quaſdam incompletas, vnum per ſe cum materia ſubſtantiale compoſitum conſtituentes. Materia enim è naturali compoſito ſublata, & formas ſaltem materiales tolli neceſſe eſt.

Hæc propoſitio eſt temeraria, erronea & hæreſi proxima.

III.

In tranſmutationibus naturalibus quocunq; modo intelligantur aduenire, quia motus ſunt, priuationem pro principio ſeu termino à quo ponunt Ariſtotelici, ſed malè, cum eorum etiam in ſententia, qui materiam & formam pro alijs duobus principiis admittunt, generatio ſit poſſibilis, nulla præexiſtenti priuatione in materia, vt perquirenti facilè innoteſcet.

IV.

Elementorum numerũ malè aſſignant Peripatetici, ſiue per ea partes integrantes mundi ſublunaris intelligant, ſiue corpora, ex quibus mixta componantur, & in quæ reſoluantur. Paucioribus enim quatuor mundus hic conſtituitur; mixtum pluribus, quod vtrumque experientiæ, rationi, & omnium mixtorum anatomia adſtipulatur.

V.

Mixtum namque quinque corporibus ſimplicibus, ſeu elementis actu & formaliter in eo exiſtentibus conſtituitur; terra videlicet, aqua, ſale, ſulfure, ſeu oleo & mercurio, ſeu ſpiritu acido. Quæ vera & ſola principia naturalia cenſenda ſunt, vtpote quæ neque ex ſe inuicem, nec ex aliis, ſed ex ipſis omnia compoſita phyſica conficiuntur.

VI.

Hæc principia ingenerabilia & incorruptilia ſunt, eiuſdemque ſpeciei infimæ in omnibus mixtis, quicquid imperitum Chymiſticum vulgus cum Paracelſo reclamet. Diuerſitas enim ſalium, ſulphurum & mercuriorum ſi qua apparet in variis mixtorum reſolutionibus, depuratione & ſeparatione heterogeneorum ad homogeneitatem à peritis tandem reducitur.

De prædictis quatuor propoſitionibus nihil dixit Facultas, quia ſunt purè Phyſicæ, vel Chymicæ.

VII.

Ex diuerſa nihilominus mutatione & contemperatione iſtorum quinq; principiorum ſecundum quantitatem, oritur omnis varietas, quæ reperitur in compoſitis purè materialibus, ſiue ea generica ſit, ſiue indiuidualis; cum ex ſola vnione & mixtione eorum, ſine productione nouæ cuiuſdam entitatis omnia compoſita humano excepto conſtituantur.

VIII.

Ex diuerſitate mixtionis & contemperatione principiorum emanat omnis actio, & motus ſaltem corporeus, qui in quolibet compoſito ſenſibili reperitur, non aliter ab agente illo & ſpiritu vniuerſali, igne videlicet, quem aliqui pro anima mundi & principio omnium actionum dormiendo excogitarunt, & multis huius cui-

ciuitatis primatibus pro arcano maximo tradiderunt.

I X.

Mundus autem hic ſublunaris duobus dumtaxat elementis, terra & aqua, tam quam partibus integrantibus conſtituitur: aer enim ab aqua eſſentialiter non diſcrepat, nec ignis elementaris in concauo Lunæ reponendus, cum à cœlo Empyreo non diſtinguatur. Quæ omnia etſi à Philoſophia communi aliena videantur, demonſtrationibus tamen comprobare non erit multum difficile:

Hæ duæ propoſitiones ad Philoſophos remiſſæ ſunt, vt ad ſequentes gradus fieret, quæ ſunt alicuius momenti.

X.

Somniarunt Peripatetici, dum parum congruè de naturis locuti dixerunt, veras & phyſicas alterationes fieri per introductionem nouæ & ſolius entitatis alicuius accidentalis ſubiecto inuariato quoad ſubſtantiam manente. Cum tamen nulla vnquam ſine additione aut detractione principiorum, aut eorum multiplici mixtione accidere queat.

Hæc propoſitio eſt falſa, temeraria, ſcandaloſa, & aliquo modo impugnat ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum.

X I.

Errarunt inſuper Ariſtotelici, dum igni ſiccitatem in excellenti gradu attribuerunt. Eſt enim corporum omnium humidiſſimus, & exſicatio, quam illi Philoſophorum vulgus competere exiſtimat, commentitia, ſicut & grauitas terræ maxima, quæ in vera Philoſophia leuior aqua exiſtit, etſi prima fronte ſub illa delitéſcere deprehendatur. Sed & hoc mixtioni & heterogeneitati adſcribendum.

Hæc propoſitio eſt falſa, & ſenſui communi repugnat.

X I I.

Qualitates virtuales primarum productrices ſine fundamento admittunt Ariſtotelici, cum omnia experimenta, quæ ipſi pro ſua ſententia iactitant facere per ſubſtantias actu & formaliter in corporibus tales actiones producentibus exiſtẽtes, ſoluantur, vt & ſubtiliore talium effectuum perquiſitione cuilibet vel parum in rebus naturalibus erudito innoteſcere poteſt.

Hæc propoſitio eſt falſa & temeraria.

X I I I.

Nihil aſtruſius, nihilque magis experientiæ repugnans transmutatione, quam inter elementa profitentur. Vera enim ſemper terra eſt, nec vllo modo in aquam, aut aliud quiduis elementum tranſmutabilis, ſicut nec aqua in terram, aut aer in ignem: quod item de cæteris principijs, ſale, oleo, & ſpiritu dicendum aſſeueramus.

Hæc propoſitio eſt falſa, temeraria & erronea in fide.

X I V.

Ex his omnibus manifeſtiſſimum eſt ignoranter, aut potius malitioſè irriſa, & ſugillata ab Ariſtotele duo antiquorum dicta, omnia ſcilicet eſſe in omnibus, & omnia componi ex atomis ſeu indiuiſibilibus. Quod vtrumque, quia rationi veræ Philoſophiæ, & corporum anatomiæ conforme eſt, mordicus defendimus, & intrepidi ſuſtinemus.

Hæc

Hæc propoſitio eſt falſa, temeraria, & in fide erronea.

Ad calcem harum Theſeon continebantur ea, quæ ſequuntur mutato charactere.

Cætera, quæ de qualitatibus & mixtione elementorum, Metheororū generatione & alteratione, cæterumque natura & proprietatibus Ariſtoteles, Paracelſus, totaque antiquorum Cabala contra veram philoſophandi rationem nobis tradiderunt, proximis Theſibus euertenda reſeruantur. & infra.

Harum propoſitionum inexpugnabilem veritatem tuebitur Deo dante Ioannes Bitaudus Sactonenſis; arbiter & præſes ſedebit Antonius de Villon, alias miles Philoſophus, & in Vniuerſitate Pariſienſi Profeſſor Peripateticus.

Item minuſculis literis.

Atque vt maiori omnia ſint oblectamento, aſſidebit Stephanus de Claues Doctor Medicus, qui propterea nixus experientia, aſſiduaque, & profunda rerum naturalium meditatione ſuffultus, pro hac iamdiu à ſe detecta aduerſus Ariſtotelis & Paracelſi ſectatores elementorum veritate, vbi opus erit, verba faciet, vt ab hinc die Lunæ proxima initiantibus experientijs, atque iteratis rationibus ita ſua dicta comprobet, omniumque oculis tam aperte ſubijciat, vt omnes adſtantes veriſſima hæc omnia, vno ſimul die fateantur.

Tum demum hæc clauſula ſequebatur.

Die Sabbati proxima & Dominica 24. & 25. menſis Auguſti toto pomeridiano tempore, Lutetiæ Pariſiorum in Palatio reginæ Margaretæ.

Hactenus ex tabulario Facultatis Theologiæ: nunc referendum eſt Senatuſconſultum, quod his concipitur verbis.

PARISIENSIS SENATVS DECRETVM.

Veu par la Cour la Requeſte preſentée le 18. Aouſt 1624. par les Doyen, Syndic & Docteurs de la Faculté de Theologie en l'Vniuerſité de Paris, tendant à ce que les nommez Villon, Bitaud, & de Claues comparoiſtroient en perſonne, pour reconnoiſtre, adnouer, ou deſauouer les Theſes par eux publiées, & ouir leur declaration, eſtre procedé contre eux ainſi que de raiſon: cependant permis faire ſaiſir leſdits Theſes, & deffenſes faites de les diſputer, copies imprimées deſdites Theſes pour eſtre agitées en public le 25. Aouſt. Arreſt du 29. dudit mis, par lequel ladite Cour auroit ordonné, que leſdites Theſes ſeroient communiquées aux Docteurs de la Faculté de Theologie, pour donner aduis ſur icelles. D'aduis de ladite Faculté du 2. Septembre, contenant la Cenſure des propoſitions contenues eſdites Theſes. Le procés verbal de Caſſault Huiſſier, du 3. Septembre, contenant la propoſition faite dudit Villon; ledit de Claues ouy: Concluſions du Procureur General du Roy, & tout conſideré. La Cour aprés que ledit de Claues a eſté admoneſté, ordonne, que leſdits Theſes ſeront déchirées en ſa preſence, & que commandement ſera fait par l'vn des Huiſſiers de ladite Cour auſdits de Claues, Villon & Bitaud, de ſortir dans 24. heures de cette Ville de Paris, auec deffenſes de ſe retirer dans les villes & lieux du reſſort de cette Cour, enſeigner la Philoſophie en aucune des Vniuerſitez d'iceluy, & à toutes perſonnes de quelque qualité &

condition qu'ils ſoient, mettre en diſpute leſdites propoſitions contenues eſdits Theſes, les faire publier & vendre ou debiter, à peine de punition corporelle, ſoit qu'elles ſoient imprimées en ce Royaume ou ailleurs. Fait defenſes à toutes perſonnes à peine de la vie, de tenir ny enſeigner aucunes maximes contre les anciens Autheurs & approuvez, ny faire aucunes diſputes, que celles qui ſeront approuvées par les Docteurs de ladite Faculté de Theologie. Ordonné, que ledit Arreſt ſera leu en l'aſſemblée de ladite Faculté en Sorbonne, mis & tranſcrit en leurs Regiſtres, & outre copies collationées d'iceluy, baillées au Recteur de l'Vniuerſité, pour eſtre diſtribuées par les Colleges, à ce qu'aucun n'en pretende cauſe d'ignorance. Fait en Parlement, & prononcé le 4. iour de Septembre 1624. Ledit iour ledit de Claues a eſté mandé, & leſdits Theſes ont eſté déchirées en ſa preſence.

PERGVNT NOTÆ NOSTRÆ.

Ad eundem libr. 1. quæſt. 3. art. 4. aduerſum Platonis quædam impia dogmata & mores legi vlterius poſſunt Lactantius lib. 3. cap. 21. & 22. Euſebius lib. 13. præparat. Euangelicæ cap. 8. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. contra Iulianum, Griſoſtomus hom. 7. in epiſt. 1. ad Corinth. c. 1. & hom. 3. in epiſt. ad Romanos Auguſtinus libr. 8. de Ciuit. c. 12. & lib. 10. ca. 3. Iuſtinus Martir orat. parænet ad Gentes, Tertullianus lib. de anima ca. 23. Naziazenus orat. 33. Origenes lib. 1. contra Celſum, Theodoretus lib. 12. de vita actiua, Theophilus Antiochenus ad Antholyc. Hieronymus epiſt. ad Heliodorum, S. Thom. autem 2. 2. qu. 152. ar. 2. ad 3. pertranſit ſolum Platonem in cælibatur vixiſſe, *vt legitur*, inquit, non vero omnino caſtimoniam ſeruauiſſe firmiter opinatur, vel credit. Ab oppoſito pro Ariſtotele Origenes libr. 1. contra Celſum verſus finem loquens de Chriſti monito Math. 10. *cum vos perſequuti fuerint in vna Ciuitate fugite in aliam*, inquit, *huic Ieſu diſcipulorumque calumnioſæ inſectationi ſimile eſt, quod refertur de Ariſtotele. Is cum intellexiſſet parari ſibi iudicium vt impio propter quædam dogmata ipſius ſuſpecta impietatis Atheninenſibus*, nempe de vnitate Dei, propter quam aſſertam & Socrates ab eiſdem damnatus fuerat, *digreſſus apud Chalcidem ſcholam habuit dicens diſcedamus Athenis, ne præbeamus Athenienſibus ſecundam occaſionem &c.*

Ad eundem librum primum q. 4. ar. 1. ſi quis legere cupit in alijs ante Gaſſendum obiectiones contra Ariſt. dogmata congeſtas à Gaſſendo in libro ſuarum exercitationum, præter Franciſcum Patricium in ſuis, diſcuſſionibus Peripateticis, adeat Sextum Empiricum ex profeſſo in libris inſcriptis aduerſus Mathematicos, cui & Picus in libris examinis vanitatis doctrinæ gentium non parum ſimilis apparebit.

Ad eundem librum primum q. 6. ar. 2. congruit optimè decretum Pariſienſis Academiæ confirmatum poſtea à Cardinali Lotaringo ex Carpentario pag. 114. hic tranſcribendum. *Cum ad Ariſtotelis doctrinam*, inquit, *ventum eſſet conuenit inter omnes, huius ſcil. Ariſt. ſcripta eiuſmodi eſſe vt non ſolum complectantur germanam illius ſententiam ſed contra aliorum opinionem* diſpu-

diſputationes pleraſque accutiſſimas quidem ſed prolixitate & obſcuritate, hominibus etiam in philoſophando conſtantiſſimis, plerumq; moleſtas. Quæ faciunt vt nō modo permulti auditores ab eius ſtudio reuocentur, ſed etiam doctores omnino labore frangantur, aut dum illis quantum poſſunt indulgent totum tempus ad philoſophandum noſtris legibus deffinitum, in leuioribus partibus traducant; non attingant quæ omnium ſunt præſtantiſſima. Itaque ſic à nobis eſt conſtitutum &c. poſſe Ariſtotelem integrum priuatis cuiuſque ſtudijs quaſi in commentarijs relinqui ex illo vero amputatis eiuſmodi diſputationibus, aut omnino, aut magna ex parte, per eruditos viros Seligi quæ rata eſſe vult, eaq; viua Magiſtrorum voce doceri. Laudatum hoc omnium eorum, qui tum aderant, vno conſenſu, quæ & noſtra reſolutio erat.

Ad librum ſecundum q. 1. ar. 2. De differentijs inter Academicos & Scepticos ex profeſſo videndus Sextus Empiricus lib. 1. Hypoth. Pyrrhon. ca. 33. per totum.

Ad eundem lib. 2. qu. 3. ar. 3. quomodo ex Academica regula probabiliſtarum quamplures populi enormiſſima etiam crimina immunia à culpa crediderint narrat ampliſſime & curioſiſſime Sextus Empiricus li. 3. hypothe. Pyrrhon. c. 24. vſque in finem.

Ad librum tertium qu. 3. ar. 2. Vlterius aliquis obijcere poteſt pro Carteſio ex quibuſdam Patribus à Petauio relatis, ſimilem fere modum loquendi repetentibus, nempe apud Cirillum lib. 1. contra Iulianum Orphæus inquit, *Vnus ex ſe ipſo genitus Deus*. Lactantius lib. 1. cap. 8. *Conſequens eſt*, inquit, *vt quando nihil ante ipſum fuit ipſe ante omnia ex ſe ipſo ſit procreatus*, & ad hoc idem adiungit, tum Apolinis oraculum. *Ex ſe ortus &c.* tum verba Senecæ aientis. *Deus ipſe ſe fecit*. Item lib. 2. ca. 8. *ex ſe ipſo eſt*, inquit, inde Hilarius lib. 2. de Trin. *id quod eſt ex ſe atque in ſe continens*. Inde Hieronymus in ca. 3. Epiſt. ad Eph. *ipſe ſui origo eſt ſuæque cauſa ſubſtantiæ*, Zeno Veron. ſerm. 1. *ex ſe ipſo, inquit, dedit ſibi eſſe principium*, Anſelmus in Monologio cap. 44. *à nullo habet eſſentiam niſi à ſe ipſo*. Alcuinus in quæſt. de Trinit. *Ab alio non eſt niſi à ſe ipſo*, vt omittam Zacariam Mitilenæum tom. 1. Bibliothecæ Vet. P.P. repetentem, *quod habet Deus ex ſe ipſo eſſe id quod eſt*, Ratrhamnum Monacum Corbterienſem lib. 3. contra Græcos aiētem, *Sui namque principium eſt ex ſeſe conſiſtens*. Igitur locutio Renati de Cartes, *quod Deus ſit à ſe ipſo poſitiue etiam quodammodo effectiue*, non videtur repellenda, vt à nobis actum eſt. Plana tamen ad hæc omnia reſponſio eſt, pleraque ex his intelligi de *eſſe à ſe* non poſitiuè ſed negatiuè, ideſt, *non ab alio*, vt euidenter exprimunt verba Anſelmi, Alcuini, Lactantij & aliorum, aut ſi pauca quædam ex præadductis poſitiuè ſumantur adhuc non in genere efficientis, vt intendebat Carteſius, Sed ſolum in genere formæ quodammodo, ſeu rationis formalis accipienda ſunt, vt S. Thomas exponit; vnde iterum primum modum poſitiuum excludunt tum Hillarius libr. 2. de Trinitate id probans, *quia nemo ſibi ipſe & munerator & munus eſt*, tum Nazianzenus oratione 29. *non enim aliunde, inquit, nec à ſe ipſo eſſe habet*; Tum Bernardus & alij à nobis eodem loco citati. Aliter in ſenſu proprio

infer-

inferreretur Methaphorica illa locutio Syneſij hymno 3. appellantis Patrem *Filium ſui met ipſius*, quam tamen impropriam locutionem proſcribit Nazianzenus orat. 23.& 35. Vnde & Danæus quidam Hęreticus Caluiniſta apud Petauium tom. 2. lib. 6. cap. 12. ex conſimilibus Sanctorum PP. auctoritatibus contra Cathólicos probare conabatur Filium etiam in Diuinis, cum & ipſe Deus ſit, non à Patre ſed à ſe ipſo poſitiuè eſſe, cum Melanctone, Pezelio & allis Caluiniſtis imo cum ipſo Caluino libr. inſtitutionum cap. 13. Et tandem in præadducto ſenſu ſcilicet rationis formalis non efficientis exponenda venit & ea apparenter pro Perezio fraſis Anaſtaſii Synaitę dicentis, *Naturam cauſam & generatricem eſſe hypoſtaſeon quæ inſunt ipſi &c.* ne pater iterum proprie Verbum diceretur, vt volebat Euuomius Hæreticus relatus & impugnatus apud Cirillum lib. 1. in Ioannem cap. 4. vt etiam impugnat Aug. lib. 6. de Trinit. c. 2. cum alijs.

Ad eundum lib. 3. ar. 3. iterum aliquis pro Gaſſendo & Nominalibus de conceptu generis & differentiæ in Deo obijcere poteſt ex Prudentio in Hamartigenia de Diuinis Perſonis aiente,

Genuſque vnum.

quod Deus eſt &c.

Ex Hilario lib. 7. de Trinit. *non affert*, inquit, *externi generis ſubſtantiam*, & lib. 8. *neque alterius generis Deus eſt*. Inde Atanaſius lib. de diffinitionibus, *Natura, & vſia, & genus & forma vnum ſunt*. Emiſſenus homil. 1. de Simbolo, *Tres Perſonæ videntur in diſtinctione, ſed vnum probantur in genere.* Ambroſius lib. 2. Hexameron cap. 5. *Nihil in illo ſcilicet Verbo naturæ degeneris inuenitur* & huiuſmodi alij.

Facillima tamen expoſitio ſe offert iuxta diuerſas generis acceptiones apud Porphirium cap. de genere, præter genus prædicabile, de quo ſolo nos loquebamur, & de quo adhuc conſtat aliud eſſe negare aliqua plura diuerſi generis eſſe, aliud affirmare ſub eodem genere contineri, cum primum latius pateat quam ſecundum, vnde admiſſo primo, vt adducti PP. loquuntur, adhuc ex PP. vere ſecundum negandum eſſe nos docent Cirillus Alexandrinus in Dialogo 2. de Trinit. *Genus*, inquit, *certe in Deo vllum nominare abienum à recta ratione eſt quandoquidem nulla res omnino eum ipſo eſt aut anteipſum*, & lib. 31. Theſauri, *Videmus id omne, quod differentiam recipit eſſe compoſitum non ſimplex, quare cum ſimplex minimeque compoſitus Deus omnium conſenſione ſit, non poteſt ingenitum illius eſſe differentia*, Maximus apud Euthimium titulo 3. *In Deo*, inquit, *qui eſt, & bonus, & Deus, & opifex & eſſentia præſtantior, & infinitas, & immortalitas, & quæ his ſimilia ſunt, non dicuntur à nobis eſſe diffentiæ eſſentiam conſtituentes ne ipſum ex his compoſitum aſſeramus*, & plura ſimilia etiam in Ioanne Cypariſiota decade X. c. 8. legenda & repetitita à Nazianzeno orat. 34. Pariter Clemens Alexandr. lib. 5. Stromat. inquit, *Deum neque genus eſſe neque differentiam, neque ſpeciem, neque Indiuiduum neque accidens vllum, neque id cui accidat, quiſpiam*, Anſelmus in Monologio c. 16. *Cum aliquis homo dicitur corpus, & rationalis, & homo, non vno modo vel conſideratione, hæc tria dicitur: ſe-*

cun-

cundum aliud enim eſt corpus, & ſecundum aliud rationale & ſingulum horum non eſt totum id quod eſt homo. Illa vero ſumma eſſentia nullo modo ſic eſt aliquid vt illud idem ſecundum alium modum, aut ſecundum aliam conſiderationem non ſit &c. Euagrius inter veteres PP. apud Socratem lib. 3. cap. 7. probat hoc idem, *Eo quod ſimplex eſt Deus, quæ autem deffiniuntur compoſita ſunt.* Ruſticus Diaconus in tom. 4. Bibliothecæ relatus colum. 804. *Si verum eſt,* inquit, *quoniam quorum diuerſa ſunt genera, non eadem ſunt, & quæ ſub generibus diſtinguntur, ſimiliterque ea, quæ hijs ſubſunt; Si igitur deus nec genus habet, nec eam ſpeciem, quæ ſupponitur generi, habere vero hæc inuenitur humanitas, multo magis in vna natura coadunari non poſſe demonſtratur;* Vnde Theodorus Abucata opuſculo 2. pag. 396. concludebat *Deus ſub genere non collocatur,* & ſic de aliorum PP. teſtimoniis in Bibliotheca legendis, allatis etiam à Petauio tom. ſuorum dogmatum Theologicorum, præter Boetium, Damaſceuum, Auguſtinum, Bernardum, & alios à nobis iam præadductos ibidem.

Ad librum 4. qu. 6. art. 2. pro puritate potentiæ materiæ aſſertæ ab Ariſtotele & deriſæ a recentioribus Democriticis adſunt etiam ante Ariſt. præter Platonem iam adductum Timæus Locrus in lib. de anima vocans, *informem per ſe & infiguratam, ſuſcipientem tamen omnem formam*, Ocellus Lucanus, cum eodem Timæo auditor Pytagoræ, in libello de natura cap. 2. vocans, *Potentiam omnia in hoc ante generationem,* & infra, *ſuſceptiuam omnium, commune enim ſubiectum ſubijcitur omnibus.* Linus inde Orphæi præceptor Ariſtotelem antecedens annis 1100, dicebat, *materiam primo turpium datricem omnium*, vti & Zoroaſter eodem Lino vetuſtior pluſquam 800. annis, vt inquit Patricius agnoſcebat, *mala materiæ germina*, & alii plurimi antiqui, quorum diuerſas appellationes materiæ congeſſit & Maſius noſter in 1. Phyſicorum, præter hic modo adductos.

F I N I S.

PRINCIPALIA ERRATA — SIC CORRIGE.

	Principalia errata	Sic corrige
In dedicatoria in fine	(conceptas (præſidum	(conceptus (præſidium
In Præfatione in fine	(ſeſſ. 6.	ſeſſ. 8.
Pag. 3 v. 35	Philoſophiam iuxta ſcriptura	Philoſophia iuxta ſcripturam
16 v. 28	pertranſibant	pertranſibunt
21 v. 3	fauentibus	fauentes
26 v. 13	magni	magiſtri
37 v. 30	Anſelmu	Anſelmus
56 v. 2	de natura Chriſti	de gratia Chriſti
57 & 59	in titulo Articulus I.	Articulus II.
57 v. 1	bono	bonos
62 v. 38	riſtingit	reſtingit
63 v. 1	alij	alijs
70 v. 15	ijſdem	ijdem
71 v. 3	repit	reperir
72 v. 37	naturales	ſupernaturales
83 v. 18	oris	ori
101 v. 34	à Leone	Leonem
145 v. 36	ſignifica	ſignificat
Ibid. v. 9	traſcurrant	tranſcurrant
148 v. 44	philoſophicam	philoſophicum
155 v. 9	reſtingimus, & in oppoſitas	reſtringimus & in oppoſitum
156 v. 14	vdere	videre
158 v. 28	non	ratio
162 v. 25	Mauellinus	Marcellinus
178 v. 23	ita vtramque partem	in vtramque partem
Ibid. v. 24	quæ videatur	quæ videntur
195 v. 35	Cap. 13.	Cap. 75.
203 v. 4	æquim	æquum
205 v. 15	damnatus	damnatas
209 v. 28	Curanuelos	Caramuelis
218 v. 17	quieſit	quieſcit
234 v. 34	contentu	contextu
138 v. 13	auctoritate	auctoritate
242 v. 2	noa abſit	non obſit
235 v. 11	Colorem	Colotem
261 v. 31	in quaitum	inquantum
265 v. 24	conſequentes	conſequenter
263 v. 44	proportionem	propoſitionem
269 v. 27	Lucæ 10.	Lucæ 1.
245 v 24	procere	procedere
277 v. 34	deus	deum
278 v. 18	ob alio	ab alio
268 v. 14	actualites	actualitates
306 v. 36	matera	materia
307 v. 40	hanc	hunc
308 v. 5	calor	color
318 v. 38	à fortioris	à fortiori
319 v. 24	ſuſtentatis	ſuſtentantis
323 v. 24	flarent	ſtarent
326 v. 34	Patruum	Patrùm
330 v. 17	lucubetionibus	lucubrationibus

334 v. 18	quo ad præſentiã	quoad præſentiam
337 v. 38	periunctante	percunctante
338 v. 6	philoſophim	philoſophijs
326 v. 5	Cap. 17.	Cap. 7.
339 v. 45	nunque	nunquam
346 v. 13	conſurtionibus	concutſionibus
Ibid. v. 15	cohiduntur	collidunt
355 v. 15	de oratione hominis.	de conditione hominis
357 v. 44	& tenebris	à tenebris
362 v. 21	trucum.	truncum.
362 v. 44	Patribus	Patricius
367 v. 17	progignent	progigneret
372 v. 38	Anaxagoras	Athenagoras
375 v. 15	homunuchi & voluptati dedit	homunculi & voluptati dediti
374 v. 22	audiuitur	audiuit
382 v. 7	diperſas	diſperſas
389 v. 5	Ariſtoteles	Ariſtotelis
398 v. 14	aduerſatium.	aduerſariam.
427 v. 36	Mitto qua.	Mitto ergo.

APL 1453986-

Digitized by Google

Digitized by Google